
9601





# BIBLIOTHECA VIRGINALIS SIVE MARIÆ MARE MAGNVM.

## TOMVS TERTIVS

Ego ex ore Altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram. Ego in Altiſsimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſsi penetraui, in fluctibus Maris ambulaui, & in omni terra ſteti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui, &c. Memoria mea in generationes ſæculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis.

*Eccleſiaſtici 24. cap.*

MATRITI, Ex Typographia REGIA,

Anno M. DC. XLVIII.

# F. ANTONIVS RAMPEGOLIS.

## NOTA.

*AVgustinianæ familiæ decus. R. P. F. Antonius Rampegolis, siue, vt alij inscitè nominant, Ampigollis, vel Rampelogis, Natione Genuensis, & Lector Paduanus, atque Bononiensis; Scripturæ sanctæ, & Iuris tam Pontificij, quàm Cæsarij peritus; ingenio præstans, & clarus eloquio extitit. In Concilio Constantiensi sua non vulgari prudentia, ac eruditione aduersùs Hussitas disputans nomen ingens, & eximiam sibi comparauit famam. Inter Concionatores sui sæculi Principes vnus fuit, & plurima edidit opuscula, quæ ab aliquibus referuntur, & præcipuè* Compendium figurarum Bibliorum, *spiritualiter secundũ ordinem Alphabeti, missum Religiosis Fratribus, qui Neapoli litteris operam dabant, quorum ipse Doctor, ac Moderator fuerat. Opus hoc pluribus in locis deprauatum typis mandatum est Argentorati anno* 1516. *&* 1558. *&* 1570. *Lugduni* 1511. *& alibi; tandem Coloniæ correctum iuxta Romanæ Curiæ Expurgatorium emendatum, & suo nitori restitutum (fuerat enim ab Hæreticis in doctrina maculatum, & ab ignaris solæcysmis, ac barbarismis quàm plurimis, phrasibusquè obscuris respersum.) sumptibus Petri Hemingi anno* 1609. *prodijt; in quo de Beatissima Virgine MARIA eruditione refertas, & semper immaculatas tersas, & nitidas quas hìc transcribo ex veteri, & nouo testamento deprompsit figuras. Clarebat anno à Virgineo partu M.CCCLXXXIX. secundùm alios M.CCCCX. De ipso agunt R. P. Thomas Gratianus in Anast. fol. 53. Aubertus Myræus ad ann* 1394. *P. Thom. de Herrera in suo Alphab. fol. 53. Sixtus Senensis, lib. 4. Bibliot. Sanct. fol.* 198. *& Antonius Possevinus in Apparatu, fol.* 104. *Licèt duos distinguat Rampegolios, alterum Genuensem, Neapolitanum alterum. Quod absque fundamento dictum existimo.*

## DE MARIA VIRGINE, FIGVRÆ BIBLIORVM.

*Eccles.* 43 VAS *admirabile opus excelsi. Eccles.* 43. Nota, quòd ille artifex dicitur esse solemnis, qui non solùm nouum scit fabricare vas: sed qui scit fractum, seu destructum in melius reparare. Nam subtilitas artis per opera subtilio ra cognoscitur: difficilius est enim vas fractum melius reficere, quàm nouum fabricare. Spiritual. Deus est optimus artifex. Nam ipsum vniuersum fecit ex nihilo, velut opus bo-

*Gene. s* 1. num. Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona.* Et vas destructum, B id est, humanum genus reparauit in melius. Sed nota, quòd primum humani generis vas fuit conditio primorum parentum. Nam in ipsis Deus reposuerat imaginem, & similitudinem suam: sed mulier misera, vas suum incautè conseruans, illud confregit. Psal. 105. *Et*

*Ps.* 105. *sic mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Igitur pro reparatione huius vasis, plorauit humanum genus quinque millia annorum, & vltra Psalm. *Psal.* 30. 30. *Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum.* Tandem Spiritus Sanctus suggessit, & docuit hìc artificem sapientiæ: omnium enim est artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. Ad ipsum igitur clamauerunt sancti humili voce, petentes reparationem huius vasis. Iob 14. *Quis potest facere mundum de im-* *Iob* 14. *mundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Et tunc omnium artifex Dei filius descendens, vas illud multò pretiosius reparauit in Virgine gloriosa, quàm priùs esset. Figur. Ierem. 18. vbi legimus Dominum dixisse Ie- *Ierem.* 1 remiæ: *Descende in domũ figuli*, & descendit, quem facere vidit quoddam vas luteum: sed

vas illud totum contritum est, deinde terra ex eadem massa assumpta, fecit vas optimum, quemadmodum ipse voluit, quo facto, Dominus dedit Ieremiæ in signum, quòd æquè repararet vas, id est, populum destructum, vt figulus vas illud. Spirit. Subaudi per primum vas, primam mulierem, quam ictus Diabolicæ tentationis adeò contriuit, quòd non remansit in ea, nec in suis posteris, tantum integritatis, vbi posset reponi scintilla diuinæ gratiæ, nec valuit reparari vas illud per purũ homi-
*Eccl. 7.* nẽ, sed per artificem illum per quem vas illud fuerat fabricatum. Vnde super illo Eccles. 7. *Vide opera Dei, & quòd nemo corrigere potest quem ille despexerit*, dicit quidam Iudæus nomine Rabi Azarias, qui fuit valdè authenticus apud eos: In hora, inquit, qua creauit Deus primum Adam, tulit eum, & duxit, atque reduxit per omnes arbores Paradisi, & dixit ei. Vide opera mea quàm pulchra, & laudabilia sunt, & quidquid propter te creaui, præbe mentem tuam, vt non corrumpas, aut diminnas seculum meum. Si enim destruxeris, non erit post te qui reparet. Et non solùm, & posteris tuis, sed etiam ipsi iusto eris relinquens mortem. Hæc omnia prudens doctor. Ex quibus verbis clarè patet, qualiter fractio generis humani reparari non potuit per purum hominem, quia omnes declinauerunt simul, & non erat faciens illud bonum vsque ad Christum, qui solus fuit iustus. Venit ergo hic magister reparans vas virgineum, id est, Beatissimam MARIAM, quam fecit ex eodem luto, sed sanctificauit eam, & fecit quemadmodum voluit; nam adeò repleuit ipsam sanctitatis gratia, vt tam ab originali, quàm ab omni actuali peccato deinceps es-
*Psal. 29.* set munda. Vnde in Psalm. 29. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* In signo igitur istius vasis reparati designauit, qualiter reparet Ierusalem, quia per ipsam gloriosam Virginem liquorem balsami cœlestis, scilicet filium Dei in sacro vtero recipiens, nobis postmodum dedit ad omnium reparationem, vt felicius esset quod per ipsam lucrati sumus, quàm illud quod per Euam perdideramus. Vnde Chrysost. super illud, Missus est. Aue, inquit, gratia plena, vltra iam Diabolus aduersum te non valet, vbi enim priùs vulnerauit bellator, ibi primùm medicus antidotum posuit, per mulierem decurrit fallacia, per mulierem emanant meliora. Non verearis culpatam condemnationem. Mater enim illius, qui condemnauit, efficieris gratia, in vtero materno profundasti mortem. Aue animatum templum Dei, cœli terræque æquilibrium.

*ant. 6.* *Quasi aurora consurgens.* Cant. 6. Naturaliter experimur ægritudines humanas alleuiari, & feras bestias ad latibula sua fugere, & homines audaciores fieri in aurora, quàm tempore noctis essent. Spirit. Totum tempus præcedens aduentum Beatæ Virginis fuit nox, & obscuritas, in qua ęgrotabat humanum genus, infernales feræ, id est, Dæmones ardentiùs dominabantur, & homines timidi erant in conspectu Dei, & Angelorum, propter primorum parentum maculam. Sed hac benedicta radiante aurora, curata est ægritudo humana, fugit Diabolus à conspectu nostro. Ideo ipsam auroram arbitrantur vmbram mortis. Et nos facti sumus audaces, & securi apparere coram Domino, & gratiam postulare. Figur. Genes. 32. Cùm Iacob tota nocte luctaretur cum do-
*Genes. 32* mino, apparente aurora, dixit Dominus, vel Angelus cum quo luctabatur: *Dimitte me, aurora est*, qui dixit: *Non dimittam te, nisi priùs benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco, dicens: Non vocaberis amplius Iacob, sed Israel erit nomen tuum.* Spirit. Laborans homo in lucta cum Domino per totum tempus culpæ, non potuit ipsum videre, nec inclinare ad misericordiam, sed adueniente hac aurora sancta, ait Dominus: *Dimitte me, Ecce aurora lucet.* Ecce Virgo Mater misericordiæ auctrix, ad illam recurre, amodò ab illa postula quidquid vis. Amodò nequaquam vocaberis Iacob, id est, luctator, quia non te amplius; propter primam culpam puniam, non tibi molestiam inferam, sed nomen tuum erit Israel, quia non * videbis Dei filiũ incar-
** fortè nunc* natum, & quem priùs vltorem dirum timebas, cognosces amodò pijssimum Redemptorem. Igitur hæc aurora beatissima inuocanda est in subsidium, cùm oportet. Bernard. in quodam sermone: Si crimine turbaris, si conscientiæ fœditate confusus, si baratro desperationis absorptus, MARIAM cogita, MARIAM inuoca: non recedat à corde, non transeat ab ore; nam ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsam sequens non deuias, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa ducente non fatigaris, ipsa propitia, peruenis, & sic à temetipso experiri poteris, quàm meritò dictum sit Virginis nomen MARIA.

*Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Psalm. 45. Pretiosis reliquijs consueuit fieri tabernaculum aureum, vel argenteum
*Psal. 45.* omni ornatu præparatum. Nam pretiosus locus debetur pretioso locando, secundùm proportionem. Nulla reliquia pretiosior, nullum tam pretiosum locale vnquam mundus habere potuit, quale fuit filius Dei. Ideircò decuit illum habere tabernaculum pretiosum, vbi reponeretur. Psalm. 44. Nam ipse fuit *speciosus*
*Psal. 44.* *forma præ filijs hominum.* Ideo Spiritus Sanctus adeo sanctificauit B. Virginem, vt fieret in delicijs speciosa inter filias Ierusalem, & inter omnes creaturas. Figur. Exod. 25. vbi
*Exod 25* præcipit Dominus Moysi, dicens: *Facies mihi sanctuarium, & ibi videbor à vobis.* Portatum

tatum est igitur aurum, & argentum, & lapides pretiosi, & ligna imputribilia, & multiplex pretiosa materia adducta est, & inuenti sunt fabri, & operatores lignorum, & lapidum. Facto igitur opere, posita est ibi arca Domini, in qua erant lapideæ tabulæ mandatorum. Manna, & virga erant ibi: duo Cherubim sese respicientes, præterea in exteriori loco positum erat candelabrum aureum aspiciēs ad aquilonem, & ibi erat mensa propositionis panum. Et erat ibi altare holocaustorum, vbi scilicet, mactabantur bestiæ offerendæ in holocaustum Domino, & istud tabernaculum vocatum est sanctificatio. Spir. Per hoc tabernaculū sanctificatū notatur Virgo MARIA, quæ super omnes sanctos sanctior est. Nam in eius sanctificatione, remota est omnis macula, etiam minimi peccati, vt etiam sanctos Angelos, secundùm Ansel. superet per puritatem, portatum est aurum, & argentum, &c. Quia cœlestis sibi missa est gratiæ plenitudo, vt ipsa decoraretur lignis imputribilibus, scilicet, perfecta charitate, humilitate, sobrietate, prudētia, sapiētia, & cæteris virtutibus abūdāter. Inuētus est vnus optimus faber, scilicet, Spiritus Sanctus, qui ipsam adeò subtiliter ornauit per artem suam, vt fieret mater, & Virgo. Reposita est ibi arca thesauri diuini, quia ipse Dei filius in vterum Virginis descēdens, factus est homo, ibi fuit potestas diuinitatis. Ecce virga, ibi fuit anima Christi, in qua Deus scripsit amplissimam sapientiam. Ecce tabulæ. Et caro in qua apparuit dulcedo beneuolentiæ. Ecce manna. Erant in tabernaculo duo Cherubim sese respicientes, qui sunt duo testamenta mutuò veritatem de ipsa nunciantia, vt patet de Luca & Isaia. Est ibi altare vbi mactantur bestiæ ad immolandum, quòd ipsa Virgo Virginum est exemplarium, ad quod si quis attendat, planè reperiet qualiter acta brutalia, & bestialia, scilicet, peccata debeant occidi, & occisa facere cum lachrymis per cor contritum, & humiliatum sacrificium Deo acceptum. Nam in hoc altari inueniet malleum humilitatis, ad conterendum leonem superbiæ, aculeū charitatis, ad feriendum serpentem inuidiæ, stimulum paupertatis, ad percutiendum lupum auaritiæ, iaculum virginitatis, ad feriendum porcum immunditiæ, & sic de alijs. Nam omnia arma parata inuenies ad omnia peccata fugienda. Est ibi mensa panum, quia in ipsa est omnium tam peccatorum, quàm iustorum refectio. Ibi est candelabrum respiciens ad aquilonem exterius. Nota, per aquilonem infer

*Ierem. 1.* num. Ierem. 1. *Ab aquilone pandetur omne malum.* Inde enim consurgens tenebrarum Princeps insidiatur fidelibus, & præcipuè hora mortis. Sed in isto sacro altari est candelabrum, contra aquilonem exteriùs, quia est in ea adiutorium, & subsidium contra Diabolum in exitu vitæ præsentis. Sic igitur fuit ornatum virgineum tabernaculum. Vnde ipsa Eccles. 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis, &c.* Ex isto enim tabernaculo Deus à fidelibus videtur, quia ipsa nobis Dei filium dedit placatum, & nobis sociatum. Et sic patet qualiter debuit ordinari tabernaculū pretiosum ad ponendum æternum Regem venientem cum hominibus ad conuersandum. Vnde Leo Papa in serm. o. Natiuitatis Virg. Oportebat quippè priùs ædificari domum, in qua descendens cœlestis Rex, haberet diuinæ gratiæ hospitium. Illam in sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Septē namque virginalis hæc domus suffulta columnis extitit, quia venerabilis Mater Domini, septem Spiritus Sancti donis donata fuit, quia vtique sapientia quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, talem construxit, quæ digna fieret illum suscipere, de intemeratæ carnis suæ visceribus procreare. Necesse igitur erat priùs erigi thalamum, quàm venientem ad sanctæ Ecclesiæ nuptias susciperet sponsum. Hæc Leo Papa. *Eccles. 51.*

*Liberasti me Domine secundùm multitudinem misericordiæ tuæ.* Eccl. 51. Signum magnæ libertatis est, & nobilitatis, ciuitatibus tributum soluentibus, si illa ex singulari priuilegio nō soluant. Spir. Omnis creatura purè humana, fuit peccato subiecta, & per consequens Diabolo tributaria, excepta Beatissima Virgine, quæ ex priuilegio summi Regis fuit ante sanctificata, quàm nata, & sic fuit repleta gratia, ita quòd cuiuscunque peccati tributo extitit penitus aliena. Figur. Genes. 48. vbi legimus, quòd tēpore illius magnæ egestatis tota terra Ægypti fuit tributaria Pharaoni, excepta *terra sacerdotali*, quæ libera erat ex legis priuilegio. Spir. Tēpore quo fuit in mūdo tanta egestas gratiæ, omnis humana creatura tributaria fuit peccato, excepta Matre sacerdotis magni secundū ordinē Melchisedech, quæ ex diuino priuilegio libera fuit. Nam de dira seruitute totius humanę naturę loquitur. Hieron. in Thren. 1. Dicens: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo.* Facta est quasi vidua domina Gentiū, Princeps prouinciarū facta est sub tributo. Vocat enim humanā naturā, dominam aliarum creaturarum inferiorum, quia sic ab initio à suo factore cōdita sunt. Sed deli bertate hui⁹ sanctissimę terrę, scilicet, Virginis glorioſę, loquitur Propheta in Psal. 86. describens eam sub nomine Ciuitatis, dicēs: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.* Hæc igitur fuit terra sacerdotalis, de qua summus sacerdos natus est, qui pro nobis factus est sacrificiū Deo acceptum, & hostia immolationis. Vnde Leo Papa in serm. Natiuit. Virginis sic dicit, obsecro, dilectissimi fratres mei hāc nostrę salutis historiā diligenter intendite, corde vigiletis, oculi non dormiant. Cū in humano genere homo inueniri non posset sine sordibus,

*Genes. 48.*

*Thren. 1.*

*Psal. 86.*

creator omnium de Beatissima Virgine carnem sumens, sine peccato natus est, & conuersatus est in mundo. Ecce sacerdos sanctus, nulla in se habens peccata, & idcirco dignus, & potens fuit, vt sacrificium offerens aliena munda ret peccata. Quòd ergo in rebus humanis inuenire non poterat pretium nostræ redemptionis, redemptor noster semetipsum obtulit hostiam in odorem suauitatis. Sic ipse factus est sacerdos, & sacrificium, & redemptor, & præmium. Hæc Leo. Benè igitur decuit terram illam fœcundam, quæ talem produxit fructũ, liberam fieri ab omni tributo peccati, quod sic factum est gratia dispensante. Vnde Aug. de natura, & gratia, ait: Excepta Virgine Beata, de qua propter honorem Domini nullam penitus habere volo quæstionem, quia scimus quòd ei plus collatum fuit gratiæ, ad vincendum ex omni parte peccatum, quia concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum; hac ergo Virgine excepta, si omnes sanctos, & sanctas, cùm hic viuerent, interrogare possemus, vtrùm essent sine peccato, quid fuisset responsum putamus, nisi quod ait 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est?*

1. Ioan. 1.

Tob. 13. *Luce splendida fulgebis.* Tob. 13. Nota quòd fenestra vitrea talis est naturæ, quòd per ipsam intrat lux, sed non pluuis, vel aqua. Et ratio est, quia vitrum est corpus diaphanũ, quòd aptum est ad lucem recipiendam, & est cum hoc magnæ soliditatis, & ideo impenetrabile. Spir. Beata Virgo MARIA fuit fenestra lucifera, id est, lucem ferens generi saluandorum, & tam corpus eius, quã spiritus adeò fuerunt solidati diuina gratia, quòd licèt per ipsam lumẽ æterni solis nobis illuxerit, tamen neque per ipsam gutta peccati, neque macula culpæ vnquam descendere valuit. Figur. Genes. 6. Vbi legimus, quòd in *arca Noe*, per quã salus mũdo remansit, erat *fenestra vitrea*, per quam lux intrabat habitantibus in arca, & tamen aqua diluuij per fenestram illam intrare non valuit, nec penetrare. Spir. Per arcam nota Beatam Virginem, in qua non Noe, sed vera requies, scilicet, Dei filius requieuit. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Aures namque eius adeo erant diaphanæ, vt per ipsas intraret diuina lux, Angelo nuntiante, & hanc lucem omnes, subaudi, participant. Eccl. 24. *Ego feci*, inquit, *in cœlis, vt oriretur lumẽ indeficiens.* Sed cũ hoc tantę fuit soliditatis, vt nec aqua alicuius peccati per ipsam, vel ad ipsam posset accedere. Volẽtes igitur ad æternam peruenire patriam, hanc lucem tota adhæsione aspiciant, vt perueniant. Vnde Ambros. super Luc. Sit igitur nobis tanquam imago descripta virginitatis, vita MARIÆ, in qua velut in speculo refulget spiritus castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis exempla

Genes. 6.

Eccles. 24

A viuendi tanquam in exemplari magisteria probitatis, quæ quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt.

*Præcepi mulieri, vt pascat te.* 3. Reg. 17. Multum honoris confert viro suo vxor circa ministerium solicita, contingit enim interdum ad domum patris familias accedere peregrinos improuisè quibus commodè ministrare non posset, nisi vxore mediante ministraret. Nam quædam sunt quæ in tantum habent in promptu, quòd volunt, vt statim omnia videantur præparasse. Spir. Pater familias Deus volens prouidere peregrinis, id est, hominibus, qui nimio labore lassati quærebant refectionem, voluit Beatam Virginem sponsam suam esse, cuius solicitudine Ecclesiæ filijs ve

B nientibus ad conuiuium diurnum, abundanter prouideretur. Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in circuitu mensæ tuæ, &c.* Figur. Genes. 18. vbi legimus, quòd cum *tres viri* venissent ad tabernaculum Abrahæ, ipse vocauit vxorem suam, dicens: *Accelera tria sata similæ, & fac pulmentũ.* Quod fecit, & vi

C ros illos refecit, & tres viri illi Angeli erant, sed in specie viri erant visi. Spir. Per tres viros illos subaudi tres animæ rationalis vires, quibus humana natura Angelis, & Deo assimilatur, scilicet, memoriam, intelligentiam, voluntatem. Vel per tres viros illos triplex hominum genus, seu tempus, scilicet, qui fuerunt in lege Mosaica, & qui fuerunt in lege gratiæ. Nam in hoc triplici statu fuerunt homines peregrini, & apparuerunt tabernaculo Abrahæ, scilicet, militantis Ecclesiæ, licèt alii qui spiritualiter, & personaliter, & aliqui fidei desiderio. Abraham verò pater magnæ familiæ, Dominus Deus noster est, videlicet volens omnibus prouidere de vno pane, scilicet, de incarnato Verbo prouidit. Et idẽ fuit Dei filius, in quo refecti sunt antiqui, & quo reficiuntur nouissimi. Vnde Leo Papa in quodam sermone, Verbi, inquit, incarnatio hæc contulit facienda, quòd facta, & Sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit; quem prædicauerunt Apostoli, hunc annunciauerunt Prophetæ, nec serò est adimpletum, quod semper est creditũ. Nec minùs adepti sunt, qui in illum crediderunt promissum, quàm qui susceperunt donatum. Hæc Leo. Vt igitur hic panis, pro humano genere reficiendo sic fieret, vocauit Abraham Saram, id est, Beatam Virginem, cuius sancto vtero ex tribus satis similæ factus est panis iste. Bernard. lib. 1. de Consideratione. Mulier, inquit, Euã gelica, quæ miscuit tria sata farinæ, fuit Beata Virgo, quæ incarnatione fermento fidei suæ commiscuit tria sata, id est, nouum, antiquũ, & æternum, scilicet, animam de nouo creatam, corpus de natura Adam, & æternum de vnione diuinitatis.

3. Reg. 17

Psal. 127.

Genes. 18.

*Gratia super gratiam mulier sancta, &*

pu-

*pudorata.* Eccles. 26. Nunquam potest furor viri citiùs mansuescere, quàm per mulierem sibi placidam. Exemplum naturale: Rhinoceros fertur animal terribile, ferens in fronte cornu, à cuius ictu nemo valet protegi. Sed exposita coram illo puella Virgine, deponit feritatem, & cadens coram illa obdormit in gremio eius. Spir. Furor diuinæ iustitiæ contra genus humanum terribiliter vrgebat, in tantùm quòd ictus illius omnes vsque ad inferos transmisit. Sed Virgo humilis, & mansueta inuenta est placita in conspectu eius, cuius amore captus, deposita omni feritate descendit in vterũ eius, & factus est nobis benignus protector. Fig. Esther 3. vbi legimus, quòd Assuerus dederat super Israel capitalem sententiam, & sub pœna mortis mandauerat neminem ad illum accedere nisi vocatum. Sed tunc suasa Esther puella decora animis à Mardochæo patruo suo, assumptis duabus puellis ad suum obsequium, quarum vna fimbrijs vestimenti tegebatur, alterius verò brachijs sustentabatur, ingressa est ad Regem. Quæ cùm vidisset Regis magnificentiam, stupore ac pauore repleta, cecidit in brachijs puellæ prædictæ. Sed cùm Rex eius admirabilem inspiceret pulchritudinem, descendens de solio suo virgam, quam manu tenebat deposuit in signum clementiæ, & manibus proprijs sublenauit Esther, & confortauit ipsam, & ad ipsius postulationem assensit, ac domum, & populum illius ad mortem condemnatum liberauit, & occidi fecit inimicum suum Aman, qui populum suum procurauerat mori. Spir. Per Assuerum, qui interpretatur beatitudo, subaudi Deum, cuius cognitio est animarum fœlicitas, hic erat iratus humano generi, propter seductionem, quam Diabolus consentien ti impresserat, statutum erat omnem hominem mori. Psalm. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? aut quis eruet animam suam de manu inferi?* Non poterat quis pro gratia impetranda ad ipsum accedere, quamuis sanctus. Ierem. 7. *Tu autem noli orare pro populo isto, quia non exaudiam te.* Sed inuenta est Esther, quæ interpretatur abscondita, per quam subaudi Beatissimam MARIAM, quæ abscondita erat mundo, sed multùm cognita Deo. Vnde Isai. 7. Vbi textus noster habet: *Ecce Virgo concipiet filium.* Hebraica veritas habet: *Ecce alma concipiet filium.* Et nota, quòd alma idem est quòd Virgo abscondita. Hæc igitur persuasa à Mardochæo propinquo suo, id est, ab Angelo Gabriele, cui virginitas candida dicitur esse propinqua, intrauit ad Regem eidem locutura pro humani generis salute. Cùm igitur mysteriũ incarnationis audiret, & se tantùm magnificari cognosceret, obstupuit, & turbata est turbatione admirationis, & cecidit in brachijs

*Eccles. 26*

*Psal. 88.*

*Ierem. 7.*

*Isai. 7.*

vnius puellæ. Nota, per duas nominatas superiùs puellas virtutem humilitatis, virtutẽ castitatis, vtraque istarum fuit in singulari Virginis obsequio. Cecidit Virgo Beata in brachijs, quando vox illa columbina suauis intonuit, dicens. Luc. 1. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ad hanc igitur vocem intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, & ait: Cant. 4 *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Quia certè Beata Virgo licèt placuerit virginitate multùm, nihilominùs magis fuit accepta ex eius humilitate. Descendit igitur Rex excelsus, deposita omni feritate, in virginitatis vterum, & ex illa factus homo, liberauit populum suum, percutiens Diabolum, qui procurauit perditionem humani generis per lignum, & ipse per lignum victus, & contritus est. Et nota, quòd in textu sequitur, scilicet, quòd Rex Assuerus omnes possessiones, quæ fuerant Aman, donauit Esther, & populo suo, quia ipse Dei filius postquam percussit Diabolum, æternæ beatitudinis palatium Beatæ Virgini dedit, & populo credentium. Ecce quantam gratiæ plenitudinem procurauit nobis virginalis humilitas, maximè, quia quem cœli, & terra capere non poterant, suo continuit vtero. Vnde Augustus. super his nimio stupore miratus eam alloquitur dicens: Dic mihi iam quæso sancta sanctorum mater, quomodo florem niuei candoris, lilium conuallium sine succo humanæ propaginis, & sine imbre carnalis seminis in sinu Ecclesiæ germinasti? dic quæso mihi vnica mater, quibus manibus, vel quomodo diuinitatis articulo in vtero suo formatus est filius, cuius Deus solus est pater? dic, obsecro te per illum qui te talem fecit, vt ipse fieret in te, quid boni egisti? quod præmium obtulisti? per quas potestates abijsti? quos patronos abhibuisti? quæ suffragia præmisisti? quo sensu, vel qua cogitatione ad hoc, vt acciperes, peruenisti, vt virtus, & sapiẽtia patris. Sap. 8. *qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, totus vbique manens, & sine vlla sui mutabilitate in vterum tuum veniens, ita castum castellum tui ventris incoleret, & ingrediens non læderet, & exiens incolumem custodiret? Dic ergo mihi, quomodo ad hoc peruenisti? Et illa. Quæris à me quid obtulerim muneris, vt mei mater efficerer creatoris? Oblatio mea est virginitatis promissio, oblatio mea est humilitas mea, & ideo *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Et sequitur: *Quia respexit*, non auro eleuatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri ornamentum ceruicis meæ, aut pretiosorum lapidum margaritarum dependium aspexit in auribus meis. Sed *respexit humilitatem ancillæ suæ*:

*Luca 1.*

*Cant. 4.*

*Sap. 8.*

*Luc. 1.*

venit enim ad humilem mansuetus, requiescens super maternum spiritum, humilem, & mansuetum. Hæc August.

*Matt.* 17. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Matth. 17. Naturaliter nubes non est lucida propter spissitudinem, vnde videmus, quòd ipsa nobis lucem, seu radios solis, & lumen stellarum tollit. Ideo si nubes lucida est, hoc est supra naturam eius, sicut apparet de nube in transfiguratione, quæ fuit multùm lucida vltra naturam nubium. Spir. Nulla creatura humana, quantùm est de sui natura, potuit esse lucida, & sancta propter culpam tenebrarum, & condensationem peccati. Et ideo cùm Beata MARIA in mundo munda, & lucida apparuit, hoc fuit contra consuetudinem humanam, quia in ipsa Rex æternus transfiguratus est, & de furibundo iudice mutatus est in pijssimum patrem. Ergo nota per lucidam nubem, Beatam Virginem propter tria in nube lucida reperta. Nam nubes habet fœcundare, eò quòd inducit beneficium pluuiæ super terram. Habet æstum temperare, quia se interponit inter nos, & solem, & habet illuminare: quia vt dictum fuit, supernaturaliter lucidum est: sic Beata MARIA hæc tria plenissime habuit. Nam primò fuit fœcundissima: quia abundantiam pluuiæ gratiarum fecit in mundo descendere. Psal. 71. *Descendet sicut pluuia*

*Psal.* 71. *in vellus.* Et temperat nobis æstum diuinæ iustitiæ, cùm peccamus, quia se interponit inter nos, & Deum procura delictorum nostrorum. Cassiodor. in quodam libello. Tu, inquit, afflictis medica singulis, quis tuo non egeat munere, cum omnibus peccare commune? Habet in sua luce ducere, aut reuocare errantes ad terminum. Bernard. 2. serm. Virgo Regia, ipsa est via per quam Saluator procedens de ipsius vtero tanquam sponsus de thalamo suo, & subdit: Per te accessum habemus ad filium. O benedicta, inuentrix gra-

*Exod.* 12 tiæ, genitrix vitæ, salutis mater. Figur. Exod. vbi *nubes* ignea ducebat filios Israel per desertum versùs terram promissionis, quæ ipsos *protegebat* etiam *ab æstibus solis*; perduxit ad petram Oreb, vbi sitientibus data est aqua latissima. Spir. Per hanc nubem, subaudi Virginem gloriosam, vt dictum est, quæ illa superiùs tria dicta nobis abundanter præbet, vt omnis natio beneficio eius gaudeat. Bernard. serm. 2. ad Beatam Virginem. Sicut ad remedium, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt, qui in cœlo sunt, & qui in purgatorio habitant, & qui præcesserunt, & nos qui præsentes sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, vt restaurentur, & qui in purgatorio, vt eripiantur, qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur. Et qui sequuntur, vt glorificentur.

*Ne dimittas legem matris tuæ.* Prouerb. 1. *Prou.* 1. Nulla res est adeo difficilis, quam non temperet maternus amor. Exemplum habemus in natura. Gallina enim cùm sit animal infirmum, & debile, pro liberatione pullorum aggreditur fortiorem se, vt canem, &c. Et pro educatione pullorum suorum multa solicitudine laborat. Hoc pro tanto dictum sit, ad ostendendum matrem omni feruenti affectu filios diligere. Spir. Peccator est in præsenti vita omni consilio destitutus propter peccatum, nisi iuuetur consilio Virginis Matris MARIÆ, quæ singulari prærogatiua dicitur aduocata peccatorum, & mater; hæc enim omni solicitudine se interponit pro filijs suis, contra fortiores se: non dico contra, scilicet, contradicendo, sed dico, quòd cùm peccator ex culpa mereatur mortem, ipsa totis viribus inuadit Christum precibus suffragijs, & pro peccatore intercedit, qui istius matris consilio acquiescat, de odioso reddit charum, & gratum. Figur. Gen. 27. vbi legimus, *Genes.* 27 quòd cùm Rebecca mater Iacob cupiens ipsum Iacob benedictionem primogeniti obtinere, vocauit ad se dicens: *Audi consilium meum fili mi, vade & porta mihi duos hœdos, & coquam illos prout scio patrem tuum libenter vesci, & dabis illi comedere, vt benedicat tibi antequam moriatur.* Et respondit Iacob, *Cùm sim lenis, & frater meus primogenitus, cuius est benedictio, est pilosus, timeo ne putàs me illum velle illudere, loco benedictionis maledictionem recipiam.* Ad quam illa. *Super me sit illa maledictio fili mi.* Obediens ergo Iacob, & illa hœdi pelle imposita collo, & manibus Iacob, misit illum cum epulis paratis ad patrem, qui ipsum primogenitum esse putans, eò quòd vestibus primogeniti tegebatur, benedixit illi benedictione primogeniti. Et constituit eum Dominum domus suæ, veruntamen cùm Iacob loqueretur, ait Isaac pater eius: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus sunt Esau.* Spir. Rebecca interpretatur, quæ multum accipit, & denotat Beatam Virginem MARIAM, quæ cæteris creaturis superabundauit in gratijs. Prouerb. vlt. *Prou.* 31 *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, sed tu supergressa es vniuersas.* Per Isaac patrem Iacob, qui interpretatur risus, subaudi Christum, qui est distributor, & dispensator, atque dominator primogenituræ cœlestis, & supernæ hæreditatis. Sed nota, quòd hæc hæreditas debetur iustis, & sanctis. Psalm. 23. *Innocens* *Psal.* 23. *manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino.* Talem ergo facit Dominus primogenituræ hæredem. Psal. 88. *Ego primogenitum ponam, &c.* Per Iacob lenem sine pilis, subaudi hìc peccatorem meritis, & virtutibus spoliatum. Igitur hæc pijssima mater cupiens *Psal.* 88.

pec-

peccatorem præuia pœnitentia ducere ad gratiam, ad cœlestem obtinendam hæreditatem, eum ad se vocat, dicens: *Audi consilium meum fili mi.* Psalm. 33. *Venite & audite me: timorem Domini docebo vos.* Porta (inquit) mihi duos hœdos, scilicet, contritionem, & confessionem charitatis meæ: igne decoquam, & illos Patri tuo Christo dabis, vt tibi indulgeat, & benedicat antequam moriatur. Sed respondet peccator: vide quia lenis sum sine meritis, sine virtutibus, sine satisfactione: nil boni feci: cognoscet me * esse primogenitū, id est, iustum, sed peccatorem, & impium: sed confortat ipsum misericordiæ mater. Et tunc peccator virginis præsidio confortatus, corde contritus pergit ad confessionem, & tangit eum Christus manu confessoris, & odorat vestium primogeniti suauitatem, scilicet, cor contritum, & humiliatum. Et dicit: *Vox quidem vox Iacob est*, ac si dicat: Vox peccatorū tuorum, quæ clamat contra te, est vox iudicandi, & condemnandi: sed manus, id est, affectiones plenitudinis tuæ, te primogenitum effecerunt: & non recognoscit ipsum esse Iacob: quia peccator in quacumque hora peccata sua gemit, pater iste peccatorum illorum non recordatur amplius, & benedicit illi in pinguedine terræ, & rore cœli: quia sibi in præsenti gratiam tribuit, & gloriam in futuro. Ergo optimum consilium est talis matris; quæ sic nouit peccatores ad Christi misericordiam prouocare. Bernard. in quodam sermone. Si (inquit) ad Dei maiestatem non audes accedere, liquefias sicut cera à facie ignis: vade ad matrem misericordiæ, & ostende illi tua vulnera, & illa pro te ostendet filio pectus, & vbera, & filius ostendet patri latus, & vulnera. Pater non negabit filio postulanti. Filius non negabit matri interpellanti. Mater non negabit peccatori ploranti. Hæc Bernard.

*Digito suo scribebat in terra.* Ioan. 8. Ad actum scribendi requiritur hoc. Primò scriptor, instrumentum quo scribitur, tinctura, & materia in qua scribatur. Et tunc potest fieri scriptio, & illam exponere legendam his, qui legere nouerunt. Spir. Hæc concurrunt in liberatione illius deprehensæ, & in liberatione naturæ humanæ in peccato lapsæ: quia fuit ibi filius Dei, scilicet, Spiritus Sanctus, fuit ibi tinctura, id est, sanguis Christi, fuit ibi materia in qua scriberetur tanquā in libro, id est, Beata Virgo MARIA. Nam ipsa fuit in qua prius Prophetæ depinxerunt passionem Christi. Et postmodum temporis processu sanguine Christi fuit aspersa. Ideirco ipsa obtinuit septem Spiritus Sancti dona, vt quilibet etiam posset legere quantam fuerit passus passionē. Et quàm magnam nobis intulerit misericordiæ largitatem. Figur. Leuit. 4. vbi legimus, quòd Moyses *septies* aspersit altare propitiatorij, quòd erat *in tabernaculo*, sanguine vituli digito suo, vt per hoc accedentes ad tabernaculum remissionem peccatorum inuenirent, & Deus propitiaretur illis. Spir. Per hoc altare ad quod summus sacerdos solus accedebat, subaudi Beatam Virginem, ad quam summus sacerdos noster, scilicet, Dei filius solus descendit, vt ibi conficeret hostiam quam pro nobis immolaret. Aspergitur septies sanguine occisi vituli, quia septies percussa est gladio passionis Redemptoris Christi, & filij ipsius. Primò, à Simeone quando audiuit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Secundò, quando audiuit ipsum tota nocte flagellari in domo Caiphæ. Tertiò, quando ipsum vidit castigari in prætorio Pilati. Quartò, quando audiuit ipsum ad crucem condemnari. Quintò, quando vidit illi crucem imponi super humerum. Sextò, quando vidit ipsum in cruce poni, & manus, & pedes ipsius crucifigi, & caput eius corona spinea coronari, & etiam aceto felle mixto potari. Vltimò, quando vidit latus aperiri. Ista omnia percusserunt cor Virginis, ex quo patiebatur cor Virginis, vt caro Christi. Vnde Hieronymus in quodam serm. Quot, inquit, læsiones in corpore Christi, tot vulnera in corde matris. Quot spinæ pungentes, tot claui perforantes, quot ictus carnem rumpentes, tot sagittæ per oculos intrantes, & tot cor, & animam MARIÆ Virginis vulnerantes, vt ipsa dicat: Non peccaui, & in amaritudinib⁹ moratur oculus meus. Ergo Beata Virgo altare est in cuius corde occisus vitulus sacrificij, & sanguine illius anima septies eius est aspersa. Ideo ipsa facta est liber fœderis in qua scripsit Spiritus Sanctus septē dona spiritualia præ omnibus abundātiùs, vt cupiētes Deum repropitiari sibi, accedant ad ipsam, & inuenīēt magnæ misericordiæ copiam. Bernard. in serm. Quis misericordiæ tuæ, ò benedicta longitudinem, latitudinem, profunditatem, atque sublimitatem queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque ad nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis, latitudo eius replet orbem terrarum, sublimitas eius supernæ ciuitatis inuenit restaurationem. Et profundum eius misericordiæ sedentibus in tenebris, & vmbra mortis, redemptionem obtinuit. Hæc Bernard.

*Ego sum lux mundi.* Ioan. 8. Tempore caliginis nequit inueniri de facili res quæ cecidit inter sordes, nisi apprehenso lumine perquiratur locus ille in quem dignoscitur cecidisse. Spir. Humana natura per ineptam primorum parentum custodiam cecidit inter sordes peccati, & culpæ, sine omni reuelationis spe, quantum est de se. Psal. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Sed veniens Virgo Beata accenso lumine diuino, scrutata est hanc rem perditam, & inuentam posuit in loco debito, quia

ipsam copulauit ordinibus Angelorum. Fi-
*Luc.* 10. gur. Luc. 10. vbi Dominus in parabolis loquens dixit *dragmam vnam* perditam fuisse ex decem. Et mulier *accensa lucerna*, reuoluit totam domum: & inuentam cum alijs nouem posuit vocans conuicinas, dicens: *Congratulamini.* Spir. Decem dragmæ sunt decē creaturarum genera rationalium, scilicet, nouem Angelorum ordines: & decima est natura humana. Ex omnibus enim illius cœli pulchritudo consistit. Nam denarius numerus est completissimus, sed quia ex culpa primorum parentum, vt dictum est, humana natura, quæ decima dragma dicitur, cecidit de manu innocentiæ, & immersam sordibus non erat qui posset eripere. Et hoc totum vniuersum erat turbatum, sed tunc subuentrix illa mulier sancta, & pudica impleuit lucernam, mentem suam oleo humilitatis, in quam mox lumen Diuinę Maiestatis descendit. Et hæc mulier totam reuoluit formam, quia ipsa naturam quodammodo mutauit totam, vt ipsa fieret mater virginitatis, scilicet, pudicitiam non amitteret. Extraxit igitur hāc dragmā de sordibus, & eam coniunxit nouem Angelorum ordinibus: quo facto, vocat omnes animas sal-
*Eccl.* 24. uandorum, dicens: *Venite ad me omnes qui concupiscitis me, & delitijs meis adimplemini.* Patet igitur quàm sublimiter, & supra naturam Beatissima Virgo MARIA circa naturæ humanæ salutē operata est. Vnde Hieron. in serm. Assumptionis eius. Quod natura, inquit, non habuit, vsus nescivit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, creaturæ cœlestes mirantur: hoc totum per Gabrielem MARIÆ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletur.

*Dum lucem habetis, credite in lucem.* Ioan.
*Ioan.* 18. 18. Finito Cōpletorio in Ecclesia extinguuntur omnia luminaria, excepta lampade, quæ semper stat coram altari maiori, quæ pro tanto ibidem ardere permittitur, quia corpus Domini semper manet ibi. Et cùm etiam sacrista, aut alius noctis tempore aliquo superueniente casu, indiget lumine, pergit ad lampadem illam: lumine alibi non inuento: quia illa semper ardet. Spir. Tempore quo mysterium Dominicæ Passionis consummabatur, omne fidei lumen quodammodo fuit extinctum: quoniam omnes eo relicto fugerunt: sed vna lampas tantùm accensa remansit, scilicet, Beata Virgo MARIA, in qua semper fidei lumen luxit, & exarsit in ipsa veræ charitatis ignis, & hic stetit iuxta altare, id est, iuxta crucem: in qua pendebat corpus Christi. Ioan. 19. *Sta-*
*Ioan.* 19. *bat iuxta crucem IESV mater eius.* In cuius signum tribus noctibus maioris hebdomadæ tenebræ fiunt, & omnia luminaria extinguuntur, vno excepto quod latet sub altari. Nam fugientibus discipulis, Virgo Mater sub cruce remansit, & mente, & corde cum filio crucifixa, licèt corpore iuxta crucem seminua iaceret. Non defecit, neque deficit aliquādo lumen illius: quoniam omnes tempore noctis, ideſt, cùm nebula tentationis vrget, & caligo culpæ grauat, lucem eius gratiæ inueniant paratam. Prouerb. 31. *Non extinguetur lucerna illius in nocte.* Fig. Exod. 17. vbi legi-
*Prou.* 31. *Exod.* 17. mus quòd in templo *lucerna semper ardebat*: & nunquam debebat extingui. Spir. Beata Virgo lucerna est, quæ non extinguitur: sed conseruatur lumine diuinæ gratiæ, præbendo omnibus viatoribus, vnde valeant viam salutis videre. Nec est tam cæcus, cui lumen illud rectitudinem viæ non ostendat. Psalm. 35.
*Psal.* 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Ideo Bern. in quodam serm. Ille solus, ò Virgo Beata, tuas laudes tileat, qui te fideli ter inuocatam senserit vnquam in suis necessitatibus defuisse: & quid mirum si aduocata adest: quæ etiam, non vocata præsto est?

*Sicut mater diligit vnicum filium, sic te diligebam,* 2. *Reg.* 1. Tantus est amor matris er-
2. *Reg.* 1. ga filium, quod nunquam satiantur ferè oculi visione illius: & dum filius abest, mater de illo semper solicita cogitat: vt vix possit animus ab huiusmodi cognitione quiescere. Spi. Inter omnes matres, quæ vnquam proprium filium dilexerunt, Virgo Beata plùs dilexit Christum. Tum quia solus sibi erat filius: tum etiam quia sciebat illum esse Deum, & humani generis Redemptorem: tum etiam quia ipsa fuit plena perfectissima charitate. Concluditur igitur ex prædictis Beatam Virginem Christum dilexisse plùs omni matre. Ideo cū ipse tempore passionis suæ ab ea separatus est, multos passa est dolores, multosque emisit gemitus, & multas effudit lachrymas: atque his occupata grandi affectu expectauit resurrectionis diem: in quo quidem, Dei viso filio à mortuis resurgente: vt piè credendum est, summum recepit gaudium. Figur. Tob. 10. vbi legi-
*Tob.* 10. mus, quòd misso Tobia puero à patre cum chirographo in Rages ciuitatem Medorum pro recuperandis decem talentis argenteis Angelo sociato, qui patri spopondit illum reducere tempore determinato, atque à patre præfixo: mater eius lachrymabat interim, irremediabili percussa dolore, & dicebat: *Vt quid temisimus peregrinari baculum senectutis nostræ?* Pergebat enim omni die ad loca vnde filij sperabat aduentum seu reditum. Et vna dierum sic faciendo aspexit, & vidit familiam, & diuitias illum præcedētes: & sic post lachrymas multosque ploratus consecuta est grandem lætitiam: ita vt maius esset gaudiū, quàm priùs erat dolor. Spir. Per Tobiam filium Tobiæ, subaudi Christum filium Dei: & filium Virginis benedictę. Igitur ille Dei filius missus est à patre accepto chirographo nostræ mortalitatis: & soluto de-

bito

bito noſtræ mortalitatis, deſcendit ad inferos: & inde decem talenta, id eſt, humanum genus quoad ſaluandos educens redijt. Et nota, quòd denarius numerus notat humanum genus cum ordinibus Angelorum copulandum: vt ſuperiùs dictum fuit. Item per Tobiam, & Angelum ſimul ſociatos, congruè potes intelligere humanitatem Chriſti Verbo aſſociatam in vno ſuppoſito. Deſcendit ergo Dei filius, ſeu Chriſtus in Rages, ciuitatem pro ſolutione debiti humanæ naturæ corruptæ, quando ipſe per lignum perſoluit: & in ligno noſtrum exterminauit peccatum: quo diabolus ſub chirographo ſententię diuinę omnes vinctos tenebat: vicit expugnatione in ligno expugnauerat: & qui expugnatum detinebat captiuum. Vnde Bernar. in ſuis meditationibus. Deſperare vtique potuiſſem propter nimia peccata mea: niſi quia verbum tuum Domine. Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis* Ille enim *factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis*: tulit chirographum noſtrorum peccatorum: & illud affigens Cruci peccatum crucifixit, & mortem. Igitur cùm iſta Chriſtus pertractaret poſt mortem, Virgo MARIA multis perfuſis lachrymis, multiſque occupata gemitibus, numerabat dies reuerſionis ipſius, & ibat feſtinanter ad loca, frequenter illa viſitans, vnde filij ſperabat aduentum: quæ ſacram Scripturam meditabatur aſsiduè, quæ de Chriſti Reſurrectione Spiritu Prophetico loquebatur, & cùm iam ad terminum reſurrectionis præfixum & determinatum eſſet præuenta, deuotiùs, atque frequentiùs lachrymabatur in ipſa, dicens: *Quis indicabit quem diligit anima mea? vbi cubat, & quieſcit? quæ ſonũtiate mihi, quoniam dolore langueo.* O quid te miſimus peregrinari ſolatium animæ meæ? Reuertere dulcis mihi, dulceſcat amaritudo doloris mei. Extat gladius, qui pertranſiuit animam matris tuæ: redde mihi lætitiam præſentiæ tuæ: oſtende mihi faciem tuam, ſonet vxor * tua in auribus meis: ò ſpes mea, & vita mea: videam te, & ſufficit mihi. Cùm intra ſe Virgo Beatiſsima huiuſmodi pertractaret, ecce Angelorum multitudo, ecce Chriſti familia præcedens, quæ in aure Virginis talem ſalutationem præmiſit: Regina cœli lætare, alleluia: quia quem meruiſti portare, alleluia. Reſurrexit ſicut dixit, alleluya. Hanc igitur Antiphonam ab Angelis conditã credũt. Quod autem vlteriùs additum eſt, ſcilicet, ora pro nobis, &c. factum eſt ab Eccleſia. Igitur leuans oculos, & aſpiciens Virgo, vidit Chriſtum vnigenitum ſuum venientem inter aues cœli: qui ſequentem ſalutationem ei cõtulit dicens: & ſunt verba Anſelmi. O (inquit) Virginum Virgo ſingularis roſa cœlicæ amœnitatis: prælucidũ ſydus inter primæuas lucernas diuini luminis ſuſceptiuas in tuo IESV: præ omnibus gaude gaudio magno: quia quæ Deum, & hominem peperiſti, & proprijs vberibus enutriſti, vidiſti in Cruce pendentem, videbis in cœlo regnantem, videbis omnem altitudinem cœleſtium, terreſtrium, & infernorum inclinatam eius maieſtati. Et videbis omne robur inimicorum tartri tum. Poſt hæc autem verba tam mellifluaBeata Virgo humili voce & ſolicita ait. Benedictus qui venit in nomine Domini. Et cadens in faciem ſuam, adorauit illum, dicens: Et nũc Domine ſuſcipe preces ancillæ tuæ, & præſta, vt ſi quis ad me, quamuis peccator acceſſerit, corde cõtrito tuam indulgentiam petiturus, illam abundanter impetraſſe ſe noſcat, & callidi hoſtis inſidias in huius vitæ exitu ſecurus pertranſeat. Et ait ad ipſam Dominus: O intemerata, & in æternum benedicta, quanta eſt tua charitas, quanta eſt tua benignitas! Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael. Tu honorificentia populi Dei. Eſto mater miſericordiæ, & peccatorum aduocata, vt omnes gaudeant ad te, conſolentur per te. Et ſic Beata Virgo extunc facta eſt aduocata noſtra. Ideo Bernard. in ſermone: MARIA omnibus omnia facta eſt: charitate debitricem fecit ſe, omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angeli lætitiam, filius Dei carnis humanæ ſubſtantiam: denique tota Trinitas gloriam, vt non ſit qui ſe abſcondat à charitate eius. Hæc Bernardus. Subaudi prudens lector me non aſſerere, ſeu aſſertiuè præmiſſa in figura precedenti dicere: eſt tamen quædam pulchra adaptatio, quæ ſi prædicanda ſit, legentiũ diſcretioni relinquo, puto tamen piè credendum eſſe Dominum, matrem propriam quæ tantam paſſa eſt pro Chriſti paſsione pœnam, in ſui reſurrectione, vt cæteros honoraſſe.

*Eleuauerunt arcam in ſublime*, Geneſ. 7. Prudens mercator omnes ſuas merces cognoſcens pretioſas, tractat priùs de loco congruẽ ti. Spir. Cognoſcens Dei filius matrem MARIAM Virginem glorioſam eius, eſſe inter omnes creaturas ſpecioſam: priùs voluit illi locum præparare ſpecioſum, & amœnum, in quo ipſa ſublimaretur: & poſtmodum cum cę leſti Collegio deſcẽdere ad ipſam ſumendam. Fig. 2. Reg. 6. vbi legimus Dauid Regem tabernaculum feciſſe iuxta domum ſuam proreponenda arca fœderis, deſcendit ipſe cum electis ſuis Iſrael, & *tulerunt arcam de domo Aminadab, qui erat in Gabaa, & poſuerunt eam ſuper plauſtrum nouum*, quem cum Oza tetigiſſet, percuſſus eſt à Domino: demum portauerunt arcam in locum ſuum, Dauid præcedente cum cithara, cum cantoribus electis ex Iſrael. Spirit. Subaudi per arcam fœderis Beatam Virginem, quæ tali fœdere ordina-

*Geneſ. 7.*

*2. Reg. 6.*

nata est, vt videlicet repleta est gratia, & gloria à Deo, & nos per ipsam gratia repleamur; Istud est igitur fœdus, vt propter nos saluatorem conceperit, & per ipsum propitiationem procuret. Vnde Aug. in quodam sermone. Vt enim ad te gratia plena loquar, ex gratia te debes. O pijssima peccatoribus gratiosa: cui nimirum peccatorum restauratio tantæ sublimitatis extitit causa. Mira loquar. O domina sed sic est: multùm audeo: multùm gaudeo. Nos enim tibi neque nobis necessitudo mira confœderat, scilicet, vt pro nobis habeas esse quod es: nos verò per te id quod sumus. Si enim nulla nostra præcessisset transgressio, non foret secuta nostra redemptio: & si necessarium non fuisset nos redimi, necessarium non erat te parere Redemptorem. Per Dauid ergò subaudi Christum, qui tabernaculum, id est, locum sublimè in cœlis Beatæ Virgini super Angelos, iuxta celsitudinem suæ maiestatis parauit: veniens igitur in die Assumptionis cum electis suis Israel, id est, cum ordinibus sanctorum Angelorum, recepit beatam arcam de domo Aminadab: qui interpretatur populus. Gabaa verò interpretatur vallis: quia eduxit eam de populo mortalium: & de hac lachrymarum valle: sed in plaustro posito eius sacrosancto corpore, percussus est Oza, id est iudex, qui illud tangere attentauit. Præcedebat autem Dauid cum cantoribus, id est, cum Angelis sequentibus Apostolis. Et nota, quòd per plaustrum nouum, in quo fuit arca posita, corpus Virginis gloriosæ resuscitatum, & glorificatum intelligitur, cui reddita est anima, vt tota in sublimi gloria collocaretur, sicut piè creditur, super choros Angelorum ad cœlestia regna. Vnde nobis gratias tribuit abundantes. Vnde August. in sermone supradicto. Ad hanc vsque gloriam in gloria prouocata es, vt superno regi hæreas superiùs in supernis, quæ in Angelicam transiés dignitatem, vsque ad superni regis es sublimata consessum. Vbi enim posuit idem filius tuus Rex quod ex te sumpsit, ibi posuit, & te reginam, exqua assumpsit. Nec enim sanctum est alibi te esse, quàm vbi est illud, quòd à te genitum est: hinc nos per te hæreditamus misericordiem miseri, ingrati gratiam, veniam peccatores, sublimia infimi, cęlestia terreni, Deum homines, mortales vitam, & patriam peregrini.

*Num.* 11. *Descendit ros pariter, & manna.* Num. 11. Tempore veris quando Philomela cantat, ros tunc incipit descendere, & campi germinare: quia imber abijt, & recessit. Spir. Mundus diu fuerat priuatus gratiæ Dei rore propter hyemis primorum Parentum peccata. Agri primò probibiti sunt cœli, ne darent rorem, sed cantante cœlesti Philomela, scilicet Gabriele Archangelo, illud dulce canticum

*Luce* 1. in aures Virginis: *Aue gratia plena, &c.* descédit ros de cœlo, scilicet, Dei filius in vterū virginalem, & cum eo dulcedo benedictionis, & gratiæ, cessauit gelu amaritudinis, & doloris. Figu. Iudic. 9. vbi legimus Dominum dedisse signum Gedeon, vt liberarentur filij Israel de manu Madian per hunc modum, scilicet, quòd ipse Gedeon *vellus in area* poneret, & ibi *ros* tantùm descenderet, nulla parte terræ rore perfusa, quod sic postmodum factum est. Et sic percusso Madian quieuit Israel multo tempore. Spirit. Istud fuit signum, quòd genus humanum petebat à Deo. Psalm. 85. *Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur*: dedit Dominus signum de rore cœli, quod descenderet in Virginem gloriosam. Esa. 7. *Propter hoc dabit vobis Dominus signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Quod signum recognoscens Dauid, ait: *Descendet sicut ros in vellus.* Nam ipsa Virgo Beata fuit vellus, quo cœlestis agnus coopertus est. Ipsa igitur sola fuit, in quam ros descendit: quia quem cœli, & terra capere non poterant, suo gremio contulit. Bernard. in serm. O venter capacior cœlis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, qui tribus digitis molem terræ appendit. Nam in hoc benedicto signo percussus est Madian, hoc est diabolus, & liberati sunt filij Israel, id est, fideles, & longa, id est, æterna requies danda est illis in gloria cum Angelis Dei. Bernard. in serm. Ex hoc (inquit) te Beatam dicunt omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam, & gloriam inueniſti. In te enim Angeli lætitiã, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò ergo in te respiciunt oculi creaturæ totius, & in te, de te, & propter te benigna manus omnipotẽtis quicquid creauit, & recreauit. *Ibid.* 9. *Psal.* 85. *Esa.* 7. *Psal.* 71.

*Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* Psalm. 30. Nota. Pauo videns pullos suos nõ sibi assimilari, nimium eos odit, & nisi mater absconderet, occideret eos statim, sed fœmella ducit eos clam in abscondito, & occultè nutrit eos quousque creuerint plumæ eorum, & patri assimilentur, quos tunc pater intuens videt libenter. Spi. Aspiciens diuina iustitia peccatores dissimiles Christo, odit eos quærens eos perdere, sed peccatorum mater, & eorum aduocata, scilicet, Virgo benedicta eos sub alis misericordiæ suæ protegit, & abscondit, quousque reuocet eos à peccatis, fasiatque similes Christo patri suo in virtutibus, & bonis operibus. Fig. 2. Reg. 17. vbi legimus, quòd Ionathas, & Achimaas fugientes à facie Absalon, qui quærebat eos occidere, mulier quædam illorum misserta, eos abscondit in puteo *expandens velum super os putei*, vbi latuerũt, quousque serui Absalon abierunt, & sic per mulierem illam liberati sunt à morte. Spirit. Ionathas interpretatur columba, & denotat ani- *Psal.* 30. 2. *Reg.* 17.

animam humanam, quam propter candorem imaginis Dei Christus vocat columbam.

*Cant.* 2. Cantic. 2. *Veni columba mea, &c.* Achimaas interpretatur mendacium fratris, & denotat humanum corpus, quod multoties spiritui

*Psal.* 61. mentitur. Psa. 61. *Mendaces filij hominum in stateris.* Nota, quòd per filios hominum possunt humana corpora notari: quia homo dicitur ab humo, quod est terra; per hos ergo deus notatur anima, & corpus quos culpa reddit Domino odiosos. Ideo statim iuxta vindictam Dominus illos persequitur ad damnationem. Sed mater benigna illos protegens abscondit in suis sacratissimis precibus, & meritis, ne patris ira eos feriat, & paulatim eos de vitijs ad virtutes deducit, quousque ad perfectum bonorum operum pertingant. Et tunc alacriter præbet eos Patri. Ecce quàm pia, & benigna mater est ista. Ideo ad gratiarum actiones eius beneficij omnino sumus indigni, quia non tantùm nobis, sed toti mundo inuenit misericordiam. August. O Beata Virgo MARIA, quis tibi valeat dignè iura gratiarum, & laudum præconia impendere, quæ singulari tuo merito mundo succurristi perdito! quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit!

*Cant.* 2. *Columba mea in foraminibus petræ.* Can. 2. Fertur quòd in partibus vltramarinis, volétes reges, & barones aliqua magna noua significare, habent apud se columbam, cuius pulli sunt in regione illa, ad quam noua transmittere cupiunt, & ligantes literas ad pedes columbæ dimittunt illam, quæ nequaquam quiescit, quousque ad regionem illam, vbi proprios pullos esse nouit, peruenit, & tunc gentes regionis illius cognoscunt illam esse columbam regiã. Et accipientes literas de pedibus eius, cognoscunt omnia, quæ mittit illis Dominus suus. Spirit. Eramus enim in regione vmbræ moris, propter culpam primam, & nullum bonum scire poteramus de placatione æterni regis erga nos, sed demum veniens columba candida, id est, Virgo MARIA, à superno rege missa, portauit nobis priuilegium nostræ redemptionis, & salutis. Fig. Genes. 8. Columba reuersa est ad arcam portans oliuam virentem. Et tunc cognouerunt quierant inclusi in arca, cessasse aquas diluuij desuper terram. Spirit. Familia inclusa in arca, erat genus humanum originali culpa vallatum. Cooperiebant enim aquæ huius culpæ montes, & colles, scilicet, sanctos & iustos, vt nullus posset extra huius carcerem apparere. Sed veniens hæc columba eius portauit virentem oliuam pacis, videlicet reconciliationis: quia ipsa effudit, & edidit Saluatorem, per quem carcer noster confractus est, & Deo nos reconciliauit, & ad cœli palatium perducti sumus. Bernard. in sermone. Inueniſti, ò Beata Virgo,

A gratiam, quam ante te nemo inuenire potuit, inferni, scilicet, captationem, peccatorum liberationem, mundi restaurationem, Angelis, & hominibus consolationem.

*Thronus eius sicut dies cœli.* Psal. 78. Decet regiam maiestatem aliter visitare gentem suam, & permittere se videri à subditis suis, & cum illis interdum loqui, & illis gratias elargiri, præcipuè quando rarò ab illis visus est. Ideo Rex ista facturus consueuit facere parari solium, vel thronum eius decore regio cõgruentem. Et ideo thronus ille paratur, & ornatur multipliciter. Spir. Æternus Rex à suo populo grandi tempore stetit remotus, & ab eodem extraneus, & indignatus propter culpam commissam. Sed temporis plenitudine, & placationis die aduenientibus, quando Rex noster voluit se populo suo manifestare, & ipsum personaliter visitare, fecit solium sibi pulcherrimum, scilicet, Virginem gloriosam, per quam visus est cum hominibus conuersari, & puellæ brachijs baiulari. Fig. 3. Reg. 10. vbi legimus Regem Salomonem fecisse in domo Libani *thronum de ebore, & vestiuit eum auro pretiosissimo*, & habebat sex gradus inferiùs, & summitas eius erat rotũda, & in parte posteriori erant duæ manus tenentes sedile hinc inde, & duo leones stabant iuxta manus, & leunculi stabant super sex gradus, & in illo sedens Rex Salomon conferebat gratias. Spir. Per hunc thronum subaudi Virginem C glorioſam, de ebore per candidam virginitatem, deauratam per perfectissimam charitatem, sed gradus inferiores illi sex sanctorum genera, super quos sublimata sedet, scilicet, Angeli, Prophetæ, & Patriarchæ, Apostoli, Martyres, & Confessores, & Virgines. Summitas huius throni pro tanto dicitur rotunda, quia rotũditas in figura perfectionem denotat, eò quòd sit capacior omnibus figuris. Nam sublimitas genitricis Christi omnibus dicitur esse latior, & perfectior. Nam est ipsa cum Cherubin sapientissima, cum Seraphin ardentissima, &c. quia quæcumque perfectio gloriæ reperitur in sanctis, proculdubio puto reperiri in sancta sanctorum matre, quæ exal- D tata est super choros Angelorum, ad cœlestia regna. Vnde Paulus Diaconus in sermone Beatæ Virginis: Nec (inquit) mirum si hæc admirabilis Virgo cunctorum celsitudinem transcẽdat mortalium, cùm in hac parte etiam excellat beatorum meritum Angelorum. Duæ manus tenent ipsam, scilicet, duæ naturæ Christi, scilicet, humanitas, & diuinitas: duo leones iuxta ipsam, quasi ad custodiam extrahentes, & ab hæresibus custodientes, sunt duo testamenta, sicut patet de Isaia, & Luca: duodecim leunculi, sunt duodecim articuli fidei, quos habuit semper, & tenuit. In hoc throno sedens verus Salomon Rex pacificus, præbet se populo fidelium benignum, atque clementem,

*Psal.* 78.

*3. Re.* 10.

tem, & omnibus præstò est ad hunc thronum accedentibus immensa dona elargiri. Vnde Anselmus in suis meditationibus B. Virgini de hoc beneficio præstito generi humano gratiarum actiones referens, ait: Tu domina porta vitæ, ianua salutis, aditus recuperationis, aula vniuersalis pietatis, causa generalis reconciliationis, vas, & templum vitæ salutis vniuersorum, tu ostendisti mundo Dominum & Deum suum, quem priùs nesciebat, visibiliter exhibuisti mundo creatorem suum, quē priùs non videbat. Tu genuisti mundo restaurationem qua perditus indigebat. Tu peperisti mūdo reconciliatorem, quem reus non habebat, per fœcunditatem tuam peccator mundus est iustificatus, exul eductus. Cœlum, sydera terra, flumina, dies, nox, & quæcumque potestati humanæ, vel vtilitati sunt obnoxia, sibi gratulantur, ò domina, per te quodammodo resuscitata, & noua quadam ineffabili gratia dotata. Hæc Anselmus.

# F. ANTONIVS RVVIVS.

## NOTA.

*Doctissimus Pater Antonius Ruuius Legionensis Seraphicæ Religionis S. P. N. Francisci, & Almæ Prouinciæ S. Iacobi filius, & lumen liberalium artium, atque sacræ Theologiæ Lector, qui clarebat anno à Virgineo partu MDLX. zelo, pietate, & doctrina armatus, & Hispanica integritate incēsus circa fidei integerrimam puritatem, quæ non solùm Ecclesiæ inimicos fugare inuigilat, verùm quidquid ei nocumento esse possit, totis viribus eradicare conatur, Assertionum Catholicarum aduersùs Erasmi Roterodami pestilentissimos errores libros nouem; tum ad interimendam maledictam Lutheranorum Sectam, tum ad conseruanda Orthodoxæ fidei sancta dogmata, Catholicò studio elaborauit; Regique Hispaniarum Philippo II. fidei Patrono præcipuo dicauit, in folio Salmanticæ excussos per Ioannem à Canoba, anno MDLXVIII. De Auctoris scientia, operisque vtilitate hæc R. P. Ioannes de la Vega, Trinitarius, Sacra Theologiæ Magister: Ab interioribus egredietur tempestas, sed frustra. Herculi temerè Ecclesiam inuadunt: quam nec inermem, nec deloricatam Christus reliquit. Pera Dauid, absconditos theusarizat lapides, vt cùm Goliath insurrexerit, facilè illum confundat. Sunt enim inter niues absconditi thesauri, opertaque arma, quibus Ecclesia furioso bellorum tempore vtitur, sunt Theologorum castra, Monachorum acies, è quibus noster adest Ruuius, in cuius Catholicas Assertiones splendidus effulget Sol, velut in clypeos aureos: ita vt Franciscani instituti montes splendorem fundant. Ecce adest Ruuius, qui vberibus Francisci pastus, Christianaquè sapientia præditus, in foramina aspidis digitos mittens, manu valida absconditos reguloſ extrahit, simulatos serpentes educit, mortiferos ceraſtes exenterat, dealbata sepulchra penetrat, Leuiatham dolos enodat, accerrimaque disputationis claua personatos Erasmi errores confundit. Hic vnus Labyrinthum, bestia occisa, indemnis egreditur. Nec mirum certè, cùm sacrum Parnasum, christallinosque fontes Franciscani instituti à teneris inuiserit; Sancta enim Franciscanorum progenies hortus est irriguus, fauus distillans, locupletissima literarum, virtutūque omnium apotheca. Nec nostrum miror Ruuium mira scatentem doctrina, qui tantis Patribus se uatum poterit gloriari: quorum*

cùm

*cùm nomina dedero, me Lector, parum dixisse putabit. Quis enim Franciscanos illos Salmanticenses proceres ignorauit? Franciscum Castillo, Andream de Vega, hæreseonquè malleum Alphonsum de Castro quis non vidit? quos noster Ruuius & patres habuit, & Doctores, hos sese insecutum fuisse redolet: eorum enim vestigijs inhærens, qui sanctimonia, sapientia, vitæque integritate ad superos nobis aditum præbuerunt, seculum nostrum scriptorum suorum vbertate exaltat, Erasmicas enodat technas, dolos confundit, præcipitia ostendit, periculosa offendicula, latentesque laqueos digito manifestat. Nostri igitur Ruuij Lucubrationes tantum Christiani dogmatis feruorem spirant: vt pectus illud zelo fidei addictissimũ esse credamus. Si enim ingenij amplitudinem spectes, si vim, ac animi ardorem in refellendis Hæreticorum erroribus inspicias, hunc vnum & apertos hostes, & simulatos Ecclesiæ inimicos expugnasse credes. Nec eius dura nobis scandalum pariant verba; cùm enim conuitijs vtitur, non conuitia, sed morbo necessaria sunt pharmaca. Ea enim est simulatæ philautiæ rabies, vt nisi Leonino mordeatur dente, nequaquam febris medicamini cedat. Hæc prædictus Pater Ioannes de la Vega. Pari igitur feruentique pectore pietatem, eruditioni coniungẽs noster Ruuius ab spurcissimo Erasmi ore, calamo, & erroribus MARIAM Dominam nostram cœli candorem diuini pectoris incontaminatum, purissimumque solare radium ab omni næuo, & macula animæ, & corporis, (vt Seraphica familia virginalis puritatis in omnibus, & per omnia, tam à serpente antiquo, quàm à regulo hoc nouissimo, inter Catholicos, & Hæreticos, inter fideles, & infideles se tutamen & Asylum ostendat) sequentibus assertionibus protegit, tuetur, & defensat. Agunt de N. Ruuio Vuilotus, & Sanctes Peregrinus in Bibli. Hisp. fol. 256. & alij.*

## ERROR V. ET ASSERTIO CATHOLICA.

*MARIAM Virginem, & Matrem Christi habuisse peccatum veniale, error Erasmi in annotationibus super Matthæ. 12.*

MAgna est vis veritatis, quæ contra omnes hominum calliditates semper seipsa defendit. Quod vtique dictum, cùm in omnibus veris tum maximè in purissima innocentia gloriosæ, atque immaculatæ Dei genitricis MARIÆ locum habet non infimum. Siquidem hanc veritatem, quòd Beata Virgo MARIA Mater Dei nulli subiacuit peccato, nulli ignominiæ succubuit, in nullius dedecoris præcipitio stetit, nullam denique præbuit ansam siniſtræ alicui de se opinioni, non defuere, qui telis creberrimis pro sua virili portione multis retro annis impugnarent. Cæterum ipsa summa veritas IESVS Christus, filius & Dei patris, sine matre in cœlis, & huius Virginis matris sine patre in terris, qui solus omnia tela inimici ignea suo extinxit sanguine pro nobis effuso, non solùm illam de matre sua veritatem summoperè defensauit: verùm etiam hostes, quotquot insurrexere aduersùs Dei genitricem pepulit, fugauit, abiecit. Insurrexerunt Iouinianus, & Eluidius hæretici, qui calliditate diabolica exagitati, populis persuadere, ne crederent genitricem Dei fuisse semper Virginem, summa ope nitebantur. Malè enim intelligebant isti Hæretici illud. Matthæi 1. *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens, &c.* Hinc inferentes, quòd postea conuenerunt. Quasi illa vox, Antequàm, diceret semper respectum, ad sequentia, & futura, quæ venient, quæ acceptio non semper habet locum. Imò plerumque in sacris literis illa vox, Antequàm, dicitur per comparationem ad ea, quæ ventura erant: si alio modo eorum euentus non fuisset prohibitus. Ita accipitur apud Isaiam, vbi dicit Dominus. *Antequàm clament, exaudiam eos.* Quia multa concedit Deus nobis non petentibus, dicitur exaudire nos, antequàm clamemus, & tamen ibi illa vox, Antequàm, non dicit respectum ad futura, quoniam nullus clamat, postquàm exauditus est. Nullus enim adeò demens est, vt petat id quod iam sibi donatum est. Ad hunc modum dicitur in Matthæo, quòd antequàm conuenirent, inuenta est in vtero habens, etsi postquàm inuenta est in vtero habens, nunquam conuenerint. Perperam etiam intellexerunt alterum Matthæi locum de Ioseph loquentis. *Non cognouit*

Matth. 1

Isai. 65.

Matth. 1

*uit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Si non cognouit (inquiunt isti hæretici) donec peperit, ergo postquàm peperit, cognouit eam. Nam aliàs non posuisset terminum, dicens, donec peperit. Quasi aduerbium, Donec, significaret terminum, & finem actus designati per verbum cui additur: ita vt post talem terminum iam postea non sit tale opus, aut operatio per verbum, cui additur, designata. Quin potiùs aduerbia, Donec: Vsque, etsi qua sunt similia, in sacra Scriptura solùm significant continuationem actus per verbum, cui adduntur, designati, nullo habito respectu ad futura, siue ille idem actus postea succedat, siue non. Sic dixit per Isaiam Dominus. *Vsque ad senectam ego portabo eos.* Et tamen postquàm senuerimus, non minùs portabit nos Dominus. Et in Psalm. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Nunquid postquã Deus misertus fuerit nostri, non ampliùs leuabimus oculos nostros ad Deum? Absit. Quoniam qui hoc dixit, alibi ait. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Cùm ergo in Euangelio dictum sit: Non cognouit eam, donec peperit: vbi ille actus, cognitio, est negatus, huc additũ fuit aduerbium, Donec, per quod continuatio actus designatur, vt probatum est. sequitur benè, quòd Ioseph nunquam carnaliter cognouit Beatam Virginem, quoniam negationem cognitionis semper continuatã esse testatur Euangelium. Alia via inuadunt isti Hæretici, quando priori non succesſit. Si Christus (inquiunt) est primogenitus Virginis, ergo alios habuit filios, ad quorum comparationem Christus dicitur primogenitus. Quasi semper hæc vox. Primum, aut Primogenitum, dicerentur per comparationem ad secundum, aut tertium, sequens. Quinimo id quod solùm est, dicitur aliquando primũ, aliquando primogenitum in sacris literis. Quæ duo simul in vno contextu in lib. Numerorum reperiuntur. Sic enim ibi Dominus Sacerdotibus dicit. *Quod primùm erumpit, è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue ex pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita dumtaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias.* Ecce audis vno contextu vocari primum, & primogenitum, etiam id quod solũ est. Alioqui qui solũ vnum filium habebat, non teneretur illum offerre Deo, & redimere, quousque alium haberet, ad quem relatus diceretur primus, aut primogenitus. Hoc autem conuincitur esse falsum, quoniam Beata Dei genitrix, cùm filium suum obtulit Domino in manibus Simeonis, iuxta legem fecit, vt Lucas testatur. At tunc temporis beatam Dei genitricem nullum aliũ habuisse filium, præter Christum, Euangeliũ. Matth. testatur, & isti Hæretici fatentur. Conuincitur ergo, vt Christus primogenitus Beatæ Virginis dici possit, etiam si nullum alium filium habuit. Nam quòd dicitur in Euangelio, Christum habuisse fratres, parum mouet. Quia solemne est in sacris literis, fratres appellari eos, qui aliqua consanguinitate coniuncti sunt, quamuis non sint ex eisdem parentibus geniti. Vt Lot vocatur frater Abrahæ, quem tamen eadem Scriptura testatur fuisse filium fratris Abraham. Vides tela ab istis duobus Hæreticis iecta in virginitatem Beatæ MARIÆ extincta: vides & calliditates eorum à veritate fuisse propulsatas. Cùm ergo ea quæ isti Hæretici obiecerũt, nullius sint momẽti, fateri necesse est, beatam Dei genitricem fuisse perpetuò Virginem. Quoniam Ecclesia, quæ errare non potest, sic semper docuit. Quoniam Doctores sacri Theophilactus, Damascenus, Chrysostomus, Basilius, Origenes, Irenæus, & sanctus Ignatius, cuius aliquot extãt epistolæ ad Deiparam Virginem, item beatus Hieronymus, in quodam tractatu contra Eluidium, Hugo de sancto Victore in libello de perpetua virginitate MARIÆ, & beatus Ildephõsus, Archiepiscopus Toletanus, qui aduersùs quosdam Hæreticos, hanc Eluidij hæresim in Hispania suscitantes perdoctè scripsit, ita sæpissimè testantur. Quoniam Christus moriens eam Virginem Ioanni Euangelistæ Virgini commendauit. Quòd non fecisset, si alij essent filij Beatæ MARIÆ præter Christum. Alicui enim ex eis eam commendasset, non Ioanni, ne iniuriam alicui illorum fecisse videretur. Quoniam in sepulchro corporis Christi nullum aliud corpus reconditum fuit ob reuerentiam Christi: igitur multò minùs alium filium conceptum oportuit in vtero Beatæ MARIÆ propter honorem filij Dei, ibidem opere spiritus sancti concepti. Nam si prohibentur omnes, ne tangant montem, in quem Moyses recepturus legem ascendit, quã tò magis erit prohibitum Ioseph tangere Virginem gloriosam, quæ est mons ille vnde abscissus est *lapis sine manibus*, Christus Deus noster? Quoniam denique totus populus Christianus Spiritu Sancto impellente in hanc sententiam flectitur.

Insurrexerunt deinde Nestorius, Paulus Samosatenus, Photinus, & alij Hæretici testes iniqui aduersùs Beatam Virginem Dominam nostram, & aduersùs Christum eius, qui docere conati sunt Beatam MARIAM non esse dicendam genitricem Dei, sed tantùm hominis cuiusdam iusti matrem. Horum tamen sagittis igneis obstitit Spiritus Sanctus, qui omnem veritatem solet Ecclesiam docere, & ita ab eo edoctum Concilium Ephesinum hanc hæresim damnauit contra Nestorium, eiusque satellites. Et sic Beata MARIA Theotocos, hoc est, Dei genitrix verè dicenda est.

Insurrexerunt postea quidam etiam nunc opinantes, Beatam Virginem MARIAM in

*Isa.* 45.

*Ps.* 122.

*Num.* 18.

*Luc.* 2.

*Exod.* 34

*Marc.* 3.

*Genes.* 13

*Ioan.* 19.

*Exod.* 19.

*Dani.* 2.

pec-

peccato originali fuisse conceptam. Qui eam eximunt ab actuali culpa, ne iniuria matris redundet in filiũ, & non possunt audire eos, qui gloriosam Virginem ab omni peccato originali, & actuali immunem, atque liberam esse docent, prædicant, & cum sancta Ecclesia Catholica Romana festum immaculatæ Conceptionis celebrant. Quasi non eadem iniuria resultasset in filium, si mater originali subiacuisset peccato. Incidunt profectò in Scyllam, cupientes vitare Charybdim. Sed ò magna vis veritatis, quæ contra omnes horum opinantium calliditates semper seipsa defensauit. Certè propter nostram dominam, & Reginam cœlorum, iuxta propheticum dictum: *Dominus arcum eorum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Arcus eorum est illud Pauli dicentis *Omnes in Adam peccauerunt.* At (inquiunt) Beata MARIA fuit filia naturalis Adæ: ergo & in Adã peccauit, non actuale peccatũ, igitur originale, vel da oppositũ. Nõ peccauit, ergo illa propositio Pauli vniuersalis, est falsa, cùm habeat vnam singularẽ falsam. Et ita aliquod mendacium in Scriptura sacra reperitur. Quod consequens falsum est: quia Spiritu Sancto inspirati locuti sunt homines Dei, & Spiritus Sanctus mentiri non potest. Hunc arcum Spiritus Sanctus contriuit, suggerẽs Doctoribus Ecclesiæ hanc veritatem, quòd secundùm legem communem nascentium, omnes in Adam peccauerunt, tamen Beata MARIA fuit priuilegiata, & exẽpta ab illa lege. Non enim pro ea, *sed pro omnibus lex illa fuit constituta.* Fuit namque ab illa alia lege de conceptu, & de partu mulierũ Regina cœlorum excepta. Quoniam mulieri dixit Deus. *Multiplicabo conceptus tuos, in dolore paries filios.* A qua lege omnibus mulieribus communi Beata Virgo MARIA fuit libera, quæ semel tantùm concepit, & id quidẽ, sine viro, cooperante Spiritu Sancto, & semel tantùm peperit, vt supra contra Eluidium probatum est, & hoc sine dolore. Ideo dixit ei Angelus. *Benedicta tu in mulieribus.* Quare benedicta? quia exempta fuit à communi lege mulierum de conceptu, & partu. Cur non etiam de Conceptione, omnibus filijs Adæ communi? Et modus, quo tali gauisa fuit priuilegio, sic se habet. Assigno quinque instãtia originis, vel naturæ, (nam sic loquitur Doctor subtilis Scotus) in eodem instanti temporis, vel durationis. In primo signo naturæ anima Virginis MARIÆ fuit à Deo creata. In secundo fuit ei data gratia gratum faciens. In tertio anima fuit vnita corpori, & fuit Beata MARIA persona filia Adæ. In quarto debuit inesse illi personæ carentia, seu priuatio iustitiæ originalis, & ita peccatum originale, non tamen infuit, quia fuerat præuenta, & præseruata in secundo instanti. Et sic fuit concepta in gratia, quòd si in quarto infuisset ei carentia iustitiæ originalis, & vsque ad quintum instans non fuisset data ei gratia, iam esset in peccato originali concepta. Non tamen fuit in peccato concepta, quoniã in secundo instanti fuit præuenta, & præseruata à Deo conferente ei gratiam. Et hæc omnia fuerunt facta in eodem instanti temporis. Et cùm propositiones veniant verificandæ pro instanti temporis, & non pro instanti naturæ, sequitur, quòd Beata MARIA in nullo instanti fuit in peccato, & in omni instanti fuit in gratia, & sic sine peccato originali concepta.

Arma eorum sunt authoritates quædam à Caietano in tractatu de Conceptione ad Leonem Decimũ, huius nominis Pontificem Summum, partim falsò adductæ: partim verò eius generis authorum, qui locum ab authoritate argumentandi in scholis, minimè prębuerunt. Nam quod ex Ambrosio super Psal. Beati immaculati, citat pro sua opinione, non sic habetur in originalibus. Legit enim Caietanus. Venit Dominus IESVS, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, virtutem exercuit. At in originali non habetur illa particula. In matre; sed ipse ex suo capite addidit. Affert etiam Bedam in Homilia super Missus est, vbi dicit se legisse hæc verba. Spiritus Sanctus superueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde castificauit, & ab omni æstu concupiscentiæ carnalis cor eius temperauit, atque mundauit. Hæc affert ille ex Beda. Sed revera in tota illa Homilia non reperiuntur talia verba. Imò verò Venerabilis Beda in originali sic ait. Non virili, quod non cognoscis, femine, sed Spiritus sancti, quo impleris, opere concipies. Erit in te conceptio, libido non erit. Cõcupiscentiæ non erit æstus, vbi vmbram facit Spiritus sanctus. Ecce nullam mentionem hìc facit Beda de conceptione passiua matris, sed prolis. Miror ergo, & valdè miror, virum alioqui peritum, pro vero textu tantorum doctorum attulisse aduersùs nitorem Virginis Dei genitricis, ea verba, quæ illi minimè conscripserunt. Audiat Augustinum. Admisso (inquit) semel in tantum authoritatis fastigium, officioso aliquo mendacio; nulla illorum librorum particula remanebit. Et loquitur de authoritate Scripturæ sacræ. Minùs ergo Caietano in hac parte crẽdendum, qui non tãtùm semel, sed iterum, atq; iterum authoritates contra immaculatam Conceptionẽ Beatæ MARIÆ Virginis in medium mendosè protulit. Quòd autẽ innititur authoritatibus sancti Antonij, sancti Bernard. S. Vincẽtij, pauperrimi ingenij est. Siquidẽ, nec Alexãder Alẽsis, nec sanctus Bonauẽtura, nec sanctus Thomas, nec sanctus Antonius, nec diuus Bernardinus, nec sanctus Vincentius (nihil derogo sanctitati illorum, imò illos veneror, precorque, vt pro me peccatore indigno apud Deum intercedant) tantam au-

thō-

*Psal. 45.*

*Roman. 5*
*2. Pet. 1.*

*Esther. 5.*

*Genes. 3.*

*Lucæ 1.*

thoritatem habent in scholis, vt ex eorum dictis liceat argumentari per locum ab authoritate. Et breuiter dico, sanctum Thomam tenuisse Beatam MARIAM fuisse conceptam sine peccato originali, vt est videre in scripto eius super primum librum sententiarum, d. 44. q. 3. Et quamuis Capreolus dicat sanctum Thomam illam priorem sententiam reuocasse postea in partibus, certè ibi non reuocationem, sed aliud à priore sententia legimus. Qui enim reuocat dictum prius, mentionem facere debet de eo, quod reuocat, cuius nullam fecit hìc Doctor mentionem. At Alexander Alensis priorem sententiam retractauit morti propinquus. Tenuit enim Beatam MARIAM absque macula originali conceptam, cuius oppositum ante scripserat. Et eius liber retractationis antiquis literis scriptus Tholosæ ostenditur. Adducit præterea Caietanus, Chrysostomũ vocantem Beatam MARIAM peccatricem. Et Remigium super Psal. Deus Deus meus respice in me, dicentem, quòd Beata MARIA fuit mundata à macula peccati. Et sanctum Maximum, & Eusebium quẽdam, & Herardum quendam. Ad quos dico breuiter, quòd loquuntur de peccato, non quod infuit Beatæ Virgini MARIÆ, sed quod infuisset, nisi esset à Deo præuenta, & præseruata. Ecce quo pacto arma istorum opinantium veritas ipsa confregit.

Scuta quoque illorum Dominus combussit igni, quæ sunt rationes, quas faciunt contra immaculatam Conceptionem Beatæ MARIÆ. Ex quibus vnam, quæ est eorum Achilles, (vt putant) hìc statuam. Et est hæc. Christus est vniuersalis Redemptor. Ergo Beata MARIA fuit redempta, & non à peccato actuali, seu personali, quod nullum habuit: igitur fuit redẽpta à peccato originali, & per consequẽs fuit in eo cõcepta, nemo enim redimitur, nisi fuerit ante captiuus. Ad quod dicẽdũ. Fateor Christum fuisse vniuersalem omnium Redemptorem: ipse enim est lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, in quo & qui præcesserunt, & qui sequuti sunt, redemptionem fuerunt adepti. Fateor quoque Beatam MARIAM fuisse per Christum redemptam, & quidem à peccato originali, non quod infuit Beatæ Virgini, sed quod infuisset, nisi fuisset præuenta à Deo acceptante pro ea merita Christi præuisa. Ideoque cùm postea infertur: fuit redempta ab originali, ergo fuit concepta in peccato originali, argumentatio valeret, si Beata MARIA fuisset redempta redemptione liberatiua, non tamen hoc modo fuit redempta, sed alio modo excellentiori, nempè redemptione præseruatiua. Nam Christo perfectissimo Redemptori non defuit perfectissimus redimendi modus, quem decuit erga excellentiorem personam redimendam exercere, qualis fuit Beata MARIA Mater eius. Perfectior autem modus redimendi est, quo pretium datur ante captiuitatem, ne quis ab hoste captiuus teneatur, quàm si postquàm fuerit captus, & sub potestate inimici, pretium pro liberatione iam capti soluatur, ille profectò non liberatus, sed præseruatus à captiuitate censendus est. Ita Beata MARIA redempta quidem fuit, quia præseruata à peccato originali, non liberata, quia nunquam fuit captiua, nec sub peccato. Et quia hoc negocium de immaculata Conceptione Beatæ MARIÆ longiorem requirit tractatum, multique insignes viri Fratres Minores de hac re sufficientissimè disputarunt, quin Frater Ambrosius Chatarinus, Ordinis sancti Dominici, ab ordine tamen exemptus, nostris temporibus libellum elegantissimum edidit, quo Beatam MARIAM sine peccato originali fuisse conceptam luculenter ostendit, probat, atque persuadet, & quia ad aliud propero, his nunc supersedeo. Ecce fortius horum opinantium scutum quomodo in cinerem, & fauillam redactum est. Quia Dominus arcum eorum contriuit, & confregit arma, & scuta cõbussit igni. Magna enim est vis veritatis, quæ contra omnes hominum calliditates semper seipsa defendit.

Insurrexit denique contra gloriosam Virginem matrem IESV in hac tempestate Erasmus, qui nescio qua temeritate ausus fuit innocentissimæ Virgini impingere maculam peccati venialis: asserens, quòd ambitione, & affectu humanæ gloriæ dixerit filio in nuptijs factis in Chana Galilææ, quibus etiam pia mater interfuit: *Vinum non habẽt.* Et ita asserit, quòd Beata MARIA habuit peccatum veniale ex inani gloria proueniente, ex eo, quôd filius tam grande miraculum fecisset, quando aquam in vinum conuertit. Et addit, quòd propter hanc ambitionem fuerit Beata Virgo reprehensa à Christo dicente. *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* *Ioan. 2.* *Ibid.*

Lapsus fuit Erasmus in hunc errorem, ex eo, quòd superficialiter intellexit verba quædam sancti Chrysostomi, quæ si accuratiùs perspexisset, mentem illius rectiùs percepisset. Verba Chrysostomi exponentis illud Ioannis 2. deficiente vino dixit mater eius ad eum, vinum non habent, sunt, quæ sequuntur. Optabat enim, vt iam hominum gratiam conciliaret, & ipsa clarior filij gratia efficeretur. Et fortasse aliquo humano afficiebatur affectu: quemadmodum, & fratres eius, cùm dixerũt. Ostende te ipsum mundo, cupidi eius miraculis sibi famam comparare. Idcirco asperiùs respondit. Quid mihi, & tibi mulier? Hæc Chrysostomus. Hæc verba Erasmus ita sentit, vt Grãmaticus apprehẽsis dictionibus sentiret, & non inquisiuit animum sancti huius Doctoris, quemadmodum Theologi sanctorum sententias perserutari solent. Verum est, sanctum

ctum Thomam in 3. p. suæ summæ, q. 27. art. 4. in responsione ad tertium argumentum dicere, Chrysostomum in illis verbis excessisse. Sed reuera sanctus Chrysostomus longè aliud voluit sentire, quàm grammaticus ex primo verborum sono concipere potest. Fuit enim profundissimus Theologus, & ita Theologicè, non Grammaticè venit exponendus. Nam illud desiderium Beatæ Virginis, quo optabat, vt iam filius hominum gratiam conciliaret, ex gemina radice potuit oriri, tum ex amore charitatiuo nimiaque dilectione, qua filium prosequebatur, quem verum Deum, & verũ hominẽ esse semper credidit, & ita optabat ipsum etiam condiligi ab hominibus, quos ipse saluaturus aduenerat, & vt homines in ipsũ crederent, & ita per fidem, & opera meritoria vitam æternam consequerentur; petebat Beata MARIA à filio, vt id miraculum faceret, quo allecti homines, ipsum verum esse Deum crederent, sicut ipsa pia Mater credebat. Et hoc desiderium Beatæ Virginis fuit in maximo merito. Quod postea sequitur in Chrysostomo, & vt ipsa clarior filij gratia efficeretur, non referendum est ad desiderium Virginis. Non enim ipsa suam optabat claritatem, quæ humillima erat, sed claritatem filij, de qua filius dixit alibi. *Pater clarifica filium.* Et de Spiritu sancto, ille me clarificabit, scilicet, faciendo, vt mundus crederet ipsum Christum esse verum Deum, cuius rei hora nondum venerat. At ex illa claritate filij necessariò consequebatur claritas Matris. Quia benè sequitur, mundus credidit Christum esse verum Deũ, & mundus credidit Christum esse filium Beatæ MARIÆ, ergo mundus credidit Beatam MARIAM esse Matrem Dei. Et hoc modo illa coniunctio, vt replicata per particulã. Et accipitur consequutiuè. Sicut accipitur Lucæ 8. vbi dixit Christus Apostolis. Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Non enim intendebat Christus prædicare doctrinam, quam audientes non intelligerent, sed ex eô, quòd loquebatur in parabolis, consequebatur, vt audientes non intelligerent. Ita in proposito, non intendebat Beata MARIA sibi claritatem ex miraculis Christi comparare, sed ex eo, quòd propter miraculum homines credebãt Christum esse verum Deum, consequebatur, quòd etiam credebant Beatam MARIAM esse Matrem Dei, & sic ex claritate filij consequuta fuit claritas Matris. Tum etiam illud Beatæ MARIÆ desiderium oriebatur quoque ex alia radice, scilicet, ex affectione, & amore quodã naturali, quo Matres solent filios suos amare, & illis bona optare. Et tale desideriũ, nec est meritũ, neque culpa mortalis, nec venialis, teste Beato Gregorio in quadam Homilia, vbi inquit. Sunt nonnulli qui & proximum diligunt, sed per affectum cognationis, & carnis, quibus sacra eloquia non contradicũt. Hi nimirum. Etsi proximũ diligunt, tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur. Hæc Gregorius. Ex quibus verbis constat, quòd amor naturalis matris erga filium nulla est culpa, quia dicit Gregorius, quòd illi sacra eloquia non contradicunt. Nec est meritum, quia non oritur ex charitate. Ideo dicit, quòd tales illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur. Ex tali igitur amore naturali desiderabat fortè Beata MARIA cognatis supplementum defectus vini, & vero amore desiderabat filio, vt omnes in illũ crederẽt in illũ, nẽpè charitate hoc bonũ, vt omnes crederẽt in illũ, & vt ab omnibus, vt verus Deus, ac Redẽptor diligeretur. Quin etiam tale Virginis desideriũ non solùm ex amore natum, sed etiam ex charitate ortum referebatur in bonum finẽ. Ob idque fuit bonum, & meritorium, tantum abest, vt peccatum esset veniale. Hoc est, quod dicit Chrysostomus. Et fortasse aliquo humano afficiebatur affectu. Vbi non vocat affectum humanum, inanis gloriæ motum, vt Erasmus putauit, sed affectũ humanum appellat amorem naturalem Matris MARIÆ, quem etiam Beatus Gregorius vocauit affectum cognationis, & carnis. Talem radicem desiderij Beatæ MARIÆ fuisse amorem naturalem erga filium, dubitanter, non assertiuè dixit Chrysostomus. Ideo addidit, fortasse, aduerbium dubitantis. Timuit enim, ne iniuria afficeret sanctissimam Virginem, si alium actum, quàm meritorium, ab ea aliquando productũ esse putaret, tantum ab est, vt eam peccati venialis nota inurat. Nec mouet exemplum fratrum, seu cognatorum Christi, quando dixerunt, ostende teipsum mundo, cupidi eius miraculis sibi famam comparare. Siquidem exempla ponimus, non vt ita sint res omnino similes exemplis. Verum est potuisse fratres, vtpote infirmos, ambitionis aura permoueri. Sicut alibi legimus inter eos ortam contentionem, *quis eorum videretur esse maior.* Absit tamen, vt tale quòd de Beata Virgine suspicemur, quæ à primo suæ immaculatæ Conceptionis momento gratia Dei stabilita, confirmataque fuit, nunquam, nevenialiter quidem in posterum peccatura.

*Ioan.* 17. & 12. *Ioan.* 6. 1. *Luc.* 22.

Quod tandem Chrysostomus intulit. Idcirco asperiùs respondit. Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea, optimè Angelicus Doctor sanctus Thomas loco præcitato exposuit, dicens. Intelligitur, in ea Dominus cohibuit, non inordi-

natum inanis gloriæ motum, quantùm ad ipsam, sed id quod ab alijs circunstantibus posset existimari. Stando tamen in priori radice illius optimi desiderij maximèque meritorij Beatæ MARIÆ hoc Dominus innuit, quòd vis potestasquè faciendi miracula non à carne, quam ex matre assumpsit, sed à diuina natura, quàm à Patre habet, sibi competebat. Audiat igitur Erasmus, alijque quicumque sanctum Domini montem tangere nituntur: quicumque sanctum Dei Templum prophanare conantur, quicumque sanctam Dei Genitricem de peccato iniquè arguendam putarunt, quid Batus Augustinus in libr. de natura & gratia contra Pelagium Hæreticum in fauorem innocentiæ glorioſæ Virginis MARIÆ proclamauerit. De sancta (inquit) Virgine MARIA propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Quomodo isti adeò irreuerenter Matrem Dei tractantes, quoties de peccatis disserunt, ipsam in ius vocãt, ac de multis accusant? Quomodo lethargum patiuntur? Quomodo obliuioni tradunt, qualis & quãta sit hæc, quam mortibus impetunt? Hæc proculdubio est filia Patris omnipotentis, Sponsa Spiritus sancti. Mater Domini mei IESV Christi, Imperatrix cœlorum, Regina Angelorum, Aduocata peccatorũ, Liberatrix captiuorum, Refugiũ miserorũ, Solatiũ afflictorũ, Hortus omni suauitate repletus, domus Dei sancta, Tẽplũ Dei manu Dei factum, Arca salutifera, Arca fœderis inter Deum, & hominem, vbi reconditum mãna suauissimũ, Tabernaculum ornatissimum, in quo omnes mundi thesauri, Ciuitas Dei cœlestis ędificata ex margaritis, Vestis candida, Tunica inconsutilis desuper contexta per totũ, Pellis Salomonis admirabilis, Caro Christi immaculata, Mons Dei, Locus in quo absconditus est Deus, Habitaculum Spiritus sancti, Hospitium diuinitatis, Viscera Deifera, Scala Paradisi, Sol qui nescit occasum, Luna perfecta, Stella matutina, Thronus excelsus, super quem sedet vir, qui est Deus, & homo, Mulier amicta sole stellis duodecim coronata, Turris fortitudinis, ex qua mille clypei pendent, Murus inexpugnabilis. Et hanc tantam Virginem audent homunculi inuadere? Quis pro vobis ò miseri apud omnipotentem iudicem intercedere gratiùs poterit post Christum, quàm hæc Mater misericordiæ, & fons pietatis? Ego quidem fateor me peccatorem, egeo ipsius interuentione. Fateor me captiuum in carcere mortis huius, indigeo ipsius liberatione. Miserijs ærumnisque circumuallatum me video, circumquaque affligor, & quid aliud faciam, nescio, quàm Beatam MARIAM adire precibus, quæ mihi suppetias venire nunquam destitit. Expertus sum eius pientissimam clementiam, cùm non peri juxta meam calamitatem, cognoui eius misericordiam, cùm non me absorbuit tartarus secundùm meam iniquitatem. Et cùm istis non minùs opus erit eius auxilio, miror, cur ipsius innocentiam tantoperè infectantur. Desinant obsecro, quia Mater Domini est, desinant, quia soror est, abstineant, quia sponsa illius est, erubescant, quia aduocata nostra est: *Quis enim consensus Templo Dei cum idolis?* Nullum in Beata MARIA, quæ est verè Templum Dei idolum fuit, quod est peccatum. Nullum in MARIA peccatum fuit, quæ per gratiam Dei impeccabilis facta est. Quod Ricardus de Sancto Victore optimè dicit lib. secundo de Emanuele, vbi ait. Quòd de exterminio peccati in Beata Virgine MARIA factum creditur futurum in omnibus sanctis speratur. Futurum inquam, sed non in corpore eorum, adhuc mortali, sed in corpore eorum, iam facto immortali. Priùs siquidem oportebit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* Sed hoc fuit in Beata Virgine supra modum mirabile, & præ cæteris sanctis omnibus singulare, quòd in ea conuenire simul potuit tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate, tanta incorruptibilitas cum tanta corruptibilitate. Corruptibilitas in his, quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam. Hæc Ricardus. Ex cuius verbis constat tale priuilegium fuisse Deiparæ Virgini concessum, vt prorsus impeccabilis fuerit. Quod priuilegium nulli alij hominum asserit fuisse concessum, ab instanti conceptionis, dempto Christo. Sed hoc dicit nos sperare, vt habeamus in alia vita, quod Beata Virgo habuit in ista. Hoc dicit Ricardus propter impeccabilitatem, eò, quòd beati sunt confirmati omnes. Discedant igitur, & confundantur omnes inimici veritatis, qui contra innocentiam Beatæ Dei genitricis insurrexerunt: *Quoniam mẽtita est iniquitas sibi.* Pulchra enim est Beata MARIA & decora: *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiũt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. A quibus Iouiniani, & Eluidij iacula confracta sunt, à quibus Nestorianæ Hæresi obuiatum fuit, à quibus opinantium arcus, arma, & scuta in cinerem redacta sunt. Denique Erasmi telum aduersùs Beatæ MARIÆ innocentiam proiectum veritatis magna vis, & insuperabile robur pessumdedere. Quas ob res gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.

1. Cor. 6.

1. Cor. 15

Psal. 26.

Cantic. 3.

ERROR

## ERROR. 6.

*MARIAM semper Virginem non meruisse esse Matrem Dei, suppositâ liberali beneficentia diuina, respectu incarnationis, hæresis est Erasmi, Lucæ. 1.*

Assertio Catholica.

QVamuis piè intellecta hæc sententia Erasmi sensum aliquem habeat verum, tamen quia in prima significatione, quam verba prima facie ostendunt, sensum habet hæreticum, hæresim sapiens est, & circa ea, quæ ad fidem pertinent, male sonans. Videtur enim prætendere, quòd suppositâ liberali beneficentia diuina respectu incarnationis, Beata Virgo MARIA nullo modo meruit esse Mater Dei. Cuius oppositum Ecclesia decantat. Vnde tales propositiones æquiuocæ sunt distinguendæ, vt appareat, quis sensus sit Catholicus, quisve hæreticus. Sicut hæc propositio. Philophi Gentiles in sola lege naturæ saluari potuerunt. Nam hæc propositio Hæresim sapit: quia si fidem excludat, est hæretica. Si verò fidem formatam de Deo, & mediatore non excludit, vera est. Et ideo sic nudè prolata hæresim sapere videtur, & expositione indiget. Ideo Erasmus, qui Ciceronem fuisse saluum contendit, hæresim protulit: quia licèt Cicero fortè seruauit legem naturalem, non tamen habuit fidem vnius Dei, vniusque mediatoris. Et sine fide impossibile est placere Deo. Igitur sine fide impossibile est quempiam saluari. Nec fides informis sufficit, sed fides formata est necessaria ad salutem. De qua locutus fuit Apostolus, cùm dixit. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ita in proposito hæc pro-
*Hebræ.* 11 positio, Beata MARIA non meruit esse Mater Dei, æquiuoca est, ac multiplicem sensum habens. Ideoque & verum sensum habere potest, & hæreticum. Nam Seraphicus Doctor sanctus Bonauentura pertractans hanc propositionem, triplex meritum constituit, ac distinguit.

Quoddam enim est meritum de condigno, & est opus bonum ex libero arbitrio, & ex gratia gratum faciente, seu ex charitate propter Deum exhibitum, cui ex lege debetur præmium vitæ æternæ. Secundùm hanc acceptionem meriti, omnes fere Theologi Scholastici fatentur, Beatam MARIAM non meruisse merito ex condigno fieri Matrem Dei. Nam sicut non cadit sub merito incarnatio filij Dei, ita nec venit sub dicto merito Beatam MARIAM esse Matrem Dei. Siue enim dicamus Deum fieri hominem, siue dicamus, mulierem fieri Matrem Dei, vtrumque est supra sa-

A tum cum, qui debetur creaturæ. Et ideo tam hoc, quàm illud fuit benignitatis, & gratiæ Dei. Oportet priùs probare, quòd nullus meruit filij Dei incarnationem, & ex hoc facilè deducendum puto, quòd nullum meritum ex condigno fuit in causa, vt Beata MARIA fieret Mater Dei. Primò quidem Apostolus apertè ostendit ad Titum, dicens. Benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam, &c. Constat autem, quòd apparitio benignitatis, & humanitatis filij Dei est sua incarnatio, ipsumque hominem propter nos fieri, & non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Ergo nullus meruit, vt Deus fieret homo. Deinde beatus Augustinus, inquit. In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo. Hæc Augusti. Ex quibus verbis constat, nullum incarnationem filij Dei meruisse; siquidem eam vocat Augustinus summam gratiam.

Quòd verò addidit, in rebus per tempus ortis, ideo apposuit, quia in rebus æternis, videlicet in æterna prædestinatione, nulla merita præuisa, causa extiterunt, vt propter illa Deus quemquam prædestinaret. Nam summa quoque gratia fuit æterna prædestinatio, cuius nulla merita, causam fuisse, idē
C Augustinus testatur in libris de prædestinatione sanctorum, & fide ad Petrum. In Enchiridio etiam, inquit. Modus iste quo natus est Christus de MARIA sicut filius, & de Spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua humanitas, nullis meritis præcedentibus in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copulata fuit, in tantam personæ vnitatem, vt idem esset filius Dei, qui filius hominis: & filius hominis, qui filius Dei. Et sic in naturæ humanæ susceptione fieret, quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum posset admittere peccatum. Hæc Augustin. Rationi quoque consentaneum
D est, non posse reddi causam meritoriam eius, quod est radix, & fundamentum totius meriti, sicut effectum non posse esse causam suæ causæ. At certum est incarnationem, & passionem Christi esse radicem, & fundamentum, atque causam gratiæ in nobis, & per consequens totius meriti, quia per Christum omnes qui saluantur, reconciliati sunt Patri, iuxta illud dictum Ioannis: *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Igitur respectu incarnatio- *Ioan.* 16.
nis filij Dei, nullum potuit esse meritum. Neque ipse Christus suam meruit incarnationem: quia priusquam homo esset, mereri non potuit; nam mereri præsupponit esse, non autem mereri potuit, nisi in

quantum homo, siue secundùm naturam humanam. Ideo Christum mereri præsupponit Christum esse hominem. At Christus nõ fuit homo ante incarnationem. Non enim ponimus, quòd antea fuerit purus homo, & postea per meritum bonæ vitæ obtinuerit esse filius Dei: sicut posuit Photinus hæreticus. Sed ponimus, quòd à principio, & in ipso primo instanti suæ conceptionis ille homo verè filius Dei fuerit, vtpote non habens aliam hypostasin, quàm filij Dei, iuxta illud. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Vnde omnis operatio illius hominis subsequuta est vnionem hypostaticam. Igitur illa vnio, siue illa incarnatio non cadit sub merito Christi. Si obijciat quis, quòd secundùm philosophiam in vno instanti temporis sunt plura signa naturæ, sed in priori signo naturæ fuit humanitas, & in sequenti fuit illa vnio, ergo in illo priori per actus intellectus, & voluntatis humanitas illa meruit suam vnionem ad verbum, quod totum in primo instanti temporis factum esse potuit. Ad quod dicendum, quòd cùm natura humana in Christo assumatur ad esse personale filij Dei, idem est ordo naturæ humanæ Christi ad personã filij Dei, qui est naturæ humanæ Sortis ad personam Sortis. Et ideo sicut humanitas Sortis priùs ordine naturæ personatur per Sortem, quàm operetur: quia esse personale, vtpote substantiale, est prius quàm operari: deinde ordine naturæ consequuntur operationes, etiam naturalissimæ. Vt si Sol fieret manè, priùs fieret suppositum solis, deinde luceret, quanuis in eodem instanti temporis. Ita priùs natura humanitas Christi personatur per Verbum, seu filium Dei, quàm operetur. Igitur Christus non meruit incarnationem, sed fuit ex mera benignitate, & liberalitate, atque ex gratia Dei. Christus non meruit incarnationem: ergo neque Beata MARIA, & multò minùs sancti Patres Ecclesiæ præcedentis ipsam incarnationem, seu Deum fieri hominem ex condigno meruerunt. Neque valet hæc argumentatio. Beata MARIA, & sancti Patres meruerunt ex condigno gloriam, ergo etiam meruerunt incarnationem. Quia vnio incarnationis, cùm sit in esse personali, transcédit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis. Sicut enim nullus sibi primam gratiam meruit, sed ei ex meritis Christi, siue exhibitis, sibi præuisis confertur à Deo, ita nec meruit incarnationem filij Dei. Meruerunt tamen sancti Patres, & plùs omnibus gloriosa Virgo MARIA (vt optimè Doctor Subtilis tradidit) acceleratione incarnationis, scilicet, vt illa incarnatio præordinata impleretur. Congruum enim erat, teste sancto Thoma, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant, anxièquè desiderabant, & petentes dicebant illud Isaiæ. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Cùm igitur ex incarnatione filij Dei carnem assumentis in vtero Virginis MARIÆ, necessariò sequatur, Beatam MARIAM esse Matrem Dei, benè quoque sequitur, sicut nullus ex condigno meruit Deum hominem fieri, ita nec ipsam Beatam MARIAM ex condigno meruisse fieri Matrem Dei. Hoc enim est inæstimabilis dignationis, quòd filius Dei æterni efficiatur filius vnius pauperi mulieris. Nec haberet plenè rationem gratiæ, si merito ex condigno foret adscribendum tam admirabile opus, iuxta illud Pauli. *Si autẽ gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Verum est tamen, quòd inter Theologos Scolasticos vnum reperio, & eum quidem Catholicum, & Orthodoxum, scilicet Gabrielem, qui probabile reputat (eius verba fideliter recensẽo) Beatam Virginem MARIAM merito condigno meruisse fieri Matrem Dei, & filium Dei concepisse, & hoc per gratiam, & opera bona. Vnde & eam Deus à peccato originali præseruauit, vt esset idonea Mater Dei. Quia probabile est, quòd Deus Pater post Virginis præseruationem, quam ipsa B. MARIA non potuit mereri (siquidem in primo instanti ante omnem actum eius fuit à peccato præseruatata) bona eius opera acceptauerit ad hoc, vt de ipsa formaretur corpus assumendum à filio, nec excedit illud, meritum humanum, sicut excedit ipsa incarnatio. Quia maius, vel non minus est Beatam esse, quàm esse corporalem Matrem Dei. Sicut carnali maternitati videtur Dominus prætulisse spiritualem, quæ est per obedientiam voluntari Dei præstitam; dixit enim Christus. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.* Maxima autẽ conformitas voluntatum cum diuina est in beatis. At beatitudinem meruit Beata Virgo de condigno, sicut & cæteri sancti, vt communiter tenent Doctores; ergo & meruit esse Mater Dei. Nec eam esse Matrem Dei, est causa gratiæ in se, vel in alijs, sicut incarnatio, & passio Christi extitit causa gratiæ. Nihil ergo videtur impedire, quin meruerit esse Mater Dei. Hæc Gabriel in honorem Virginis MARIÆ. Nec displicet huius Doctoris opinio. Quam Hieronymus Angestus in suo propugnaculo MARIÆ in Antimarianos Hæreticos amplectitur, cuius verba sunt. Lõgo absunt interuallo, duo hæc, Verbi incarnatio, & carnis ex MARIA Conceptio. Incarnatio fuit corporeæ carnis ad Verbum Diuinum vnio, & hæc mera gratia fuit, quam in se nullum

*Lucæ. 1.* *Isai. 64.* *Rom. 11.* *Matt. 12.*

præ

præcessit meritum. Carnis ex Virgine conceptio fuit huiusmodi corporeæ naturæ ex purissimis illius sanguinibus in eius sanctissimo vtero plasmatio. Et hanc meruit humilis ancilla Domini super omnes mulieres benedicta. Itaque in eius castis visceribus incarnari, seu ibidem concipi, est quædam incarnationis circunstantia, quàm merito potuit illa Virgo. Hæc Hieronymus Angestus. Et subdit: fuerunt merita ex condigno. Hactenus de merito ex condigno.

Aliud est meritum de congruo, & est opus bonum factum propter Deum, ex libero arbitrio, non ex gratia, charitate ve proueniens. Et sic peccator dicitur gratiam sibi mereri, merito congrui, cùm ad gratiam se disponit.

Aliud est meritum de digno, quo vir iustus orat pro alio, & meretur exaudiri. Certum igitur est, ac pro indubitato tenendum, Beatam Virginem MARIAM merito congrui, & decentiæ Matrem Dei fieri meruisse. Quoniam præ nimia sua puritate, humilitate, & benignitate, præque excellentia aliarum suarum virtutum apta, idoneaque erat, vt Mater Dei efficeretur.

Meruit quoque merito de digno fieri Mater Dei. Quoniam postquam Angelo Filij Dei Incarnationem, & Conceptionem annuncianti consensit, dicendo, *fiat mihi secundùm Verbum tuum*, Spiritus sanctus in copia, & plenitudine gratiæ in eam descendit. Et ideo non solùm habuit congruitatem, & dispositionem conuenientem, sed etiam dignitatem, & statim meruit, non tantùm merito congruitatis, verùmetiam merito dignitatis obumbrari, & impregnari virtute Altissimi. Quòd autem vtroque modo absque dubio Beata MARIA meruit fieri Mater Dei, deducitur ex Euangelio Lucæ. Nam quando Elisabeth, cognatam suam Beata MARIA opere Spiritus sancti impregnata visitauit, vocem hanc resalutantis audiuit. *Beata quæ credidisti: quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* At verò annuntiata erat conceptio Filij Dei ab Angelo ex parte Domini: ergo ideo concepit, quia credidit. Fides autem Beatæ Virginis non fuit causa efficiens conceptiónis. Relinquitur igitur, quòd fides formatissima Beatæ MARIÆ fuit causa meritoria non tantùm merito congruitatis, quod iam ante annunciationem habebat, verùmetiam merito dignitatis, quod post consensum Angelo Dei præstitum illico habuit. Hoc ipsum est, quod Ecclesia in quadam oratione innuit dicens. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris MARIÆ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti, &c. Ecce quo pacto gratia Spiritus sancti adiuta meruit præparari, efficique habitaculum dignum Filij Dei. Igitur non tantùm merito congrui, sed etiam merito dignitatis meruit esse Mater Dei. Siquidem meruit esse dignum Dei habitaculum. Confirmat eandem hanc sententiam Ecclesia per illud, quod in laudem gloriosæ Virginis MARIÆ alibi cantat. Beata (inquit) viscera MARIÆ Virginis, quæ meruerunt portare Dominum Christum. Natalis etiam Beda Doctor Theologus Parisiensis in sua censura, qua errores Erasmi, in paraphrasibus deprehensos notauit, hunc quoque ex paraphrasi in Lucam elicuit conuicitque, inquiens. Quod offertur non meriti tui est, somniauit Erasmus, dixisse ad Virginem Gabrielem. Diuino Spiritui aduersatur, qui eandem dominam inter alia dicere compulit. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Humilitatis nimirum, virtutumque cæterarum officijs, (quemadmodum sacræ docent Ecclesiæ Magistri) meruit præ cunctis Dei Mater illa fieri. Quod agnoscens vniuersa Ecclesia, in eius laudem præconia compellans pro temporis congruitate dicit. Regina cœli lætare alleluia: quia quem meruisti portare, resurrexit. Atqui, non gratis omnino ea hoc fecit Dominus. Nam tanto beneficio semetipsam (præueniente tamen, & cooperante, vti semper dicimus, gratia Dei) meritis proprijs in mulieribus sola dignificauit. Hæc Natalis Beda. Cùm igitur vna sit opinio probabiliter tenens Beatam MARIAM ex condigno Matrem Dei fieri meruisse; & omnium Catholicorum Doctorum caterua concordi, vnanimique sententia glorioſam Virginem merito congrui effici Matrem Dei meruisse fateatur: & Seraphicus Doctor sanctus Bonauentura etiam meritum ex digno ipsam habuisse iure testetur, & Ecclesia vniuersalis hoc ipsum in laudem gloriosæ Virginis MARIÆ toties decantet, abijciendus, ac sepeliendus est Erasmi error, quo meritis, ac dignitati genitricis Dei tantùm detrahere, atque derogare non erubuit.

*Luc. 1.*

## *ERROR. 7.*

### *MARIÆ Virgini non perfectè fuisse reuelatum in infantia, & pueritia Christi ipsum esse Deum, & hominem, hæresis, est Erasmi in Elencho.*

Assertio Catholica.

Assueratio hæc, crassam ignorantiam Euangeliorum arguit in ita loquente:

cùm credendum sit, Beatæ Virgini MARIÆ tunc perfectè reuelatum extitisse, Christum esse Deum, & hominem. Hoc enim illi Angelus, Reges, Pastores, & Prophetæ satis indicarunt. Angelus Gabriel à Deo *Missus*, vt admirabilem Filij Dei
*Lucæ. 1.* Incarnationem Beatæ MARIÆ annunciaret: iussa omnipotentis capessens, Virgini paulò ante Filij Conceptionem reuelauit, quòd filius in vtero eius mox concipiendus opere Spiritus sancti, & de ventre Virginis intacto nasciturus erat verus Deus.

Cùm ergo paulò ante Incarnationẽ Beata MARIA cognouerit ex reuelatione Iesse verum Deum, verumque hominem genituram, consequens est, in infantia, & pueritia Christi eidem Virgini perfectè reuelatum fuisse, Christum verum Deum atque hominem esse. Quòd autem Angelus paulò ante Incarnationem reuelauit Beatæ MARIÆ, quòd mox conceptura erat verum Deum, & hominem, sanctus Lucas in primo sui Euan-
*Lucæ. 1.* gelij capite dilucidè ostendit, dicens. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit Magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Clarum est, quòd semper fuit Magnus Deus, sed futurus erat Magnus homo, & Magnus Prophe-
*Lucæ. 7.* ta, iuxta illud. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Et Filius, non adoptione, sed natura, altissimi vocabitur, idest, ipsius Dei, qui solus est altissimus. Homo enim altus est inter creaturas corporales, Angelus verò altior. Deus autem solus altissimus. Christus ergo Magnus quatenus homo, & naturalis Filius Altissimi Dei Patris, quatenus Deus & homo annunciatur Beatæ MARIÆ. Idcirco perfectè reuelatum fuit MARIÆ paulò ante Incarnationem quòd concepturа erat Iesum verum Deum, & verum hominem. Idem iterum asseruit Angelus, cùm dixit. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Nam statim cõcepit Virgo, superueniente Spiritu sancto, & virtute altissimi obumbrante, cùm dixit. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Nec Beata MARIA dubitauit se concepturam verum Deum & verum hominem, quando quæsiuit ab Angelo, Quomodo fiet istud? Sed modum, quo fieri posset Virgo permanens verum, Deum & hominem conciperet, scisciтata est. Vnde Beatus Ambrosius exponens illud, ait. Quo ergo modo fieri possit, vt Zacharias qui non crediderat, silentio condemnaretur: MARIA autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere, MARIA, neque tam temerè debuit vsurpare, non credere Angelo, vsurpare diuina. Neque enim facile erat scire mysterium abscondituм à seculis in domino, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutauit: sed accommodauit affectum spopondit obsequium. Etenim cùm dicit, quomodo fiet istud, non de effectu dubitauit: sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Quantò temperantior ista responsio, quàm verba sunt Zachariæ? Hæc ait. Quomodo fiet istud? Ille respondit. Vnde hoc sciam? Hæc iam de negotio tractat. Ille adhuc de iudicio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire: & quasi fidei adhuc alium quærit authorem. Ista se facere profitetur: nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit, inquirit. Hæc sanctus Ambrosius. Eodem modo verba illa Deiparæ Virginis interpretatur Theophilactus dicens. Non quasi diffidens Virgo dixit, quomodo erit mihi istud? sed vt prudens & intelligens, vt discat, modum inquirit. Non enim priùs tale quidam factum est, nec posthac fiet. Ideo & ignouit ei Angelus, & non condemnat vt Zachariam, sed magis modum docet. Nam Zacharias meritò condemnatur. Habuit enim exempla multa, quandoquidem & multæ steriles fuerunt. Virgini autem nullum exemplum erat. Hactenus Theophilactus. Et Beatus Bernardus homilia quarta super Euangelium Missus est, pari modo glorioſissimæ Virginis verba exponens, inquit. Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit, an fiet istud? sed quomodo? Quasi dicat. Cùm sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius. Hucusque Bernardus. Percontata est igitur Beata Virgo, non quasi verbis Angeli diffidens; sed verbis firmiter credens, & modum, quo verba adimpleri possunt, non perpendens, & de modo edoceri cupiens. Itaque non de re ipsa, sed de modo, quo res exequi posset, dubitauit. Et ita credidit Beata MARIA Angelo nuntianti se verum Deum & hominem genituram. Ac proinde perfectè ei fuit reuelatum, etiam ante infantiam & pueritiã Saluatoris, Christum esse verum Deum & hominem.

Præterea fuit reuelatum Beatæ Elisabeth, & Sancto Ioanni Baptistæ adhuc in vtero Matris clauso, Christum esse verum Deum, & hominem. Igitur multò æquius fuit, vt Genitrici Dei esset reuelatum, statim in ipso conceptionis Christi exordio. Nam apud Lucam dixit Elisabeth visitanti MARIÆ.

Vnde

*Vnde hoc mihi vt veniat mater domini mei ad me?* Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. *Luc. 2.*

Et Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à domino. Ecce Elisabeth MARIAM, Matrem Domini appellat: quare? nisi quia ex reuelatione Deum, & hominem Christum dominum verè concepisse cognouit? Et infantem in vtero suo præ gaudio exultasse fatetur. Qua de causa exultauit? nisi quia Christum verum Deum & hominem ex reuelatione recognouit in vtero sanctificatus, antequàm natus, cuius præcursor venerat? Et quid est, quod dixit, Beata quæ credidisti? nisi quòd Maria ex reuelatione Angeli sciuerat filium se in vtero conceptura m verum Deum, & hominem, quod certè ipsam Virginem credidisse exclamauit Elisabeth.

Quin ipsa Beata Virgo MARIA Spiritu sancto illustrata, in suo cantico, quo Deũ de tam grandi beneficio magnificauit, se scire ex reuelatione facta per Angelum, verum Deum & hominem concepisse, clarè significauit in illo versu. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula. Hìc enim recolit Beata Virgo beneficiorum Israelitico populo exhibitorum. Siquidem suscepit Deus Israel puerum suum, cùm puerilem carnem, atque humanitatem assumpsit de populo Israel, hoc est de visceribus Beatæ MARIÆ, quæ ex Iacob siue ex Israel originem traxit. Et ita recordatus fuit Deus eius, quod ante promiserat Abrahæ & posteris, ad patres, videlicet tempore antiquorum patrum. Nam Geneseos. 22. promisit Abrahæ.

*In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et Dauidi, semini descendenti ab Abraham dixit. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod promissum (inquit Beata MARIA) non oblitus nunc Deus impleuit, cùm de meis visceribus opere Spiritus sancti Deum & hominem genuit. Cognouerat ergo Beata Virgo perfectè ex reuelatione se Deum & hominem concepisse. Reges etiam Magi ex reuelatione intellexerunt Christum esse Deum & hominem: ergo à fortiori Beata MARIA. Nam, (vt narrat Mathæus) *Magi venerunt ab oriente Hierosolymam, dicentes. Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente: & venimus adorare eum.* Ex quibus verbis manifestè colligitur, Regibus illis orientalibus fuisse tunc reuelatum, Christum natum, esse Deum, & hominem: alioqui non venirent è longinquo ipsum adoraturi. Nam adorationis per eos exhibitæ infanti IESV ratio- *Gene. 22.* *Psa. 131.* *Matth. 2*

nem reddens Glossa interlinearis dicit. Quia Deum intelligunt, stella famulante. Hæc Glossa. Stella autem noua in ipsa hora natiuitatis Christi apparuit illis in orientali terra: vbi quondam habitauit Balaam Propheta, qui de Christo nascituro prophetauerat, dederatque signum. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel.* Hæc stella (inquit Hieronymus) Dominicæ Natiuitatis nuntia numquam priùs apparuit: sed eam tunc puer creauit, & Magis præuiam deputauit. Quæ mox peracto officio, esse desijt. Adorauerunt ergo Magi infantem, quia ipsum esse verum Deum, & hominem cognouerunt ex interna inspiratione & reuelatione. Ideò subdit Mathæus. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum MARIA matre eius. Et procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Thure enim Deum, myrrha hominem, pro generis humani reparatione moriturum, auro verò Regem Regum, & Dominum dominantium protestati sunt. Sic enim Ecclesia in officio Epiphaniæ exponit, dicens. Tria sunt munera pretiosa, quæ obtulerunt Magi Domino in die ista, & habent in se diuina mysteria: in auro, vt ostendatur Regis potentia: in thure, Sacerdotem magnum considera: & in myrrha Dominicam sepulturam. Ex quo ergo Reges Magi Christum, vt Deum adorauerunt: benè colligitur, eos verum Deum & hominem ex reuelatione & fide cognouisse. Ergo multò magis Beata MARIA ex reuelatione cognouit infantem esse Deum & hominem. Quin etiam ex Magorum adoratione intellexit iam filium suum, vt verum Deum, à gentibus adorandum.

Adhæc Pastoribus Angelus in eadem noctis hora, qua Christus natus fuit, Saluatorem esse natum euangelizauit: qui statim infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio per manus Beatæ MARIÆ, inuenerunt. Et ecce (inquit Lucas) Angelus Domini stetit iuxta illos: & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus. Nolite timere. Ecce enim Euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et paulò pòst subdidit Lucas. Videntes ergo cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Si hæc verba Euangelistæ benè perpendantur, luce clariùs significant, Pastores ex reuelatione per Angelum facta intellexisse Christum esse verum Deum & hominẽ: quandoquidem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero. Glossa enim interlinearis exponit de Verbo, quod erat in principio, scilicet de Filio Dei: igitur fide perceperunt Christum esse verum Deum. Cur non

Beatæ MARIÆ fuisset ante reuelatum, quod tunc pastores credere coram cernebat? Cur non superno lumine illustrata perspiceret, quod multitudo militiæ cœlestis exercitus laudantium Deum & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis circum præsepium infantis, & ante torum huius Virginis decantabat? Quid opus est in re adeò comperta amplius immorari?

Ex Prophetarum assidua lectione, quos exactissimè intelligebat, Christum verum Deũ & hominem ex Virgine nasciturum apprimè nouerat. Et eandem Virginem, cui ipsamet inseruire, atque obsequium præstare quã maximo flagrabat desiderio, seipsam esse experimento didicerat, tum ab angelo salutata: tum ab Spiritu sancto fœcundata. Quas ob res satis superque sibi reuelatum fuerat, non solùm ante pueritiam, & infantiam Saluatoris, verũ etiam ante partum, & conceptum, quo concepit, & peperit filium suum primogenitum, & vnicum, ipsum verum Deum atque hominem Christum esse. Hoc enim est quod sanctus Lucas de Beata Virgine refert. *MARIA* (inquit) *conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Ac si apertiùs dixisset. Prophetias implert in puero nato prudentissime animaduertebat: & corde suo tacita reponebat. Hæc verba sancti Lucæ Beatus Ambrosius exponens ait. MARIA nõ minùs orẽ pudica, quàm corpore, secreta, quæ nouerat, nulli diuulgabat: sed tacito corde scrutans cõgruum tempus, quo hæc Deus vulgari velit, reuerenter expectat, conferens ea quæ viderat circa se acta, & quæ legerat in scripturis agẽda. Ei dictum erat ab Angelo. *Ecce cõcipies in vtero, & paries filium.* Prædixit Isaias, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Videbat se de stirpe Dauid ortam in Nazareth concepisse, in Bethleem peperisse. Quorum omnium testimonia in diuersis prophetis legerat. Comparat ergo verba prophetarum factis, & in omnibus habet argumenta fidei. Hæc Ambrosius. Talis autem collatio erat B. MARIÆ valde iucunda, & toti Ecclesiæ perquàm vtilis, secundùm illud quod Beatus Hieronymus in sermone de Assumptione Beatæ Virginis inquit. Ipsa post ascensionem filij sui remãsit ad tempus in terris cum Apostolis, vt eos plenius instrueret de verbo incarnato, de quo erat plenius edocta per Spiritum sanctum, & omnia familiarius viderat: propiùs tractauerat. Vnde Bernadus homilia prima super Missus est, inquit. Missus est Gabriel Angelus à Deo. Ideò dictũ est à Deo, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus, antequam Virgini reuelasse putetur consilium: excepto duntaxat Archangelo Gabriele. Qui vtique tantæ inter suos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nuncio. Hæc Bernardus. Cùm igitur Beata MARIA à Prophetis, ab Angelo nunciãte, à Regibus, à Pastoribus, & à Spiritu Sancto in eam superueniente, tantoperè didicerit Christum esse verum Deum & hominem: ita vt magistra fuerit Apostolorum in his quæ viderat, & crediderat de Verbo incarnato: longè ab scopo veritatis errauit Erasmus, qui Beatæ MARIÆ non perfectè fuisse reuelatum in infantia, & pueritia Christi ipsum esse Deum, & hominem, temerè effutiuit. Meliùs atque deuotiùs dixit sanctus Ambrosius, qui eam filiũ statim ex se natum, multoties, vt verum Deũ adorasse testatur, sic exclamans. O Beata Virgo, quis nobis posset arcana tui cordis reserare, cùm hinc adorares natum tuum, vt Deum, & hinc osculareris, vt filiũ? Hæc Ambrosius. Nouerat ergo tunc perfectè ex diuina reuelatione Beata MARIA Christum Deum verum & hominem esse, quem cùm primùm natus est, flexis genibus, atque obuijs vlnis excipiens, adeò reuerenter adorauit.

Luc. 2. Luc. 2. Isai. 7.

## ERROR. 8.

*MARIÆ Virginis intercessione apud filiũ non esse opus pro rebus spectantibus ad æternam salutem, hæresis est Erasmi. Ioan. 2.*

### Assertio Catholica.

QVòd nullo tempore opus sit interpellatione Virginis apud filiũ pro rebus diuinis, aut ad æternam salutem spectantibus affirmare, nõ solùm scandalosum est, ac piarũ aurium offensiuum, propterea quòd auditoribus catholicis, & deuotis ansam occasionemque ruinæ præbet, atque deuotionẽ tollit habitam à populo Christiano erga clementissimam Dei Matrem, quam Deus mediatricem esse voluit inter nos & illum; verùm etiam hæreticum, & ritui Ecclesiæ contrarium esse intrepidè asserimus. Alma namque Dei mater constituta est à filio felix cœli porta, pia pro peccatoribus aduocata, vt iuxta scripturas Catholica Ecclesia rectè concinit. Cæterùm nihil est, quod intentatum reliquerit aduersarius noster diabolus, vt nos à vitæ æternæ consequutione impediat. Nam quicquid nos ad illam Beatam vitam capessendam iuuare potest, à nobis auferre conatur. Et quoniã scit nos intercessione, & orationibus gloriosæ Virginis MARIÆ plurimùm iuuari, à veneratione Dei genitricis auocare pias hominum mentes molitus est. Sed quantum nobis opus sit gloriosæ Virginis intercessione, quantæque vtilitati, & lucro cedat piæ Dei genitricis apud Deum interuentio, tum vt temporalium miseriarum fasce, onereque leuemur, tum vt culparum vincula dirumpamus, & vitam æternam expeditiùs consequamur,

mur, Concilium Basileense optimè persua- A det, inquiens

Inter assiduas militantis Ecclesiæ turbationes, & procellas, quibus ipsa dietim affligitur, illa singularis iucunditas, & egregia exultatio communitati fidelium relicta est, vt Dominum creatorem intimis præcordijs diligentes, eundem in sanctis suis deuotè glorificent. Per hoc enim, & ipse Deus, qui gratiam illis præstitit, dignè collaudatur, & ipsorum sanctorum promptiora erga nos reddimus patrocinia. Quod quidem singulariter est agendum, cùm calamitates irruunt, quæ absque demeritis hominum non contingunt, vt per ipsorum sanctorum preces, & merita, misericordia Domini super peccatis hominum imploretur, & humanum genus ab imminentibus B malis, & innumeris periculis præseruetur. Inter autem omnes, qui celestem Regem pro nobis interpellent, præcipuè ad glorioſissimam illam, & omni laude dignissimam Dei Genitricem MARIAM est recurrendum. Quæ quantò altior existit, tantò humiliùs ad nos respicit, omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in vtero gestauit Saluatorem. Hæc apud Deum, quem ipsa peperit, sedula pro nobis aduocata nos iuuat, nos tuetur, nos protegit, nos exaltat. Hæc omnibus, qui ad eam recurrunt, promptissimum exhibet patrocinium. Hæc Concilium Basileense.

Quod etiam ex sacra scriptura deduci potest. Nam 3. Regum lib. cap. 2 legitur sic. Venit ergo Bersabee ad Regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia, & surrexit Rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius, dixitque ei. Petitionem vnam paruulam deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex. Pete mater mea, nec enim fas est, vt auertam faciem tuam. Hactenus historia. Certum est autem in Salomone Christum, in Bersabee Beatam MARIAM Dei Genitricem intelligi, & præfigurari, secundùm Doctorum interpretationem, & applicationem. Salomon verò in terra thronum matri suæ iuxta thronum D suum collocari præcepit, & eius petitionem pro alijs intercedentis audiebat. Cur non verus pacificus Salomon Christus in cœlis ad dexteram patris residens matrem suam Beatam MARIAM honorabit? ab eademque pro nobis interueniente exorabitur? Interpellat ergo pro nobis Beata MARIA, atque suppetias mitti rogat peccatoribus, & eis quidem non paruo emolumento est. Ipsa etiam Beata MARIA adhuc in terra existens impetrauit à filio, quod pro alijs intercedendo postulauit. Na, mvt narrat Beatus Ioannes in secundo sui Euangelij capite, deficiente vino, dicit Mater IESV ad eum. Vinum non habent. Et in filij liberalitate, & misericordia freta, dixit ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Et Christus statim postulata concessit, cùm aquâ in vinum conuertit. Multò ergo æquius est, vt in cœlo pia Mater Christo conregnans id obtineat nobis, quod ab eo petierit.

Prætereà, si non esset nobis opus gloriosæ Virginis MARIÆ apud filium intercessione, frustra Diuini Verbi Declamatores ipsam in exordio concionis ad populum habendę in auxilium suum atque auditorum protinus inuocarent. At in tota Catholica Ecclesia extat consuetudo illa, ne frustrata quidem, inuocandi Virginem Deiparam in initio cuiuslibet prædicationis verbi Dei, quatenus ipsa dignetur rogare Deum, vt aperiat prædicatori ostium ad loquendum, & alijs ad audiendum mysterium Christi. Quæ consuetudo nunquâ tantoperè inualuisset, si non necesse haberent fideles, vt Beata MARIA pro ipsis apud filium interueniret in rebus ad salutem æternã spectantibus, cuiusmodi est audire mysteria Christi ab orthodoxo prædicatore. Nam & in principio nascentis Ecclesiæ vas electionis Paulus precibus fidelium se adiuuari petebat, quoties populo Euangelium prædicabat. Quod indicat in epistola ad Colossenses, dicens. Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquẽdum mysteriũ Christi. Et in secunda ad Thessalonic. Orate, inquit, pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur. Ex his duobus testimonijs sumpta est laudabilis illa consuetudo inuocandi gloriosam Dei Genitricem in primordio concionis, quia dum populus illi Angelicã salutationem simul cùm prædicatore flexis genibus perdeuotè offert, ipsa mater misericordiæ apud filium intercedit, eundem rogans, vt & concionatori dicturo, & cœtui audituro per Spiritum Sanctum, quem effudit in Ecclesiam suã, abundè suppetias mittat. Vnde Neotericos aliquos prædicatores, qui aut nihil, aut parum in honorem Beatæ Virginis dicunt in aditu concionis, ægrè ferendos puto. Quòd si nemo miratur Poetas maximos sæpe fecisse, vt non solùm initijs operum suorum Musas inuocarent, sed proiecti quoque longiùs, cùm ad aliquem grauiorem venissent locum, repeterent vota, & veluti noua prædicatione vterentur, mihi profectò poterit ignosci, si quidem iuniores quosdam prædicatores ægrè ferendos, ne dicam reprehendendos duxi, eò quòd non verentur Dei genitrici denegare id quod Ethnici fictitijs quibusdam Musis falsò tribuerunt. Inuocabant illi falsos Deos, Deasque, nam omnes dij gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit, & tædet istos veram Dei Matrem honore debito præuenire? Fortè eos fefellit assidua lectio, quam Erasmi libris impendunt, in quibus versati nihil pietatis præseferunt. Sed quòd Lutherani salutatio- *Psal. 95.*

nem

nem MARIÆ Virginis glorioſæ non præmittendam in cõcionibus garriunt, Hieronymus Angeſtus in octaua cenſura ſui propugnaculi in Antimarianos de hac blaſphemia ipſos Lutheranos benè conuincit. Sicut enim corrumpunt bonos mores colloquia mala, ita quoque lectio praua. Iſti ſunt ex illis, in quos futuros impios, atque in perniciem animarũ paulatim, ac velut inſenſibiliter collapſuros id præuidens Ieremias Propheta Spiritu Sancto edoctus exclamauit, dicens. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Videns Propheta Dei præcepta conculcata, & Eccleſiæ conſuetudinem ab aliquibus nouitatum amatoribus, & propriæ inaniſque gloriæ cupidis in poſterum contemnendam, inhorreſcit, & ſtuporem diſſimulare non poteſt. Omnis enim creatura contremiſcit, & condolet ſuper peccatis hominum, & ſuper impietate cordium deuotionis erga Beatam MARIAM vacuorum. Quare cœlos iam propemodum obſtupeſcere, & ſigna iræ Dei omnipotentis, tonitrua, fulgura, & procellas, inſtar hominis ſtupidi mutatique in facie, præ nimia pectoris iracundia Popheta vaticinatur. Cuius indignationis cauſam duo mala eſſe prædixit, alterum, quòd Spiritum Sanctum rectorem Eccleſiæ Catholicæ dereliquerũt, quando Doctores, Orthodoxoſque patres, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Chryſoſtomũ, & Scholaſticos, Alexandrum Alenſem, Sanctum Bonauenturam, & Sanctum Thomam Aquinatem, reliquoſque ab Eccleſia approbatos, & receptos, veluti aquæ ductus IESV Chriſti, fontis aquæ viuæ, doctrinæque Catholicæ animas paruulorum, ac ſimplicium irrigantes, neglexerunt. Alterum verò, quòd foderunt ſibi ciſternas de torrentibus, & aquis turbidis completas in pluuijs, quando Eraſmi libros aliorumque Lutheranorum codices erroribus olim iam damnatis Ioannis Vuielephi, & Ioannis Hus, & quorumlibet nefandiſſimorum Hæreticorum refertos, velut noua quædã, & inaudita fucatis ſermonibus, & circunfuſo quodam verborum nitore venditantis obuijs (vt aiunt) vlnis apprehenderunt. Non animaduerterunt miſeri anguem in herba, venenum in dulcedine cibi, & peſtiferas hæreſes in eleganti verborum compoſitione latere. Ideo que impietas momordit eos. Et vtinam ex parua, aut nulla deuotione ad glorioſam Dei genitricem habita non ſe præcipitent in perfidiam Lutheranorum nomen Beatæ Virginis MARIÆ odio afficientium, ac blaſphemantium. Horum enim infelicitatem deflet in Threnis prædictus Propheta. Quomodò, inquit, obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Hactenus Propheta ille. Vox dolentis, & increpantis eſt totus hic contextus, quem ex Threnis adduxi. Deplangitur enim eorum duritia literatorum, quorum patres refulſerunt quaſi aurum, & lapides pretioſi in ſanctuario Dei, in fide & operibus, atque in ſana, & Catholica doctrina, & nunc poſteri ad perfidiam, & impietatẽ conuerſi ſunt, & ita aurum ſapientiæ Catholicæque diſciplinæ obſcuratum eſt in illis fuligine peccatorum atque hæreſum, & color optimus mutatus eſt. Namque ex maſſa optima proceſſerunt filij peſſimi, quando ex Theologorum ſchola prodierunt hæretici, de quibus Beatus Ioannes, inquit, *Antichriſti multi ſunt, ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* Et ex ſanctuario, hoc eſt, ex ſancta Dei Eccleſia, diſperſi ſunt lapides in capite platearum, id eſt, hæretici, quaſi lapides, obdurati, qui baptizati primùm, in Eccleſiæ gremio aliti ſunt, poſtmodum verò materni lactis obliti, & Doctores Sanctos Catholicoſque deſpicientes, errores ex dogmatibus hæreticorum, quaſi ex lutulentis ciſternis ebiberunt. Diſperguntur ergo lapides non ſolùm in plateis, ſed etiam in capite omnium platearum, dum implicãtur ſecularibus negocijs, & opera huius mundi pertractant. Nam platea Græcè, à latitudine dicitur: *Et lata eſt via atque ſpatioſa, quæ ducit ad perditionem.* Auro quoque prima Eccleſia gloriatur amicta, ſed qui fuerunt filij eius, inclyti quidam prædicatores, amicti auro primo, cùm famoſi eſſent concionatores, mutati reputantur in vaſa teſtea, qui debuerunt vaſa incorruptibilia, & cæleſtia eſſe, quando vitijs dediti, codices & magiſtros prurientes auribus ſibi coaceruauerunt. Porrò per lamias hypocritarum, & hæreticorum callida peruerſitas deſignatur, qui faciem humanam, ſed corda belluina geſtant, mammam nudant, quãdo errorem ſuum liberè prædicant, catulos lactant, quando ſequaces peruerſis documentis oblectant, & ad impietatem malè nutriendo confirmant. Tales fuerunt, qui Eraſmi volumina lectitantes, tandem Lutheranam nudauerũt mammam. Iſti nutriti priùs in croceis, & veritatibus Catholicis, imbuti in gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt Magiſtra veritatis, poſteà in ſtercore, quaſi imenta computruerunt, qui in fœtore luxuriæ ſuæ ſecundùm deſideria cordis flagitijs erroribuſque deſeruiunt. Hanc expoſitionem ex Gloſſa ordinaria ſuper Ieremiã deſumpſi, quã vniuerſaliter de quibuſcumque hæreticis appoſitam, de noſtræ tempeſtatis hæreſiarchis, deque illorum ſequacibus intelligendam cenſui,

2. Cor. 1. 7

Ierem. 2.

Thren. 2.

B

C

D

1. Ioan. 2.

Matth. 7.

sui. In generalibus enim particularia includi necesse est. Igitur quasi à facie colubri fugiamus lectionem codicum Erasmi, quæ ad peccandum, errandum, & ad impiè agendum cunctos allicit, quæque à deuotione, & honore Beatæ MARIÆ Virginis animos auertit, atque depellit. Quemadmodum Beatus Ioannes Euangelista, cum in balneis Cherintum hæreticum reperisset, mox exilijt ad discipulos, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ nos corrumpant, quibus Cherintus lauatur veritatis inimicus. Hæc admonenda obiter duxi occasione illius rationis, quam ex laudabili consuetudine inuocandi Beatam Virginem MARIAM in initio concionis accepi. Et ex eodem probato ritu nos indigere Beatæ MARIÆ apud filium interpellatione recte inferendum existimaui.

Denique cùm Ecclesia de more antiquo habeat, Sanctos, & Angelos precari, vt pro populo intercedere dignentur apud Dominum IESVM Christũ cur, non sanctorũ dominatricem, & Angelorum Reginam obsecrabimus ante omnes, vt nobis opem ferri à filio sua interuentione exoret? Quemadmodum fecit Iob, cui afflicto amici consulentes

*Iob 5.* dixerunt. *Voca ergo, si quis est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuerte re.* Quæ quidem verba quamuis Elyphas Themanites ad Iob dixerit, non tamen ea Iob reprehendit, sed vt sanum consiliũ amici acceptauit. At Beata MARIA omnes sanctos superat sanctitate, meritis, & pietate. Vnde Ricardus de Sancto Victore lib. 2. de Emanuele capite vltimo, ostendens excellentiam Beatæ Virginis super omnes alios sanctos, ait. Cæteris sanctis in commune præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum non regnet, soli isti singulariter datur, vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet. Hæc Ricardus. Igitur ante omnes sanctos ad hanc Virginem recurrendum est. Et de Angelis dixit Heliu ad

*Iob 33.* Iob. *Si fuerit Angelus pro eo loquens vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius, & dicet. Libera eum, vt non descendat in corruptionem, inueni in quo ei propitier.* O Virgo benedicta super omnes fœminas, quæ Angelos vincis puritate (vt inquit Hilarius) nonne priùs ad te Reginam Angelorum, quàm ad seruos tuos preces nostræ mittendæ, vt pro nobis apud filium intercedas? Deinde ad seruos tuos? *Nã*

*Psal. 33.* *immittet Angelus Domini* (inquit Propheta) *in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Hunc enim ordinem seruat Ecclesia in Litanijs, vt priùs sanctissimam Trinitatem oret, deinde Beatam MARIAM, postremò Angelos, & Sanctos. Nam Concilium Aurelianense cap. 28. suorum decretorum sic ait. Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ passionis solemnitate soluatur, per quod triduum serui, & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur. Hæc Concilium. A quo litanias institutas vides, in quibus Deum oramus, & Beatam MARIAM, & Angelos aliosque sanctos, vt in nostris necessitatibus apud Deum intercessores esse velint. Nec tamen hac fiducia illos orare debemus, vt in illis omnem nostram spem collocemus, tanquam illi omnipotentes sint ad præstandum ea quæ cupimus, quoniam hoc modo solum Deum orare debemus, & in illo solo puppim (vt dicitur) & proram constituere. Sed hoc solùm à sanctis petere, & sperare debemus, vt ipsi velint à Deo petere id quod nos assequi optamus. Hoc enim apertè innuit diuinus Psaltes dicens: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram. Quæ verba exponens Beatus Augustinus super Psalmos ait. Noli putare, quòd ipsi montes tibi dabunt auxilium, accipiunt enim quod dent, non de suo dant. Hæc ille. Propter hoc Ecclesia à Spiritu Sancto edocta, in litanijs, siue rogationibus, quas celebrat, alio modo orat Deum, & alio modo orat sanctos. Nam Deum orans, sic ait. Pater de cœlis Deus miserere nobis. Fili Redemptor mundi Deus miserere nobis. Spiritus Sancte Deus miserere nobis. Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis. Cùm autem aliquem sanctorum orat, non dicit illi, miserere nobis. Dei enim solius propriũ est misereri semper, & parcere, sed sancto ait, ora pro nobis. Itaque Ecclesia orans, à Deo petit misericordiam, à sanctis autem, & Angelis intercessionem apud Deum. Et in illis rogationibus ante omnes sanctos, & Angelos dicit Ecclesia. Sancta MARIA Virgo virginum ora pro nobis. Sancta Dei Genitrix Virgo ora pro nobis. Qua propter satis relinquitur probatum, esse nobis opus gloriosæ Virginis MARIÆ apud filium interpellatione. Nec est audiendus Erasmus, qui Luthero cùm in plerisque alijs, tum in hoc errore suffragatur, consentitque.

*Ps. 120.*

## *ERROR 9.*

*MARIÆ Virginis gloriosæ hos titulos detrahendos asserere, nempè, Matrem Virginem, Stellam maris, Reginã cœli, Dominam mundi, & Portum salutis, quibus illi blandiantur homines, hæresis est Erasmi in colloquio. Naufragium.*

Assertio Catholica.

Non procul à Nestorij hæretici deliramen-

mentis abest hæc Erasmi blasphemia aduersùs gloriosam Virginem MARIAM, nescio qua temeritate effutita. Ille enim conabatur hanc à Beata Virgine nomenclaturam auferre, vt non diceretur Dei Genitrix. Iste quo ad eius fieri potest, nititur titulos eripere à Beata MARIA Matre IESV, quibus celsitudini eius, quæ altissimi Dei patris vnigenitum concepit, & peperit, lactauitque, honorem debitum, ac reuerentiam Catholica Ecclesia exhibere humillimè solet. De Nestorij vaniloquijs in quibusdam præambulis Concilio Ephesino præfixis legi aliqua, quibus non dissimilia machinamenta Diaboli Erasmus in hoc suo satis periculoso naufragio, in quo ei nec Stella maris affulget, nec portus salutis apparebit, vtrumque enim negat fugitque, secum blasphemo animo reuoluere, atque euentilare molitus est. Sic enim habent illa præambula. Ipse igitur blasphemiæ pater Nestorius, qui nequaquam super fundamentum iustum ædificium perfecit, sed super arenam fundauit, quod & citissimè dissolutum est, iuxta Domini parabolam, ad eos, qui eum culpabant, quòd non (vt oportuit) nominandis rebus studeret, sed nec rectè quidem petere, vt Synodus Ephesi congregaretur, Scribit ad alios, quibus voluit super propria blasphemia reddere rationem, quòd omni necessitate coactus ad eum ordinem venerat, differenter sentientibus hominibus, & his quidem dicentibus Anthropotocon, idest, hominis Genitricem MARIAM nominari, illis autem Theotocon, id est, Dei Genitricem. Vt ne igitur in altero duorum peccaret, aut connectentibus, aut procedente altera ei partium altera priuaretur, Christocos excogitauit vocem. Hæc ex illis præambulis. Ex quibus verbis palam est, titulum Virgini inter omnes excellentissimum, nempe, hoc nomen Dei Genitrix, detrahere Nestorium laborasse. Id in quod proteruus cœpit, ad metam perducere non potuit; obstitit enim illi Concilium Ephesinum. Quod etiam simili modo Erasmum damnat, qui eandem blasphemiam iam natam ab inferis suscitauit. Et vtinam id ante feciſſent de Erasmo sui temporis Episcopi, & Sacerdotes, quod olim de Nestorio orthodoxos Patres in illo tempore fecisse legimus. Vtinam ita accerrimè à nostri temporis Præsulibus Erasmo fuisset contrauentū, quemadmodum Nestorio ab antiquis contractū esse ostendit Epistola Concilij Ephesini ad Nestorium, sic habens. Cùm Saluator noster apertè pronunciet: *Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus, & qui diligit filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Quid nos faciemus, qui deposcimur à tua Religione, vt te super Christum, Saluatorem omnium, diligamus? Quid enim nobis in die iudicij proderit, aut quam satisfactionem reperire poterimus, propter tam diuturnum silentium de prolatis à te contra eum blasphemijs? Et siquidē te tantummodò læderes, docens ista, vel sentiens, solicitudo nobis minor existeret. Cū verò totam scandalizaueris Ecclesiam, & fermentum insolitæ prauitatis, & nouæ hæresis miscueris in populis, nec tantùm ibidē positis, sed vbique consistentibus (nam tuarum expositionum libri per cuncta vulgati sunt) pro nostro silentio quæ ratio vltra, vel excusationis sermo sufficiat? Aut quomodo non necesse sit, meminisse Christi Domini, sic dicentis? Non putetis, quòd venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium, Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersùs matrem suam. Nam cùm læditur fides, parentum reuerentia velut inutilis, & periculosa despicitur, & amor erga filios fratres què vitatur. Ad postremum etiam super ipsam vitam mors potiùs à pijs viris eligitur, *vt meliorem resurrectionem* (sicut scriptum est) *consequantur*. Hactenus Epistola Concilij Ephesini ad Nestorium. Vbi vides orthodoxos Patres pœnituisse tam diutini silentij, quòd non ante. Nestorij blasphemijs obstiterant. Vides etiam in casu hæresis nulli parcendum, nec parenti, neque filijs, nec vitæ propriæ, sed Christo Domino, & Ecclesiæ Catholicæ adhærēdum, & potiùs mortem eligendam, quàm vt hæresi consentiamus. Et non animaduertitis, quot retro annis libri Erasmi in manibus puerorum, Magistrorum, Doctorum, cùm inuniuersalibus, tum in particularibus Scholis, imò & in aulis magnatum, & in gremijs dominarum, & in angulis cerdonum, & in sinum mulierecularum gestarentur, etiam in linguam vulgarem, quod peius est, translati. Et præferuntur non dico iam Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, Sancto Bonauenturæ, Sancto Thomæ Aquinati, sed & Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus. Venerunt ad manus hominum in vestimentis ouium, circunlatis sermonibus, circumfusoque nitore vestiti, & intrinsecùs sunt lupi rapaces. Cœpit tam peruersa doctrina animis hominum subrepere, & quasi ventus vrens vineam Domini Sabbaoth desiccauit. Atat hinc illa tanta indeuotio, hinc illa tam paucula, vel nulla ad cultum diuinum affectio. Hinc illud odium in viros Ecclesiasticos. Hinc illa tam dira cupiditas in laicis, bona Ecclesiæ rapiendi. Hinc illa tam rara atque parca eleemosynarum largitio. Hinc illa contemptus ieiuniorum ac delectus ciborum. Hinc illi hæretici in Hispania combusti. Era ergo Antistites Ecclesiæ, surgite super gregem vestrum, amouete dominicas oues à pascuis venenosis, &

*Matt.* 10

ve-

venienti occurrite morbo. Præcipite, ne Erasmi codices amplius venundentur, ne plures inficiant oues, & ne corda fidelium præparent, ac disponãt ad Lutheranas hæreses imbibendas, quemadmodum, & antehac factitarũt. *Nec* enim alia de causa Paulus huius nominis Pontifex Quartus omnia Desiderij Erasmi opera prohibuit, ne amplius venalia haberentur, aut retinerentur. Respicite, & leuate capita vestra ad antiquos illos Episcopos, qui Nestorium cum suis libris damnauerunt. Tollite è medio fideliũ hunc blasphemum Nestorianum, quod antehac factum oportuit, nũc tandem necesse est fieri, qui tot blasphemias in gloriosam Virginem MARIAM, quæ est Mater Dei, & aduocata nostra, inuerecundè coniecit. Detrahendi sunt (inquit) hi tituli beatæ MARIÆ. Nunquam nominetur, Virgo, Mater Dei, Stella maris, Regina cæli, Domina mũdi, Portus salutis. O effrænatã, & indomitã rabiem Satanæ! quod per os pollutũ Nestorij efficere publicè non potuit, id insinuare, atq; animis hominum inseminare per fucatam Erasmi loquacitatem, quasi resumptis viribus proteruè conatur, non secus ac vulpes, quæ cæsa fustibus, è simulata morte reuiuens, gallinas clam aucupatur. O miserum genus hominum, quorum vel sublimia ingenia per vnum verbosum hominem diabolus offuscauit! An nescitis illud Catonis? Fistula dulce canit, volucres dum decipit auceps. An non intelligitis, vt vos irretire, atque in nefandas minimeque dicẽdas blasphemias de Virgine glorioſa teterrimus Satan præcipitare per vnum hominem procurauit? O insensati, quis vos fascinauit? *Sed frustra iacitur rete ante oculos pẽnatorum*, qui noctu diuq; honore semper Virginis MARIÆ seruando inuigilant. Agedum, dic tu causã tuam, quare illos titulos beatæ Virgini detrahendos putasti? Quia talibus (inquis) titulis homines blandiuntur ipsi Virgini. O ridiculum caput, quasi esset locus adulationi in gloriosam Virginem. Adulatur enim quis alicui personæ, cùm ipsam laudat de opere, quod est lethale peccatum, vel ea intentione, vt tali personæ nocumẽto sit laus, vel vt illi occasionem peccandi sua præbeat laude. At beatæ MARIÆ nec peccatum vllum infuit: nec noceri potest super choros Angelorum exaltatæ, nec labendi in culpam offerri ansa vlla quibit ei, quæ ab instanti primo suæ conceptionis confirmata fuit in gratia: & nunc iam perfruens omnipotẽti Deo, stabilitam, & immarcescibilem coronã gloriæ possidet. Nec blandiendi causa illos titulos ei tribuunt Catholici, sed ipsam, quibus possunt, euehũt præconijs. Sic enim mater nostra Ecclesia decantat. Sãcta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferã

*Prouerb. 1. cap.*

A nescio: quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Et alibi. AVE Maris Stella, AVE Stella matutina, AVE Regina cælorum, AVE Domina Angelorum. Sicut Angelus dixit ei. AVE gratia plena, Dominus tecum. Non enim Angelus Virgini blandiebatur, sed eandem adorauit, quam mox filium Dei concepturam recognouit. Et ob id Portus salutis dicitur, & felix cæli Porta laudatur. De qua Propheta Ezechiel dixit: *Vidi portã in domo Domini clausam: & dixit Angelus ad me: Porta hæc quam vidisti, non aperietur: & homo nõ trãsibit per eam: quoniã solus Dominus intrat, & egreditur per eã, & clausa erit in æternũ.* Quod

*Ezech. 44.*

B exponens Augustinus inquit. Mirabilis Prophetæ visio, sed mirabilior prophetiæ adimpletio. Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quòd Virgo MARIA semper erit intacta? Et quid est: homo non transibit per eam, nisi quòd Ioseph non cognouit eam. Et quid: est solus Dominus intrat, & egreditur per eam, nisi quòd Spiritus Sanctus imprægnauit eã, & Dominus Angelorũ nascitur per eam? Et quid est: clausa erit in æternũ, nisi quia MARIA Virgo est ante partũ, & Virgo post partu Virgo in partu? Dicat ergo MARIA, Porta facta sum cæli, Ianua facta sum filio Dei. Hæc August. Si igitur MARIA Porta facta est cæli, & ianua filio Dei,

C quem concepit, & peperit, & semper Virgo permansit: quomodo tu Erasme tolles ab ea hos titulos, id prætẽdens, vt non nominetur Virgo, & Mater Dei? Certè non solùm Nestorianæ hæresi consentis, sed etiam cum Photino hæretico sentis. Contra quem beatus Gregorius hos titulos Virgo, & Mater Dei beatæ MARIÆ tribuens, inquit. Mediator quippe Dei, atque hominum homo Christus IESVS, non sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in deitate est, non purus homo conceptus, atque editus, post per meritum, vt Deus esset, accepit. Sed nunciante Angelo, & adueniẽte Spiritu mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cũ Spiritu Sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera, vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula, temporalis posset esse in fine sæculorum: vt per ineffabile Sacramentũ, conceptu Sancto, & partu inuiolabili, secundùm veritatem vtriusque naturæ, eadem Virgo, & ancilla Domini esset, & Mater. Quippe ei ab Elisabeth dicitur. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Et ipsa Virgo concepiens, dixit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hæc Gregorius. Ex quibus verbis colligitur tum malè Photinum sensisse de Conceptione Christi, quẽ

*Lucæ. 1.*

pu-

purum hominem primitus conceptum in vtero Virginis, deinde meruisse grandiorem effectum Verbo hypostaticè vniri, hæreticus affirmabat: cui suffragatur Erasmus, Matrē Dei Beatam MARIAM vocari debere pernegans, tum sanctum Gregorium & hæretici blasphemiam refutasse, & gloriosam Dei genitricem his titulis: Virgo ancilla Domini, Mater Dei, condecorasse. Beatus etiā Bernardus non quidem adulatoriè (vt mentitur Erasmus) sed reuerenter, cùm in multis suis locis, tum verò in secundo sermone de festo Pentecostes, gloriosam Virginem exornat, exaltatque titulis, quos ille proteruus censuit detrahēdos. Operatus est Dominus (inquit Bernardus) salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicèt Virginis MARIÆ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascērur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, vt reficiantur, qui in inferno, vt eripiātur, qui prædecesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur: qui sequuntur, vt glorificentur, & Beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli. Omnes inquā generationes. Sunt enim generationes cœli, & terræ. Pater spirituū (ait Apostolus) *Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Ex hoc ergo Beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inueniunt in æternum. Meritò in te respiciūt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotētis quicquid creauerat, recreauit. Hactenus Bernardus. Ecce quàm deuotè, quàmque reuerenter gloriosam Virginem MARIAM, alloquebatur vir sanctus: Ecce titulus genitrix Dei, Domina mūdi, Regina cœli, deiparæ, præclatæ, attributos, vt confundantur superbi, & iniqui, ita, vt non sint. Discite ò miseri reuerētiam exhibere Beatæ MARIÆ dictis, factis, genuflexionibus, & titulis, alijs què, quibus eam Catholica, & sancta Mater Ecclesia quotidie venerari non cessat. At si vultis de his pleniùs edoceri, legite Hieronymum Augestū in suo propugnaculo Virginis in Antimarianos.

*Ephes. 3.*

## ERROR 10.

***MARIAM Virginem comparare Veneri, quasi illi fictioni Poeticæ Deiparæ succesſſerit in agenda cura nautarum, irreuerentia est temeraria in Matrem Dei apud Erasmū, in colloquio Naufragium.***

A Assertio Catholica.

VNVM, & item alterum naufragium facienti valde timendum est, vt toties sūmersus, enatare queat Gloriosa Virgo MARIA facta est nobis quasi *nauis institoris, de longè portans panem viuum, qui de cœlo descendit*: Et hanc fregit semel Erasmus in præcedenti sua temeritate, quoad eius fieri potuit: cum alijs hunc quoque titulum Virgini subtrahendum putans, quò minùs Portus salutis ea quæ salutem attulit mundo, nominanda foret. Iterum autem nauigium contriuit, qui secūdam tabulam post fractionem primæ collisit. Noua enim excogitata contumelia affecit Dei genitricem, Veneri eandem comparando, tant ū abest, vt prioris istum iniuriæ pœniteat. Vnde tibi, o Erasme surrepsit, vt Matrem Dei Veneri cōferres? *Quæ enim* (vt inquit Apostolus) *participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras?* Aut quæ pars fideli cū infideli? Qui autē cōsensus Tēplo Dei cū idolis? Beata MARIA schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, iustitiæ regula, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, fidei disciplina, totius probitatis exemplar, & Tēplum Dei sanctum, & hæc tanta comparatur ab Erasmo corruptioni? Quid dicam de Venere? Venus amorum ficta Dea, prostibulū vitiorum, lupanar viuentium, libidinis incentiuum, teneræ cupiditatis fomentum, iniquitatis præcipitium, turpitudinis accessus, impudicitiæ nomen, stuprum nefandū, idololatriæ fanum, & omnium flagitiorum sentina. Et istam vel nominare audet Christianus? Quæ est ergo participatio iustitiæ Virginis cum iniquitate Veneris? Gloriosa Virgo, vt lux meridiana clara, quæ omnes sanctos superat pietate, & Angelos vincit puritate, cœlorum candor, orbis splendor *quasi aurora consurgens, pulchra, vt luna, electa, vt sol.* Venus, tenebræ quæ erant super faciē abyssi, quæ omnes peccatores obcæcat, polorum nubilum, mundi caligo, quasi nox emergens, fœda atque despecta. Quæ ergo societas, & similitudo lucis MARIÆ ad tenebras Veneris? MARIA Virgo Mater Christi Dei & hominis: Venus vna ponitur Mater Æneæ Troiani. Nam Poetæ tres ponunt Veneres: prima fingitur filia cœli, & diei, quam ex Ioue vel Bacco mentiuntur genuisse cupidinem, & gratias. Alteram ex virilibus cœli natam fabulantur: nam Saturnus (vt aiut) cælo patri suo amputauit virilia, quæ in mare proiecta, & fluctibus agitata, spumam (vt fingunt Poetæ) fecerunt, de qua nata dicitur Venus, quæ ob id Aphrodite vocatur. Tertia Venus fuit Iouis, & Diones filia, mater Ænæe Troiani. Cuicumque istarum Beatam MARIAM compares, quę com-

*Prouerb. vlt. c.*

*Ioan. 6.*

*2. Cor. 6.*

*Cantic. 6.*

conuentio est Matris Christi ad Belial? Quæ proportio tantæ celsitudinis ad nihil? Nam scimus quòd idolum nihil est. Aut quis consensus Virgini MARIÆ Templo Dei cum idolis. Aut quomodo dicis Erasme Veneri successisse Beatam MARIAM in agẽda cura nautarum? An vnquam nauigantibus opitulari potuit Venus, quæ nihil est? fabulæ, logi, gerræ, figmentum vaniloquorum Poetarũ est: *Simulachra enim gentiũ argentum & aurum, opera manuũ hominũ.* Os habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant, qui faciũt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Quomodo periclitantes videbat inter procellas maris Venus, quam oculos, vt cernat, non habere dicit Scriptura Sacra? Quomodo inuocantes nautas in naufragio exaudiet, quæ nõ habet aures ad sentiendum? Idola gentium, quid aliud erant, quàm opera manuum hominum? Fortè in exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, quãdo sicco pede transierunt Hebræi rubrum mare, domino mirabiliter aquas diuidente, & submersi fuerunt Ægyptij, inuocare potuerũt sua, quæ colebant, idola, nihil tamen illis pereuntibus auxilij dedere. At Dominus, quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. *Donec petrãsieret populus tuus Domine, donec per transieret populus tuus iste, quem possedisti. Quid est tibi mare quòd fugisti? Et Iordanis, quia cõuersus es retrorsum? A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob, quia Deus noster in cœlo, omnia, quæcùmque voluit, fecit.* Non igitur Veneri cura fuit vnquam nautarum. In hoc enim Erasme perinde ac si ethnicus esses, non minùs aberrasti, quàm in eo, quòd Veneri successisse Beatam MARIAM in agẽda cura nautarum impudico ore protulisti. Deus enim verus ab initio mundi quos condidit, gubernat; quos veri Dei cultores fideles nouit, in periculis constituros respicit, & clamantes ad se ab ærumnis, & calamitatibus, quas patiuntur, potenter eripit. Nam qui eripuit *Enoch* & Eliam è mortis faucibus, eosdemque in terrestri paradiso collocauit, quo usque ipse velit, superuicturos, Deus est. Qui eripuit *Noe* ex inundantium aquarum diluuio, Deus est. Qui eripuit *Loth* è Sodomorum flammis, Deus est. Qui eripuit *Moysem* populumque Israeliticum è Pharaonis Ægyptiorũ Regis tyrannide, Deus est. Qui eripuit *Danielem* in lacu existentem è leonum fame feroci, Deus est. Qui eripuit *tres pueros* è medio fornacis ardentis Nabuchodonosor iussu iactatos, Deus est. Qui eripuit *Dauid* Regem è manu Saul persequentis, Deus est. Qui eripuit Principes Apostolorum, *Petrum & Paulum* è pelagi carceriũq; periculis, Deus est. *Quis ergo similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens miribilia?* At verò quia infirma huius mũdi elegit Deus, *vt fortissima quæque confunderet*, mirabilia quoque per sanctos suos operatur, tum vt fidem catholicam ab Apostolis, alijsque Euangelizatã suo ipse omnipotens cõprobet testimonio, quod est miraculum verum. Profecti (inquit Marcus) *prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonẽ confirmante sequentibus signis.* Tum vt excellentia sanctitatis eorũ, à quibus Deo seruitur, soli creatori notæ, omnibus sit in propatulo. Quo fit vt eum qui aliquem sanctum inuocat, sæpè eius intercessione è magnis infortunijs miraculosè erutum videamus. Non eò, quòd sanctis innata sit potentia operandi miracula, sed ex eo, quòd omnipotens Deus per ipsos mirabilia facit. *Qui credit in me* (inquit Christus) *opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quod certè multò frequẽtiùs facit omnipotens Deus per gloriosam Virginem MARIAM; cuius interuentione ipsam diligentes & inuocantes à quibusuis periculis, siue in mari, siue in terra, superueniẽtibus indesinẽter liberat. Ideò sancta Mater Ecclesia quotidie supplicat Virgini, dicens; Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed à periculis cũctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta. Abscinde igitur Erasme illam è corde tuo blasphemiam. Noli credere Venerem, idolum, curam aliquando habuisse nautarum; quamuis hoc illi datum mentiantur Poetæ; quia *omnes Dij gentium dæmonia, Dominus autẽ cœlos fecit.* Et Domino cura est de nautis; quia *mare & venti obediunt ei.* Lege Lactantium Firmianum; & hoc antidoto tantæ pesti facilè medeberis. Noli credere sanctos idola esse, vt blasphemi Lutherani comminiscuntur. Noli tam irreuerenter loqui de venerabili Matre filij Dei. Noli credere MARIAM Virginem, hæredem Veneris. Sed crede ipsam Dei Genitricẽ, Dominam mundi constitutam à Deo. Crede ipsam periclitantibus præsto esse, vt inuocantibus eam impetret à filio salutem & incolumitatem, Crede ipsam, siue ægritudine, siue naufragio, siue alio quouis infortuniorum genere laborantes, supposito Diuino beneplacito, sospites redditurum.

Sed iam tempus est, vt radicem huius tãti erroris, in quem Erasmus sese præcipitem dedit, inuestigemus; atque viam ostendamus

*Psal.* 113 — *Exod.* 15 — *Psal.* 113 — *Genes.* 5. c — *Eccles.* 44 — 4. *Reg.* 2. cap. — *Genes.* 7. & 8. — *Genes.* 19. — *Exod.* 14. — *Danie.* 14 & 3. — *Exod.* 15. — *Marc.* 6. vlt. — *Ioan.* 14. — *Psal.* 95. — *Matt.* 8.

mus, qua gradiens in foueam cecidit iste; ne & posteri in eandem cæcutientes inopinatò incidant; neve simili naufragio præter opinionem intereant. Et certè consideranti mihi, vnde potuit errorem tã à Christiano viro alienũ contraxisse Erasmus, illa, quæ multos pari contagione infecit, causa se obtulit, continua ac incircunspecta librorum hominum Gentilium lectio, cui à teneris annis assiduus indiscretè incubuit. Nam quòd hoc negotium potentissimum sit ad inducendos lectores incautos in errorẽ, ex eo palàm est; quòd pleraque apud authores ethnicos legimus, quæ fidei Catholicæ, & moribus, verisquè virtutibus directè repugnant. An non Epicurus fidei aduersatur, hominis felicitatem in voluptate constituens? Hac sola ratione ductus, quòd illam (vt ipse inquit) appetant pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit? An non & qui diuitias, & qui honores summũ bonũ esse dixerũt, & Aristoteles, qui hos & illos confutauit, beatitudinem in præsenti vita habendam ponẽs, Euangelicæ veritati cõtradixerunt? Sed certè suo gladio ipsum percutimus Aristotelẽ, qui pluribus in locis fatetur eum, qui miseriam patitur, aut aliquo indiget bono, non esse felicem, sic argumentantes. Felicitatem omnes appetunt, est ergo naturalis hic appetitus; & inde sequitur, talem appetitum non esse inanem. Nulli autem (vt res ipsa indicat) in hac vita, quã in numeris experimur esse plenam miserijs, Beatitudinem assequũtur. In alia igitur vita est illa speranda. Et si hic Philosophorum maximus tam miserè circa felicitatem errauit; quid de alijs multò minoribus sperandum erit? Ideo meritò Salomon de Philosophis loquens ait. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Quæ verba interpretans Hieronymus in commentarijs super Ecclesiastem inquit. Lege Platonem, Aristotelis reuolue versutias, Zenonem, & Carneadem diligentiùs intuere, & probabis verum esse, quod dicitur, labor stultorum affliget eos. Veritatem quidem illi omni studio quæsierunt; sed quia non habuerunt ducem itineris præuium, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad ciuitatem minimè peruenerunt, de qua in Psalmo dicitur. *Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum dissipabis.* Omnes enim vmbras, & diuersas imagines, atque personas, quas sibi in varijs dogmatibus induerunt, in vrbe sua Dominus dissipauit; de qua & alibi scribitur *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Hæc Hieronymus. Et aduerte ciuitatẽ Dei hic Ecclesiam Catholicam intelligi, quam Spiritus Sãctus impetu fluminis, hoc est, donis charismatum ditans regit, facitque, vt omnes fictiones Gentiliũ, qui in vrbem cœlestem Hierusalem pergere nescierunt, per Ecclesiæ sanctæ doctrinam dissipentur, Hic circa fidem error. At de virtutibus & vitijs tractantes Philosophi multos alios docuerunt. Nam fornicationem simplicem nullus illorum damnauit. Alij, ex quibus est Aristoteles, & si felicitatem in diuitijs non collocauerunt; plùs tamen illas ad virturem prodesse posse, quàm paupertatẽ tradiderunt. Et credo certè inde suam hæresim traxisse Vigilantium, Ioannem Vuiclephũ, & Ioannẽ Hus dicentes, paupertatem voluntariam nullius prorsus esse apud Deum meriti, cùm tamen ipse veritatis Magister, & Saluator nosterdixerit adolescenti cuidã. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & sequere me.* Matt. 19. Alij videlicèt, Stoici, ex quorum factione fuit noster Hispanus à Corduba ciuitate, Seneca; & quos in hac parte sequitur Cicero in Paradoxis, docent omnia peccata esse paria, nec vnum alio esse grauius. Quæ documenta quis non videt, iuxta veritatem Euangelicam ab assecutione felicitatis æternæ, quam illi cæcutientes quærebant, homines omnino auertere? Sed missos faciamus Philosophos, qui & si in multis errauerunt, multa tamen alia vera & honesta de virtutibus docuerunt; in quorũ Philosophorum doctrina, aut nihil, aut parum Erasmus fuit versatus. Quamuis enim in libello de modo studendi, docens, qui authores sint pueris prælegendi, dialecticam censeat ab Aristotele discendam, non à Sophistarum genere huius temporis, profectò ipse Aristotelem minimè sapit; & satius illi fuisset saltem à Sophistis, quos ipse fatuè despicit, Logicã didicisse. Et ingenuè fateor me vidisse quosdam soli textui Aristotelis se operam dedisse iactitantes, qui vel vnum enthymema formare nesciebant. Hos nimirum & oleum & operam (vt aiunt) perdidisse ridiculus eorum argumentandi modus, vel ipsis inuitis, non sine magno dedecore ostendebat. Quos verò Sophistas appellitare solet Erasmus, & id quidem non alio animo, quàm vt iuuenibus hoc probro dialecticam reddat exosam; quò magis eos ab studio & Logices & Theologiæ scholasticæ detereat; & sic deliberiùs suos possit errores seminare atque coalere, nullo contradictore reperto, non Sophistæ, sed Aristotelici dicendi sunt, qui verborum quædam inuolucra Aristotelis elucidarunt; ita quòd ipsam Aristotelis doctrinam breuiùs & clariùs tradiderunt. Nam quod vix decennio didiceris per textum Aristotelis, triennio in schola nostratium Dialecticorum & Philosophorum ad vnguem noueris. Et quia Dialecticam & Philosophiã non gustauit Erasmus, non parua fuit illi in errores labendi ratio. Iam igitur ad poetas Gentiliũ veniamus publi-

blicos omnium virtutum hostes, & omnium vitiorum acutissimos & diligentissimos subornatores. Vix enim vllum fuit vitium, quod nō fuerit summopere à Poetis laudatū. Quoniam nulla maior potuit dari vitijs laus, quam illa Dijs suis tribuere, quos oportebat esse summè bonos, & omnium virtutum parentes & alumnos, si veri Dij essent. Cùm autem hæc Dijs inesse dicunt, quæ nullus homo sapiens pateretur de se dici, eo ipso hominibus persuadent, vt eadem faciant, quæ Deos fecisse audiunt. Nam exempla maiorum multū ad persuasionem valent. Quòd si exempla hominum mouere possunt aliorum animos ad vitia, aut virtutes, luce clarius est, id posse multò faciliùs præstare exempla Deorum. Nec solis exēplis ad voluptates & lasciuias lectorum animos prouocant Poetæ, sed etiam verbis, quæ tanto animo affectant esse obscœna, & turpia, vt Poeta ab illis non censeatur, qui verba pudica habet. Qua propter Plato grauissimus Philosophus censuit Poetas esse procul à bona ciuitate abigendos, ne suo cōmercio totam prorsus inficerent vrbem. Porrò sicut mores vitiatos habent Poetæ Gentiles, ita etiam fidē Catholicā aperte oppugnant. Deum enim trinum & vnū non agnoscunt; sed multos secumque pugnantes Deos adorant. Deum omnium creatorem non intelligunt, quia ex nihilo nihil posse fieri credunt; & ita mundū sine principio fuisse, & sine fine futurum esse docent. Deum etiam bonorum remuneratorem, malorumque punitorē maior eorum pars ignorat. Humani generis casum & perditionē, illiusque originē, neque vnquam cogitarunt; ac proinde illius reparationem per Christum Saluatorē nostrū factā intelligere non valēt. Deū pro nobis è cœlo descendisse, humanāque sumpsisse naturam, & in illa pro nobis famem, sitim, dolores, varioque corporis cruciatus, mortem denique in ligno Crucis pro nostris pertulisse peccatis, non solùm non credunt; sed eos qui talia docent, & prædicant, stultos esse putant. *Prædicamus* (inquit Paulus) *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalū, Gentibus autē stultitiā.* Hæc & alia multa Christianæ Religioni aduersantia apud Gentiles & prophanos Scriptores deprehendimus; qui fidem Catholicam, partim ignorant, partim oppugnant, irridentque. Est adhuc in libris Gentilium, & aliorum prophanorum hominum aliquid aliud falsæ illorum doctrinæ adiunctum, eloquentia scilicet, quæ illis magnas ad nocendum vires præstat. Nam ea de quibus differit, non ruditer, & impolitè tractāt; sed magno artificio poliunt; & magna verborum elegantia exornant, adeò, vt si res ipsæ, quas tractant, animos legentium fortè deterreant, ipse splendor orationis & verborum ornatus allicere valeat. Et inde euenit; vt doctrinæ venenū tanta verborū dulcedine permixtū eò faciliùs incautis nocere possit;

1. Cor. 1.

A quò libentiùs ab illis bibetur; cū illi non quid intus lateat, sed solā exteriorē verborū dulcedinē considerēt. Paulus hāc eloquentiæ vim, & potestatē optimè agnoscens, admonet fideles, vt diligenter attendāt, ne incauti ab illa decipiantur. *Videte* (inquit) *ne quis vos seducat in sublimitate sermonis.* Nouerat quippe Paulus illā sermonis sublimitatem esse potentissimā ad quiduis persuadendū. Ne quis igitur causetur se per sublimitatē sermonis à Christo Saluatore nostro, aut ab Apostolis eius fuisse deceptum; ideò Christus Saluator noster noluit doctrinā Euangelicā in multo otationis ornatu constituere. *Sed thesaurū istū* (vt alibi Paulus ait) *in vasis fictilibus posuit*, vt sublimitas sit virtutis Dei. Qui autē vilibus pannis inuolui permisit; idem etiā humilibus verbis à suis prædicari voluit. Et ideò non politos Oratores, aut artificiosos Rhetores, aut vehementes disputatores in Apostolos assumpsit; *sed quæ stulta sūt mundi* (vt idē Paulus ait) *elegit, vt sapientes cōfunderet.* Quantū autē possit Gentilium Scriptorū eloquentia viro Christiano nocere, occasione sumpta, ex figura veteris Testamēti, apertè declarat Origenes Homil. 2. super Ieremiā, vbi exponens illud eiusdem Ieremiæ. Calix aureus Babilon in manu Domini inebrians omnē terram; sic ait. Intelliges autem calicem aureū in præsenti nominatum, si animaduertas pessimorum hominū verba mortifera, qualē habeāt compositionem, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum diuisionem, cognosces quomodo vnusquisque Poetarum, qui putantur apud nos disertissimi, calicem aureum temperauit, & in calicem aureum venenum iniecerit idolatriæ, venenum turpiloquij, venenum eorum, quæ animam hominis interimunt, dogmatum, & venenum falsi nominis scientiæ. Hæc Origenes. Et Beatus Hieronymus in Commentarijs super Ionam Prophetam circa finem tertij capitis de eloquentia Gentilium loquens, hæc ait. Quid valeat apud homines seculi eloquentia & sapientia, testes sunt Demosthenes, Tullius, Plato, Xenophon, Theophrastus, Aristoteles, & cæteri oratores, ac Philosophi, qui velut reges habentur hominum, & præcepta eorum, non vt præcepta mortalium, sed quasi oracula accipiūntur Deorum. Et multis interpositis, postea subdit. Vnde & de Babylone in Ieremia dicitur. Calix aureus Babilon inebrians omnem terram. Quem non inebriabit eloquentia secularis? Cuius non animos compositione verborum, & disertitudinis suæ fulgore perstrinxit? Hactenus Hieronymus. Ex dictis palàm colligitur, assiduam, & incautam Gentilium Scriptorum lectionem potentissimam esse causam labendi in errores. Hoc proculdubio malum, vt Gloriosam Dei Genitricem Veneri comparandam irreuerenter duceret Erasmus, inde illi euenisse constat, quòd à teneris annis fuit circa

2. Cor. 4.

Poetas, & Oratores, tam Græcos, quàm Latinos diu versatus, à quibus tantam dicendi libertatem accepit, vt quicquid placeret, statim in publicum effudisset. Quis non agnoscit in illo Luciani libertatem omnium irrisionem, & subsannationem? Adeò Luciani mentem, & stylum imbibit, vt à multis etiam suæ nationis hominibus Atheos hoc est sine Deo, quemadmodum Lucianus, appellatus sit. Vir quidem fuit optimo ingenio à Deo donatus, ac proinde felix, si sua forte cõtentus fuisset, & ea sola tentasset, quæ suis viribus erat paria. Sed post virilẽ ætatem, quam fermè totam Poetis, & Oratoribus dederat, ad sacras literas, quas sine magistro præuio didicerat, interpretandas accessit. Et in illarum interpretationibus, & adnotationibus multa inseruit, quæ si præterijsset, multò consultiùs egisset. Quonia ex calcaria in carbonariã (vt aiunt) incidere, hoc est, ex Poetarũ aliorumq; Gentiliũ lectione, in Hæreticorũ Codicum futiles, ac vaniloquas extorsiones, atque adulterinos sensus scripturæ Sacræ debacchari, vt sua in diuina volumina locupletaret cõmenta, fuit isti scriolo, iniquis spatijs incluso, necesse. Quò enim se verteret, vt noua, ac placitura hominibus scriberet super scripturam Sacrã, nisi ad Hæreticorum venena eleganti verborũ lenocinio sapida, nesciuit. De Martino Luthero, qui hac nostra ætate prodijt, non est cur putemus eũ à lectione Gentiliũ Scriptorum suarum Hæresum venenũ hausisse. Nã cũ primum ille suas Hæreses, aut verbo, aut scripto effũdere cœpit; nihil prorsus Græcè nouerat, Latinè parum, vt priora illius scripta indicant. Et suas Hæreses non linguarũ peritia, sed Dialectica, & Sophisticis quibusdam argumentationibus tuebatur, cùm tamẽ ipse omnibus Scholasticis Theologis hoc exprobret crimen, eos omnes Sophistas appellans. Multi tamen alij se Lutheranę sectæ inseruerũt, quos nõ dubito multũ nocumẽti ex lectione Gentilium Scriptorũ sumpsisse ad Hæreses facilè susciendas. Certè Philippus Melanchthon vir est vtriusque linguæ Græcę, & Latinæ callentissimus, & in literis, quas vocãt humanas, valdè eruditus, & longa Gentiliũ Philosophorũ lectione (vt scripta illius indicant) nimis occupatus. Vnum tamẽ in illo valde admiror, quomodo potuit arbitrij libertatẽ negare, cùm tantam in seipso experiatur dicendi libertatem, vt quicquid libuerit, nunquã reformidet docere, & quod semel placuit, adeo sibi postea displicere senserit, vt non fuerit veritus reuocare. Alij sunt apud Lutheranos, pauciss imi tamen, similes Philippo Melanchthon, qui ex lectione Poetarũ, & aliorũ Gentiliũ, Oratorum, & Philosophorũ, plurimũ veneni sumpserunt. Caluinus autem Lutheranorum Achilles, qui nouam scholam instituere conatur Lutheranæ sectæ, velut alter Sergius Machometici Alchorani compositor, plura ex libris Hæreticorum olim iam ab Ecclesia damnatis, quàm ex Gentilium Codicibus hausit. Erasmus verò velut egenus, vtrique emendicauit ea, quibus varios implendo tractatulos, ingeniũ ostẽtauit. Ecce fontem ostendimus, venamque aperuimus, vnde ebibisse potuit Erasmus hanc iniuriam, & irreuerentiam temerariam Gloriosæ Virgini MARIÆ irrogatam, qua eam Veneri conferendam existimauit. Quod malum illi attulit assidua, & incauta profanorum scriptorum lectio. At quispiam obijciet, me velle homines in Scillam inducere, dum Charybdim vitandam præmonstro. Nam sicut assidua, & indiscreta profanorum librorum lectio multarum potest esse Hæresum causa; ita è contrario, omnino à libris Gentilium abstinere, multas poterit Hæreses generare. Quoniam scientiæ liberales, quæ vix ab alijs, quàm à Gentilibus Scriptoribus disci possunt, sunt ad Sacræ scripturæ intelligentiam adeò necessariæ, vt illarum ignorantia multas valeat Hæreses procreare. Sicut re ipsa comprobatum est, pleraſque Hæreses ab illa processisse. Est enim inprimis necessaria Grammaticæ cognitio, & nõ leuis, sed consumata, vt sciat iuuenis plenam vocum significationem, & illarum cõpositionem, & structuram. Ex cuius rei ignorantia cõstat, multos in varias Hæreses fuisse lapsos. Eluidius, eò quòd ignorauit vim, & potestatem harum vocum, Primogenitus, Ante quam, & Donec, aduersus puritatem Sacratissimæ Virginis blateravit, dicens, illam non fuisse perpetuò Virginẽ, sed post Christum natũ, fuisse à Ioseph Sponso cognitam. Manichæi omnes ex ignorantia diuersitatis harum præpositionum, Ex, & De, dixerũt Deũ de substantia sua produxisse animas nostras. Dialectica sæpè est in Sacris litteris necessaria. Quoniam illa est quæ diffinitionum, diuisionum, & consequentiarum formam præscribit, sine quarum rerum notitia vix vlla potest grauis scriptura plenè intelligi. Ex ignorantia, aut fortè inaduertentia huius disciplinæ, multi magni nominis viri in vera Sacræ scripturæ intelligentia errarunt. Origenes non bene aduertens quomodo sint intelligendæ multæ vniuersales eloquutiones, quæ sunt in Sacra scriptura, dixit omnes homines tandem fore saluos, motus ex aliquibus locis Sacra Scripturæ malè ab eo intellectis. *Effundam* (inquit Deus per Ioelem Propheram) *de spiritu meo super omnem carnem.* Et Paulus ad Rom. inquit. *Cõclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnia misereatur.* Quæ omnia, & siqua sũt alia, nõ ideò sũt dicta, quod Deus omnibus hominibus tandẽ parcet; & neminẽ perpetuò dãnauit, sed per Omnes, intelligit omnis generis homines, vniuersæ ætatis, vniuersi gradus & dignitatis, tam ex Gentilibus, quã ex Iudæis. In quibus locis illud nomen vniuersalitatis: Omnes (vt Dialecticorum more loquamur) nõ distribuit pro singulis

*Ioel. 2. c.*

*Rom. 2.*

lis generum, sed pro generibus singulorum Erasmus etiam Rotherodamus ex ignorantia Logicæ nõ intelligens vim argumẽtationis illius, per quã Christus Saluator noster aduersus Iudæos probat neminẽ posse rapere oues suas de manu sua, per hoc quod *nemo potest rapere de manu patris sui*, & per hoc quòd ille & pater vnũ sunt, errauit, dicens, in illis Christi verbis illam vocẽ, Vnũ, posse solã animorum vnitatem significare. Quæ vox, si iuxta illã significationem (vt Erasmus ait) illic caperetur, male Christus collegisset, & argumentatio nullius prorsus esset valoris. Sic enim argumentatur Christus. Nemo potest rapere oues de manu patris mei; ergo nemo potest rapere oues de manu, id est de potestate mea. Si quis neget consequentiam, probat dicens. Quia ego & Pater vnum sumus; vnũ inquã potestate, & natura, siue essentia, de qua tunc erat quæstio. At si de vnitate animorũ, & mutua benenolentia loqueretur, vt vult Erasmus Ariũ sapiens, quis nõ videt illam consequentiam esse prorsus inualidã? Ad hũc enim modum posset quis in gratia Dei existens argumentari. Nemo potest rapere hũc calamum de manu Dei, ergo nemo potest rapere hunc calamũ de manu mea. Si quis neget cõsequẽtiã, probabit; quia ego, & Deus pater vnũ sumus; vnum inquam vnitate animorum; quia *qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*. Cæterum hæc argumẽtatio nihil valet, si accipiatur vnum pro vnitate animorũ; quia & si rapiatur calamus de manu Petri, non protinus rapietur de manu Dei. Igitur nec illa cõsequentia Christi valida est iuxta dictam acceptionẽ, qua Erasmus accipit illa m vocem, Vnũ. Constat autem Christum bene fuisse argumentatũ, ergo non capitur Vnũ pro vnitate animorum, sed pro vnitate essentiæ, & potestatis, seu voluntatis, quæ est eadem in Patre & Filio & Spiritu sancto. Ideirco Erasmus in hunc errorẽ incidit ex ignorantia dialecticæ. Gentilium etiã historiarum notitiam esse summè necessariam ad Sacræ scripturæ intelligentiã, testatur Augustinus in lib de Doctrina Christiana; vbi ostendit aliquos ex illarum ignorantia circa Sacras scripturas errasse. Rerum quoque proprietates, & virtutes cognoscere oportet; vt inde mysticũ Sacræ scripturæ sẽsum, qui per similitudines rerum inuestigandus est, capere possimus harum tamen rerum notitiam soli Phisici docent; vt sunt Aristoteles, Theophrastus, Plinius, Dioscorides. Habent ergo libri Gentilium, sicut multa noxia, ita etiam multa vtilia & necessaria ad plenam Sacrarum scripturãrum intelligentiam. Non est igitur bonum, vt omnes Gentilium libri ab omnibus Christianis reijciantur; eũ multis sint necessarij, & possint, quotquot velint, multùm proficere ex illis. Et ita, cùm Erasmus sicut ex lectione Gentilium librorum, & Poetarũ hauserit errorem hunc, vt Beatã MARIAM Veneri cõpararet; ita ex

*Ioan. 10.*

*1. Cor. 6.*

A ignorantia Logicæ, quam ab Aristotelis Ethnici libris habemus, prædictã argumẽtationẽ Christi perperam intellexerit; alicui vicebor iuuenes conijcere in vnũ periculum errandi, nẽpe in ignorantiam aliquorum librorũ Gentilium, dum eos ab altero scilicet à lectione Ethnicorũ Auctorũ deterreo. Ideoq; respõdere me oportet ad propositã obiectionẽ, in qua dicebatur, nos incidere in Scyllã, cupiẽtes vitare Charybdim; hoc est tollentes vnã Hæresum causam, quæ est assidua lectio librorũ Gentilium, aliã causam tradere, quæ est ignorantia omnimoda eorumdẽ. Ad quod dico, fatendũ esse ex ignorantia quorũdam Gentilium Codicum nonnũ quam Hæreses pullulasse; quemadmodũ est in obiectione explicatũ; eo tamen inficias, me B dixisse, debere Christianos omnino abstinere à librorũ Gẽtiliũ lectione; sed abindiscreta, & incauta lectione eorũ necesse esse prorsus cauere. Id affero cõcedoq, cautã, circunspectã, & cõsideratam Ethnicorum Authorum lectionẽ esse vtilem & necessariã; & ita in medio tutissimus ibit lector. Cautelam autem cuplicem in legẽdis Gentiliũ libris seruari oportet. Prima est, vt obscœni Poetarũ libri, cuiusmodi sunt Catullus, Propertius, Martialis, & multa Ouidij opera, aliaq; id genus pueris minimè perlegãtur. Sunt enim libri tam lasciui, tã mollia verba in se cõtinentes, vt legentium, præsertim puerorum teneros animos facilè ad libidines & lasciuias flectãt. Quamobrem Lacedæmones, C referẽte Plutarcho, tragœdiarum & comœdiarum actiones districtè prohibuerunt; vt nec seriò, nec ioco quicquã repugnans virtutibus, eorum ciues audirent. Leges enim prohibent stupra, incestus, adulteria, raptus, dolos, iniurias, publicas inimicitias; quæ omnia Poetæ suis Dijs tribuere solent. Obhãc causam Archilochum Poetam, cùm in Lacedæmoniam venisset, eadem hora expulerunt, quia acceperant, illum in carminibus scripsisse, melius esse abijcere arma, quàm mori. Nec ab hac lege excludo illos libros, qui de mendacijs, & falsis amoribus in linguis vulgaribus scripti sunt; qui adeò legentibus placent, vt illos multis rerum seriarum & verarum scriptoribus præferãt. In D quibus id nunc euenisse videmus, quod Paulus futurum logè antè prædixerat. *A veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem cõuertentur.* Habent Virgilium, & Lucanũ multò modestiores, Horatium, Iuuenalem, & Persiũ vitiorum obiurgatores, & ex Christianis Iuuencum, Sedulium, Prudentium, Baptistam Mantuanum, Antonium Flaminium; ex oratoribus Gentilibus Ciceronem, Quintilianum, Plinium Iuniorem; ex Historiographis Titum Liuium, Sallustium: ex Christianis Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Ambrosium, & alios quamplurimos, quorum cathalogum hìc recensere non est opus. Certè pueros huiusmodi priùs imbui oporte-

*2. Tim. 4.*

ret vt posſea grandioribus effectis, vitia priori doctrinæ contraria displicerent. Altera cautela est, vt dogmata falsa, ac Religioni Christianæ aduersantia reijciantur, & ea eligãtur ex rebus in libris Gentiliũ contentis, quæ Catholicæ fidei ac sanctis moribus magis seruire possunt; aut quæ illis nõ sunt contraria, Hæc electio fiat primũ à præceptoribus, qui quoties aliquid fidei Catholicæ repugnãs deprehenderint in libro, quem interpretandũ susceperunt, discipulos suos velut cæcorũ ductores diligẽter admoneant, vt ab illo tanquã à periculosissimo præcipitio caueant. Quo ita facto opus esse constat ex Cõcilio Lateranẽsi sub Leone 10. celebrato; cuius verba sunt. Insuper omnibus & singulis Philosophis in Vniuersitatibus studiorũ generalium, & alibi publicè legẽtibus districte præ B cipiendo mãdamus; vt cũ Philosophorũ principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare nosceũtur, auditoribus suis legerint, seu explanauerint; quale hoc de mortalitate animæ, aut vnitate, aut mundi æternitate, ac alia huiusmodi teneantur, eisdem veritatẽ Religionis Christianæ omni conatu manifestã facere, & persuadendo proposse docere, ac omni studio huiusmodi Philosophorũ argumẽta, cùm omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resoluere. Hæc Cõciliũ Lateranense. Deinde ipsi auditores, aut qui per se sine magistro libros Gentiliũ lectitant errores deuitẽt, à prana doctrina tanquã à veneno abstineant; & ea sola quæ sunt aperta, & Religioni Christia- C næ conuenientia, recipiant. At quæ vel audienda, vel per se legenda, nõ inermes, sed galeatos, tripliciq; clypeo munitos accedere necesse est. Primo quidẽ, firmitate fidei, vt plus Sacræ scripturæ, & Ecclesiæ Catholicæ credere proponant, quam bismille Philosophis oppositam sententiã docentibus. Nam ob hoc solum animi propositũ sperandũ est in Deo, quòd nõ permittet illos à Gentilium librorũ lectione decipi. Altero verò, humilitate, vt nolint suæ prudẽtiæ inniti; sed agnoscant se homines esse, qui facilè possunt falli. Et siqua argumenta fidem Catholicam impugnantia, quæ fortè diluere nesciunt, vel apud Gentiles Codices legerint, vel aliunde eis occurrerint, non vereantur suam ignorantiam fateri potiùs, quã dicere, aut scripturam Sacram mendacẽ, aut Ecclesiam errare. Et sic scripturam Sacram, & Ecclesiæ sententiam semper suo proprio, aut alterius particularis hominis iudicio præferentes, quãuis validissimis argumentis ex Gentilium lectione oppugnentur, nunquã succumbent. Nam (vt Salomon ait) *vbi humilitas, ibi sapientia.* Prou. 11. Tertio autem, discretione, vt cùm Gentilium libros legerint, discernãt sensum à verbis. Qui enim solum verborũ ornatum, & non res ipsas, quàm turpes, aut quàm errorneę sint, considerauerint; facilè Gentilibus, qui nimio verborũ splendore fulgent, circumuenientur. Qui hæc A omnia rectè peregerit, optimè Deo adiutore verũ à falso discernet; speciosum à vili, & sanctum à prophano separabit; & sic cautus & circunspectus, tutus ad Gẽtiliũ lectionem accedet; vt ex illa proficiat, erroribus illorũ reiectis, veritatem fidei Catholicæ conuenientem in suũ vsum conuertens. Ideo Paulus ad vnguẽ cognoscens plurimum veneni esse in his profanis scriptoribus, admonet, vt sit circa illorũ lectionem cautissimus. *Videte* (inquit) *ne quis vos se-* Coloss. 2. *ducat per Philosophiam, & inanẽ fallaciã secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi.* Quæ verba interpretans Ambrosius in Commẽtarijs super epistolã Pauli, ait. Philosophiam dicit terrenam, per quam solẽt seduci, qui cupiunt prudentes iuditari in mũdo. Et aliquibus interpositis, subdit. Detinetur enim verisimilibus causis, & comẽtitijs rebus, nihil tã verũ existimans, quã quod cõspicitur, & intelligitur in elementis. Et quia quæ ad præsens sunt, & cernuntur oculis, suauia, & oblectabilia videtur; aliquãtos seducunt, qui spiritualẽ rationẽ despiciendã, & ridẽdã putant desperatione futuri, omnem vim astris assignãtes, carnali rationi obnoxij, ne grauia credenda sint sustolli in cœlum posse, neue leuia venire ad terras, aut aliquid corporeum sine rerũ admixtione generari, repugnantes potentiæ ac prouidentiæ Dei. Sciũt enim in diuinis veteribus Hebræorum voluminibus multa gesta per Moysem, quæ humana ratio non capit; simili modo & in nouis libris facta à Domino, aut per Apostolos, quæ tractatus carnalis prohibet, credi. Hanc ergo traditionem, vel Philosophiam, fallacem & inanem appellat, quia non à potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ potentiã Dei intra scientiam hominum coarctat, ne aliter credatur facere, quàm carnalis in se continet ratio; quia singulis elementis Diuinitatis diuersitatem deputant ad culturam, vt obligent animos imperitorum, ne se ad Deum verum extẽdant. Quamobrem cauendam monet traditionem istam, quia mundi cultrix est, non Dei, qui vnus est, nec ad Christum, sed à Christo abstrahit, in quo perfectio Diuinitatis est. Ha- D ctenus Ambrosius. Vnde etiam Basilius nepotes suos edocens, quo pacto Gentilium libri sint legendi, ait. Velut enim apes non omnibus floribus insidunt, nec ex eis ad quos accedunt, omnia auferre conantur; sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt, nos etiam sobrij sapientesque, quantum congruum nobis propinquumque veritati, ex ipsis fuerit, persequamur; reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus, sic in talibus sermonibus, quicquid est vtile capiẽtes, noxiũ vitemus. Hæc Basilius. Ecce quo pacto libri Gentiliũ legendi sunt, cautè quidem, & discretè, quando, & quomodo oportet; incautè

verò

verò nõ. Et hoc est, quòd in iure Canonico ha A betur dist. 37. cap. turbat. Cuius verba sunt. Turbat acumẽ legẽtiũ, & deficere cogit, qui eos à legẽdis secularibus libris omnibus modis existimat prohibẽdos; in quibus si qua inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet. Alioque Moyses & Daniel sapiẽtia & litteris Ægyptiorũ Chaldeorũq; nõ paterentur eruditi, quorũ tamen superstitiones simul & delicias horrebãt. Nec etiã ipse magister gentiũ aliquot versus Poetarum suis vel scripturis vel dictis indidisset. Cur ergo lege prohibẽtur, quæ tã rationabiliter legẽda probãtur? Sed seculares literas quidã legunt ad voluptatẽ, Poetarum figmẽtis, verborumq; ornatu delectati; quidam verò ad eruditionem eas B addiscunt, vt errores Gẽtiliũ legendo detestẽtur, & vtialia, quæ in eis inueniũt, ad vsũ sacræ eruditionis deuoti vertant tales laudabiliter seculares literas addiscũt. Vnde Beatus Gregorius quendã Episcopũ non reprehẽdit, quia eas didicerat, sed quia cõtra Episcopale officiũ pro lectione Euãgelica grãmaticã populo exponebat. Hæc ex illo capitulo. Et idẽ docet capitulũ. Qui de mensa, & capitulũ. Si quis vert, & capitulũ relatum. Ex quibus omnibus capitibus constat, esse ab Ecclesia cõcessum, seculares literas discere ex libris Gẽtiliũ, nõ quidẽ incautè, nec voluptatis causa, sed discretè, & vtilitatis gratia, quia his peropus est, vt Sacras literas veráq; Theologiã discamus, tractemusq;. Hanc autẽ legẽdi cautè libros Gẽtiliũ copiã fecit nobis Ecclesia, ducta exẽplis Sãctorũ, tũ veteris Testamẽti, quia Moyses Ægyptiorum, Daniel Chaldeorũ, literas didicerũt; tũ noui Testamẽti, siquidẽ Beatus Paulus mirificus Euangelij, præco, Gẽtiliũ Poetarũ versibus fuit vsus. Nã in priori ad Corint. epist. hũc Me-
*Tit. c. 1.* nãdri versũ adducit. *Corrũpũt bonos mores colloquia prava.* Et in epist. ad Titũ Epimenidis Poeta, quẽ Gentiliũ Prophetã appellat, versiculũ citat, sic dicentẽ. *Cretẽses semper mẽdaces, malæ bestiæ, vẽtres pigri.* Et apud Atheniẽses disputãs, partẽ versiculi hexametri ex Arato citat, his verbis. Ipsius enim, & D genus sumus. Vnde legimus (id quod habetur in glossa super dict. cap. Turbat) quod cũ Paulus veniisset Athenas, ingressus, Tẽplum Idolorũ vidit arã ignoti Dei, in qua erat scri-
*Actu. 17.* ptũ. *Hæc est Ara ignoto Deo, in quo viuimus, mouemur, & sumus.* A qua scriptura Apostolus incœpit Prædicationum suam, & aperuit illis Atheniẽsibus sensũ illis scriptura, prosequẽs de Deo nostro, & Domino IESV Christo, dicẽs. Quẽ vos dicitis, ignotũ Deũ, ego prædico & colo. Tũc Dionysius Areopagita vidẽs quẽdã cæcum transeuntẽ dixit Paulo. Si illuminaueris istũ cæcum, credã tibi. Qui statim inuocato nomine Christi, illuminauit cæcũ, & Dionysius credidit. Hos igitur vi-

ros Sãctitate & doctrina clarissimos imitãtes, & Ecclesiæ iura sequẽtes, à Gẽtilium libris nõ omnino abstineamus; sed quod satis est, & quãdiu licet, illos legamus, nõ tamen omnes, sed eos solùm, qui nimiũ nocere nõ possunt; nec præsentaneũ valẽt propinare venenũ; & à quibus aliquã possumus capere vtilitatẽ. Quos si cautè, vt oportet, legerimus illorũ auxilio, faciliùs sacras intelligemus scripturas. Et sic tãquã veri Israelitæ ex auro & argẽto ab Ægyptijs, tanquã ab iniustis possessoribus ablato, Theologiæ Tabernaculũ cõstruemus; in quo veri Dei notitiã assecuti, illũ (vt tenemur) collamus, fide, spe, & charitate in illũ tẽdẽtes. Quod si Erasmus fecisset, cõsultius egisset. At qui apud ethnicos Authores, tãquã ad Syreneos scopulos consenuit, voluptati propriè in legendis Gẽtiliũ libris, atq; loquacitati audaculæ, nõ piæ vtilitati studẽs, in eam temeritatẽ deuenit, velut Syrenarũ cantibus illectus, vt Gloriosam Dei Genitricẽ Veneri cõpararet, diceretq; illi succesisse in agenda cura nautarũ, cuius blasphemiã satis impugnatã esse arbitror. Et si plus satis fuit in hac parte remoratus, nemo miretur; siquidẽ res agitur sẽria, & quæ in Beatæ & Gloriosæ Virginis MARIÆ honorem cedit; quam & defendere, & laudare noctu, diuque Catholicos viros cõdecet.

### *ERROR* 11.

C *MARIAM Virginẽ epistolã scripsisse, quæ se lætari dicit, quod quidã secutas Lutherũ suaderet superuacaneũ esse sanctos inuocare fictio hæretica est Erasmi colloquio, peregrinatio Religionis.*

Assertio Catholica.

SOLEMNE Ac propriũ est Hæreticis, sagacibus vti mendacijs, ne his quidẽ leuibus, sed quã maximè perniciosis; quo magis suos errores serere, & propagare valeant. Cõscientiæ enim morsus, si quos patiũtur, Hæresum auctario, & sequaciũ accessionibus posthabẽt, nihil dãni metuentes, modò id assequantur lucri, quod iniquiùs, quã dici potest, ambiũt, quod vtiq; morbi genus ex patre suo Diabolo, quẽ imitantur, eos cõtradixisse, nulli sub dubio relinquitur. Nec iure cõqueri de me poterũt, quòd hac eos afficiã iniuria, vt mẽdaces, ac filios Diaboli, nõ natura, sed imitatione, appellitẽ; quos ipse magister, ac Redẽptor noster Christus, ex patre Diabolo esse proclamat in Euangelio Ioannis. Vbi Pharisæos (per quos quia diuisionis nomẽ habent, Hæreticos verè ab vnitate Ecclesiæ diuisos intelligimus) de incredulitate carpens *Ioan. 2. 6.* inquit. *Vos ex patre Diabolo estis; & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio; & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mãdacium, ex proprijs loquitur, quia mẽdax*

*est, & pater eius.* In his verbis Christus expressissimè depingit Diaboli malignitates, quæ insunt ei, non quidem ex primæua creatione, quia à Deo bonus conditus fuit, sed ex obstinata malitia superbiẽtis. Est igitur Diaboli vna malignitas, quòd ab initio homicida est, propterea quòd animam, quæ est potissima pars hominis, occidere tentationibus nititur, vt homines peccatis deditos, & gratia Dei, ac vita æterna priuatos in tartarea loca præcipitet, vbi perpetuis supplicijs torquebuntur. Quam malignitatem ab initio non ociosam esse voluit, siquidem primos generis humani parentes internetioni dedit, quando suis technis fecit, vt peccarẽt. Sed sicut *in Adã omnes moriuntur*, dempto Christo, & Beata MARIA Virgine Matre eius, ita & in Christo *omnes viuificabũtur*. Et sicut primi parẽtes *propter pœnitẽtiã saluifacti sunt*, ita Dominus vult omnes homines saluos fieri. *Pœnitentiam* (inquit) *agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum. Et nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Nam multi, Diaboli suggestionibus consentientes peribunt, quia homicida est ab initio. Altera malignitas est Diaboli, quòd in veritate non stetit, quando creatori suo, vt debuit, minimè obediuit, sed in superbiam elatus, diuinos sibi honores vsurpare non desinit. Tertia demum malignitas inimici in genus humanum sæuientis mendacitas est, & non solùm ea, qua quis ab alijs inuenta mendacia refert, verùm etiam ea, qua ex propria, & obstinata malitia mentitur. Quemadmodũ fecit Diabolus, cùm dixit mulieri. Nequaquam moriemini. Ideo non solùm mendax, sed pater mendacij vocatur à Christo. *Cùm loquitur* (inquit) *mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij.* Has Diaboli malignitates ipse Magister, & Redemptor noster Christus non alia de causa Pharisæis exposuit, quàm, vt qui eisdem sibi inesse intuebantur, cognoscerent se Diaboli hæredes, ac proinde filios eius patris, cuius mores hæreditaria successione palam sequebantur. An non homicidæ Pharisæi, qui & Christo vitæ datori mortem procurarũt, & suas aliorumque animas in æternũ interire anhelabant, fidem, quam de Christo haberi oportet, abnegantes? An non à veritatis tramite erant alieni, qui filio Dei neque credere, nec obedire voluerunt? An non mendaces, qui lucem mundi videntes, sua desideria secuti, in tenebris permanserunt? Hæc idcirco paulò altiùs repetenda censui, quoniam si Pharisæos, vt homicidas, vt filios Diaboli, & vt mendaces, Christus Deus & Dominus noster tanta se veritate increpãdos duxit, quid, rogo, illum de Lutheranis dicturum fuisse putas? An non homicidæ Luthærani Satrapæ, qui tot centurias, imò tot myriades animarum inferno demiserunt? An non ex patre Diabolo Lutherani, qui desideria patris sui volunt, & conantur facere? Quid enim aliud Diabolus desiderat, quàm à veritate homines auertere, sicut ipse in veritate non stetit? Et quid est in veritate non stare, nisi Deo non obedire? & nec Summo Pontifici, vere Christi vicem in terris gerenti, veroque Beati Petri successori parere? nec Ecclesiæ Catholicæ, quam Spiritus sanctus docet omnem veritatem, monitionibus statutisque obsecundare? Hæc est summa desideriorum & Lutheri, & Lutheranæ totius factionis, vt dominicas oues ab vno ouili, cuius vnus est Pastor, separatas, atque errabundas lupus rapiat, dispergat, dilaceret, deuoret. Quod bene intelligens Petrus ille, cui Dominus oues suas commisit custodiendas, nos admonet, dicens: *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* De tertia Diaboli malignitate, scilicet, mendacitate, quid dicam aliud, nisi illã, ita à Diabolo in Lutherum eiusque satellites fuisse transfusam, vt nullum mendacij genus intentatum reliquerint, id dantes operam, vt Catholicos à veritate deterreant, quò hæreticorum mendacem sectentur doctrinam, id quoque nitentes, vt suarum hæresum veneno corruptos, iam firmiores in semel cœpta malitia reddant?

1. Cor. 15
Sapi. 10.
1. Timo. 2
Matth. 3
Luæ. 13.
Gene. 23.
1. Pet. 15

De innumeris autem Lutheranorum mendacijs pauca nunc referam, quæ partim lectione, partim meatum aurium experimẽto didici. Certè (vt Ioannes Cochlæus narrat) quando in ciuitatem Vuomartium Augustissimus inuictissimusq; Imperator Carolus huius nominis Quintus nobilissimos quosque Theutoniæ Principes conuocauit, vt negotium de Lutheri fallis dogmatibus seriò tractaretur, adfuit ibi Lutherus ipse ab Imperatore sub saluo conductu (vt ita vulgariter loquar, nam Latinè fide publica interposita, dicendum est) vocatus, qui ab ipso Imperatore iuridicè interrogatus de proprio nomine, an ipse esset Martinus Lutherus? respondit, se esse; secundò, an ipse librum quendam plenum hæresibus composuisset, respondit, se esse illius voluminis Authorem, tertiò requisitus, an vellet suos errores retractare, ac palinodiam canere? tẽpus ad respondendum sibi donari postulauit. Et post vigintiquatuor horas sibi præfixas in ius rediens, dixit, se nolle rescindere, quæ semel scripserat, & pertinax recessit à Curia, ac se in quoddam Castellum recipiens peiora prioribus scripta edere parauit. Vbi falsas de Imperatore querelas, & non si-

sibi seruatũ saluũ conductũ, falsò inuoluit, atque euulgauit. Nonne hoc mendaciũ Lutheri, se malè tractatum à Catholicis, & sibi non seruatum fuisse saluum conductũ asserere? Et vtinã tunc fuisset Lutherus à iudice Ecclesiastico captus, carceri intrusus, depositus, & lata in eum sententia per brachiũ seculare punitus. Nec per hoc esset ei saluus cõductus violatus ab Imperatore. Hoc meũ desiderium, & hæc sententia est determinatio Ecclesiæ in Cõcilio Constantiensi sessione 19. cuius verba sunt. Præsens sancta Synodus ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, & alios seculi Principes, hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putãtes eosdẽ sic à suis erroribus reuocare, quocunque viculo se astrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generari, vel impedimentũ præstari posse, seu debere, declarat, quo minus dicto saluo conductu non obstante, liceat iudici cõpetenti, & Ecclesiastico, de huiusmodi personarũ erroribus inquirere, & aliàs cõtra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint, etiam si de saluo conductu confisi, ad locum venerint iuditij, aliàs non venturi, nec sic promittentem, cùm alias fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Hæc Cõcil. Constãciense. Vbi Ecclesia manifestè definiuit, hæreses pertinaciter defendentibus, saluum conductum per seculares Principes concessum, non patrocinari. Quòd si hoc decretum fuisset executioni tunc temporis demandatum aduersus Lutherum (credo) non tot obuenissent mala Theutonicis, & Anglicis, Boemisque. Ecce vnum mendacium recensui Lutheri, dicentis, saluum conductum non sibi fuisse seruatum, ac male & cum illo actum esse. En alterum. Quando Lypsiæ apud Ducem Saxoniæ cum Ioanne Echio Doctore maximo Theologo pientissimo, & in disputationibus mirificentissimo Lutherus in certamen singulare descendit; nimirum in congressu palæstraquè, & in ipso disputationis agone herbam victus dedit; atque ab Echio superatus fuit. At postea rubore suffusus Lutherus, veritatem victoriæ inuertit, ac se vicisse, Echium verò victũ, in libello, quem de disputatione Lypsiaca edidit, perfricata fronte mẽtitus est. Quid multis moror? Paucis absoluo. Omnis Lutheri hæreses mendacia sunt pernicios issima reipublicæ Christianæ. De alijs etiam Lutheranis dicam, quod lippis, & tonsoribus est notum. Mendacijs conantur suas hæreses propagare. Quod ne concionibus suis, nec ferro, aut vi, efficere possunt, id mendis perpetrare callidè moliuntur. Benedictus Deus, qui Imperatoriam, Regiamque potestatem seruat in Catholica & orthodoxa fide perstãtẽ. *Quoniã nõ relinquet Dominus* (inquit Propheta) *virgam peccatorum super sortẽ iustorum; vt non extendãt iusti ad iniquitatẽ manus suas.* Quid per virgã aliud, ac potestatẽ intelligit Rex & Propheta Dauid, quæ iustis Catholicisq; non adeò prævalere poterit, vt statu fidei, ac virtutis moueãtur, ne iusti & Catholici extendãt ad iniquitatẽ hæreticorũ manus suas. *Fidelis autẽ Deus, qui non potietur vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione prouentum*; dicebat Apostolus; qui benè nouerat futuros hæreticos, ac mendacijs vsuros; id audaculi isti faciunt Lutherani. Mendacia seminant per vicos, per compita, per angulos, per itinera; vt inde alij naſcantur hæretici. Lutherismo inueterati per varias vagantur regiones sub ouina pelle lupi; & cùm in Hispania pedes ponunt, dicunt: iam de Gallis actum est; ferè omnes optimates sunt Lutherani; vt Hispanos sic formidolosos in fide reddant; sicq; facilius trahant in suam sectam eos, quasi opinantes, potiorum partem Christianorum in Lutheri dogmata iurasse. Attamen in Hispania, siqui pullulare clanculum cœpere, cõbusti sunt. Cùm autem per Gallias, aut aliã quamlibet nationem iter faciunt Lutherani plagiarij, aiũt, Primores Hispaniæ iam facti sunt Lutherani; vt alij consternantur animo, atque in fide Catholica deficiant; & Lutheri asseclæ compotoresque fiant. De his (scit Deus quòd non mentior) ego sum testis oculatus, qui anno à die Natalis Domini nostri IESV Christi 1559. in ciuitatẽ Aquilam, quæ est in Neapolitano Regno, atque simul obiter Romã pergens, vt ibi in Capitulo generali nostratiũ Fratrũ minorum tunc celebrato, nomẽ Prouinciæ sancti Iacobi Regularis obseruãtiæ referrẽ, à Patribus eiusdem Prouinciæ missus, sæpè audiui; iã in tali Regno tales Duces, Comitesq; Marquiones Lutheranis adhæserũt. Quod tamẽ res ipsa falsũ esse postmodũ indicauit. O indignũ facinus! nõ verẽtur isti, viros Catholicos hæreseos nota inurere; vt vel si mẽtiẽdo Lutherismũ nobis identidẽ accessionibus dilatare, ac locupletare queãt? Vos cõuenio ò Lutherani, qui vsq; in hodiernũ diẽ prauitatẽ hæreticã tutamini. Rogo, vbi rerũ facies? vbi forma? vbi pudor? vbi nomẽ veritatis? vbi existimatio publicæ honestatis? vbi Deus? vbi homo? vbi fas? vbi lex? vbi ipsius iura naturæ? simul omnia sunt vestris ambitionibus, vestris mẽdacijs cõfusa. Vos fingitis libros, quos editis priuilegio Sũmi Pontificis esse munitos, vt hoc mẽdacio tam nefario, tanquam Catholicam doctrinam continentes à fidelibus habeantur. Vos fingitis titulos pios, quos libris vestris præfigitis, sicut feci stis in libello, quem de libertate Christiana

inscripsistis, vt hoc mendacio homines fideles in seruitutem peccati, & in diaboli captiuitatem redigeretis, habentes velamen malitiæ, libertatem. Ego potiùs talé libellum de libertate Machometica, aut de seruiendo peccatis, aut de captiuitate peccantium, inscribendum censerem. Nos enim liberi sumus, non ea libertate, qua Lutherus ab obedientia Ecclesiæ Catholicæ, eiusque Antistitibus & ministris, debita, Christianos liberare molitur; vt sic captiuas diabolo reddat animas; nam qui facit peccatum, *seruus est peccati; sed liberi sumus ea libertate, qua Christus nos liberauit, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Vos fingitis tales libellos auro micante, ostiatim perdidisse; quod ex industria simulatis; vt sic repertores legentes in vestram sectam pelliciantur. Vos fingitis quos nuncios mittitis suffarcinatos epistolis, aut libellis hæreticis ad literatos quosdam, seu prædicatores, quos benè nostis typula leuiores instabilioresque, ac nouitatum amatores, aliò properare, ne postquam literas cuipiam ex domo reddiderint, ampliùs compareãt. O Hypocritæ, benè de vobis prophetauit Psalmographus dicens. *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Certè vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere*, cuius malignitates non otiosas habetis, homicidæ, in veritate non stantes, mendaces. Conuertimini obsecro, & credite in sanctam Christi Ecclesiam, obedite Summo Pontifici, & nolite ampliùs errare, sicut oues non habentes Pastorem.

*Psal. 4.*

Iam ad Erasmum venio, qui peperit oua, quorum pullos Lutherus extulit, & oua non quidem, vt gallina, sed vt gallus inueteratus ouum parit, ex quo basiliscus oritur animal, quòd quos videt, veneno interimit. Vnum hoc inter alia ouum Erasmus reliquit partum, sanctos non esse inuocandos, quod etiam fouet sub alis suis, donec regulus inde enascatur, qui vniuersum per orbem circumuolans homines perimat, sed Dominus Spiritu oris sui interficiet impiũ. Inter alias Lutheri hæreses, quas Erasmus in nidulo sui pectoris aluit, & verborum nitentibus plumis veluti pullos cooperuit, hæc vna est pestilentissima, qua asserit superuacaneũ esse sanctos inuocare, quasi nullius sit vtilitatis, sanctos, vt pro nobis apud Deum intercedant, orare. Et hanc hæresim fouet, alitque Erasmus mendacio perniciosissimo, dicens, Beatam Virginem MARIAM epistolam scripsisse, qua se lætari dicit, quòd quidam secutus Lutherum suaderet, superuacaneum esse sanctos inuocare, vt ostendat se ex patre diabolo esse, & desideria patris sui facere velle, nempè esse homicidã in veritate non stare, & mendacem esse.

Superest nunc, vt duo probem, alterum, esse illam assertionem Lutheri hæreticam, alterum verò, mentitum fuisse Erasmum in eò, quòd dixit, Gloriosam Virginem Epistolam scripsisse, in qua suadenti illam hæresim gratuletur. Primum breuiter suadeo: nam infra cùm de sanctorum auxilio implorando differuero, exactiùs tractãdum relinquo. In præsentiarum satis erit, illud esse hæreticum admonere, quod iam ab Ecclesia damnatum extat, quodque ab hæreticis propter id damnatis desumptum est. Hoc autem dictum, sanctos non esse inuocandos, in Concilio Gangrensi, cap. 20. suorum Decretorũ per hæc verba condemnatum legimus. Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca, & basilicas sanctorum Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas, anathema sit. Hæc ibi. Legimus etiam dictam Hæresim ex hæreticis iam damnatis à Luthero acceptam, scilicet, ex Eustachio quodam, primo huius hæreseos Authore, propter hũc errorem, & multos alios in Concilio Gangrensi dãnato, ex Vigilantio Gallo Barchinonensis Ecclesiæ Præsbytero, ex Valdẽsibus, qui omnium Sanctorum festiuitates ab Ecclesia auferre conati sunt, ex Ioanne Vuitclepho, & ex Ioanne Hus Boemo, quos omnes, diabolus sciens nos plurimùm sanctorũ orationibus iuuari, misit, qui spiritu erroris loquentes mendacium, dicerent sanctos nõ esse ab hominibus honorandos, nec inuocandos, nec oportere, imò superuacaneum esse, illos orare, vt vel sic homines hìc viuentes, sanctorũ, qui in cœlis sunt, defraudarentur auxilijs. Igitur in comperto est, dictum illud Lutheri esse hæreticum. Quòd autẽ nõ sit superuacaneum sanctos inuocare, & honorare, inde conuincitur, quòd Abraham orat pro Abimelech, qui Saram illius vxorẽ acceperat: *Et exaudita est oratio Abrahæ.* Est ergo vtilis, & profícua sanctorum pro nobis intercessio, ac proinde non superuacaneum sanctos inuocare, imò meritorium est opus. Siquis autem hæreticus, qualis est Oecolampadius in suis pestiferis commentarijs super Isaiam, proteruiens dicat, licere nobis recurrere ad sanctos viros, dum hìc viuunt, & illos pro nobis hìc orantes exaudiri: non autem cùm iam ex hac vita decesserunt, Beatus Hieronymus illum prosternit, in quodam libro aduersùs Vigilãtium, qui ad hoc ipsum confugiebat. Dicis (inquit Hieronymus contra Vigilantium) in libello tuo, quòd dum viuimus, mutuò orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio

*Genes. 20.*

tio, præsertim cùm *Martyres* vltionem sui
*Apocal.6* sanguinis obsecrantes impetrare nequiuerunt. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quantò de se adhuc habent esse soliciti, quantò magis post victorias, coronas, & triumphos? Vnus homo *Moyses* sexcentis
*Exod.* 32 millibus armatorum impetrat à Domino
*Actuũ* 7. veniam, & *Stephanus* imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Domino esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas cõdonatas, & postquàm resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorquè Vigilantius, canis viuens, quàm ille leo mortuus? Rectè hoc de Ecclesiaste proponeres, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Hactenus Hieronymus. Ex quibus verbis satis conuincitur, non esse superuacuum sanctos, qui cum Christo regnant beati, honorare, & inuocare. Idem probatur ex epistola quadam Germani sanctissimi Patriarchæ Constantino, poleos ad Iohannem Episcopum Synnadon, quæ habetur in actione quarta secundæ Synodi Nicenæ, cuius verba sunt. Ancillam autem, & Matrem Domini nostri IESV Christi existeatem, Beatam MARIAM verè pro genere nostro intercedentem præsentissimè, ita vt Dominus quidem nostrer salutem dispenset, illa verò materno affectu pro nobis poscat, agnoscimus. Sanctos denique omnes, tanquam conseruos nostros, & eiusdem nobiscum naturæ participes, gratissimos Dei Ministros, & hac gratia à Deo donatos, vt beneficia à Deo data nobis ministrent, curationes (inquam) morborum, & periculorum liberationes, quando per memoriam eorum inuocatio Dei fit, quatenus nobis in hymnodijs, & glorificationi-
*Prou.* 10 bus possibile est: *Memoria autem eorum, cum encomio celebratur* (vt ait Scriptura) agnoscimus. Hæc ex dicta Epistola. Vbi prisca deuotio patrum erga sanctos ostenditur, simulque, quantùm nobis prodest eorum intercessio non superuacanea, proditur. Hæc de primo nunc sufficiant.

Ad alterum comprobandum accedo. Et dico Erasmum mentitum fuisse in eo, quod affirmauit Gloriosam Virginẽ MARIAM Epistolam scripsisse, in qua lætari se dicat, quòd quidam secutus Lutherum suaderet superuacaneum esse sanctos inuocare. Nam si hoc mendacium non est, nullum est, nec fuit, nec erit, nec potest esse in vniuerso orbe mendaciũ. At diabolus ab initio mendax est, & pater mendacij. Ergo hoc mendacium est: quia abeo est, qui ex patre diabolo est, A quem imitatus est Erasmus enim in hoc dicto fauet Lutheranis Hæreticis, & similis illis factus est, mentiendo. Igitur Erasmus ex patre diabolo habet, vnde tam grande mendacium contra glorioſam Virginem proferat, vt mendacio suo mendacium hæreticorũ protegat. Quod optimè insinuauit Iob, dicens: *Protegunt vmbræ vmbram eius.* De Diabolo loquitur hic Iob sub nomine Behemoth, cuius filij hæretici, ita se habẽt, vt vnus aliũ aliqua falsa apparentia veritatis defendat. Vix enim vllum est tam apertum mendacium, quod non possit ab eo, qui mentiri, & decipere optat, quadam veritatis imagine adumbrari. Vnde Beatus Gregorius exponens illud Iob, inquit. Vmbræ B quippe sunt diaboli, omnes iniqui, qui dum imitationi iniquitatis eius inseruiunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem vmbrę eius sunt pluraliter, reprobatur, ita singulariter vmbra eius est vnusquisque peccator. Sed dum doctrinæ iustorum malè contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt, vmbræ Behemoth istius, vmbram eius protegunt: quia peccatores quique in quo sibi malè sunt conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Vmbræ vmbrã eius protegunt, dum nequissimorum facta nequiores, peruersis patrocinijs tuentur. Hæc Gregorius. C An non vmbra Behemoth Erasmus, qui tam peruerso patrocinio alteram vmbram diaboli, Lutherum protegit? quiquè authoritate Gloriosæ Virginis MARIÆ, deuotionem, quam erga sanctos Christiani habent, tollere conatur? An non peruersa hæc blasphemia est, Beatæ Dei Genitrici impingere, quòd hæreticorum sit fautrix? de qua Ecclesia concinit: Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mũdo? Certè Erasme non solùm blasphemus, sed etiam falsarius in hoc mendacio deprehenderis, ac proinde non solùm lapidibus obruendus, sed etiam eo genere mortis, qua leges falsarios puniunt, plectendus iudicaris. D Fingis Beatam MARIAM Epistolam scripsisse in fauorem Lutheranorum, & eandem Virginem lætari, quòd Lutheranus quidam suadeat, sanctos non esse inuocandos. Literas falsificas, non alicuius Principis peccatoris, sed ipsius Reginæ cœlorum, chirographũ subripis, nõ cuiusuis fœminæ, sed ipsius Matris Dei, sigillum alienum, & id quidem Imperatricis, ac Dominæ mundi tibi insolenter arrogas. Quis dubitat te in hoc percupere, vt Lutherani arbitrentur se *obsequium præstare Deo*, denique Genitrici, cùm sanctos non inuocandos, imò blasphemandos peruersè docent? Quis non videt te quam maximè optare, vt Catholici trahantur in Lutheri sectam, si persuasum ha-

habeant, gloriosam Virginem MARIAM eius dogmata approbare? Et quòd tuis non potes sermonibus efficere, id subreptitijs literis, & commentiti adulterinaque subscriptione consummare tentas. Falsarius es, non solùm quia falsò asseris Beatã MARIAM Epistolam scripsisse, qua Lutheranos fauore, sanctos odio prosequatur, verùmetiam, quia falsum adducis miraculum, & velut vnus Pharaonis Magus, & velut Antichristi præcursor. Antichristi enim multi sunt: quia hæretici præcursores Antichristi sunt:

Matt. 24 *Surgent* (inquit Saluator noster) *pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorẽ inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ecce prædixi vobis. Præmonet Christus fideles suos, ne tempore futuro, quando Antichristus ille filius perditionis venturus est, cuius diem nemo scit, & Christus sciens noluit hactenus reuelare, à fide Catholica deterreantur. Nam tunc permittet Deus diabolo, vt per Antichristum eiusque prædicatores pseudo Prophetas faciat, non quidem vera, sed falsa, apparentia tamen miracula, seu potiùs quædam miranda vulgo, quæ Christus vocat signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Inter istos adest Erasmus, non

1. Reg. 10 *vt Saul inter Prophetas*, sed vt Lutherus inter pseudoprophetas & Pseudochristos, qui perspiciens nullum, vel apparens miraculũ à Luthero in confirmationem suarum hæresum factũ, hãc fabulã cõminiscitur, atque effingit, Beatã MARIAM per epistolã acceptasse Lutherismum; quo magis, ac mirabilis nouitate, veluti nouo quodam signo & prodigio, quin potiùs ac falsa imaginatione, Catholicis Christianis Gloriosam Virginem diligentibus, Lutheri sectam persuadeat. Quod dixi, nihil mirabile à Luthero in confirmationem suarum hæresum factum, arguit de leuitate quoscumque Lutherizantes; qui omnes impudici, libidinosi, voracis, & omni vitio dediti falsam doctrinam secuti sunt, peioris his qui Antichristum sequentur. Quoniam, qui Antichristo adhærebunt, signis & prodigijs non veris, sed Sophisticis & apparentibus, quæ ab eo, & ab eiusdẽ pseudoprophetis Christus gerenda prædixit, decipientur. Qui verò in Lutheri peruersa dogmata iuraruut, nulla signa, aut prodigia, aut aliquid visu mirabile ab eo gesta viderũt. Qui autẽ nouã doctrinã inseminare nititur, si ex Deo est, veris miraculis, quæ Dens per talem Doctorem operatur, eam corroborare debet. Nam per Moysem Dominus vetus Testamentum tradens, Israelitico populo, plurima miracula fecit; Christus verò Euangelium per Apostolos dans vniuerso orbi miraculis sermones eorum confirmauit: *Euntes* (dixit Christus Apostolis) *in mundum vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; quod verò non crediderit* (scilicet fide quæ per charitatem operatur) *condemnabitur.* Et paucis interpositis, subdit. *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Mundus ergo credidit doctrinæ Euangelicæ, quã sancta Romana Ecclesia prædicat, & tenet propter testimonium, quod Deus vera miracula faciendo per Apostolos dedit. Vos verò Lutherani creditis Luthero Ecclesiæ Catholicæ contradicenti, & nullum per eũ vel apparens miraculum factũ videtis. Qua ratione vos excusare potestis, quin de leuitate arguamini? Quòd si ista miracula (vt inquit Augustinus) quæ narrant Sacræ scripturæ, facta esse non credunt Lutherani; hoc nobis vnum grande miraculũ sufficit, quod iam terrarũ orbis credidit, & certè sine vllis miraculis non credidisset. At vos non propter miracula, sed propter vestras iniquas cupiditates satiandas, quibus latam viam, quæ ducit ad perditionem, Lutherus vester ostẽdit, tam prauæ, ac diabolicæ doctrinæ à labore pœnitentiæ a dlibidinem procliues vultis credere. Nisi fortè vos nunc persuadeat Erasmus, hoc nouo & comentitio signo ac prodigio, quod falsò imaginatus est de Beata MARIA, quam per gratum habere, quòd Lutheranus quidam exhortaretur, sanctos non esse inuocandos, idquè per epistolam significasse, nescio qua temeritate effinxit. Sed hoc (inquit Hieronymus) eadem facilitatem contemnitur, qua asseritur. Nam si quærat quis ab Erasmo. Vnde scis Beatam MARIAM talem epistolam scripsisse? Fateatur, necesse est, se nescire id, quod nec authoritate, nec ratione, nec experientia, nec ex reuelatione, probari potest, nec fide est tenendum; quoniam ipsum dictum contra fidem militat, quæ sanctos honorandos esse docet. Credo tamen audaculum istum temerè dicturum. Ego scio Beatam MARIAM prædictam epistolam scripsisse; quemadmodum in Concil. Trident. surrexit quidam Lutheranus antea pro Catholico habitus, atque in medium prosilijt, sic proclamans. Ego scio me esse prædestinatum. Cuius rei testis est Frater Alfonsus à Castro Zamorensis, Ordinis sancti Francisci, Regularis Obseruantiæ, eiusdem meæ Prouinciæ Sancti Iacobi in eo volumine, quòd aduersus omnes hæreses doctissimè, & elegantissimequè composuit, in tertia editione lib. 12. titulo. Prædestinatio, hæresi secunda. Cuius verba expresse refero, quoniã scitu ac memoratu perquàm digna mihi videntur. In Concilio (inquit) Tridẽtino, cui præ-

Marc. vlt

præsens adfui, cũ inter viros doctos, qui multi illic aderant, tractaretur ex mãdato Synodi quæstio de certitudine iustificationis humanæ, & res esset inter eos controuersa, ecce vnus & alter prosilierunt, qui præsumptuosa quadam temeritate coram tanta doctorũ virorum multitudine dicere non erubuerũt, hominem absque speciali Dei reuelatione posse certò scire, non solùm se esse iustum, sed esse prædestinatum. Vnus autem ex illis, vt temeritatem suam & superbam præsumptionem pleniorem faceret, seipsum in exemplum proposuit, dicens. Nam ego quidem certò scio me esse prædestinatum. Quod ego audiens, obstupui, miratus, quòd homo vel mediocriter doctus, & sui iudicij cõpos, in tam dementem errorem incidisset, & illum coram tali ac tanto cœtu effundere non erubuisset. Hęc Alfonsus de Castro. Eodẽ modo ego vehemẽter obstupesco, & attonitus sũ, quando consìdero Erasmũ virũ inliteris humanis apprimè eruditũ, & nõ demẽtatũ nec exensem in tã absonũ mendaciũ fuisse lapsũ vt Beatam MARIAM Epistolam in fauorẽ Lutheranorum scripsisse commmiscretur. Nec dubito ipsum, qui talem blasphemiam finxit, se certò scire, seq; & vidisse, & legisse eandem epistolam chirographo Genitricis Dei subscriptam, peieratutum. In hoc enim manifestè se Lutheranum esse declarat, qui cũ Luthero malignitates Diaboli, quas hæreditauit, otiosas esse non sinit. De quorum perditione præcinuit Dauid cum Deo in Spiritu loquens. *Psalm.5.* *Odisti omnes, qui operãtur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Nos autem Catholici sub obedientia Ecclesiæ Romanæ, ac Sedis Apostolicæ perseuerantes, Sponsi illius Christi Redemptoris nostri vestigia sectantes, & adoptionem filiorum Dei per misericordiã diuinam adepti perstemus in veritate, Honoremus Gloriosam Virginẽ MARIAM; fateamur ipsam lætari, quòd Ecclesia Catholica sanctos inuocare doceat, & soleat. Quoniam nouit per Prophetam longè ante prædictum. Laudate Dominum in sanctis eius. Persuasum habeamus, Beatã MARIAM hæreticos semper fuisse detestatam, & inter omnes, maximè Lutheranos, vtpote huius nominis Virginis &, Matris Dei MARIÆ blasphematores; tantum abest, vt verum sit, quod Erasmus aduersus Deiparam temerè confabulatur.

## ERROR 12.

*MARIÆ Virgini, Sanctis, & humanitati Christi, sub Deo nullo modo esse fidendum, hæresis est Erasmi in colloquio Inquisitio fidei.*

A Assertio Catholica.

NIHIL illo prouerbio vulgari. Ne Hercules quidem contra duos, è cuius manu clauam extorquere poterat nemo; & iste proteruus in id dementiæ cum multis supra memoratis Hæreticis corruit, vt non solùm contra duos, sed etiam contra plures quàm mille, blaterare non destiterit. Surrexit primò culex in gigantem illum, cuius humanæ vitæ periodum, Propheta perstringit, dicens: *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore etus.* *Psal.18.* Christus hìc est, qui quatenus Deus de sinu patris in B vterum digatus est descendere matris, vt Deus homo factus, viam nostræ mortalitatis percurrens, nasci, mori, à mortuis resurgere, & tandem super omnes cœlos ascendere dignaretur. Deinde formica impetit Dauidicam turrim, Gloriosam Virginem MARIAM, quam Ecclesia vniuersalis terribilem, vt castorum aciem ordinatam, summoperè decantat. Tertiò graculus acuit rostrum aduersùs turbam magnam, *quam dinumerare nemo potest, & ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stãtes sunt ante thronum in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorũ.* *Apoc.7.* De quibus in Psalmis scriptum est. *Exultabunt sancti in gloria, lætabunbur in cubilibus suis. Exultationes Dei in gutture eorũ,* C *& gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.* *Psal.148* Iniuriam irrogat Erasmus Christi humanitati, Gloriosæ Virgini MARIÆ, & omnibus sanctis non ferendam Catholicis, cùm errorem tot retro annis contra debacchantes quosdam Hæreticos, quos supra retuli, damnatum ab inferis inuerecundè reuocat. Detrimentum etiam parat omnibus fidelibus Christianis pernicioſissimum, qui ab D illis eripere contendit ea adminicula, quibus per sanctos iuuari consueuerunt. MARIÆ Virgini (inquit) Humanitati Christi, & sanctis sub Deo nullo modo fidendum est. Horresco referẽs. Hac detestanda hæresi omnẽ fiduciam abstrahere conatur Erasmus à pijs Catholicisque Christianis, (quam in sanctis constituere, & solent, & quodammodo debent;) solummodo Diabolo, & eius imitatoribus hæreticis placere studens.

Vt autem hanc abominationem desolationis labefactemus Catholici, operæpretium reor me facturum, si ante omnia, quid significati in sacris litteris hoc nomen, fiducia,

præ

præferat, iam offendere. Quo expoſito, facilè quiuis intelligere poterit, quid fiduciæ in Deo, quid fiduciæ in humanitate Chriſti, quid fiduciæ in Beata Virgine MARIA, & in cæteris ſanctis colocandum ſit.

Fiducia, ſeu fidentia, idem eſt, quòd firmitas quædam, ſeu certitudo. Et licèt confidentia, apud Latinos plerumque in malam partem interpretetur, tamen confidere, & confiſio, atque etiam confidentia nomen, pro fiducia ſæpè accipi ſolent. Vnde Cicero, inquit. Fidentia, eſt firma animi confiſio. Ex quibus verbis liquidò conſtat, fiduciam, quæ idem, quòd fidentia ſignificat, eſſe quandam firmitatem. Eſt autem firmitas (vt notat Seraphicus Doctor ſanctus Bonauentura) genus quoddam, cui duæ ſpecies certitudinis, ſeu duæ certitudines ſubſunt, altera ad intellectum, & ad fidem, altera ad voluntatem, & ſpem attinentes. Eſt igitur fiducia, firmitas. Liquet ex definitione fidentiæ, quæ eſt firma animi confiſio. Quòd ſi fiducia eſt firmitas, ergo fiducia, aliqua eſt certitudo, & non ea propriè, quæ ad intellectum, & fidem pertinet, igitur ea, quæ ad voluntatem & ſpem attinere dicitur.

Ex ſufficienti firmitatis diuiſione hæc argumentatio robur, vimque ſortitur. Vt ſiquis hoc modo argumentetur, Petrus eſt animal, & non irrationale, ergo eſt rationale. Denique fiduciam eſſe certitudinem, quæ voluntati, & ſpei attribuitur, in confeſſo habedum deduxi.

Certitudo autem in intellectu denotat firmitatem in iudicio, quòd de illa re habet. Huic certitudini contrariatur dubitatio, aut fluctuatio intellectus, quoniam qui certus eſt in ſuo iudicio, tanta firmitate in illo quieſcit, vt licèt vehementer impellatur, non ſit paratus, vel latum pilum ab illo diſcedere. Quanuis certitudo propriè conueniat intellectui, per quandam tamen ſimilitudinem, & voluntati, & virtuti naturali tribui ſolet. Nam voluntas ſæpè anceps, & indifferens eſt ad amorem, aut odium alicuius rei, nec magis ad vnam partem, quàm ad aliam inclinatur, ſed cùm alteram firmiter elegit partem, tunc dicitur eſſe certa. Hoc modo vſus fuit Virgilius, quando dixit, Æneas celſa in puppi iam certus eundi, Carpebat ſomnos rebus iam ritè paratis. Certũ eſſe dixit Æneam, pro decreuiſſe autem deliberaſſe, non quidem propterea, quòd aliter contingere non poſſet, ſed quia ita facturum firmiſsimè decreuerat, certitudinẽ pro voluntatis determinatione accepit. Propter hanc eandem cauſam (vt de voluntate dixi) certitudinis nomen per ſimilitudinem virtuti naturali tribuitur, quia illa habet determinatum obiectum, circa quod operatur. Iuxta hunc modum dicunt A Philoſophi, naturam certò ſemper operari, quod non ſit, accipiendum eſt, quòd nihil vnquam præter, aut contra naturæ intentũ eueniat, ſed quia natura ſemper circa determinatum aliquod, & non circa vagum, aut indifferens obiectum operatur, quanuis in ipſa ſua operatione ſæpè deficiat, non aſſequens id, quod intendit, propter impedimẽta, quæ illi obſtant. Hac de cauſa Ariſtoteles dicit, virtutem eſſe arte certiorem, quia per artem non determinatur artifex ad vnã certam materiam, nec ad vnum operationis modum, ſed poteſt alio, & alio modo operari. Virtus autem determinatum habet obiectum, quod reſpicit, & determinatũ operationis modũ, ſecundũ quẽ operatur: quanuis B à ſua operationẽ (vt de natura diximus) ſæpè deficiat propter malitiam eius, qui contra virtutis inclinationem operatur. Reperitur ergo certitudo in intellectu, in voluntate, in natura, & in virtute. Vnde in fide, & ſpe, quæ ſunt virtutes Theologicæ, planum eſt certitudinem reperiri, ſed alio modo, quia in prædictis; nam certitudo, nec in fide, nec in ſpe dicitur eſſe per ſimilitudinẽ, ſed per proprietatem. Eſt enim certitudo fidei Theologicæ propria conditio eius, & certitudo ſpei eſt propria conditio ſpei, diſtincta ſpecie à certitudine fidei, ita vt fiducia, quæ eſt certitudo ſpei, non ad intellectum, ſed C ad voluntatem pertineat, quemadmodum ſpes, cuius conditio ponitur.

Sed ne de nomine, fiducia, confusè loquamur, intellectui id attribuentes, quòd voluntati proprium eſt, quemadmodum Lutherani faciunt, nunc intellectui, nunc voluntati, nunc fidei, nunc ſpei fiduciam adſcribentes, quę ſola certitudo ſpei ſtatuitur, longè differens ab ea certitudine, quam fidei Catholicæ conditionem ponimus, non erit ab re, priùs de intellectus, & fidei Catholicæ certitudine, quæ nõ eſt dicenda fiducia; deinde de certitudine ſpei, quæ propriè fiducia eſt, & in volunttaem collocatur, aliqua neceſſaria ſcitu pertractare. Hæc igitur certitudo intellectus, triplex ponitur ab ijs, D qui de illa benè loquuntur. Eſt enim quædã certitudo euidentiæ, quæ eſt firmitas intellectus in iudicio ſuo, cauſata quidem ex ſola terminorum apprehenſione de primis principijs, cuicumque intelligenti notiſsimis: nam euidentia de concluſionibus deductis à primis, veris, & neceſſarijs, quę aliter eueni re non poſſunt, ex demonſtratione, vt effectus quidam productus ab aſſenſu præmiſſarum, & bonæ collectionis etiam in ſuo certitudinis gradu generatur. De rebus contingentibus poteſt etiam haberi euidentia, & ita certitudo, ſed aliter, quàm de rebus neceſſarijs: quia res neceſſariæ cognoſcuntur euidenter in vniuerſali per notitiam abſtrai-

&tiuam earum, contingentes verò nonnisi per notitiam intuitiuam, quæ habetur in præsentia alicuius rei singularis, & est ab ipsa re causata. Futura igitur contingentia, quoniam de illis non potest intuitiua haberi notitia, non possunt euidenter à nobis cognosci, proinde nec certitudo euidentiæ per nos haberi, quia deficiente euidentia, quæ est huius certitudinis causa, necesse est, vt etiã deficiat certitudo, quæ ab illa nascitur. Altera est certitudo fidei Catholicæ, & hæc est firmitas intellectus circa suum obiectum, quod est omne reuelatum à Deo. Hãc firmitatem, & certitudinem circa ea, quæ attinent ad fidem Catholicam, habet quisquis verè fidelis est, alias si dubitat, & vacillat, eo ipso fidem amittit. Ideo Athanasius, post quam totam fidei rationem expressit, statim subdidit. Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. Hæc certitudo hoc habet commune cum certitudine euidentiæ, quòd nullus, qui aliquam illarum habeat, potest in suo iudicio errare, aut deci pi. Hoc tamen inter illas interest, quòd certitudo euidentiæ oritur à modo cognoscendi, seu procedendi in obiecto, idest, à notitia terminorum in primis principijs, aut si est conclusio ab illis deducta, oritur à demonstratione, per quam conclusio fit euidens, & certa. Certitudo autem fidei Catholicæ magis oritur ab ipso obiecto, quod ex se certissimum est, & fallere non potest. Et hæc est certitudo rei in se, quæ ab aliquibus vocatur certitudo obiecti. Alia est certitudo, quòad nos, quæ ab aliquibus dicitur certitudo subiecti. Vtramque harum certitudinum oportet esse in al quo, vt verè ille certus dicatur esse de aliqua re. Alioqui de multis falsis possemus esse certi, si sola firmitas iudicantis sufficeret: quoniam multi tam firmiter, sine vlla dubitatione, & tam tenaciter suos tuentur errores, quàm firmiter alij amplectuntur veritates. Nullus autẽ sanæ mentis dicet, æquè certos esse eos, qui falsa sentiunt, sicut eos, qui vera pertingũt. Rursum si è contrario sola obiecti certitudo sine firmitate ipsius iudicantis satis esset, vt quis verè dicatur certus, fieret inde necessariò, vt quis simul posset esse certus, & dubius. Nam hoc modo qui de fide Catholica dubitaret, certus esse diceretur, quia licet ipse dubitet res tamẽ ipsa certissima est. Ne igitur tam absurda fateamur, oportet, duo hæc necessaria esse dicamus, ad hoc, vt quis de re aliqua verè certus esse censeatur, videlicet, ipsius rei in se certitudinem, & firmitatem iudicij, sine vacillatione illius, qui de re aliqua iudicat. Propter defectũ certitudinis ex parte obiecti, dicimus neminem ex se posse esse certum de aliquo futuro contingenti; quia illud nullam in se habet certitudinem, nisi aliunde, scilicet, ex decreto diuinæ voluntatis illi adueniat. Et iuxta hanc rationem certitudinis, quæ est ex parte obiecti, fateri oportet, scientiam, quam de Deo habent beati, non esse certiorem fide viatorum, quia æquè certum est obiectum vtriusque, quod est ipse Deus. Ex quo sequitur, quòd si considerare volumus certitudinem alicuius assensus ex sola certitudine rei de qua fertur iudicium, tùm verè dicemus certitudinem fidei Catholicæ esse maiorem certitudine scientiæ. Nam reuelata à Deo (de quibus solis est fides Catholica) esse vera, multò certius est omni alia re creata. Sicut enim Deus est fons totius bonitatis, & solus perfectè bonus, ita est fons totius veritatis, & solus perfectè verus. Omnia autem, quæ ex fide Catholica credere tenemur, à quocumque dicantur, ideò solùm credimus, quia à Deo primùm dicta sunt, aut à Deo ipso primùm reuelata, & postea ex mandato ipsius per hominem pronunciata sunt. Quò fit, vt verbum fidei Catholicæ ab homine, siue à Ministro Ecclesiæ prædicatum, non tam verbum hominis, quã verbum Dei esse dicatur. Si verò consideremus certitudinem, non ratione obiecti, sed ratione modi tendendi in obiectum, tunc dicimus scientiam esse certiorem fide, quia scientia tendit per euidentiam demonstrationis ad conclusiones: fides verò per piam affectionem, aut per rationem probabilem, aut per vtrumque simul tendit ad credibilia. Hic autem probandi modus nunquam est tam certus, sicut ipsa demonstratio. Scientia item nullam secum patitur dubitationem; Fides autem aliquam admittit, nempè leuẽ, & indeliberatã, quoniam nisi dubitatio sit tanta, vt hominem in oppositam partem, vtcumque trahat, non valet destruere fidem. Nam quod in cap. 1. de hæreticis dicitur: Dubius in fide infidelis est, non de omni dubitatione intelligendum est, sed de illa tantùm, quæ in oppositam partem flectere animum valet, ita vt intellectus in vtramque partem fluctuet, & in neutra illarum quiescat. Potest enim contingere, vt aliquis firmus in vno articulo fidei permanẽs, ex sola infirmitate leuiter dubitet, vt accidit in dubitatione subreptitia, quæ fit in primo motu, & in ijsetiã, qui à natura hoc habent, vt sint in qualibet re ancipites, & assiduis vrgeantur dubitationum scrupulis: hi enim etsi dubitant, leuiter tamen, quoniam ipsam dubitationem vincunt in fidei firmitate permanentes.

Fides igitur, quia secum admittit aliquam vel leuem dubitationem, minùs certa est ex modo tendendi in obiectum, quàm scientia, quæ nullam prorsus dubitationem secum permittit.

Tex-

Tertia denique est certitudo fidei humanæ, quam aliqui vocant certitudinem moralem, siue probabilem, & est firmitas intellectus circa suum obiectum, causata à pia voluntatis affectione, aut à ratione probabili. Hæc certitudo differt à duabus primis per hoc, quòd neutri illarum duarũ potest subesse falsitas, neq; qui alterutrã illarũ habuerit, potest per illã errare, aut decipi. Hæc autẽ certitudo moralis sæpè est circa falsa, & sæpè illã habẽtes errãt & decipiũtur in illa. Nãhęc certitudo nõ pẽdet vllo modo ex certitudine obiecti, sicut de alijs duabus certitudinibus suprà diximus, sed solùm pendet ex modo tendendi in obiectum, qui quoniã nullam, aut leuissimam habet dubitationem admixtam, ideo dicitur esse certus, quamuis res ipsa, circa quam versatur, non sit certa. Præter hos tres modos certitudinis iam dictos nullus est certitudinis modus. Nã certitudo illa, quam aliqui coniecturam vocãt, non est propriè certitudo: quia non habet tantam firmitatem, vt excludat omnem dubitationem, & omnem formidinem. Quò fit, vt siquid aliquo horum trium modorũ certum non fuerit, id cẽsendum sit verè incertum. Quod dixi, nullum alium certitudinis modum præter dictos tres reperiri, de certitudinibus, quæ ad intellectum, quæque ad fidem pertinent, & harum nullam certitudinem, fiduciam, siue fidentiam propriè vocari, intelligendum venit. Est tamen alius modus certitudinis, quàm tum spei virtutis Theologicæ conditionem, eandemque ad voluntatem pertinere, tum fiduciã rectè dici, suprà statui. Et de hac certitudine, quæ fiducia est, dicere est propositum, an soli Deo fidendum sit, & quo modo etiam sanctis fidere liceat, quemadmodum Ecclesia Catholica habet in consuetudine, vt Lutheranos, & Erasmum eorum protectorem eodem gladio confossos peruincamus.

Ante omnia tamen duas hæreses Lutheri circa certitudinem fidei Catholicæ refutandas duxi, vt è vestigio errorem hunc circa fiduciam, siue certitudinem spei virutis Theologicæ ordine rectiori, modoque faciliori conuincam.

Prima, ex duabus, hæresis Lutheri est, omnem hominem iustum scire se esse in gratia, & esse certum de sua iustitia, siue de sua iustificatione. Altera est, omnem fidelem esse obligatum ad certô credendum, remissa sibi esse gratis peccata sua propter misericordiam Dei, & meritum passionis Christi. Per has duas hæreses multos Christianos ignauos efficere, & ab omnium bonorum operum exercitio depellere tentauit Lutherus.

Contra primam dicit assertio Catholica, neminem ex lege communi absque speciali Dei reuelatione posse esse certum de sua gratia, & iustificatione, tanta certitudine, quãtam habet de articulis fidei Catholicæ. Hãc assertionem Catholicam tractant, & tenent Theologi Scholastici, Alexander de Hales, in tertia parte, summæ Theologicæ, q. 27. sanctus Bonauentura in 1. lib. Senten. dist. 17. part. 1. q. 3. Sanctus Thomas in 1. 2. q. 112. art. 5. Ricardus de Media Villa in 1. dist. 1. art. 2. q. 5. Durandus de sancto Pontiano in 1. Senten. d. 17. q. 4. Gabriel in 2. sentent. dist. 27. dubio vltimo. In quo loco immeritò reprehendit Doctorem Subtilem Ioannem Scotum, dicens ex dictis illius colligi, illum sentire hominem posse esse certum de sua iustificatione. Et (vt narrat Frater Alphonsus à Castrô, lib. 7. aduersùs hæreses) multi ex Catholicis, qui in Concilio Tridentino volebant defendere certitudinem gratiæ, conabantur trahere Scotum in fauorẽ suæ sententiæ, moti authoritate Gabrielis, qui illud tribuit Scoto. Sed reuera Gabriel, & quotquot alij hoc tribuũt Scoto, falluntur, quia mentẽ illius minimè assecuti sunt. Nam Scotus multis in locis clarissimè docet, neminem absque speciali Dei reuelatione posse esse certum de sua iustificatione. Hæc Catholica doctrina Scoti patet intuenti in 1. dist 17. q. 1. art. 1. in principio, vbi dicit, neminem posse cognoscere certitudinaliter se esse in charitate. Et in lib. 3. d. 27. q. vnica, & in 4. dist. 5. q. 1. volens bonitatem ministri non esse necessariã ad susceptionem baptismi, dicit hæc verba: Cùm enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propria, multò magis nec de bonitate alterius: ergo si ex bonitate ministri penderet baptismus, numquam posset aliquis esse certus se verè recepisse baptismũ, quod est inconueniens. Hæc ille. Et in eodem libr. 4. Sentent. d. 9. q. 1. differens de præsumptione necessaria ad dignè suscipiẽdum Eucharistiam, dicit, non esse necessarium, vt homo sciat se esse in gratia, quia aliàs nullus posset dignè suscipere, quia nullus potest certò scire se esse in gratia. Est ergo sententia Scoti, neminem posse esse certum de sua iustificatione tanta certitudine, quantam habet homo fidelis de articulis fidei Catholicæ, absque speciali Dei reuelatione.

Hanc Catholicam assertionem, qua opposita hæresis destruitur, quadruplici via, scilicet, Sacra scriptura, Determinatione Ecclesiæ Catholicæ, Authoritatibus grauissimorum Ecclesiæ Doctorum, & Rationibus iam probabo.

Sacram Scripturam primùm ingresso, mihi occurrit sanctissimus ille Iob, simplex, & rectus, ac timens Deum, qui pro incertitudine gratiæ euidentissimum testimoniũ

in

*Iob. 9.* in manus delit, dicens: *Si venerit ad me, non videbo eum, si abierit, non intelligam.* Hæc verba non possunt intelligi de motu locali, quia nullus est locus, in quo non sit Deus, ergo ad nullum locum venire, nec ab aliquo recedere mobiliter potest. Quare verba illa intelligenda sunt de aduentu Dei in animam hominis per gratiæ infusionem.

*Ioann. 14* De quo aduentu dixit Christus. *Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* De hoc ergo aduentu, dicit Iob. Si venerit ad me, non videbo eum, si abierit, non intelligam. Quibus verbis iuxta Beati Gregorij interpretationem Iob tantùm abest, vt certò sciat suam iustitiam, vt se nescire, quando Deus illi gratiam suam infuderit, aut quando illam semel donatam postea propter peccatum ab eo cõmissam subtraxerit, ingenuè fateatur.

Deinde Rex, & Propheta Dauid eandẽ sententiam testificatur in Psalm. 2. Reges admonens: *Seruite* (inquit) *Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* *Psalm. 2.* At secũdùm Cassiodori expositionem, vbi est tremor, siue (vt nos in scholis dicimus) formido de oppositо, non est certitudo; igitur iustus seruiens Deo in timore, non est certus de sua iustificatione. Rursum in Psalmo 18. inquit Propheta. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Ex hac authoritate argumentum deduco in robur nostræ assertionis Catholicæ, hoc modo. Ad hoc, vt homo certò sciat suam iustificationem, debet cognoscere se ab omni peccato mortali esse liberatum; sed nullus homo potest intelligere omnia sua delicta, vt dicit hìc Dauid. Nam aliqua peccata potest cognoscere iuxta illud Psal. *Quoniã iniquitatẽ meã ego* *Psal. 50.* *cognosco*, & alibi: *Delictum meũ cognitũ tibi* *Psal. 31.* *feci*: omnia tamen non, quia multa sunt quæ sæpè nos ignorantes commisimus, aut omisimus. Ergo nullus homo potest esse certus de sua iustificatione, absque speciali Dei reuelatione. Nec licitum est verba Prophetę restringere ad peccata venialia, tum quia ipsa Scriptura non sic coarctat; tum quia mundari petit Propheta ab occultis, quæ mundatio à mortalibus fieri solet peti. Sic Anselmus in Commentarijs super 4. cap. prioris epistolæ ad Corinth. & Bernardus epistola 42. quæ est ad Archiepiscopum Senonensem interpretantur de illis peccatis, quæ hominis iustificationem impedire possunt.

*Ierem. 17* Ad hæc per Ieremiam Prophetam, inquit, Dominus. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans, & probans renes. Si homo non potest perscrutari cor suum; ergo non potest certò cognoscere se esse in gratia; quia multa possunt esse in corde nostro absconditа, quæ impedimento gratiæ sufficiãt. Hunc sensum decerpsit Beatus Bernardus in epistola 42. ex dicta Ieremiæ authoritate.

*Danie. 4.* Daniel quoq; ad Nabuchodonosor Regẽ ait: Peccata eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Forsitan, constat esse notam dubitationis. Hæc autem dubitatio non ex paritia, & austeritate Dei, quem constat esse misericordissimum, sed ex imperfectione operum nostrorum, de quibus meritò ambigere debemus, an talia sint, vt misericordiam impetrare valeant, exoritur. Si igitur Daniel dubitabat Deum veniam daturum; sequitur inde, nec Danielem, nec Nabuchodonosor certos esse de remissione peccatorum. Quod & Hieronymus in commẽtarijs super Danielem sentit.

*Ioel 2.* Propheta etiam Ioel, cùm populum Dei admoneret, vt se in toto corde ad Dominũ benignum, & patientem conuerteret, ait. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus & relinquat post se benedictionẽ? Ecce Ioel dubitando dicit, quis scit, si ignoscat? ergo non erat certus de iustificatione eorũ, quos ad pœnitentiam exhortabatur.

*Iona. 3.* Quin Niniuitæ ad pœnitentiam, Iona prædicante conuersũ, dixerunt. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Quẽ locum Hieronymus de incertitudine iustificationis declarat. Iure ergo viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista Lutheranorum, homines falsis dogmatibus decipientium.

*1. Cor. 9.* Illud etiam est manifestum, quòd Apostolus in 1. ad Corinth. epistola pro incertitudine gratiæ testatur, dicens: *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed nec meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Hæc Paulus. Obserua primũ, quòd dicit Paulus, Nihil mihi conscius sũ, sed non in hoc iustificatus sum, ideſt, non propter hoc possum pronunciare me iustũ. In, accepit pro præpositionibus propter, aut Per, quod sæpè facere solet, sicut ad Ephesios 2. Qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi, hoc est per sanguinẽ Christi. Secundò adnota, quòd dicit, sed neque meipsum iudico, qui autem iudicat me, Dominus est. Ex quo sequitur, quòd nemo potest benè scrutari omnia sui cordis secreta, cùm solius Dei sit renes, & corda rimari, proinde nemo potest certò iudicare se esse

iusti-

iustificatum. Tertiò aduerte, quòd ait. Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui manifestabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quod de iudicio cordis proprij intelligendum est, perinde ac de iudicio alicuius alterius. Nullus ergo homo viator potest certam de sua iustificatione proferre sententiã absque speciali Dei reuelatione. Animaduerte insuper Paulũ certum esse de sua gratia, & gloria per reuelationem, sed de nobis loquitur in sua persona, vt benè adnotauit Chrysostomus super eadem Pauli verba, Homilia 11. super priorem Epistolam ad Corinth. sic inquiens. Nemo tamen Paulũ, vt stultum reprehendat, quòd neminem dignum ducit, qui de seipso ferat sentẽtiam: primùm enim non propter se hoc dicit, sed propter alios. Hæc Chrysostomus. Et post hunc Theophylactus idem de Paulo sentit, dicens super illa verba. Ita namque Diuus Paulus perpetuò solet quæ alterius sunt, in propriam transferre personam, inquè seipso docere, quæ alios est docturus. Hæc Theophylactus. Et hunc esse Pauli sensum docent, qui illa Pauli verba alicubi interpretati sunt, vt sunt Hieronymus lib. 2. Dialogorum contra Pelagianos. Augustinus exponens versum, *Abyssus abyssum inuocat.* *Psal. 42.* Chrysostomus. Homilia 11. super priorem Epistolam ad Corinth. Haymo super Paulum. Eadem similiter verba exponunt Ambrosius, & Anselmus ibidem, & Bernardus Epistola 42.

Lutheranos conuincit etiam, quòd in posteriore ad Corinthios Epistola Paulus ait. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* *2. Cor. 12* Si homines essent certi de sua iustificatione, non esset opus admonere illos, vt tentarent semetipsos. Hactenus de prima via.

Iam secunda via gradienti adest determinatio Cõcilij Tridentini sub Paulo III. celebrati, quæ in capit. 9. sessionis sextæ sub his verbis habetur. Quamuis autem necessarium sit credere, nec remitti, nec remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis, diuina misericordia propter Christum; nemini tamẽ fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendũ est, cùm apud Hæreticos, & Schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam cõtentione prædicatur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed nec illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemque à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum, qui certò credat se absolutum, & iustificatũ esse, atque hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitaret. Nam sicut nemo piùs de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Hæc Concilium Tridentinum. Et post datam hanc fidei definitionem, ne quis temerè contra eam aliquid dicere auderet, duos Canones latæ sententiæ 13. & 14. adiecit, quorum prioris verba sunt. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, vt credat certò, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit. Posterioris Canonis verba sunt. Si quis dixerit, hominem à peccatis absolui, ac iustificari ex eo, quòd se absolui, ac iustificari certò credat, aut neminẽ verè esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatũ, & hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici, anathema sit. Hactenus Cõcilium Tridentinum. Quod tamen eget expositione, & appono illam, quàm Frater Alfonsus à Castro Zamorensis, hoc decretum citans in lib. 7. aduersùs hæreses subtilissimè excogitauit, addiditque. Sed ne his verbis (inquit) malè intellectis, Lector aliquis labatur in aliquem errorem, volo Lectorem admonere, vt benè aduertat, & rectè intelligat verba illa Concilij; Cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Non enim per illa verba dicunt, neminem posse credere se esse in gratia, ita vt illi fidei non possit subesse falsum, sed dicunt, neminem posse illud scire certitudine fidei, cui non possit subesse falsum. Nam potest esse, vt aliquis iustus per coniecturas aliquas à Spiritu sancto donatas, hoc est, quasi illi Spiritus sanctus suggesserit, credat fide tantùm humana, id est, rationibus humanis innixa, se esse iustum, & illi fidei non potest subesse falsum: quia cùm Spiritus sanctus suggerat, vt sic credat, illi fidei non potest subesse falsum; sed ille sic credens non erit certus de sua iustificatione certitudine fidei, cui non potest subesse falsum. Quia etsi illas coniecturas illi suggesserit Spiritus sanctus, ille tamen nescit eas à Spiritu sancto fuisse ministratas, quod erat necessarium, vt ille esset certus certitudine fidei, cui non potest subesse falsum. Nã aliàs, etsi res in se sit certa, ille tamen non erit certus, quia sæpè po-

te-

terit meritò dubitare. Verba ergo Concilij intelligenda sunt de vtraque certitudine, videlicet rei in se, & quo ad nos, ita quòd vtramque certitudinem de sua gratia nemo sine speciali Dei reuelatione possit habere. Si autem ille nesciat certò illam suggestionem esse à Spiritu sancto, tunc illud diceretur esse certum speciali reuelatione. Quia non omnibus iustis datum est, vt sciant, quæ suggestiones sint à Spiritu sancto, & quæ à spiritu malo. Nam si omnes hoc scirent, non dixisset Ioannes, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* Sed quia sæpè Angelus Satanæ transfigurat se in Angelus lucis, ideò probare oportet Spiritus, an ex Deo sint, & inde necessariò sequitur, vt qui certò scit Spiritū aliquē esse à Deo, hoc habeat per specialem Dei reuelationem. Qui autem illa habet, benè potest esse certus de sua iustificatione certitudine fidei, cui non potest subesse falsum: quoniam qui ex tali reuelatione certò crederet se esse iustum, inniteretur diuini reuelationi, cui non potest, vt cōstat, subesse falsum. Et sicut illa est specialis, ita fides, qua certò credit, sicut tunc tenetur credere se esse iustum, est illi specialis, & non Catholica, quia non obligat alios, quibus non est facta illa specialis reuelatio. Cùm ergo Concilū dixit, neminē posse certò scire, certitudine fidei cui non potest subesse falsum, hoc idem est, ac si dixisset, certitudine habita per viam, per quam non potest falli, & talem viam habet ille, qui innititur reuelationi diuinæ. Quia autem per coniecturas instructas à Spiritu sancto, sed nesciens, certò eas esse à Spiritu sancto, credit certò se esse in gratia, non est certus certitudine fidei, cui nō potest subesse falsum. Quia etsi res in se certa sit, via tamen, qua illam credit, non est infallibilis: quia est solùm ratio humana probabilis, cui potest subesse falsum. Et hanc certitudinem moralē, vel coniecturalem quæ habetur per viam fallibilem, quam nos appellamus fidē humanam, Concilium non negauit, nec nos negamus, posse ex lege communi contingere multis iustis. Hactenus frater Alfonsus de Castro.

1. *Ioan.* 4

Ante Concilium etiam Tridentinum Innocentius III. in cap. vltimo de purgatione Canonica definiuit esse indiscretum, & temerariū, & ineptum iurare se esse immunē à peccatis, quamuis de illis pœnitentiam egerit. Et probat per illud Iob 9. c. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

*Iob.* 9.

Tertia via est ex authoritatibus grauissimorum Doctorum, quibus confirmatur prædicta assertio Catholica contra Lutherum. Hieronymus super 4. c. Danielis exponens illud. Peccata tua eleemosynis redime, &c. inquit. Cùm Daniel præscius futurorum de



A sententia Dei dubitet, rem temerariā faciūt, qui audacter veniam polliceantur peccantibus. Idem super illud Ioelis 2. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus*, ait. Quia profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei nosse non possumus sententiam tempero, & opto, potius quàm præsumo dicens. Quis scit si conuertatur, & ignoscat? Quod ait, quis, aut impossibile, aut difficile sentiendum est. Idem super Ionam 3. c. Illud quoque quod dicitur, quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, ideo ambiguum ponitur, & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortiùs agant pœnitentiā, & magis ad misericordiam prouocent Deū.

*Ioel.* 2.

B Idem etiam in libr. 2. Dialogorum contra Pelagianos pertractās illa verba Pauli 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, inquit. Qui hoc dicebat, nullius vtique peccati sibi cōscius erat, sed quia legerat, delicta quis intelligit? Et sunt viæ, quæ videntur viro iustæ, *Nouissima autem eorum respiciunt in profundum inferni.* Et iterum, *omnis vir videbitur sibi iustus: Deus autem corda hominum dirigit*, ideirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiā deliquisset, maximè cùm Scriptura testetur: *Est iustus, qui perit iniustitia sua.* Et alibi: *Iustè, quod iustum est, sectare: ne forte* opinione veritatis, à iustitia declinemus, recordantes Saulis, & Acham. Hæc

1. *Cor.* 4.

*Psal.* 18.

*Prou.* 14

*Eccle.* 17.

C Hieronymus. Vbi nos nunc dubios, nunc incertos, nunc nescios nostræ salutis, ac iustificationis, appellat. Et adhuc eādem sentētiam docet in Commentarijs super cap. 3. Ieremiæ, & super 13. eiusdem, & super ca. 6. Micheæ. In quibus omnibus intelligēdus est Hieronymus, vt Concilium Trident. definiuit, scilicet, quòd nō sumus certi nostrę iustificationis certitudine fidei Catholicæ, non tamen negat, nos posse esse certos certitudine coniecturali.

Augustinus explanans illam versum ex Psal. 40. *Abyssus abyssum inuocat*, & obiter illa verba Pauli, *Nec meipsum iudico*, ait, Quanta profunditas infirmitātis latebat in

*Psal.* 40. *Matt.* 14

D Petro, quando quid in se ageretur intus, nesciebat, & se moriturum cum Domino, vel pro Domino temerè promittebat. Quanta Abyssus erat? Quæ tamen abyssus nuda erat oculis Dei. Nam hoc illi Christus prænunciabat, quod in se ipse Petrus ignorabat. Ergo omnis homo licèt sanctus, licèt iustus, licèt in multis proficiens, abyssus est. Hæc Augustinus. Idemque super illud Psalmi, *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, hæc ait. Quæ occulta? quæ incerta? quia Deus ignoscit, & talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum, ad hoc incertum Niniuitæ pœnitentiam egerunt. Hactenus Augustinus.

*Psal.* 50.

Gregorius exponens illud Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum*, inquit. Acceſſus, receſſusque Dei à mente noſtra minimè cognoſcitur, quouſque Rex alterantium finis ignoratur, quia & de tentatione incertum eſt, vtrùm probet, an trucidet, & de donis nequaquam deprehenditur, vtrùm hìc deſertos remunerent, an in via nutriantur, vt ad patriam perducantur. Idem exponens illud eiuſdem capitis Iob: *Etiam ſi ſim plex fuero, hoc ipſum ignorauit anima mea*, ſic ait. Quia igitur, aut ab Inquiſitione noſtra torpentes, nos omnino neſcimus, aut ſi ſubtili nos diſcuſsione requirimus, plerumque inter vitia, virtuteſque caligamus, rectè nunc dicitur. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabat anima mea. Et poſt pauca declarans illud eiuſdem Iob, *& tædebit me vitæ meæ*, inquit. Tædet iuſtum viuere, quia & operando vitam non deſinit quærere, & tamen eiuſdem vitæ ſuæ meritum non valet inuenire.

Iob. 9.

Iob. 10.

Gregorius item ſuper illud Iob 14. *Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelligit*, ait. Sæpè homo agere quælibet bona intentione nititur, ſed tamen pro multis, quæ ſubripiunt, eius acta apud omnipotentem Deum qualiter habeantur, incertum eſt, ſiue itaque nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelligit: quia ſubtili examine diſcuſſa, vtrùm approbentur eius opera, an reprobentur, ignorat. Eandem ſententiam amplectitur Gregorius, in quadam Epiſtola ad Gregoriam Auguſtæ cubicularia, & eſt in lib. 6. regiſtri. cap. 186.

Iob. 14.

Chryſoſtomus, Homilia 11. ſuper priorem Epiſtolam ad Corinth. cap. 4. exponens illud: *Nolite ante tempus iudicare*, ait. Quòd ſi in quibus ipſe peccauit, nihil certè mihi conſcius ſum, quo pacto dignus fuero, qui de alijs feram ſententiam? Qua autem ratione, ſi res meas non ſatis exploratas habeo, aliena potero dijudicare? Hæc Chryſo.

1. Cor. 4.

Haymo ſuper Paulum, declarans illud primę Epiſtolæ ad Corin. cap. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum*, inquit. Neſcio, vtrum placeant ei, quæ ago, aut qualiter ea accipiat, qui melius cognoſcit, quid ſit in me, quàm ego: quoniam & ſi in maximis operibus peccatorum non deliqui, ſaltem in cogitationibus deliqui, & peccaui.

1. Cor. 4.

Caſsiodorus enucleans illũ verſum Pſ. 2. *Seruite Domino in timore, &c.* ait. Breuis & plena commonitio, qua Domino Deo, amabili timore ſeruitur. Nam ſicut remiſſa ſecuritas culpas admittit, ita timor deſiderabilis delicta ſemper excludit.

Pſalm. 2.

Cyprianus in ſermone de Eleemoſyna hoc ait. Ne quiſquam ſic ſibi blandiatur de puro atque immaculato corde, vt innocentia ſua fretus, medicinà non putet eſſe adhibendam vulneribus, cùm ſcriptum ſit: *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur, mundũ eſſe à peccatis ſuis?* Et iterũ in Epiſtola ſua Ioannes ponat, & dicat: *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſsi fuerimus peccata noſtra, fidelis, & iuſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat.* Hæc Cyprianus. Ecce quàm apertè condemnat hic Doctor Lutherum ſecuritatis promiſſorẽ, vt credentes, ſeu certos de ſua iuſtificatione Chriſtianos, Sacramentũ confeſsionis, quòd eſt medicina poſt baptiſmum peccantibus, negligant. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono, cap. 13. ait. Sunt qui pœnitentibus ſecuritatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur: *Curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax.* Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitimè pœnitenti promittit ſecuritatem. Et paucis interpoſitis ſubdit. Quamuis per pœnitentiam peccatorum propitiatio ſit, ſine metu tamen eſſe homo non debet: quia pœnitentis ſatisfactio diuino tantùm penſatur iudicio, non humano. Proinde quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſsione flere neceſſe eſt. Neque enim vnquam oportet pœnitentem habere de peccatis ſecuritatem. Nam ſecuritas negligentiam parit: negligentia autem ſæpe incautum ad vitia tranſacta reducit, Hactenus Iſidor. Qui luce clariùs docet, neminẽ eſſe certum de ſua iuſtificatione, & gratia modo explicato.

Prou. 20

1. Ioan. 1.

Ierem. 6.

Bernardus in ſermone 3. de Aduẽtu Domini, inquit. Accedit ſanè ad ſolicitudinis cumulum, & pondus timoris, quòd cùm & meam, & proximi conſcientiam ſeruare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis nota eſt. Hæc Bernardus, poſtquam dixerat periculum eorũ, qui curam animarum ſuſcipiunt.

Horum illuſtrium virorum ſententiæ ſuffragatur, ſubſcribitque Ioannes Gerſon in quodam tractatu de ſignis bonis, ac malis, qui eſt in 4. p. operum illius, vbi hæc ait. Signum malum, iudicare ſe eſſe in gratia cum certitudine, niſi per reuelationem clarã habeatur, cùm ſufficiat pro ſtatu præſenti probabilis cõiectura. Neſcit quippe homo, an amore, vel odio dignus ſit, tũ quia neſcit, an opera ſua acceptentur coram Deo: tũ quia ignorat, qua diſtrictione iudicẽtur, aut quo fine terminentur: tum quia mentalis oculus cæcutiens eſt, putans aliquando de gratijs gratis datis, vel acquiſitis gratiam eſſe gratum facientem: tum denique, quia Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, exufflans per aliquam latentem ſuperbiam flammam charitatis, conſeruans nihi-

lominus lucem quandam acquisitæ, seu consuetudinalis virtutis. Hæc Gerson. Eteandem sententiam docet in tractatu de præparatione ad Missam, qui est in 2. part. operum suorum. Hactenus de 3. via.

Vt autem quartam viam ingrediamur, qua rationibus contra prædictam hæresim de certitudine iustificationis enixissimè pugnandum est' priùs animaduertere oportet, Lutherum, & illius sectatores ideò dixisse, solam fidem esse satis ad hominis iustificationem, vt hac via possint homines esse certi de sua gratia: quoniam si opera in Lutherismo essent necessaria, ipsi Lutherani fatentur, nemini suam iustificationem posse esse certam. Cùm igitur in Catholica veritate opera sint necessaria ad hominis iustificationem, quod hæretici isti diffitentur, ex necessitate operum ad iustificationē: probo primò incertitudinem iustificationis, eo modo, quo supra exposui, ex eo quòd sanctus Petrus admonet, dicens: *Qua propter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem facatis.* 2. Pet. 1. Si absque bonis operibus non potest esse in se certitudine obiecti certa vocatio, per quam Beatus Petrus intelligit præsentem iustificationem, nec potest esse certa in se electio, per quam futuram gloriam significat: ergo nullus, qui non est certus, se bona opera, & nulla mala habere, poterit esse certus certitudine subiecti de sua vocatione & electione. Imò licèt hæc sint certa in se, nō tamē sūt certa quoad nos, hoc est, nos non sumus certi de illis, quia nescimus, an opera nostra sint bona, & grata Deo. Nam vtraque certitudo, scilicet, subiecti, & obiecti est necessaria (iuxta illud quod supra huic disputationi præfixi) vt quis verè certus de aliqua re esse dicatur, & de hac duplici certitudine contentio hæc venit intelligenda. Ipsi autem Lutherani fatentur, neminem posse esse certū de suis operibus, quòd sint bona; igitur nemo potest esse certus, quòd ipse sit iustus. Videntes tamen Lutherani apertissima sacræ Scripturæ testimonia, quibus euidentissimè probatur, hominem sine bonis operibus, aut cum aliquibus malis non posse esse iustum, confessi sunt bona opera esse necessaria ad hominis iustificationem, sed negant iustificationem aliquam imputari bonis operibus, quamuis illa sint facta post ipsam iustificationem, sed totam iustificationem dicunt esse tribuendam soli fidei. Et ita coacti sunt docere, contritionem vel verā pœnitentiam esse necessariam ad iustificationem: quamquam nec contritionem, nec pœnitentiam aliquid ad iustificationem agere dicant. Si igitur contritio magna (vt isti hæretici vocant) & vera pœnitentia est necessaria peccatori ad gratiæ consecutionem, inde conuincitur, neminem ex lege communi posse esse tā certum de sua gratia, quantùm est certus de articulis fidei: quia nemo ex lege communi potest habere hanc tantam certitudinem, quòd sua pœnitentia sit vera, quòd sua contritio sit tanta, quanta erat necessaria. Pari modo si isti hæretici fateantur opera esse necessaria ad impetrandam iustificationem, aut ad conseruationem illius, sicut Lutherus ipse, quanquam alibi sæpè dixit opera non esse necessaria ad iustificationem, tamen in assertione sua articulorum damnatorum à Leone X. articul. 12. aperte fatetur operū necessitatē: suo istos gladio iugulamus. Quia de valore, & æstimatione bonorū operū apud Deū nemo potest esse certus: igitur nemo de sua iustificatione potest esse tā certus, quā est de articulis fidei Catholicæ.

Præterea suo iterum gladio istos iugulari inde colligitur, quòd Lutherus docet optimam pœnitentiam esse nouam vitam, hoc est, necessarium esse abstinere à peccato, vt gratiam iustificationis consequatur homo. Non potest autem homo esse certus se abstinere à peccato: ergo non potest esse certus de sua iustificatione. Assumptum probatur. Quia (vt clarissimè constat) potest homo culpabiliter ignorare se aliquid omisisse, quod sub interminatione gehennæ facere tenebatur: potest etiam facere aliquid, quod ignorat esse peccatum. An autē tale aliquid sibi contingat, nemo de se certus esse potest, quia ob id dixit Propheta: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis mū da me Domine*: occulta peccata vocans illa, quæ homo ignorat esse peccata: ideoque petit mundari ab illis, sciens illorum, quæ non intelligit esse peccata, pœnitere ipsum non posse. Ob id quoq; Paulus dixit: *Nihil mihi cōscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* 1. Cor. 4. Quod exponens Anselmus, inquit. Rectè enim me egisse recolo, sed de meritis nō præsumo; quia ad eius examen vita nostra ducitur, sub quo & virtutes nostræ trepidant. Hæc Anselmus. Et Ambrosius fatens eidem sententiæ in Commentarijs super Paulum ait. Nunc humiliat se, & loquitur homo, qui posset culpam incurrere nescius. At Lutherus videns necessitatem bonorum operum non posse conuenire cum certitudine gratiæ, exclusit necessitatem bonorum operum ad iustificationem, quæ opera supra necessariò ponenda probatum est. Intelligens etiam certitudinem gratiæ non posse stare, si necessariò est abstinendum à peccatis, dixit illud non esse necessarium, sed solam fidem sufficere ad iustificationem, & nulla peccata quantumlibet grauia posse impedire hominis iustificationem, si ille firmam fixamque habeat fidem;

imò omnia peccata dicit Lutherus contegi, & obrui per solam fidem, perquè eandē posse quempiam certam efficere suam iustificationem. Ecce quò progreditur definiendi temeritas. Nam vt quis defendat, quòd semel ab eo temerè pronunciatum est, non erubescit in absurdissimos, & pestilentissimos quosque errores præcipitem se dare. Sed neque per istas rimulas argumenti prædicti robur quibit subterfugere. Iste enim, & illius Sectatores alibi docent, per quodlibet peccatum mortale fidem amitti, ex quo dicto facilè cōuincitur, falsum esse id, quod postea asseruerunt, fidem contegere, & obruere omnia peccata mortalia, nullumque esse peccatum mortale, nisi solam incredulitatem. Sed heus, nūquam legistis apud Aristotelem, oportere mendacē esse memorem? Hæc enim duo vestra dicta sibi inuicē contrariantur, Fides amittitur per quodlibet peccatum mortale. Fides contegit omnia peccata mortalia præter incredulitatē. Nam si fides amittitur per quodlibet peccatū mortale: ergo non potest contegere, & obruere illud. Et rursum, si fides contegit omnia peccata mortalia: ergo non amittitur per quodlibet illorum. Ecce nunc in istis Lutheranis experimur verum esse, quod Propheta Ieremias de alijs similibus dixit: *Docuerant linguas loqui mendaciū, vt iniquè agerent, laborauerunt.* Multum enim laborare oportet mendacem, vt in mendacio suo non comprehendatur. Ex necessitate igitur bonorum operum, & ex necessitate abstinendi à peccato, vt homo queat iustificari, satis probatum est, neminem posse esse certum modo supra expositio de sua iustificatione.

*Ierem. 9.*

Rursus ex inconuenientibus, quæ ex tali certitudine sequuntur, eandem Catholicam assertionem apprimè corroborari arbitror. Primùm enim sequitur, quòd si omnis iustus certus est de sua gratia, quā iam habet, omnis iustus est etiam certus, se gloriam æternam habiturum, seque esse prædestinatum. Consequentia etiam iuxta fallacem doctrinam Lutheri est nota; quia ille asserit cū Iouiniano, & Pelagio Hæreticis, eum, qui iustificatus est, non posse ampliùs fieri iniustum. Si is, qui semel gratiam accepit, & acquisiuit, nō potest illam ampliùs amittere: ergo certum est, omnem talem habiturum gloriam æternam: quia Christus promisit, se illam daturum omnibus iustis in gratia decedentibus, Matth. 25. dicens. *Ibunt iusti in vitam æternam.* Sed consequens est falsum: ergo illud, ex quo sequitur. Falsitas consequentis probatur. Nam fingamus Petrum certō scire absque speciali Dei reuelatione se esse prædestinatum, seque vitam æternam habiturum. Probo igitur Petrum sine Dei

*Matt. 25*

A reuelatione numquam id scire posse, quoniam secluſa Dei reuelatione, nulla patet via per quam id potuerit Petro esse certum. Primò quidem Petrus non potest esse certus certitudine euidentiæ de sua prædestinatione, deque sua gloria futura, quoniam se esse prædestinatum, seque gloriam habiturū, non potest sibi esse aliquo modo euidens. Nam ex sola terminorum notitia non potest esse euidens: quoniam sola prima principia per se nota, sunt hoc modo euidentia. At cùm Petrum esse prædestinatum nō sit principium per se notum, consequens est, vt non possit hoc modo esse euidens. Et certè si hoc modo posset esse euidens Petro se esse prædestinatum, seque habiturum gloriam

B cuicumque etiam alij homini esset euidens, Petrum esse prædestinatum, eumque vitam æternam habiturum: quia nomina & voces huius enunciationis, Petrus est prædestinatus, & gloriam habiturus, quicumque alius potest cognoscere, & ita oporteret, vt quicunque alius homo posset euidenter scire Petrum esse prædestinatum, & gloriam habiturum. Hoc autem fateri summa esset dementia,

Non potest etiam esse euidens Petro per demonstrationem, se esse prædestinatum, & gloriam habiturum; quoniam Petrum esse prædestinatum & gloriam habiturum,

C non est res necessaria, sed merè contingens, quippe quæ ex sola pendeat libera Dei voluntate. Non enim necessitate aliqua, sed libera sua voluntate Deus homines ad vitam æternam prædestinat, vultque illis dare gloriam de qua re nos admonet Paulus ad Roma. 9. dicens. *Non volentis, neque currenti, sed miserētis est Dei.* Dicit enim scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostēdam in te virtutē meam, & annuncietur nomen meū in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult, indurat. Constat igitur prædestinationē, quæ ex sola libera Dei voluntate pendet, rem esse contingentē, & non necessariam; res autem contingentes non possunt per demonstrationem

*Rom. 9.*

D probari; quoniam (vt Aristoteles docet) de contingentibus non potest haberi scientia.

Nec potest esse euidens Petro per experiētiā, se esse prædestinatū: quoniā id, quod sic est euidēs, oportet, sit facialiter & intutiuè agnitū, at prædestinationē illā, qua Petrus est prædestinatus, quæ actus est diuinæ volūtatis, nemo nisi Deo volēte, & manifestāte intueri valet. Nā talis actus diuinæ volūtatis, quo Petrū ad vitā æternā ordinat, nisi Deo viso, videri non potest. Imò, quod mirabilius est, etiam si Deum ipsum quis videret, non tamen ideo necessarium esset, vt diuinam illam volitionem intueretur, qua Petro decernit Deus vitam dare æternam.

nam. Nam (vt B. Augustinus egregiè docet) est Deus speculum quoddam voluntarium, ea quæ vult, in seipso pandens, & manifestans, & quæ vult, abscondens. Non est igitur possibile, vt Petro, qui diuinæ voluntatis decretum intueri non valet, fit per experientiam euidens, se esse prædestinatum, seque vitam æternam habiturum. Adde, quòd iudicia Dei sunt hominibus tam occulta, & incognita, vt illa neque intueri, nec alio modo cognoscere valeat. Ideo Regius Propheta ostendere nobis volens, quantùm nos diuina iudicia lateant, dixit: *Iudicia Dei abyssus multa.* Et huius filius Rex Salomon ait: *Quis hominum poterit scire consilium Dei?* aut quis poterit cogitare, quid velit? Et Apostolus, inquit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Ex his omnibus satis constat, neminem absque clara Dei visione, aut citra specialem Dei reuelationem posse certò scire certitudine euidentiæ se esse prædestinatum, habiturumque vitam æternam. Restat probandum, neminem etiam sine speciali Dei reuelatione posse certitudine fidei Catholicæ certò scire se esse prædestinatũ, gloriamque obtenturum. Quoniam quisquis dixerit se tali certitudine esse de sua prædestinatione certum, fateatur necesse est, esse articulum fidei, se esse prædestinatũ, aut per euidentem & manifestam consequentiã deduci ex aliquo articulo fidei, aut ex aliquo loco sacræ Scripturæ. Neutrum autem dari potest. Primum quidem in aperto est, siquidem nec in symbolo Apostolorum, nec in sacris Codicibus legimus, Petrũ, aut Ioannem esse ad vitam æternam prædestinatum. Alterum verò liquet. Nullibi enim reperitur articulus fidei, aut locus Scripturæ sacræ, vnde per bonam consequentiam deriuetur, Petrum, aut Ioannem esse prædestinatum. Alioqui omnes Christiani tenerentur credere Petrum, aut aliquem alium hominem particularem esse prædestinatũ; quoniã ea, quæ per euidentem consequentiam ex articulis fidei deducuntur, omnes sub interminatione gehennæ credere tenentur. Nisi dicas posse id deduci ex illa Christi promissione facta benè operanti, & suis mandatis obedienti: *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.* Verùm ex hac sola promissione nõ potest quis esse certus de sua prædestinatione: quoniam non est nuda, & absoluta promissio, sed conditionalis, sub hac videlicet conditione, quòd seruet mandata. Nemo autem sine speciali Dei reuelatione potest esse certus, se habere illam mandatorum Dei adimpletionem, quæ satis sit iuxta Dei promissionem, ad vitam æternam certò assequendam. Nam illa obedientia, qua quis hoc tempore articulo diuina exequitur mandata: etiam si certò sciret, se tunc perfectè diuinis obedire mandatis, non valet hominem reddere certum de vita æterna obtinenda. Non enim secundùm quamcumque obedientiam seruanti Dei mandata, sed solum iuxta eam, quæ erit in finalem perseuerantiam, Deus vitam æternam se daturum promisit. *Qui perseuerauerit, vsque in finem* (inquit, ipsa veritas) *hic saluus erit.* Et Salomon ait. Si ceciderit lignum ad Austrum, siue ad Aquilonem, in quocũque loco ceciderit, ibi erit. Quæ verba interpretans Hieronymus in Cõmentarijs super Ecclesiastem, inquit. Lignũ, quod in hac vita corruerit, & conditione mortalitatis fuerit incisum, aut peccauit antè dum staret, & in Boreæ parte postea pontur, aut si dignos Austro fructus attulit, in plaga iacebit Australi. Hæc Hieronym. Fortè hæreticus, qui de sua prædestinatione se certum esse contendit, prædictis rationibus victus dicet, nõ ex sola cognitione præsentis iustitiæ, sed etiam ex cognitione finalis perseuerantiæ, esse sibi certò persuasum certitudine fidei Catholicæ, se esse ad vitam æternam prædestinatum. Sed qui hoc diceret, errorem errori adderet: quoniam sine speciali Dei reuelatione suam finalem perseuerantiã certò cognoscere potest nemo. Nam de hac sola, id quod Salomon ait, intelligendũ est. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Super quæ verba inquit Hieronymus. Nec amicitias, nec inimicitias scit homo, sed omnia corã eis incerta, propterea, quòd omnibus eueniunt similia, iusto, & iniusto. Porrò sensus est. Etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset, & inueni, iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrùm amẽtur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguò fluctuare, vtrùm ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. Hæc Hieronymus.

Et Augustinus in lib. de Pastoribus, cap. 12. inquit. Temerarijs iudicijs plena sunt omnia, nec timore certus est, nec amore.

Deinde perseuerantiam in bono, aut suam prædestinationem non esse alicui homini sine speciali Dei reuelatione notã, testantur concorditer omnes sacri Doctores.

Bernardus in sermone 1. de Septuagesima de cœlesti electorum generatione differens, inquit. Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere, ego de electis sum? ego prædestinatus ad vitam? ego de numero filiorum? Quis hæc (inquam) dicere potest reclamante Scriptura, Nescit homo, an amore dignus sit, an odio? Certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxie-

*Psal.* 35. *Sapien.* 9. *Ad Ro.* 11 *Matt.* 19. *Eccle.* 11. *Eccles.* 9.

xietate cruciemur. Hæc Bernardus.

Et Beatus Gregorius libr. 6. in Regiſtro exponẽs illud Saluatoris, Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat, hæc ait. Spiritus quidem venit, & vadit, quia reprobos deſerit, electos aſſumit, & quia iudicium omnipotẽtis Dei inperſcrutabile eſt, vnde veniat, & quò vadat, homo neſcit: quia ſcire non poteſt, an quis in gratia, quam recipit, perſeuerare in perpetuum debeat. Eidem ſententiæ fauet Salonius Viennenſis Epiſcopus, Gregorio vetuſtior, qui in Commentario, quod in modũ dialogi fecit ſuper Eccleſiaſtẽ, exponẽs illud Salomonis. Quis nouit ſi Spiritus filiorũ Adã aſcendat ſurſum, & Spiritus iumẽtũ vocatur deſcendat deorsũ, ait. Quia tã incertus eſt vitæ huius ſtatus, vt an peccator, qui iumentũ per pœnitentiã conuerſus ſurſum aſcendat in cœlum, & iuſtus à iuſtitia ſua ruat in peccatum, & demergatur ad inferos incertum ſit nobis. Hæc Salonius.

Et Beatus Auguſtinus multis in locis eandem ſententiam docet, nam in Epiſtola ad Probam tractans illud Pauli: *Nolite ante tẽpus iudicare*, ait. Sicut ſibi quiſque nemo
1. *Cor.* 4. alter alteri notus eſt, & tamen, nec ſibi quiſque ita notus eſt, vt ſit de ſua craſtina conuerſatione ſecurus. Et lib. 11. de ciuitate Dei, c. 12. de iuſtis viris loquẽs, inquit. Qui licèt de ſuę perſeuerãtiæ præmio certi ſunt, de ipſa tamen perſeuerantia ſua reperiuntur incerti. In lib. quoque de bono perſeuerantiæ, in ipſo exordio ait. Aſſerimus ergo donum Dei eſſe perſeuerantiam, qua vſque in finem perſeueratur in Chriſto; finem autem dico, quo vita iſta finitur, in qua tantummodo periculum eſt, ne cadatur. Itaque vtrum quiſque hoc minùs acceperit, quandiu hanc vitã ducit, incertum eſt. Hactenus Auguſt.

Preterea incertitudo perſeuerantiæ oſtenditur per ea loca Sacræ ſcripturæ, quæ nos admonent, vt infuturum ſimus cauti, & nobis ipſis proſpiciamus. *Qui ſibi videtur ſtare* (inquit Paulus) *videat, ne cadat*. Et Salo-
1. *Cor.* 1. mon ait: *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus*. *Prou.* 28 Ex quibus dictis ſequitur, quòd ſi homo ſemel iuſtificatus certus eſſet de ſua perſeuerantia, nõ erat opus illum admonere de cautela, & pauore. Quòd ſi non eſt de ſua perſeuerantia finali certus homo, neque erit certus de ſua prædeſtinatione.

Hæc eſt etiam determinatio Concilij Tridentini ſub Paulo III. celebrati, ſeſſion. 6. c. 12. ſic definientis. Nemo quoque quãdiu in hac mortalitate viuit, de arcano diuinæ prędeſtinationis myſterio vſq; adeo præſumere debet, vt certò ſtatuat ſe omnino eſſe è numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus, aut amplius peccare non poſsit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt quos Deus ſibi elegerit. Et ca. 13. de perſeuerantiæ munere, inquit Cõcilium. Similiter de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt. *Qui perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit*. *Matt.* 10 Quòd quidẽ aliũde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potẽs eſt, eũ, qui ſtat, ſtatuere vt perſeueranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere. Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tamen in Dei auxilio firmiſsimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Veruntamen, qui ſe exiſtimant ſtare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operẽtur, in laboribus, in vigilijs, & eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiunijs & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes, quòd in ſpẽ glorię, & nõdũ in gloria renati ſũt, de pugna, quæ sẽper eſt cum carne, cũ mundo, cũ diabolo, in qua victores eſſe nõ poſſũt, niſi cũ Dei gratia Apoſtolo obtẽperent dicẽti. *Debitores ſumꝰ, non carni, vt ſecundùm carnẽ viuamus, ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. *Ad Ro.* 8. Et poſt determinationem de prædeſtinatione, & de perſeuerantiæ dono, nequis auſu temerario contra illam deinceps ire præſumat, Canonem hunc latæ ſententiæ, qui decimus ſextus eſt, ſtatuit, dicens. Siquis magnũ illud perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta, & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit anathema ſit. Hactenꝰ Concil. Trid. Hìc animaduertendũ eſt, hãc abſque ſpeciali Dei reuelatione de prædeſtinatione alicuius hominis particularis, deq; eius finali in bonitate, & iuſtitia perſeuerantię incertitudinẽ nihil obſtare, quin per ſigna aliqua & coniecturas poſsit homo cõijcere, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum. Quæ quidem ſigna iuxta ſacrorum Doctorum traditionem teſtimonijs ſacræ Scripturæ roborata ſunt, patientia in tribulationibus, miſericordia erga pauperes & afflictos, humilitas, contẽptus rerũ mundanarũ, vbertas lachrymarũ, præſertim pro deſiderio patriæ cœleſtis, libens, & alacris auditio verbi Dei, & alia id genus multa. Hæc tamen non reddunt hominẽ certũ certitudine fidei Catholicæ de ſua prædeſtinatione, neq; de ſua finali perſeuerantia, ſed certitudine quadam coniecturali, cui poteſt ſubeſſe falſum. Ex quo igitur falſum eſt, hominem de ſua prædeſtinatione poſſe eſſe certum certitudine euidentiæ, aut certitudine fidei Catholicæ, ſatis probata relinquitur ſupra dicti conſequentis falſitas, ſcilicet, quòd quis ſit cer-

certus de sua prædestinatione, quod fuit primum inconueniens. illatũ, ex eo, quòd quis esset certus de sua iustificatione: ergo etiam falsum est antecedés illud, ex quo sequitur.

Alterum inconueniens deduco ex hac Lutheri hæretica assertione. Nam si iustus absque speciali Dei reuelatione certus ex fide est de sua iustificatione, sequitur non esse opus, Deum aliquot speciales fecisse reuelationes aliquibus suis amicis, & sanctis de plenaria remissione peccatorum, quæ perpetrauerunt, quia sine illis reuelationibus fuissent iuxta Lutheranorum sententiam, omnes illi certi per fidem, remissa sibi esse omnia peccata. At verò hæc sequela maximum inconueniens secum affert; siquidem cogit esse fatendum, Deũ superfluas, & nullius prorsus valoris reuelationes facere, cũ tamen Aristoteles dicat, Deum, & naturam nihil facere frustra. Quis autem sanę mentis inficiabitur, magno, ac singulari beneficio fuisse affectos à Deo eos, quibus in particulari fuisse reuelatam suorum omnium peccatorum remissionẽ Euangelistæ ab Spiritu Sancto edocti retulere? Nam de Maria Magdalena in præsentia illius dixit Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et cuidam paralitico iacenti in lecto dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et item alteri paralytico: *Ecce iã sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et ad Zacheum: *Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ.* Et mulieri, quæ sanguinis fluxũ duodecim annis patiebatur, cùm stans retrò, tetigisset fimbriam, dixit Christus: *Confide filia, fides tua saluam fecit.* Et de Seraphico meo Patre sancto Francisco instituti Minorum fundatore narrat Beatus Bonauentura in historia vitæ illius, Deum reuelasse illi, omnia peccata sua, vsque ad minimum fuisse illi à Deo remissa.

*Lucæ 7.* *Matt. 9.* *Ioan. 5.* *Luc. 19.* *Matt. 9.*

Tertium inconueniens est, quòd hæc propriæ iustificationis certitudo non paruæ elationis occasionem præberet. Quod Beatus Gregorius exponens illud Iob: Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, optimè docet. Plerumque (inquit) si scimus bona, quæ agimus, ad elationẽ ducimur, si nescimus, minimè seruamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quãtulumcumque superbiat? Aut quis rursus bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra vtraq; quid superest, nisi vt recta, quæ agimus, sciẽdo nesciamus? vt hæc & recta æstimemus, & minima, quatenus, & ad custodiam sensificet animũ scientia rectitudinis, & in tumorem nõ eleuet æstimatio minorationis? Hæc Gregorius. Quod autem dixit, recta, quæ agimus, sciendo nesciamus, ita intelligendũ est, ac si dixisset. Credamus illa esse bona, cum formidine tamen, & dubitatione, ita vt nec certò sciamus esse bona, nec omnino ignoremus. Hæc enim propriæ iustitiæ consideratio *Phariseo* ansam præbuit despiciẽdi *publicanum* simul in eodem Templo orantem, sicut Luciferi propriæ pulchritudinis contemplatio in horrendam euexit superbiam, qua Deo voluit coæquari. *Luc. 18.*

Vltimum, quod sciam, inconueniens ex illa amarulentissima Lutheri radice inferri autumo, quòd hæc propriæ iustificationis certitudo viros præsertim imperfectos, desides, vecordes, ac somnolentos redderet ad benè operandum. Ideo autem Deus nobis incertam fecit horam mortis, iuxta vnanimem omnium sacrorum Doctorum sententiam, ne homines inde turpiter scelerateq; viuendi, vsque ad tempus illud occasionem acciperent, cum spe tempore morti propinquo pœnitendi. Et quid aliud eueniret, si homines certam haberent suam iustificationẽ? Profectò se iustos iam esse existimantes, & nihil amplius de acquirenda iustitia curarẽt, & ad perdendam, quã semel pepererãt, facilè peruenirẽt. Ecce per quatuor vias Lutherano monstro animas hominum vastanti satis occursum est.

Nec verò callida Lutheranorum Sophismata prædictas vias claudere possunt, quin potiùsquàm facillimè diluũtur. Aiunt. Qui negant certitudinem iustificationis haberi posse, excruciant conscientias, easdemque ducunt in desperationem, dum semper illas dubitare faciunt. Sed isti ex vno extremo ad aliud sine medio transire volunt: quia ex negatione certitudinis gratiæ, volunt inferre desperationem salutis; at nos negando certitudinem fidei Catholicæ de iustificatione particulari alicuius absque reuelatione speciali, non volumus concedere desperationẽ, sed dumtaxat volumus dare mediũ aliquod inter vtrumque, videlicet probabilem opinionem, seu coniecturalem certitudinẽ de propria iustificatione. Ideoquè nego istorũ consequentiam sic argumentãtiũ. Iste est in certus de salute sua, ergo desperat, quia est mediũ inter incertitudinẽ & desperationẽ, videlicet probabilis quædã fides, aut opinio de sua iustificatione. Si quæras, vnde probabilis opinio concipi potest. Dico posse cõiecturã sumi, atq; gigni, cũ ex multis signis iustitiæ gratiæq; interioris, tũ præcipuè ex dolore de peccatis, ex proposito vitãdi omnẽ Dei offensã, cunctaq; diuina mãdata seruãdi, ex mũdi contẽptu, ex patriæ cœlestis desiderio, ex libẽti verbi Dei auditione, ex delectatione in rebus diuinis, ex prompta voluntate mandata Dei exequendi, ex eo, quòd nullus peccati mortalis scrupulus conscientiam remordet, & ex timore Deum offen-

offendendi. Cæterùm hæc omnia non sunt signa adeò certa, iustificationis, vt habens illa non possit decipi iudicando se esse iustum: quia cum illis omnibus signis potest habere aliquod peccatum mortale latens, & occultum. Sunt tamen signa efficacissima ad causandam probabilem opinionem, aut certitudinem coniecturalem de propria iustificatione, & ad repellendam desperationē, & ad inducendam consolationem. Vnde Chrysostomus, Homil. 3. super posteriorem Epistolam ad Corinth. inquit. Sufficit nobis ad solatium, imò non tantùm ad solatium sufficit nobis pura conscientia, verùm etiam in hoc, vt coronemur, dum præbet nobis testimonium, quòd nihil commiserimus mali. Et Bernardus, lib. 2. de consideratione ad Eugenium, ait. Nolo glorieris testimonio conscientiæ, sed non minùs, vt eodem ipso humilieris. Et paulò post. Fruaris conscientiæ bono, magis autem, vt scias, quid desit tibi. Nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. Ecce Bernardus asserit nos habere solatium, & consolationem ex testimonio conscientiæ nostræ, & non plenam certitudinem, atque securitatem, vt Lutherani isti contendunt. Et ne ex hoc solatio, & testimonio conscientiæ quis superbiat, ecce quod Bernardus vult, iustum ex testimonio conscientiæ suæ humiliari.

2. Cor. 1.

Nec aduersarij vrgent nos per illud Pauli. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt.* Ex quibus verbis male colligunt isti Lutherani, Apostolos per solam Spiritus sancti infusionem, & non per aliquam specialem reuelationem cognouisse dona Dei specialiter illis collata, & inde arguunt, omnibus iustis hoc esse concessum, vt certò cognoscant gratiam iustificationis, quæ inter dona Dei connumeratur. Sed isti decipiuntur, & nolunt intelligere, vt benè agant. Nam longè alia est intentio Apostoli, qui non de donis specialibus alicui collatis loquitur, quale donum est gratia iustificationis, sed de beneficijs communibus, quæ Deus toti generi humano concessit, qualia sunt, redemptio, doctrina fidei, sacramenta, per quæ possimus iustificari: hęc autem omnia, non solùm iusti, sed etiam omnes fideles certò sciunt, per donum fidei, quam à Deo acceperunt. Quòd hic sit sensus illius loci etiam, idē Apostolus paulò post manifestat, dicens. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus.* At Apostoli nō prædicabant propriam alicuius hominis iustificationem, aut alia peculiaria hominis dona, sed communia illa, quæ suprà recensui. Et ad habendas Deo gratias pro huiusmodi peculiaribus beneficijs, satis est cognoscere illa dona specialia per probabilem opinionem de illis habitam, per quam habitus interiores solùm cognoscimus, licèt actus animę experiamur. Et non est necessaria ad hoc, vt gratias reddamus Deo pro huiusmodi donis peculiaribus certitudo fidei Catholicæ.

Nec etiam illud Ioannis in 3. cap. 1. Epistolæ Canonicæ est contra nos. Si cor nostrum (inquit) non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Ex quo sic arguūt. In homine iustificato est pura conscientia, sine remorsu, ergo est certitudo, quòd est in gratia. Sed hæc consequentia nihil valet, quoniam Beatus Ioannes non dicit iustum habere certitudinem, sed dixit habere fiduciam. At fiducia non pertinet ad intellectū, & fidem, sed ad voluntatem, & spem, ad quā fiduciam habendam impetrandi à Deo quæ petierimus, sanctis est probabilis persuasio, quòd sumus Deo grati.

Illud quoque eiusdem Ioannis in eodem loco æquè minùs fauet Hæreticis, quod pro se adducunt. *Scimus* (inquit Ioannes) *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Translatio autem de morte ad vitam (dicunt isti) fit per iustificationem, quoniā peccatum est mors, & gratia est vita animæ, & Ioannes dicit nos scire hanc translationem, ergo scimus, & certi sumus, de nostra iustificatione. Sed hæc argumentatio Hæreticorum in multis deficit, tum quia sensus mysticus nihil facit ad probandum aliquod dogma, & isti mystičè intelligunt per nomen mortis, peccatum, & per nomen vitæ gratiam. At Beatus Ioannes loquitur de morte corporali, & de vita æterna, ad quam iusti transferuntur post hanc vitam. Tum quia per verbum, scimus, non significat Ioannes notitiam euidentem, & certam, qualis per demonstrationem, aut per intuitionem rei præsentis haberi solet, sed significat credulitatem, seu fidem. Nam in sacris litteris scire sæpè accipitur pro credere, sic accepit Petrus Actuū 2. cum ad Iudæorum populum dixit: *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum, & Christum, fecit Deus, hunc IESVM, quem vos crucifixistis,* Vbi constat scire pro credere positum esse. Et Beatus Ioannes in eadem Epistola. *Scimus* (inquit) *quoniam cū apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Et iterum. *Scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentē.* In quibus locis liquidum est, scientiam capi pro fide diuina, qua credimus, omne reuelatum à Deo esse verum. Eodem modo in proposita authoritate accepit Ioannes illud verbum, scimus, cùm dixit. Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniā dili-

Ioann. 3.

Act. 2.

1. Ioan. 3.

diligimus. Iusti enim per mortem huius corporis ad vitam æternam, dummodo verè diligant, se transferêdos credunt. Et quia illud firmissimè credunt, atq; sperant, propter certitudinem, præteritum, translati sumus, pro futuro transferemur, posuit.

Quin quòd aduersus nos citant Paulum sic dicentem. *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed ei, qui ex fide est, Abrahæ qui est pater omnium nostrum.* Rom. 4. Id violentissimè detorquent in suũ errorẽ, dicentes, Paulũ docuisse nos, iustitiã ideo ex sola fide esse, vt possimus esse certi de remissione peccatorum nostrorũ, quã Deus nobis promisit. Nã Paulus ibi non loquitur de promissione remissionis peccatorũ, sed de promissione incarnationis filij Dei, quia assumpturus erat carnem ex semine Abrahæ: & ad hunc finem dedit aliam promissionem de filio, qui illi ex Sara erat nasciturus. Et de hac promissione de Isaac facta Abrahæ dixit inferiùs Paulus. *Promissionis enim verbum, hoc est, secũdùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Rom. 9. Galat. 3. Propter has duas promissiones dicit ad Galatas. 3. c. *Abrahæ dictæ sunt promissiones.* Hæc promissio incarnationis filij Dei fuit data Abrahæ ante legem, & ideo dixit Paulus, quod non per legem fuit data promissio Abrahæ, aut semini eius: quia si per legem esset data, intelligeretur, quòd solis Iudæis ex semine Abrahæ secundùm carnem promitteretur Christus. Dicit ergo Paulus promissionem illam ideo propter fidem Abrahæ datam esse, vt posit prodesse omni credenti in Christum, siue Iudæo, siue Gentili: quoniam omnes hi sunt veri filij Abrahæ, & verum semen illius secundùm spiritum. Hæc autem promissio facta est firma & certa, non propter opera nostra, sed per solam gratiam Dei. Quòd autem hic sit verus Pauli sensus, cùm omnes Pauli expositores Catholici, tum Anselmus testatur, dicens. Non enim firma esset, sed potiùs infirma, & irrita, nisi ipse per gratiam suam implesset eam: ideo non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Hæc Anselmus. Et paulò pòst inquit. Firma sit promissio omni seminij, Abrahæ, id est, non parte seminis, sed omni semini. Volebant enim Iudæi, vt quantùm ad eos firma esset, & quantùm ad Gentiles cassa, sed non ita Deus promisit, cũ diceret, in semine tuo benedicentur omnes gentes: firma sit omni semini, id est omni populo fidelium, imitatori Abrahæ. Ecce verus Pauli sensus, quẽ exposuit nobis Anselmus.

Præterea ex eo quòd Ioannes Apocalypsis 2. c. inquit, *Vincenti dabo manna absconditũ & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit,* Apoc. 2. malè intelligentes argumentantur sic. Per manna, gratiam iustificationis, per nomen verò nouum, verum Christianum & filium Dei adoptiuum intelligit Ioãnes, & solos eos, qui accipiunt, scire, se talia habere dicit: ergo sunt certi de gratia suæ iustificationis. Ad quod dicendum, illum sensum esse fictitium, & merè inuentum ex suo cerebro: quoniam beatus Ambrosius in cõmentarijs super Apocalypsim, quæ nuper in lucem prodierunt, dicit, per nomen nouum, intelligi nomen Christi. Cui expositioni Beda super Apocalypsim consentit. Dicit item Ambrosius, per nomen nouum significari beatitudinem patriæ cælestis. Et vtrũque nomen nouum nemo scit, nisi qui accipit. Hanc posteriorem expositionẽ amplectitur Gregorius lib. 28. Moral. c. 2. Dato etiam quòd per manna significetur gratia iustificationis, non sequitur, quòd quis sit certus de sua iustificatione, certitudine fidei Catholicæ: sed benè certitudine coniecturali, seu fide humana, cui potest subesse falsum: nam vt supra dictum est, scire pro credere accipi solet, etiam circa ea, quæ fide humana, seu per probabiles coniecturas credimus.

Porrò quòd hæretici Bernardum pro certitudine gratiæ citant, malè ab illis intelligitur: quia non loquitur de certitudine fidei Catholicæ, sed de certitudine fiduciæ, quam potest habere in suis postulationibus ille, qui abuerit signa, quæ Bernardus enumerauit. Et in sermone. 74. super Cantica, non loquitur de aduentu Dei in animam per infusionem gratiæ, sed de aduentu illius in animam antea iustificatã, quãdo venit per collationẽ dulcedinis spiritualis, & aliarũ spiritualium cõsolationũ: aliàs Bernardus diceret, se certũ fuisse, ipsũmet peccasse; quia dicit, se certò scire, Deũ recessisse ab illo, vt dicit sermone 17 super Cantica, exponens illud: Reuertere dilecte mi. De aduentu, autem per collationẽ spiritualium consolationum, potest homo esse certus, quia potest illas in se experiri, ex istis non potest colligi certitudo fidei Catholicæ de inhabitante gratia, quia omnes illæ consolationes Deo permittente, possunt dari â dæmone, qui sæpe transfigurat se in angelum lucis. Quod autem dixit sermone. 16. ex paruis, de testimonio iustificationis, non est intelligendum de iustificatione alicuius hominis particularis, sed de iustificatione, quæ est in corpore Ecclesiæ, quæ est corpus Christi; at nemo scit, an ipse sit membrum, in quo sic Deus inhabitet per gratiam.

Contra hanc Hæresim de certitudine iustificationis, postquam eam damnauit Concilium Tridentinum, scripsit frater Dominicus de Soto ex ordine fratrum Prædicatorũ in suo libro. 3. de natura & gratia, & Frater Andreas de Vega Ordinis Minorũ, Regula-

ris

ris obseruantiæ, huius meæ Prouinciæ Sancti Iacobi, vir & morũ probitate grauissimus, & linguarum trium, atq; Theologiæ sanctæ longè callentissimus, in libro. 9. sui operis magni pro defensione & expositione Tridétini decreti de iustificatione hominis. Scripsit etiam vltimò frater Alfonsus de Castro, vir singularis ingenij, & acerrimus hæretico masty x in additione, quã apposuit suo pervtili volumini aduersus omnes Hæreses in 3. editione. Hactenus contra primam propositam Hæresim Lutheri circa certitudinem fidei Catholicæ.

Nunc contra alteram venio, qua dicit Lutherus, omnem fidelé esse obligatum ad certò credendũ, remissa sibi esse gratis peccata sua propter misericordiam Dei, & meritum Passionis Christi, quæ tum ex dictis contra præcedentem Hæresim, tum ex his, quæ mox subnectam, pessundatur. Nam si nemo potest esse certus de sua iustificatione, consequens necessariò est, vt nemo teneatur ad habendam hanc certitudinem; quia aliàs homo obligaretur ad impossibile, quod absurdũ, Deoquè maximè iniurium est. Præterea illud etiam est manifestum contra hanc virulentissimam Lutheri Hæresim, quod in posteriori ad Corint. epistola Paulus ait. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus*
2. Cor. 10 *est; sed quem Deus commendat.* Ex quibus verbis luculentissimè conuincitur, falsum esse, quod Lutherus obstrepens inquit. Crede te esse absolutum, & eris absolutus. Nemo igitur obligatus est ad credendum id, quod falsum esse ex Sacra Scriptura persuadetur. Rursum Paulus ad Galatas 6. testimonium contra hanc Hæresim Lutheranorum profert, dicens. *Si quis existimat aliGalat. 6. quid esse cùm nihil sit, ipse se seducit.* Ex quibus verbis liquidissimè colligitur, esse à seipso seductum omnem, qui absque Dei reuelatione speciali credit firmiter se esse iustum: quia omnis talis existimat se non solũ aliquid, sed etiam magnum aliquid esse: nam magnus coram Deo est, quicunque iustus est. Seductor ergo iste Lutherus Christianos seducit: cùm eos obligatos asserit ad certò credendum, remissa sibi esse gratis peccata, ob idq; iustos esse, quod est magnũ aliquid, existimantes.

Ex istorum etiam licèt nutanti fundamẽto atq; fallaci dogmate, quod dicunt nihil esse recipiendum, quod in sacris literis non habeatur, hæc Hæresis facilè destruitur. Nul libi enim in tota sacra scriptura reperitur præceptum, ne minimus quidem apex, aut iota vnum, quod obliget fideles ad hãc certitudinem, quam isti prędicant, ergo nulla est talis obligatio.

Si omnes item fideles tenerentur ad certò credendum se esse iustos, igitur qui illud nõ crederet, esset censendus hæreticus; quo nihil falsius; quoniam Ecclesia hucusque, nũquam propter hoc aliquem proclamauit Hæreticum. Quin potius dicere solet pias mentes esse, quæ timent culpam esse, vbi culpa non est.

Et Concilium Tridentinum supra citatũ in. c. 9. Sessionis. 6. hanc hæresim Lutheri damnauit, his verbis. Sed nec illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, nemi nemque à peccatis absolui, nisi eum, qui certò credat se absolutum & iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici. Ecce Concilium hanc hæresim damnauit, cùm dixit, neque illud asserendum est, &c. Et hanc hæresim dogmatizantes anathematizat in. 14. Canone supra citato, cuius verba sunt. Siquis dixerit hominem â peccatis absolui ac iustificari ex eo quòd se absolui, ac iustificari certò credat, aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, Anathema sit. Hæc ex Concilio Tridentino. Sed obijciunt Lutherani contra nos illum articulum in Symbolo Apostolorum contentũ, Credo remissionem peccatorũ. Ex quo illi colligere volunt, quòd quilibet à Sacerdote absolutus tenetur certò credere, remissa sibi esse peccata. Hoc tamen nec pro illorũ Hæresi facit, nec contra nos militat; quia nos fatemur remissionem peccatorum dari per absolutionẽ Sacerdotis, & omnes teneri ad credendũ, talẽ remissionẽ dari, si adsint reliqua omnia, quæ sunt necessaria ad talem remissionem impetrandam; Nemo tamen potest certò scire, illa omnia adesse, quia nemo potest certò scire, quòd se benè præparauit, integrè scrutando suam conscientiam, vt de omnibus perfectè doleret. Nec etiam potest sibi certò constare intentio Sacerdotis, quæ semper est necessaria ad cuiuslibet Sacramenti administrationem. Et propter hanc causam adultus, qui ad Baptismũ accedit, quamuis certò sciat se dolere de peccatis, non tamen potest certò scire se esse in gratia; quia non potest illi certò constare baptizantis intentio, nec certior factus est an dolor ille sit sufficiens.

Hactenus contra duo Lutheri monstra bellum gessi, contraq; duas Hæreses certaui; quas circa certitudinem eam, quæ ad fidem pertinet, quæque fiduciæ nomen minimè subit, vt Lutherus pernicioßissimè excogitauit circa certitudinẽ spei virtutis Theologicæ. Superest nunc, vt illis duabus Hæresibus refutatis, ad eas Hæreses conuincendas, quæ circa certitudinem spei virtutis Theologicæ subortæ sunt, contra Erasmum illa-

illarum pro Luthero fororem accingar. Meminisse autem oportet id, quod ex doctrina Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ suprà admonendum censui, fiduciam esse quandam certitudinē specie distinctam ab ea certitudine, quam fidei coniunctam exposui, & vtramque sub eodem genere esse, quod est firmitas. Et hanc certitudinem, quæ fiducia nominatur, conditionē spei cum sancto Bonauētura præstitui. Quod & probaui supra, & nunc iterum aliter probandum putaui. Nam Haymo in ea difinitione Sepei virtutis Theologicæ, quam recitat Magister Sententiarum, & Seraphicus Doctor explanat, certitudinem quandā tribuit spei, dicens. Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia, & ex meritis præcedentibus. Vbi vides per causam, quæ notatur, cùm dicitur, ex gratia Dei, & meritis, & per actum cum certitudine, qui innuitur per id quod ponitur, certa expectatio, spem ipsam definiri. Quòd autem illa certitudo spei dicatur fiducia, ostenditur ex declaratione definitionis alterius, quam de spe Magister Sētentiarum assignauit, inquiens. Spes est virtus, qua spiritualia & æterna bona sperātur, id est cum fiducia expectātur, Ecce quod ab Haymone dicitur, certa expectatio, Magister exponit, cùm fiducia expectantur. Et beatus Thomas in 2.2.q. 129. artic. 6. dicit fiduciam esse spem roboratam ex firma opinione, spem roboratam appellans certitudinem & firmitatem; nam robur nihil aliud, quàm firmitas est. Sed vt Lutheranis satisfaciam, quòd Theologos Scholasticos spernunt, confingentes mendacia, quibus tanquā præstigijs possint Christianos dementare, quò magis à vera fide eos auertant, & Doctores illius perhorrescant; quanquam Haymo Doctor antiquus minimèque Scholasticus est; in huius sententiæ confirmationē Gentiles adducam Authores, quos isti Hæretici maximè colunt. Cicero confidentiam definiens ait. Confidentia est certa spes animi, perducendi ad finem rem inchoatam. Et Seneca in epist. 16. ad Lucillum scribens, ait. Dicam tamen sententiam, quòd iam de te spem habeam, nondum fiduciam. Quia Seneca spem leuem aut tepidam de Lucillo habebat, ideo dixit, se nondum habere fiduciā. Constat igitur ex Senecæ dictis, fiduciam pertinere ad spem aliquidquè addere vltra nudam spem, & ex Cicerone fiduciam, seu confidentiam, certitudinem spei dici, ita vt nulla sit fluctuatio, aut hæsitatio, aut timiditas, aut diffidentia animi in sperando: nam hæc omnia fiduciæ opponuntur. Hic tamen animaduertendum est, quòd verba Ciceronis, dicentis, confidentiam esse certam spem, non sunt intelligenda de certitudine, quæ prouenit ab obiecto, hoc est, à re sperata; sed ea, quæ est ex parte ipsius sperantis. Nam sæpè contingere potest, vt quis hæsitans & timēs, speret id quod certò eueniet; & è contrario, vt quis sine vlla hæsitatione speret id, quod nunquam eueniet, quēadmodum contigit illi diuiti, qui apud Lucam. 12. capit. multis diuitijs congregatis, dicebat se habere bona in vitā suā, attamen nocte sequenti animam illius dęmones rapuerunt. Hic certè fiduciam vitæ habuit, quia sine vlla hæsitatione vitam longam & quietam se habiturum sperabat, malè verò illā in diuitijs, quæ vitā dare non possunt, collocauerat. Animaduertendum secundò, sæpè fiduciam seu fidentiam à Cicerone partem fortitudinis poni, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ propter certam spem statuere solet, Vnde. 36. quæstion Tusc. inquit. Qui fortis est, idē est fidens. Et primo Tusc. Fidenti animo, si ita res fert, graditur ad mortem.

Fiducia hæc & certitudo spei oritur ex firma opinione, quæ de re aliqua habetur. Nam siquis credit Ioannem esse veracem, & potentem ad aliquid faciendum, statim habet fiduciam in promissionibus illius, & quò magis persuasus est de veritate, potentia, & bonitate Ioannis, eò magis sperat, se habiturum, quod ille promisit, & firmiter fidit illi. Quapropter nos omnes obligamur ad habendum maiorem fiduciam in promissionibus Dei, quàm in promissionibus cuiuscumque hominis quamtumlibet veracis, potentis, & boni. Quoniam tenemur credere, Deum esse magis veracem, potentē, & bonum, quàm quiuis purus homo. Ideo Prophera dixit. *Nolite confidere in principibus, & in filijs hominum, in quibus non est salus.* Non enim sunt vsquequaque veraces, nec sunt adeò potentes, vt possint omnia, quæ voluerint, facere. Deinde fiducia, quæ in principibus & filijs hominum collocatur, prouenit ex opinione habita de homine, quæ semper habet admixtam formidinem. Fiducia autem, quæ habetur in Deo, oritur à fide, qua credimus Deum esse veracem, bonum, & omnipotentem, siue (vt dicit Seraphicus Doctor) oritur etiam à re nobis sperata, quæ est obiectum spei, scilicet ab ipso Deo, qui solicitè ipsum Deum quærentes nunquam deserit. At persuasio de veritate, bonitate, & omnipotentia Dei, quæ habetur per fidem, quoniam est sine vlla dubitatione, & sine formidine, multò firmior est opinione, quæ semper habet admixtam formidinem. Ideo Paulus dixit, fidem esse fundamentum, cui innititur spes. *Fides* (inquit) *est sperandarū rerum substātia.* Ob id enim speramus carnis resurrectionē, quia credimus Deum veracem, qui dixit illā esse futuram, & credimus Deū adeò esse potē-

*Psal. 144*

*Hebræ. 11*

tem

tem, vt posit mortuos reuocare ad vitam.

At quispiam fortè rogabit, in quo differat certitudo spei, seu fiducia à certitudine fidei Catholicę; siquidem ambas inuicem distingui traditum est. Cui sanè beatus Bonauentura satisfacit, qui triplicem inter eas differentiam statuit. Certitudo enim fidei & certitudo spei differũt primò ratione obiecti. Nam fides, seu certitudo fidei fertur super propositionem, aut complexionem, vel articulum fidei ratione totalis compositionis; spes autem & eius certitudo, & si feratur super cõplexionem, non tamen ratione totius, sed ratione rei attributæ. Vnde cũ dico, spero me habiturum vitam æternam; non speratur ibi, illud dictum totale, sed speratur vita æterna, & ita certitudo spei seu fiducia respicit ipsam attributionem vel rem attributã; certitudo verò fidei respicit ipsam complexionem.

Secundò differunt ratione oppositi, cui habent contrariari. Nam certitudo fidei repugnat errori; & formidini opinionis, atque dubitationi; attamen certitudo spei opponitur differentiæ & hæsitationi, seu etiam timori.

Tertiò ratione subiecti, in quo situm habent discrimen inter vtramque oritur. Si quidem certitudo fidei inest intellectui, quem firmat, ne diseredat; certitudo verò spei collocatur in affectu siue in voluntate, quam, ne diffidat, stabilit, figitque. Et sicut certitudo fidei in via intellectum reddit potentem, & ad vincendum errorem, & ad excludendum dubitationem; ita certitudo, quæ erit visionis, in patria cælesti, reddit intellectum impossibilem ad errorem. Pari modo, sicut certitudo spei affectum viatoris tenet adeò firmum, vt superare diffidentiam queat, ita certitudo, quæ erit tentionis, voluntatem comprehensoris vsqueadeo fixam efficit, vt amoueri ab eo, quod semel possedit, aut in aliquo hæsitare nõ possit. Fiducia igitur est certitudo spei virtutis Theologicæ. Et sicut fides Catholica, quæ est in Ecclesia vniuersali, reddit Ecclesiam vniuersalem certam de articulis fidei, ita spes reddit Ecclesiam vniuersalem certam absque vlla hæsitatione de promissis à Christo. Nam sicut per fidem Catholicam certa est Ecclesia quòd mortui resurgent, ita per spem habet fiduciam & firmitatem, quòd prædestinati viiam æternam habebũt. Cæterùm quia spes non solùm ex gratia Dei, sed etiam ex proprijs meritis oritur & prouenit, & quia, vt supra dictum est, nullus particularis homo est certus de sua iustificatione, vtpote qui non est certus certitudine fidei Catholicæ de valore suorũ bonorũ operum absque speciali Dei reuelatione; ita nullus particularis homo habet fiduciã seu certitudinẽ absq; aliqua hæsitiatione, quòd habebit vitã æternã, sine speciali Dei reuelatione. Quoniã nõ est certus de suis meritis, seu de valore illorũ apud Deum, ex quibus etiam spes oritur; neq; est certus, an ipse sit membrũ de corpore Ecclesiæ in charitate existens, nec est certus de sua finali perseuerantia in gratia, nec est certus se carere omni peccato mortali; nec est certus de sua prædestinatione. Attamen sicut concessum est supià, hominem particularem posse esse certum certitudine coniecturali de sua iustificatione; ita fatendum est, posse habere fiduciam, & certitudine coniecturali certò sperare vitã æternam. Nam ex eisdem signis, ex quibus oritur certitudo coniecturalis in intellectu alicuius de sua iustificatione, prouenit etiã firmitas & fiducia, seu certitudo in voluntate de beatitudine sperata; tamen cum illis signis stat formido de oppositio in intellectu & aliqua hæsitatio in voluntate; quæ formido & hæsitatio non ex obiecto, sed ex modo tendendi in obiectum nasci possunt, eò quòd de nostris meritis, & bonis operibus, quantùm valeant apud Deum, semper ambigimus, & ea reformidamus, iuxta illud. Iob. Verebar omnia opera mea. Quæ verba exponens B. Gregorius. lib. 9. Moralium. c. 25. inquit. Quæ B. Iob opera exercuit, sacræ huis historiæ textus ostendit. Holocaustis quippe multiplicibus authorem placare studuit; quia iuxta filiorum numerũ, vt scriptum est, consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos, eosque non solùm ab immundis actibus, sed à praua quoque cogitatione mundabat. De quo scriptura teste perhibetur; dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Affectum ergo cõpassionis exercuit; quia ipse de se amicorum quæstionibus exactus dicit. Flebã quondam super eo, qui afflictus erat, Ministerium pietatis impendit, qui ait, Oculus fui cæco, & pes claudo. Castitatis munditiam in corde custodiuit, qui obtestando, se aperit, dicens. Si deceptũ est cor meum super muliere. Humilitatis culmẽ medullitus tenuit, qui dicit. Si contẽdi iudicium subire cum seruo meo, & ancilla mea; cùm disceptarent aduersum me. Beneficia largitatis impendit, qui ait. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Gratiam hospitalitatis exhibuit qui dicit. Foris non manfit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Et inter hæc ad virtutum cumulum, per excelentiorem viã charitatis & inimicos dilexit, qui ait. Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat. Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, quæ illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? Quid ergo est, quòd mira opera faciens, hæc ipsa etiã veretur

tur pauens, cùm dicit, Verebar omnia opera mea; Nihil quod in sancti viri actibus verbisque colligimus, vt si placeret Deo, veraciter cupimus, postquam peruersa subegimus, ipsa in nobis etiam benè gesta timeamus. Et paulò post in cap. 26. dicit. Ipsa igitur bona nostra, quia insidiantis culpæ euadere gladiũ nequeunt, nisi solicito quotidie timore muniantur, per sanctum virum nunc rectè dicitur, Verebar omnia opera mea. Acsi humili confessione diceretur. Quæ apertè egerim, video, sed quid in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpè enim bona nostra latroeinanti fraude pereunt; quia rectis se nostris actibus concupiscentiæ terrenæ subiungunt. Hæc Gregorius. Ex cuius verbis constat iustum semper sua bona opera, & meritoria timere. At timor, sicut hæsitatio, opponitur fiduciæ, & illa bona opera Iob erant signa, quòd erat in gratia Dei; igitur cum illis signis stat formido de oppositio in intellectu, & hæsitatio, seu timor in volũtate. Tamẽ talis hæsitatio prouenit ex eo, quòd non sumus certi de nostrorum meritorum valore, ex quibus fiducia etiam oritur.

Sed quia spes, & eius fiducia, seu certitudo ex gratia & misericordia Dei præcipuè dimanat, nulla ex hac parte hæsitatio pullulat & ita ex obiecto beatifico firmissimam fiduciã habemus. Quia Deus est in promissis verax, sed ex nostra infirmitate ortum habet illa reformidatio.

Nunc videamus, quid fiduciæ in Deo solo & quid fiduciæ in humanitate Christi, & quid fiduciæ in Gloriosa Virgine MARIA, & quid fiduciæ in cæteris Sanctis cõstituere rite debemus.

Et vt rectiùs hoc negocium tractetur, ea per opus est distinctione, quã S. Thomas in 2.2. q. 17. ar. 4. vbi quærit, vtrum aliquis possit licitè sperare in homine, & Richardus à Media villa in lib. 3. super Magistrum Sententiarum dist. 26. q. 2. eandem quæstionem differens, acceperunt. Spes (inquiunt) cuius nos fiduciam, conditionem, supra statuimus; duo dicit, & beatitudinem æternam quam perauidè desideramus consequi, & auxilium, per quod eam obtinere confidimus. Illud habet rationem causæ finalis, hoc efficientis; & vtrobique tam in causa finali quã in efficienti inuenitur principale & secundariũ. Principalis enim finis est finis vltimus; secundarius autem finis est bonum, quod est ad finem. Similiter principalis causa agens est primum efficiens, scilicet Deus, secundaria verò causa efficiens est agens secundarium instrumentale. Spes autẽ respicit beatitudinem æternam, sicut finem vltimum respicit etiam Diuinum auxilium, sicut primam causam inducentem ad beatitudinem. Hæc ex doctrina Sãcti Thomæ & Richardi.

His præmissis, sit prima assertio Catholica

Principaliter soli Deo fidendum est qui est principalis, & vltimus finis, & principale, ac primum efficiens; qui Deus, est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et ita dicimus, nos fiduciam habendi gratiam & gloriam debere collocare in Christo, quatenus Deus est; quia ea sola ratione potens est nobis dare gratiam & gloriam, iuxta id quod Propheta ait. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Hæc autem fiducia inde oritur, quòd Christus dixit. *Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum.* Credimus autem Deum esse veracem, qui mentiri non potest, & potentem ad faciendum id, quod promisit, ergo in Christo, quatenus Deus est, & ita in Patre & Spiritu sancto, quia tres personæ sunt vnus Deus, principaliter locanda est fiducia. Et ita certi sumus, quòd Christus Deus noster sua promissa complebit; & ex parte Christi promittentis nulla remanet hæsitatio, quia Christus verax est. Hãc assertionem rationibus Sãcti Bonauenturæ confirmo. Nã quod remouet hæsitationẽ, seu vacillationẽ, tribuit fiduciam, & certitudinem; spes autem, quam habemus in Christo propter eius promissa, remouet vacillationem, & hæsitationem; ergo spes tribuit fiduciam, & certitudinem de beatitudine sperata, ex gratia Dei promittẽtis; & ita soli Christo, quatenus Deus est, siue soli Deo, qui est primum efficiens, & vltimus finis, fidendum est. Deinde sicut impossibile est, primam veritatem fallere ipsi credentem, ita impossibile est, illam deserere ipsi fidentem, modò faciat id, quod in se est, quodq; Deus vult eum facere; igitur soli Christo, quatenus Deus est, siue soli Deo principaliter fidere debemus. Hanc fiduciã habebat Apostolus, quoniam dicebat. *Certus sum, quòd nec mors, neque vita, nec creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei.*

*Psal.* 83.

*Matt.* 4.

*Rom.* 8.

Sed contrà hanc assertionem aliqui obijcient, quòd actus spei prouenit ex consideratione gratiæ, & meritorum; nullus autem est certus, an habeat gratiam, & quantum valeant sua merita apud Deum, sine speciali reuelatione, igitur nullus potest absque hæsitatione fidere Deo. Ad hanc obiectionẽ respondet Seraphicus Doctor, quòd argumentũ non procedit de certitudine, & fiducia, quæ venit ex obiecto; sed ex fiducia, quæ prouenit ex modo tendendi in obiectum, seu ex modo sperãdi beatitudinẽ, scilicet ex bonis operibus & meritis. Et licèt nullus sit certus certitudine euidentiæ & scientiæ, quod sit in gratia, & quantùm valeant sua merita apud Deum; potest tamẽ esse certus certitudine coniecturali, & ita habere fiduciam veram in Deo.

Se-

Secundò obiecerunt sic. Reprobi habent fidem, spem, & charitatem secundùm præsentem iustitiam; & non habuerunt certitudinem & fiduciam de sua beatitudine; quia nullus est certus de assequutione illius rei, ad quam nunquam perueniet; ergo non in omnibus est fiducia & certitudo in Deo collocata. Hæc argumentatio obtinet vim ex eo, quòd in omnibus vniformiter se habet spes; ergo ita debuit dare certitudinem & fiduciã reprobis, sicut illis, qui beatitudinem assequentur, seu assecuti sunt. Respondet sanctus Bonauentura, quòd per spem tam reprobi, quã prædestinati sunt certi, & habẽt fiduciam in Deo, certitudine ordinationis seu ordinis; quia efficaciter & infallibiliter vera spes ordinat ad salutem; nullus tamen est certus certitudine euentus; quia hanc certitudinem euentus non dat spes sine speciali Dei reuelatione.

Tertiò obiiciunt hoc modo. Fides certa non potest falli; ergo spes certa non potest frustrari; sed hoc cõsequens est falsum: quia reprobi frustrantur, ergo non fidebant Deo. Respondet idem Doctor. Sicut duplex est necessitas, absoluta & conditionata, ita duplex est certitudo seu fiducia, absoluta & conditionata; & sic dicendũ, quòd sperans est certus de beatitudine, certitudine conditionata, non absoluta. Quoniam spes non facit, vt quis simpliciter & absolutè expectet beatitudinem, sed sub hac conditione, si perseuerauerit vsque in finem, de qua conditione nullus potest esse certus sine speciali Dei reuelatione. At reprobi nõn habuerunt illam conditionem; ideoque frustrati sunt. Dicit etiam hic Doctor, posse nos absolutã certitudinem & fiduciam coniecturalem habere per probabiles coniecturas. Qui enim bonam habet conscientiam bonumque propositũ, probabiliter potest esse certus, quòd opera à tali voluntate procedentia sunt apud Deum meritoria, & per hoc fidere se assecuturum vitam æternam. Hæc ex Seraphico Doctore. In solo igitur Deo principaliter fiduciam nostrã constituimus, soliqueChristo, quatenus Deus est, confidimus, vt obtineamus rem speratam, quæ est ipse Deus.

Secunda assertio Catholica. Non est principaliter fidendũ hominibus etiam Sanctis, ita vt beatitudinem nobis ab eis effectiuè & finaliter conferendam speremus, quasi homines quantumcunque sancti sint omnipotentes, sicut Deus. Nam (vt inquit Rex & Propheta Dauid) *excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra; Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem Vt collocet eũ cũ Principibus cũ Principibus populi sui.* Ex Psal. 112

A quibus verbis satis cõstat, nullã creaturã Deo æquabilẽ esse; nullũque hominẽ posse effectiuè, quasi prima & finalis causa sit, nobis dare beatitudinem, & verum ad obtinendã gloriam auxilium, quod est gratia gratum faciens. Solus enim Deus est principalis & vltimus finis, atque prima causa, qui inopes peccatores suscitat de stercore vitiorũ, illis gratiam tribuens, eosdemque cum principibus populi sui inter choros Angelorum & Principatuũ collocans. Quemadmodum alibi dixit Propheta. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Nulla item creatura potest beatificare seipsam, ne supremus quidẽ Angelus, cùm non habeat infinitam essentiam; B igitur nulla creatura potest alteri lumen gloriæ, gratiã, & beatitudinem conferre. Deus autem solus in sua essentia est infinitè beatus, ac proinde potens ita homines, sicut Angelos, beatos efficere. Iuxta hunc modum fidendi venit intelligendum illud Ieremiæ. 17. c. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ suũ.* Sicut ergo non licet sperare aliquod bonum præter beatitudinem sicut vltimum finem, sed solùm sicut id, quod est ad finem beatitudinis ordinatum, ita etiam non licet sperare ab aliquo homine, vel ab aliqua creatura sicut à prima causa mouente, beatitudinem. Nõ igitur hominibus quantumcunque sanctis principaliter fidẽdum est; sed in solo Christo, quatenus Deus est, inquè patre & Spiritu sancto principaliter reponenda nostra fiducia est. Psal. 83. Ierem. 17

C Tertia assertio Catholica est. In Christo autem, quatenus homo est, habemus fiduciã consequendi gratiam & gloriam, tamquam in eo, per cuius merita hæc nobis reddenda est, dummodo eius præcepta & Ecclesiæ facientes in gratia decedamus. Hæc assertio destruit illam Erasmi hæresim, contra quam pugnamus; in qua docuit, sub Deo nullo modo esse fidendum humanitati Christi. Christus enim quatenus homo est, Redemptor, & Saluator noster existit; *qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus. Nec enim* (vt ait Sãctus Petrus) *aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri. Per hunc* (inquit Paulus) *accessum habemus ad Patrem.* Hic est verus pastor, qui ouem centesimam errantem imposuit super humeros suos, *& sic reduxit ad caulas.* Hic est vera *vitis*, sine qua palmites fructum facere non possunt. *In hoc* (vt ait Paulus) *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionẽ peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius.* Et ideo in illo (vt idem Paulus iterum testatur) *habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.* Propter hæc omnia & Erasmum de tam pestifera Hæresi conuictũ Psal. 102. Actum. 4. Rom. 5. Ioann. 10 Ioan. 15. Ephes. 1. Ephes. 3.

relin-

relinquimus; & cum beato Paulo dicimus, *Quòd fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Et hæc est, & sẽper fuit omnium Theologorum scholasticorum sentẽtia, nec scio aliquem hactenus ex Scholasticis Theologis, quos legere vacauit, qui cõtrariam sententiam docuerit. Omnes enim fatemur, & voce publica clamamus, & de hac re populum docemus, omnem fiduciam assequendi gratiam & gloriam in Christo Iesu tamquã in vero mediatore nostro esse reponendam, & in illo puppim (vt aiunt) & proram esse collocandam.

Quarta assertio Catholica. Nulli ex Sanctis, aut ex Angelis, vt vero & vnico Redẽptori, Saluatori, & mediatori, nisi Christo IESV, fidendum est. Quoniam nullus ex Sanctis, aut Angelis est filius Dei naturalis, sed omnes adoptiui; at solus Christus est filius naturalis Dei patris, per quẽ nos adoptionem filiorũ accipimus, & perconsequẽs Redemptionem & salutem. Vtrunque probat Apostolus, tam quo ad Angelos, quàm quoad homines in Epistola ad Hæbreos. Quoad Angelos quidem in cap. 1. inquit. *Multifariè, multisquè modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & secula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius, portansquè omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, tantò melior Angelus effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.* Heb. 1. *Cui enim dixit aliquando Angelorũ, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursum. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.* Et cùm iterũ introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit. *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Psalm. 2. Psal. 96. Et ad Angelos quidem dicit. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Psal. 103. Ad filium autem. *Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga Regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictũ mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idẽ ipse es, & anni tui non deficient.* Psal. 44. Psal. 101. Psal. 109. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, *Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Heb. 5. De hominibus autẽ idẽ Apostolus infrà cap. 5. ait. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cõstituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit his, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis: neque quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genuite.* Quemadmodũ in alio loco dixit. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illũ saluũ facere à morte cũ clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem, cũ esset filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Hæc ex Apostolo Paulo tam extensè adduxi, vt quiuis intelligat, quòd solus Christus est Filius Dei naturalis, & Redemptor, ac Saluator generis humani, & mediator Dei & hominũ, mediatione Redemptionis, & nullus Angelorũ, aut hominum tali potitur dignitate; quare nulli illorum vt redemptori, sicut Christo fidendum est. Per Christum enim adoptionem filiorum receperũt omnes Sancti & omnes fideles, dicente Apostolo ad Galat. 4. cap. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erãt, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Galat. 4.

Quinta assertio Catholica. Minus principaliter & secundariò fidendum est Sanctis hominibus, siue his, qui in cœlis Christo cõregnant, siue is qui in terris in Christo viuunt, Ita quod licitum est à Sanctis, tamquam ab agentibus secundarijs sperare id per quod aliquis adiuuatur ad quæcunque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Hæc assertio est Sancti Thomæ expressè, & ea quidem prosternit illam Erasmi Hæresim, qua affirmauit, Sanctis nullo modo esse fidendum. Nam licèt non sit illis fidendum principaliter, vt potentibus efficere in nobis gratiam & gloriam, nec vt Redemptoribus, sicut supradictum est; attamen in illis minus principaliter & secundariò fiducia locanda est; vtpote qui suis nos meritis & intercessione apud Deum, & Dominũ nostrũ IESVM Christum iuuare possunt. Si enim nullo modo (vt iste graculus insolenter garrit) fidendum esset Sanctis

ctis hominibus; nullo etiam modo Sacra scriptura multis in locis testaretur. Sanctos esse honorandos; siquidem Spiritus Sanctus imponeret nobis onus cassum, & vanum, ex cuius supportatione nihil emolumenti, laboris plurimum, fidelibus apponeretur. Quis autem sanæ mentis, ne per somnium quidem, hoc audeat profari, Scripturã Sacram quicquam inane & futile cõtinere, & Spiritũ Sanctum aliquid inutile, ac nullius momenti Ecclesiæ suggessisse? Quòd si fructum ex reuerentia, quam Sanctis exhibemus, colligi nõ dubitamus, dic, rogo, quem alium nobis vtiliorẽ, quàm quòd meritis, & intercessione sua futuris conciuibus opem ferunt? Quo fit, vt his, qui tantopere nobis opitulantur, fidere liceat, expediat, conueniat, oporteat. Sed proteruus scripturæ loca fligitabit, vbi honor Sanctis exhibendus doceatur. En nunc aliqua, nam plurima infrà, cùm de implorando auxilio Sãctorum agemus, quæ Sanctos, non quidem latria, quæ soli debetur Deo, sed dulia honorandos aperte demonstrant. *Si quis mihi ministrauerit* (inquit Christus) *honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est.* Si ergo Deus honorificat Sanctos in cœlis, qui bonis eorum non indiget; cur nos non honorabimus Sanctos in terris, qui illorum meritis & intercessione vsquequaque egemus. Certè Rex & Propheta Dauid Sãctos etiã quos Spiritu Sãcto edoctus futuros intellexerat, maximè honorabat. *Mihi autẽ* (inquit) *nimis honorati sunt amici tui Deus.* Amicos Dei vocat Apostolos, cæterosque Sanctos qui Deo intimo adhærent amore. De quibus Christus dixit. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*, in æternã sanè amicitiam post hanc vitam recipiendos. Qui ergo à Dauid Rege honorati esse perhibentur; indignum est, vt à nobis absque honore debito relinquantur. Quoniam honor exhibitus Sanctis, Deo impenditur, qui talem eis præstitit Sanctitatem, dicente Domino. *Quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Gloriosus enim est Deus in Sãctis suis*, inquit Propheta. Si igitur Sacra scriptura tantopere monet, vt Sanctos honoremus, consequens est, vt non frustra id nos facere exhortetur, sed propterea, quòd nobis inde prouenit vtilitas nõ parua, vt beatitudinem obtineamus, meritis & intercessione Sanctorum adiuti. Sanctis ergo modo iam expositio fidendum est. Hoc & Sancti Doctores docent. Nam Ioãnes Damascenus in lib. 4. orthodoxæ fidei inquit. Si quis multum laborat ducem inuenire, qui ipsum alicui mortali regi adducat, & pro eodem ad ipsum verbum faciat; quantò magis Sancti Dei, duces generis humani, qui pro nobis ad Deum interpellationes faciant, quærendi sunt, & honorandi; Qua de re audi, quid Sanctus Maximus dicat in quodam sermone. Rectè (inquit) atque ex debito Ecclesiæ beatorum Martyrũ celebrãt insignia, qui illuminantes virtute fidei suæ innumerabiles populos soli, quidem illatam sibi sensernnt mortem, sed nõ soli mortis suæ beneficia possederunt. Immensa enim Dei nostri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutẽ, proponens arduam virtutum palmam, raros inuenit appetitores, sed pretiosam in paucorum triũphis victoriam plurimorũ commodis prospicit. Illorum siquidem merita nostra vult esse suffragia. Simulque dum nobis fidem veram dato Martyrij agone commendat, affli&tionem præcedentium instructionẽ efficit posterorum. O quãta est circa nos Dei nostri solicitudo, illos examinat, vt nos erudiat; illos conterit, vt nos acquirat. Eorumque cruciatus, nostros contulit esse profectus. Meritò ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris vtilitatibus militant. Ecce Sanctus Maximus ex cultu & reuerentia, quam Sanctis Ecclesia impendere solet, profectus atque vtilitates propter eorum merita, & intercessionem nobis apponi declamat. Igitur Sãctis, qui in cœlis sunt propter eorum merita, atque suffragia fidẽdum est.

De his etiam, qui in terris adhuc viuunt in Christo, sacra scriptura tradit, quòd aliquam in illorũ precibus debebamus fiduciã reponere. Hanc beatus Paulus habebat, cùm dixit. *Obsecro vos fratres per Dominum IESVM Christum, & per charitatẽ Sancti, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa.* Et Sãctus Iacobus Apostolus ait. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Et adducit exemplo orationem Heliæ, primo Regum. 27. cap. *Helias homo erat similis, nobis passibilis, & oratione orauit, vt non pluerest super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Et rursum, *orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Moyses*, etiã orauit. Exodi. 17. & obtinuit *Iosue* victoriam contra Amalech. Et mulier *Chananæa* orauit Christum pro filia sua à dæmonio vexata, & sanata fuit, *Centurio* pro seruo suo, & *Paulus* pro connauigantibus orando, à Domino postulata impetrarunt. Imò vult Deus per sanctos etiam, qui in terra sunt, inuocari. Et hãc voluntatem per Ezechielem declarat, dicens. *Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Et ante Ezechielem Abrahæ hãc Dei voluntatem inquirenti, Dominus secretum hoc reuelauit. *Dixit itaque Dominus* (vt narrat

*Ioan.* 12. *Psal* 15. *Psal.* 138. *Ioan.* 12. *Mat.* 25. *Psal.* 67. *Roma.* 15 *Iacobi.* 5. *1. Reg.* 27. *Exod.* 17. *Iosue* 10. *Matt.* 15. *Lucæ* 17. *Actu.* 27 *Ezeq.* 22. *Genes.* 18.

narrat scriptura in lib. Geneseos) *clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est: & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorẽ, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Conuerteruntque se inde, & abierunt Sodomã* (scilicet Angeli) *Abraham verò adhuc stabat coram Domino, & appropinquans, ait: Nunquid perdes istum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos si fuerint in eo? Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cũ impio, fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terrã. Nequaquam facies iudicium hoc. Dixitque Dominus ad eum. Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondit Abraham, & ait. Quia semel cœpi, loquar ad Dominũ meum, cum sim puluis & cinis: Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque vniuersam vrbem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque. Rursumq; locutus est ad eum. Si autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. Ne quæso* (inquit) *indigneris Domine si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si inuenero ibi triginta. Quia semel* (ait) *cœpi, loquar ad Dominum meum. Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Nõ interficiã propter viginti. Obsecro* (inquit) *ne irascaris Domine si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerit ibi decem. Dixit: Nõ delebo propter decem.* Hactenus ex libro Geneseos. Ex quibus verbis satis ostenditur, quantum merita viuorum, qui iusti sunt, nobis suffragentur. Rectè ergo in illis aliquam fiduciæ partem possumus collocare. Vnde laudabilis illa consuetudo retinenda est inter fideles, qui solent commendare suis amicis spiritualibus, ipsisque supplicare, vt Deum, quin etiam sanctos, pro eis orent.

Sexta assertio catholica. Gloriosæ Virgini Deiparæ, Beatæ MARIÆ, plusquam omnibus, & sanctis hominibus, & Angelicis, etiam Seraphicis, spiritibus, nec tamen ita sicut Deo, Redemptorique Christo, fidere debemus. Hæc assertio, & Erasmi aliam hæresim labefactat, qua Beatæ Virgini MARIÆ minimè fidendum putauit, & Lutheranorum peruersitatem, nomen gloriosæ Dei genitricis diabolico ore blasphemãtiũ proterit. Quis enim vel parum Theologus ignorat, Beatam MARIAM, non latria adorandam, sicut latria Christus verus Deus, & homo adoratur, sed propter excellentiam singularissimæ dignitatis eius, quòd

A Mater Dei est, esse colendam hyperdulia, qua cæteros sanctos, quibus dulia solùm debetur, non adoramus. Quemadmodum ergo Beata MARIA non ea adoratione, qua Christus, sed maiori, quàm cæteri sancti, colitur, ita illi, non ita, sicut Christo, magis tamen, quàm cæteris sanctis, fidendum asserimus. Nam beatus Bernardus rationem, propter quam gloriosæ Virgini, plusquam cæteris sub Christo sanctis, fidere debeamus, in sermone primo de Assumptione eiusdem benedictæ Virginis longè suauissimè tractat, dicens. Præcessit nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est, vt fiducialiter sequantur Dominam seruuli B clamantes. Trahe nos post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia per tractabit. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum, vt dando, & accipiendo, felici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, vnde data optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo Beata dabit ipsa quoque dona hominibus. Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est, denique C Mater est Vnigeniti Filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè, aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest, omnino in affectum charitatis transisse MARIÆ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit. Hæc Bernardus. Ex cuius verbis liquidissimè constat, nos maiorem fiduciam debere in glorioſa Dei genitrice ponere, quàm in cæteris sub Christo sanctis: siquidem monet nos seruulos fiducialiter sequi posse Dominã, clamantes, atq; ab ea auxilium petentes, quam tantum apud D Deum posse fatetur Bernardus, vt dona hominibus dare queat. Quod non intelligas ideò à sancto viro dictum, quòd Beatam MARIAM Christo in potentia æquare velit: sed ideò, quòd cæteris omnibus sanctis & Angelis, sicut excellior meritis, ita ad impetrandum nobis beneficia à Domino, adeò potentior est, vt ipsamet dare videatur. In octauo etiam sermone de Assumptione Beatæ MARIÆ idem sanctus Bernardus prædicat, quantô vtilior nobis fiducia est, quam in glorioſa Virgine constituimus. Opus est enim (inquit) mediatore ad mediatorem istum (scilicet Christum) nec alter nobis vtilior, quàm MARIA. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus

*Bernard.*

quus pestiferum etiam ipsi viro virus infu- A
dit: sed fidelis MARIA, quæ salutis anti-
dotum, & viris, & mulieribus propinauit.
Illa enim ministra seductionis, hæc propi-
tiationis. Illa suggesit prævaricationem,
hæc iniecit redemptionem. Quid ad MA-
RIAM trepidet humana fragilitas? Nihil
austerum in ea, nihil terribile, tota suauis
est omnibus offerens lac, & lanam. Reuolue
diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem vni-
uersam, & si quid fortè increpatorium, si
quid durum, si quod denique signum, vel
tenuis indignationis occurrerit in MARIA,
de cætero suspectum habeas, & accedere ve-
rearis. Quòd si, vt verè sunt plena magis om
nia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, B
& misericordiæ, quæ ad eam pertinent,
inueneris, age gratias ei, qui talem tibi me-
diatricem benignissima miseratione proui-
dit, in qua nihil possit esse suspectum. De-
nique omnibus omnia facta est sapientibus,
& insipientibus copiosissima charitate de-
bitricem se fecit: omnibus misericordiæ si-
num aperit, vt de plenitudine eius accipiat vniuersi, captiuus redemptionem, æger
curationem, tristis consolationem, pecca-
tor veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij
persona carnis humanæ substantiam, vt non
sit, qui se abscondat á calore eius. Hactenus
Bernardus. Confundantur ergo omnes ini- C
què agentes superuacuè: confundantur om-
nes hæretici: confundantur Erasmus, qui
vel Bernardum non legit, vel maluit cũ Dia-
boso, & cum Luthero, quàm cum deuotissi-
mo gloriosæ Virginis MARIÆ laudatore
Bernardo sentire. Beatus Bernardus asserit,
sub Christo in meritis & intercessione Dei-
parę Virginis fiduciam nostram esse reponẽ-
dam. Erasmus spiritu erroris imbutus negat.
Vtri potiùs credendum sit, humili Bernar-
do, quem Spiritus sanctus illuminauit, an su-
perbo Erasmo, quem malignus spiritus de-
mentauit, iudicate. Non dubito vos, ò Ca-
tholici, tacitam pro viro clarissimo, & san-
ctissimo Bernardo sententiam, eam latu- D
ros contra Erasmum, quam pro Marco Æ-
milio viro probo aduersus Varium Sucro-
nensem, hominem parum honestum, Vale-
rius Maximus in lib. 3. de fiducia sui tractans,
cum populi applausu datã refert. Cum Mar-
cus Æmilius Scaurus vitæ clarissimæ, &
exploratæ probitatis vir à Vario Sucronen-
si, homine minimè syncero accusaretur
apud populum: & accusator oratione longa
peroraret ille maximo compendio vsus, eo
quòd sua, & populi erat fretus conscientia,
dedignatus oratione contendere, inquit:
Quirites, Varius Sucronensis ait, Æmi-
lius Scaurus negat, vtri potiùs credendum
censetis? Quibus verbis applaudente popu-
lo vir illustris futilem hominis accusatio-
nem euasit. Pari modo nunc ego de fiducia
in gloriosa Virgine MARIA sub Christo su-
per omnes sanctos collocanda differens per-
contor. Erasmus ait, Virgini MARIÆ nul-
lo modo esse fidendum, Bernardus negat.
Erasmus ait, Cyprianus inficiatur. Erasmus
ait, Hieronymus illi aduersatur. Erasmus ait,
Augustinus contradicit. Erasmus ait, Ambro
sius abnuit. Erasmus ait, Gregorius obstat.
Erasmus ait, Chrisostomus repugnat. Eras-
mus ait, sancta Mater Ecclesia Catholica cõ-
trarium prædicat, & facit: quæ in sacro Ca-
none Missæ inquit. Comunicantes, & memo
riam venerantes, imprimis gloriosæ semper-
que Virginis MARIÆ Genitricis Dei, & Do
mini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apo
stolorum, ac Martyrum tuorum. Vbi dicit
imprimis, ante Apostolos & alios Sanctos me-
moriam Beatæ Virginis MARIÆ faciens,
ipsius meritis, & intercessioni supra alios San
ctos fidendum docet. Erasmus ait, sacra Con-
cilia oppositum instituerunt, quæ in Litanijs
& rogationibus post sanctissimam Trinita-
tem, Redemptoremque Christum ante om-
nes sanctos Beatam MARIAM inuocari tra-
diderunt, dicendo: Sancta MARIA ora pro
nobis. Erasmus ait, consuetudo Ecclesiæ, &
maxima populi Christiani deuotio erga glo-
riosam semperque Virginem MARIAM in
contrario, & laudabili ritu persistit. Cui er-
go credendum censetis, Ecclesiæ Doctori-
bus ab ea approbatis, an Erasmo, cuius omnia
opera Paulus summus Pontifex huius nomi-
nis 4. damnauit? Nihil ambigo, vos ò Catho
lici dicturos. Credimus sanctam Ecclesiam,
& doctrinam eorum Doctorum, quos illa ap-
probauit, quosque vt pia Mater nobis Ma-
gistros, & Catholicos pædagogos adhibuit,
libenter amplectimur.

Septima assertio Catholica. Non solùm
post Deum humanitati Christi, gloriosæ Vir
gini MARIÆ, sanctis hominibus, atque An-
gelis, sicut supra explicatum est, fidere opor-
tet, verum etiam aliqua pars fiduciæ in no-
stris bonis operibus, & meritis collocanda
est. Hæc assertio facit, vt prauum, & hæreti-
cum dogma illud Lutheri prorsus corruat:
quo Satanæ fœtore contaminatus, & pollu-
tus, spem aliquam, seu fiduciam in nostris ope
ribus constituendam perfricata fronte negau-
it. Nam fallacia alia aliam trudit, dixerat
aliam hæresim, scilicet, totam fiduciam in
fide collocandam, & ex hac aliam hæresim,
omnia opera nostra esse peccata, & ex his fal-
sis, & hæreticis, maximeque perniciosis fun-
damentis, spem nullo modo procedere ex no-
stris meritis, ac proinde, nec fiduciam in eis
reponendam, quasi figmentum quoddam
chymæricum effinxit. Iste hæreticus adeò
zelotypam, & societatis impatientem, col-

loca-

locatam in Deo fiduciam facit, vt nullam aliam fiduciam secum admittere existimet, aut (vt verius dicam) comminiscatur. Quod quàm ab scopo veritatis alienum, atque errabundum sit, breuiter ostendo. Non enim est extra rationem fiduciæ, vt quis post Deum simul duobus, atque etiam pluribus fidat, ordine quodam, ita, vt primò, & principaliter in vno, postea minus principaliter in alijs fiduciam reponat. Nam in ædificio domus supra primum lapidem, qui positus est tanquam fundamentum ædificij, collocatur alius lapis, qui secundus est in ordine, supra secundum erigitur tertius, supra tertium quartus ponitur, & sic deinceps vsque ad fastigij complementum. Sicut non negamus primum lapidem esse fundamentum totius operis: quia omnes superiores lapides sustentat, & illi omnes alij innituntur: ita non est diffidendum, culmen domus tertio & quarto, & alijs superpositis lapidibus inniti: quoniam illis sublatis, etiam primo lapide permanente, fastigium domus corrueret, eo, quòd sine illis sustentari non posset. Ad eundem modum oportet necessario dicere, fateriquè de fiducia gloriæ obtinendæ. Quoniam hæc fiducia in Christi meritis primùm, & præcipuè collocanda est, tanquam in fundamento primo totius spiritualis structuræ, & sine quo reliqua omnia nihil prorsus valent. Post hæc Christi merita, succedunt glorioſæ Virginis MARIÆ merita, & intercessio, quibus nos adiuuat ad impetrandum nobis à Christo salutem mentis, & corporis. Succedunt merita, & interpellationes sanctorum hominum, & Angelorum, propter quorum interuentionem Deus nobis suppetias mittit. Succedunt denique nostra bona opera, & merita, sine quibus etiam stante merito Christi, & meritis Beatæ MARIÆ, & omnium sanctorum nullus vitam æternam adipisci poterit adultus, qui annos iam discretionis nactus, superstes vixit. Christus enim dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matt. 19 Non tamen dicimus fiduciam hanc sic collocari in bonis operibus nostris, quasi illis ex natura sua debeatur merces vitæ æternæ: quoniam nouimus Paulum dixisse, non esse condignas passiones huius seculi *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8 Verum enim vero fiduciam in bonis operibus nostris reponi fatemur propter misericordiam Dei, & propter eius promissionem, & conuentionem, qua mercedem hominibus propter bona opera sese daturum spontè promisit. Matt. 10. Nam bonus ille pater familias conuentionem fecit cum operarijs ex denario diurno. Et cùm operarij, qui primo mane venerant, sperarent se aliquid amplius accepturos, dixit vni ex illis pater familias. *Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle, quod tuum est, & vade.*

A *Amice non facio tibi iniuriam.* Iniuriam quidem se fuisse facturum censet, si iuxta conuentionem denarium non dedisset. Propter hanc causam dixit, denarium esse operario debitum, inquiens. Tolle, quod tuum est, & vade. Quid tuum? Certè denarium, nam ex illo conuenerat, sicut alibi dixit Saluator: *Dignus est mercenarius mercede sua.* Matt. 10 Ex quibus omnibus constat, gloriam esse debitam iusto, velut mercedem mercenario, debitam quidem, quia promissam, ex diuina misericordia, & gratia: quoniam nisi promissa esset, & gratia, & misericordia Dei, debita non esset. Dic ergo Luthere, quid mercenarius, qui in alieno agro desudat, speret? B Certum est, illum sperare mercedem sui laboris, pro hac non laborat. Sed quare sperat? Nunquid propter solam Domini, in cuius agro laborat, bonitatem, & misericordiam? Non cercè, sed etiam propter suum laborem. Sperat quidem in bonitate Domini: Quoniam nisi illi credidisset, & promissionibus illius confidisset, nunquam in agro illius laborasset. Verùm, & si illius fidem exploratam habeat, & misericordiam eius bonitatem què agnoscat: scit tamen certò illum mercedem non daturum, nisi in agro illius laborauerit: & propter hoc dictis Domini fidens, se mercedem propter labores suos accepturum sperat. Ad hunc modum iusti omnes faciunt, qui in bonitate Domini, & clementia confidunt, quòd gloriam illis; vt promisit, dabit æternam. Cæterum, quia sciunt, quòd tam magnam mercedem non dabit pigris, & inertibus, ideo laborare satagunt, vt per labores suos gloriam assequi mereantur. Est ergo aliqua fiducia in nostris bonis operibus reponenda, quoniam (vt dictum est supra in definitione spei) ex misericordia Dei, & gratia, & nostris meritis, prouenit spes.

Quòd autem talis fiducia (vt declaratum est) licite collocari possit in nostris meritis, Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Doctorum testimonijs comprobari potest. Nam in lib. Tobiæ legimus hæc verba. *Fiducia magna erit coram Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Tob. 4. Et in lib. Iob. *Vita hominis super terram est, sicut dies mercenarij.* Iob 7. Christus etiam dixit mulieri fluxum sanguinis patienti, & ob sanitatem recuperandam vestimentum eius tangenti: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Matt. 9. Et Ioannes Apostolus ait. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum. Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* 1. Ioan. 3. Paulus quoque inquit. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* 2. Tim. 4. Ex quibus authoritatibus palàm est, elee-

eleemosynam, fidem, & obseruantiam mandatorum Dei bona opera esse, pro quibus, & similibus Iob dicit, nos quasi mercenarios expectare diem, videlicet retributionis, & gloriæ, quam Paulus dicit à iusto iudice reddendam, non ex sola liberalitate diuinæ misericordiæ, sed etiam ex debito iustitiæ, ex pacto diuino, ex misericordia Dei proueniente. Nam id, quod semel promissum est, natura docet, vt debitum esse iure putetur, seruatis conditionibus promissi, nempè obseruantia mandatorum Dei, & Ecclesiæ. Promisit autem Deus omni benè custodienti mandata sua vitam æternam: ergo debitor est Deus vitæ æternæ reddendæ cuicumque plenè custodienti mandata sua. In hoc tamen maxima fuit Dei misericordia, quòd tam magnum præmium dignatus fuerit promittere propter res viles, & tanto præmio indignas. Post datam ergo hanc promissionem, non superbè agit homo, qui Deo confidit, quòd propter bona opera sua per gratiam Dei facta dabit illi vitam æternam.

Sunt etiam testimonia sanctorum Doctorum non pauca pro hac nostra Catholica Assertione. Augustinus enim in lib. de vera innocentia inquit. Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ nõ debetur, præcedit, vt fiant. Gregorius in Moralibus, exponens illud Iob 9. Sicut mercenarij dies eius, ait. Cùm opus crescit, præmij fiducia proficit, cùm verò opus torpuerit, spes à remuneratione labascit. Anselmus super illud Pauli. Nolite itaque amittere confidentiam vestrã, inquit. Quasi dicat, quoniam in principio tot aduersa passi estis, & inde confidenter sperabitis vitam æternam. Idem elucidans illud Pauli: *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem*, ait. Probatio operatur spem, quia vnusquisque ex eo, quòd per tribulationes insuperabilis probatus est, incipit habere spem, id est, certitudinem futuræ gloriæ. Eundem locum explanans Ambrosius inquit. Spes in eo, qui probatus videtur, non immeritò dicitur, dignus enim scietur, accepturus remunerationem in Regno Dei. Theophylactus declarans illud Pauli, Nolite itaque amittere confidentiam, &c. dicit. Fiduciam autem, & in loquendo libertatem dixit, quòd huiusmodi cum patientia ferentes, magnam habeant confidentiam. Chrysostomus interpretans illum versum Psal. 117. Aperite mihi portas iustitiæ, ait. Qui disciplinam suscepit, potest confidenter dicere, aperite mihi portas iustitiæ. Hieronymus exponens illud Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino, inquit. Immolate iustitiam, & consequenter sperabitis in Domino. Idem interpretans illud Pauli ad Ephes. 3. in quo habemus fiduciam, & confidentiam per fidem, hæc ait. Fiduciæ, atque accessus principium, & origo, fides in Christo est. Hæc Hieronymus. Ex cuius verbis patet, non in Christo solùm, sed in fide Christi, quæ opus nostrum, simul, & Dei donum est, cõfidere licèt, nec solùm in fidei actibus ex charitate elicitis, sed etiam in bonis operibus nostris habenda est fiducia. Ideo dixit Hieronymus fidem esse solum principiũ, & originem fiduciæ. Si fides est solum principium, & origo fiduciæ, cõuincitur inde apertè, aliquid vltra esse præter fidem, in quo fiduciam collocare possumus, alioqui non esset principium fiduciæ, sed tota fiducia. Igitur colligitur benè ex dictis Hieronymi, & aliorum Doctorum, quòd in nostris bonis operibus, & meritis aliqua fiducia reponenda est. Hæc est etiam determinatio Concilij Tridentini damnantis supra memoratam hæresim Lutheri sub Paulo 3. in sessione sexta cap. 16. Hac igitur ratione (inquit Concilium) iustificatis hominibus, siue acceptã gratiã perpetuò seruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba. *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, atque ideò benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc Concilium. Et contrarium asserentes anathematizat in Canone 26. & 32.

Quòd autem Lutherani nobis obijciunt illud Psalmi. 48. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, vbi propterea reprehendit illos, qui in suis operibus confidunt: & illud Salomonis Prouerbiorum 12. dicentis, qui confidit in cogitationibus suis, impiè agit, non est intelligendum de iustis, qui principaliter Deo, & meritis Christi fidunt: secundariò autem, & minus principaliter fiduciam in suis bonis operibus, & meritis collocant. Nec per hoc iusti quidquam detrahunt honori diuino, vt Lutherani nobis opponunt, sed augent sancti, & iusti, atque Catholici in hoc honorem diuinum. Quoniam eam fiduciam, quam in bonis operibus constituunt: in Dei bonitatem, & misericordiam referunt: quia agnoscunt, per illam Dei misericordiam venire, quòd bona opera exercere possint, & quod per illa aliquid apud Deum mereri valeant. Et fatentur cum Pau-

*Roman. 6*

*1. Cor. 15*

2. Cor. 3. Paulo, quòd *non sumus sufficientes cogitare aliquid, ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Sed illa dicta Prophetæ, & Salomonis intelliguntur poni contra superbos, quos de sua præsumptione reprehẽdunt, propterea, quòd vel sibi arrogant bona opera, quæ faciunt, nihil gratiæ Dei, & diuinæ bonitati & misericordiæ tribuẽtes, quales fuerũt Pelagiani, qui ex viribus solis liberi arbitrij absque gratia Dei se mereri vitam æternam iactitabãt; vel absq; bonis operibus & meritis proprijs putant, & docẽt homines gloriã sperare. Quales sunt impij Lutherani, similes Pharisæis, de quibus inquit Lucas.

Lucæ. Dixit autẽ *IESVS ad quosdã qui in se confidebant tanquã iusti, & aspernabãtur cæteros, &c.* Illos ergo reprehẽdit Christus per se nũc, & ante per Dauid, & Salomõ, qui cũ non sint iusti, in se cõfidunt, tanquã si essent iusti. De quorũ spe & fiducia præsumptuosa & vana inquit Iob, quòd

Iob. 8. *spes hypocritæ peribit; non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearũ fiducia eius; innitetur super domum suã, & non stabit; fulciet eam, & non consurget.* Et Salomõ Prouerb. 10 cõtra istorũ præsumptionẽ, ait

Prob. 10. *Spes impiorum peribit.* Et Sapientiæ 5. *Spes impij tanquã*

Sapient. *anugo est, quæ à vento tollitur; & tanquã*

*l*

A *spuma gracilis, quæ à procella dispergitur; & tanquã fumus, qui à vẽto diffusus est, & tanquã memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Valeant ergo impij Lutherani, qui in sua prẽsumptione in infernũ præcipitantur. Nos verò Catholici in Deo principaliter, & in Christo fiduciã habentes, secũdariò verò meritis & intercessioni gloriosæ Virginis MARIÆ, posteà meritis & interpellationibus sanctorũ aliorũ & Angelorũ, & tandem nostris bonis operibus & meritis, & Erasmi inanem, & futilem, atque Hæreticam doctrinam, quasi faciem colubri fugientes, secundũ quod sancta Mater Ecclesia docet, prædicat, & tenet, per misericordiã Dei sẽper fidamus. Hoc est quod Paulus vehementer præmonuit in Epistola ad Ephe-

B sios c. 5. dicens. Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidẽtiæ. Nolite ergo efficiparticipes eorũ. His verbis Paulus ab Hæreticorũ doctrina cauendum prædixit. Hanc materiã fusiùs tractaui, propterea quòd per ea, quæ dicta sunt, capitales Hæreses Lutheri & Erasmi ineruari, atque succindi possunt. Similiter etiam quæ ad gloriosam semperquè Virginem MARIAM attinent prolixiùs differui, quia Mater Dei, vita, dulcedo & spes nostra est.

# F. ANTONIVS
## DE GHISLANDIS.

### NOTA.

*VIRTVTIBVS, Pariterque doctrina refertus R. P. F. Antonius de Ghislandi, siue de Gistandis è Laueno, quod oppidum est in Subalpinis S. P. N. Dominici, & Religionis Prædicatorum alumnus, filius Prouinciæ Lombardiæ, qui ad annum Virgineæ Annuntiationis M CDXC. floruit, postquam omne disciplinarum genus diligentissimè excoluit, & contra Hæreticã prauitatem Inquisitor Taurinensis extiterat, opus octo millium quæstiuncularum in Euangelia totius anni cum illarum solutionibus, secundùm Sanctorum Patrum doctrinã, inscriptum* Opus aureum ornatum omni lapide pretioso. *Quod quia singulare, vnde, & perneceſſarium, excussum est millies, scilicet, Venetijs anno* 1574. & 1585. & 1592. *&c. Ex his ergo tres pretiosos lapides, id est, tres de Beata & Sacratissima Regina nostra MARIA Sermones pro eius Purificatione, Assumptione, & Natiuitate ad hanc exornandam Bibliothecam deprompsimus, seu vniones tres in nostrum Mare Magnum proiecimus, vt diuini verbi Prædicatores, seu Margaritarum piscatores deprommant. Agunt de N. Antonio Ghislando Sixtus Senensis, Alphonsus Placentinus, & Antonius Possevinus.*

# SERMO.

In Purificatione semper Virginis MARIÆ.

Luc. 2. *Postquàm impleti sunt dies purgationis* Luc. 2. Historia huius Euangelij facta est an. Christi primo die 2. Febru. in die Iouis.

HISTORICE.

Purgationis semper Virginis MARIÆ impleto tempore, ritu Mosaycæ legis natum IESVM, vt Domino iuxta eius offerrent legem in Ierusalem ad templum detulerunt, vtquè hostia redimerent, eadem permittente lege, pari turturum, aut duobus columbarum pullis. Simeon autem quidam nomine timore Domini, & iustitia, præditus his in

**degebat* Ierusalem detegebat * tẽporibus, Spiritu Sancto plenus plebis consolationem optãs, cui à Spiritu Sancto reuelatum extiterat, ne quaquam se mortẽ gustaturum, donec Christum Domini natum cerneret; ea siquidem hora spiritu ductus, in templum ascendit; qui cùm IESV parentes eum in templum introducentes, vt erga eum legis perficerent mandata, offendisset puerum, suis amplectẽs lacertis Deum excelsum benedixit, dicens: Iam Domine tuo in me adimpleto promisso, me tuum seruum in pace obdormire sinas, cum meis tuum intuitus salutare fuerim oculis, quem in cunctarum præparasti salutem gentium, earumque verum lumen, ac audiui perpetuam gloriam Israelitici populi. Licet aliqua soluere occurrentia dubia.

Dubitatur 1. quis modus tenebatur in ista purgatione? Respõdeo, quòd vt habetur Le-

*Leui.* 12. uit. 12. *Mulier si suscepto semine*, masculum peperisset, immunda erat septem diebus, & die octauo circumcidebatur infantulus, & ipsa triginta tribus diebus manebat in sanguine purificationis suæ. Si autem fœminam peperisset, immunda erat duabus hebdomadibus, & sexaginta sex diebus manebat in sanguine purificationis suæ; quibus expletis, offerebat agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato, &c. Si autem pauper esset, nec posset offerre agnum, offerebat par turturum, aut duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, alterum pro peccato.

Dubitatur 2. cùm dicatur: quòd erit *

** erat* immunda septem diebus. Cur post stat adhuc triginta tribus diebus? Respondet Lyranus, quòd illis primis septem diebus tic iudicabatur immunda, prout hebetur Leuit.

*Leuit.* 15 15. quòd non poterat communicare cum aliquo in lecto, vel cibo, & quidquid tangebat, immundum efficiebatur; & eodem modo dicitur hic de septem diebus post partum; & tamen non erat perfectè purificata, quia dicitur: *Ipsa tamen triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ*, id est, in sanguine suo aliquantulum purificato, non tamen perfectè; ideo in illis triginta tribus diebus poterit * cõmunicare cum alijs ** poterat* in cibo, non tamen in lecto; nec illud quod tangebat, fiebat propter hoc immundum; non tamen poterat ingredi Sanctuarium, donec implerentur dies purgationis suæ, scilicet, quadraginta, primi videlicet, septem maioris immunditiæ, & triginta tres minoris.

Dubitatur 3. cur sic mulieres reputabãtur immundæ? Respondet Sanctus Thomas 1.2. q. 102. art. 5. quòd propter reuerentiã eorũ, quæ ad diuinum cultum pertinẽt; tum quia homines pretiosas res contingere non solent, cùm fuerint immundi, etiam vt ex raro accessu ad sacra ea magis venerarentur; nam in hominibus reputabatur immunditia, quod corruptionem aliquam iam habebat, vel erat corruptioni expositum, vt cadauer hominis mortui, & leprosi, & mulieres patientes sanguinis fluxum, siue per infirmitatem, siue etiam per naturam, vel temporibus menstruis, vel etiam tempore conceptionis, & eadem ratione viri reputabantur immundi fluxum feminis patiente, * vel per infirmitatem, vel per pollutionẽ nocturnã, ** patientes* vel etiam per coitum; nam omnis humiditas in prædictis modis ab homine egrediens quandam immundam infectionem habet; & ideo arcebantur à visitatione templi.

Dubitatur 4. cur in partu fœminæ duplicabatur tempus immunditiæ? Respondet Iacobus de Voragine in serm. hodierno, quòd mulier duo peccata commisit; quia & superbiuit, & vetitum pomum comedit, ideo duplicata est ei pœna extra vterum.

Dubitatur 5. an semper Virgo indiguerit tali purgatione? Respondet Lyranus, quòd non; quia non concepit suscepto semine, vt ex textu supra in primo dubio posito requiritur, si debeat immunda dici; sed ipsa concepit ex Spiritu Sancto.

Dubitatur 6. cur voluit purificari, si non indigebat? Respondet S. Thom. 3. part. q. 37. art. 4. quòd sicut plenitudo gratiæ à Christo deriuatur in matrem, ita decuit, * ** decuit* vt mater humilitati filij conformaretur; & ita licèt nullam haberet immunditiam; voluit tamen purgationis obseruantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis præceptum. Et ideo signanter Euangelista dicit, quòd impleti sunt dies purgationis secundùm legem.

Dubitatur 7. vt quid debebat fisti Domino? Respondet qui supra art. 3. quòd de prole nata duplex præceptum in lege traditur. Vnum quidẽ generale quoad omnes; vt scilicet, cõpletis diebus purificationis matris offerretur sacrificiũ pro filio, siue pro filia; & hoc ad expositionẽ peccati, in quo proles erat concepta, & nata. Aliud autẽ præceptũ

erat

erat speciale in lege de primogenitis tã in hominibus, quã in iumentis, quos Deus sibi deputauerat pro eo quòd ad liberationẽ populi Israel percusserat primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reseruatis. Et hoc mandatũ ponitur, Exod. 13. & hæc duo Euãgelia * circa eum fuisse obseruata ostẽdit. Primò quidem id quod pertinet ad primogenitos, cũ dicit: *Tulerũt illum in Ierusalem, vt sisterẽt coram Domino, sicut scriptũ est in lege Domini, quia omni masculinũ adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur.* Secundò id quod pertinet cõmuniter ad omnes, cùm dicit: *vt darent hostiam, secundùm quod dictum erat in lege Domini.*

*Exod. 13. Euãgelista.*

Dubitatur. 8. quæ differentia est inter legem Domini, & Moysi? Respõdeo, quòd est vna, & eadẽ lex; sed dicitur Domini, quia habeo data & Moysi, quia habeo promulgata.

Dubitatur. 9. vnde tulerunt IESVM? Respondeo, quòd de Bethlem, in qua semper Virgo eum genuerat.

Dubitatur. 10. cur sistebant eum Domino, cùm esset Deus, & homo? Respondet Athanasius, quòd forte causa nostri hæc scripta sunt, vt discamus nos ipsos Deo præsẽtare.

Dubitatur. 11. quomodo animalia possunt dici sancta Domino? Respondet Lyranus, quòd vno modo dicitur sanctus, quod applicatur diuinis, & sic Tribus Leui dicitur sancta. Alio modo quòd est obligatum Deo; & quia omnia primogenita tam hominũ, quàm iumentorum erant obligata Deo, ideo sanata dicebatur.

Dubitatur. 12. quantum redimebantur primogeniti hominum? Respondeo, quòd primogeniti Leuitarum non redimebantur; quia semper seruiebant Domino. Aliorum verò hominum primogeniti redimebantur quinquè sichis, & quique sichis habebat obolos viginti: *Numer.* 18.

*Num. 18.*

Dubitatur 13. an primogenita aliorũ animalium etiã redimerentur? Respõdet Lyranus, quòd primogenita animaliũ mundorũ, scilicet, bouis, ouis, & caprę, & huiusmodi nõ redimebantur, sed immolabantur Domino. Primogenita verò animaliũ immũdorũ quædã interficiebantur, sicut primogenita canis, & huiusmodi; quædã verò redimebãtur, sed non quidẽ pecunia, sed pro eis ouis offerebatur, sicut primogenitus asini.

Dubitatur 14. cur dicitur: *Adaperiens vuluam*, cùm Christus nõ aperuerit vuluã, quia exiuit, saluis clausis pudoris? Respõdet S. Tho. 3. par. q. 37. art. 3. quòd hoc quod dicitur: *Adaperiens vuluam*, designat, quòd nihil antea inde intrauerat, vel exierat. Et vt dicit Gregorius Nissenus, illud legis præceptũ in soli incarnato Deo singulariter, & ab alijs differenter impleri videtur; ipse nãque solus ineffabiliter conceptus, ac incõprehensibiliter editus Virginalẽ vterũ non aperuit antea connubio reserata, seruãs & post partũ inuiolabiliter signaculum castitatis.

Dubitatur 15. quomodo omne adaperiẽs vuluã sanctũ sit; cũ multi primogeniti scelestissimi fuerint. Respondeo, quòd non dicebatur sanctum adaperiens vuluam, ob sanctitatem vitæ, sed quia erat Domino obligatum, vt dictum est dub. 11.

Dubitatur 16. cur parentes IESV nõ dederunt agnum pro hostia? Respondet Beda, quia erant pauperes.

Dubitatur 17. quæ animalia offerebantur in sacrificijs? Respondet S. Tho. 12. q. 102. art. 3. quòd de tribus generibus animalium quadrupedũ, scilicet, de genere ouium, boũ, & caprarũ, & de auibus turtur, & colũba, & etiam passer in emundatione leprosi.

Dubitatur 18. cur non offerebantur alia nobiliora his animalibus? Respondet, qui supra; quia hæc animalia maximè sunt, per quæ sustentatur humana vita, & cũ hoc mũdissima sunt. Alia verò vel sunt syluestria, & non sunt communiter vsui hominũ deputata; vel si sunt domestica, quod est purum Deo attribuendum; huiusmodi autem aues specialiter offerebantur, quia habentur in copia in terra promissionis.

Dubitatur 19. cur nunquam immolabantur pisces? Respondet qui supra, quòd quia viuunt in aqua, magis sunt alieni ab homine, quã cætera animalia, quæ viuunt in aëre, sicut homo, & iterum pisces ex aqua extracti statim moriuntur. Vnde non poterant in Templo offerri, sicut alia animalia.

Dubitatur 20. cur potiùs offerebãtur turtures, quàm earum pulli; & è contrario de colũbis? Respondet qui supra, quòd vt dicit Rabi Moyses, omne quod est optimum, Deo est attribuendum; & turtures maiores sunt meliores, quàm pulli, in colũmbis autẽ est è conuerso.

Dubitatur 21. quæ differẽtia est inter hostiam, sacrificium, holocaustum, & libamẽ? Respondet qui supra, quòd holocaustũ totum cõburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur, & tenebat primum locũ inter sacrificia. Secundum locum tenebat hostia pro peccato, quæ diuidebatur, & vna pars eius comburebatur, alia verò cadebat * in vsum Sacerdotum, & quæ comedebatur tantùm à Sacerdotibus, & in atrio, & ipsa die sacrificij, nisi esse pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis; tũc enim tota cõburebatur. Tertiũ gradũ tenebant hostię pacificæ pro gratiarũ actione, vel pro salute, vel pro prosperitate offerẽtiũ ex debito beneficij, vel accipiẽdi, vel accepti; & ista diuidebatur in tres partes: vna pars incen-

*Cadebat.*

incendebatur ad honorē Dei; alia pars cedebat in vsum Sacerdotum; tertia verò in vsum offerentium, & comedebatur ipso die, scilicet vbique in Ierusalem. Quartum verò locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto, quarum carnes poterant etiam in crastino comedi; sanguis autem, & adeps nunquam veniebant in vsum Sacerdotum, neque in vsum offerentium; sed sanguis offerebatur ad crepitudinē * altaris in honorē Dei; adeps verò adurebatur in igne. Libamen verò dicebatur, vt dicit Magister Historiæ Scholasticæ, quia oblatio erat de animalibus, & dicebatur sacrificium, aut de sicca materia, vt de simila, pane, & thure, & propinę dicebatur oblatio, aut de liquidis, vt de vino & oleo quod proprie libamen, vel libatio dicebatur.

*Crepidinem.

Dubitatur 22. an pro Christo oblatum fuerit par turturum, vel duo pulli columbarum? Respondet Landulphus de vita Christi, quòd credendum est, quòd fuerint oblati duo pulli columbarum, qui vendebantur in Templo, & facilius inueniebantur.

Dubitatur 23. cur Euāgelista dicit, quòd *erat in Ierusalem homo*, &c. Respondet Lyranus, quòd Ierusalem erat locus solemnis, & sacer, & erat ibi Cultus Diuinus, & studiū Legis, & Prophetarum, & hoc ad ostendēdum conditionem viri; quasi dicat, quòd erat deuotus Dei cultor doctus.

Dubitatur 24. cur eum nominat? Respōdet qui supra, quòd ad denotādum eius famam, quæ clara erat, & ab omnibus bonis noscebatur.

Dubitatur 25. cur dicitur *iustus*? Respondit Ambrosius super Lucam, quia non suam, sed populi gratiam requirebat.

Dubitatur 26. cur dicitur *timoratus*? Respondet Lyranus, quia rectè se habebat quo ad Deum.

Dubitatur 27. quo timore erat *timoratus*? Respondet Beda, quòd timore Domini sancto, qui manet in secula.

Dubitatur 28. cur dicit, simul *iustum & timoratum*? Respondet Beda, quia difficulter iustitia sine timore custoditur.

Dubitatur 29. cur dicitur: *expectans redemptionē Israel*? Respōdet Lyranus, quòd in hoc ostendit eius fidei rectitudinem.

Dubitatur 30. quam *consolationem* Israel expectabat? Respondet Gregorius Nissenus, quòd non vtique mundanam fęlicitatē, sed veram translationem ad veritatis decorē per separationem à legis vmbra.

Dubitatur 31. cùm in quolibet iusto sit Spiritus Sanctus, cur de eo specialiter dicitur: *Et Spiritus Sanctus erat in eo*? Respondet Lyranus, quòd erat in eo quantùm ad gratiæ plenitudinē, quia non solùm habuit gratiam iustificantē prout cōmuniter habetur à iustis, sed etiā quantùm ad illuminationes, & consolationes Diuinas spirituales.

Dubitatur 32. an fuerit summus Sacerdos? Respondet Lyranus, quòd erat inter Sacerdotes famosus. Sanctus tamen Vincētius inserm. hodierno dicit, quòd nullibi legitur, quòd fuerit Sacerdos.

Dubitatur 33. quando *accepit responsum à Spiritu Sancto*? Respondet Lyranus, quòd in deuotis orationibus suis; quia cùm esset communis opinio, quòd imminebat aduentus Christi, Simeon de hoc feruentius orabat Deum, & sic habuit responsum, quòd ante videret Christum natum, quàm vitam præsentem finiret.

Dubitatur 34. quid est *videre mortem*? Respondet Beda, quòd est ea experiri.

Dubitatur 35. quis erat *Christus Domini*? Respondeo, quòd Messias in lege promissus, qui erat vnctus à Domino.

Dubitatur 36. an Simeon timeret mori? Respondet Ambrosius, quòd cupiebat ipse corporæ vinculis fragilitatis absolui, sed expectabat videre promissum.

Dubitatur 37. cur cum tanto desiderio hoc expectabat? Respondet qui supra; quoniam sciebat, quia beati oculi qui viderent.

Dubitatur 38. in quo *spiritu venit in Tēplum*? Respondet Lyranus, quòd per reuelationem Spiritus Sancti, vt videret Christum, sicut ei fuerat promissum.

Dubitatur 39. cùm Christus in terris non habuerit patrem cur dicit: *Parentes eius*? Respōdet S. Tho. 3. part. q. 151. art. 1. quòd Ioseph etiam appellabatur pater Christi, nō quòd verè ei pater fuerit, sed quòd ad famā semper Virginis conseruandam sit ab hominibus æstimatus pater.

Dubitatur 40. quid sint *vlnæ*? Respondet Beda, quòd sunt brachia, & manus, vel cubitus, vt dicitur.

Dubitatur 41. cur accepit eum Simeon *in brachijs*? Respondet qui supra, quòd significat iustitiam operum, quæ ex lege erat per manus & brachia figuratorū humili quidem, sed salutari fidei Euangelicæ gratiæ imitandum.

Dubitatur 42. cur *benedixit Deum*? Respondet Lyranus, quòd quasi gratias agens de tanto beneficio.

Dubitatur 43. cur dicebat Simeon: *Nunc dimittis Domine*, &c. Respondet Theophilatus, quòd loquebatur puero, quem tenebat in brachijs.

Dubitatur 44. cur vocat eum *Dominum*? Respondet qui supra, quòd in hoc confitetur, quòd ipse mortis est, & vitæ Dominus.

Dubitatur 45. quid intelligit per *dimittis in pace*? Respondet Ambrosius, quòd dissolutionem corporis intelligit, vt incipiat esse cum Christo.

Dubi-

Dubitatur 46. cur dicit in præsenti *Dimittis*? Respondit Lyranus, id est, de cætero dimittes me de hac vita transire in cordis quiete.

Dubitatur 47. cur dicit se *seruum* pueri? Respondeo, quia iam confessus fuerat eum Dominum, & perconsequens si puer erat eius Dominus, ipse erat seruus suus.

Dubitatur 48. cur dicit: *In pace?* Respondet Gregorius Nissenus, quia postquam Christus culpam hostilem destruxit, nos quoque Patri reconciliauit, facta est translatio Sanctorum in pace.

Dubitatur 49. cur dicit: *Quia viderunt oculi mei?* Respondet, qui supra, quia viderat id, quod sibi fuerat promissum.

B Dubitatur 50. de quibus oculis intelligitur? Respondet qui supra, quòd de oculis tam animę, quàm corporis. Siquidem visibiliter Deum suscipientes; illi verò non solùm quæ visa sunt, attendentes, imo illuminati fulgore Spiritus Domini Verbum in carne cognoscentes.

Dubitatur 51. quid est illud *Salutare*? Respondet qui supra, quòd est ipse IESVS, quo nomine salus declaratur.

Dubitatur 52. quomodo istud *Salutare, quòd est Christus fuit paratum ante faciem omnium populorum*? Respõdit Gregorius, quòd iste venerandus senex, quãdo id quod sperabat, obtinuit, exclamat se vidisse salutem omnium populorum; adeo enim infantis ineffabile iubar illustrauit eum, vt processu tẽporis secutura mox sibi fierẽt nota.

Dubitatur 53. cur dicit: *Ante faciem*? Respondet Theophilus, quòd hoc signanter dicit, vt, scilicet, eius incarnatio omnibus appareret.

Dubitatur 54. cur dicitur: *Lumen ad reuelationem Gentium*? Respondet Athanasius, quòd Gentes ante Christi Aduentum in vltimis tenebris erant constitutæ, cognitione diuina priuatæ, sed Christus aduenies, vt dicit Cyrillus, factus est lux tenebrosis, & erraticis, quos diabolica manus oppressit.

Dubitatur 55. quomodo intelligitur: *Ad reuelationem*? Respondeo, quia reuelatus est Gentibus per Apostolos.

Dubitatur 56. cur non dicit etiam ad reuelationem Israel? Respondet Athanasius, quòd Israel licèt tenuiter, lege illuminabatur.

Dubitatur 57. cur dicit: *Gloriam Israel*? Respondet qui supra, quòd Christus fuit Israel gloria, quia secundùm carnem ex eis processit; quamuis cunctis, vt Deus præesset per secula benedictus.

Dubitatur 58. cur vocat Israel *Plebem suam*? Respondet Gregorius Nyssenus, quia ex eis est secundùm carnem natus.

A Dubitatur 59. cur primò dicit: *Lumen ad reuelationem*, quàm *gloriam Israel*? Respondet Beda, quòd ideo reuelatio Gentiũ præfertur gloria Israeli, quia cùm plenitudo Gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit.

## ALLEGORICE.

Quòd post circumcisionem Christus Dominus sistitur, significat neminem, nisi circumcisum vitijs Dominicis dignum esse conspectibus solus verè sanctus ex vtero virginali egreditur, eò quòd solus sanctus Ecclesiæ Virginis ad generandos populos, aperiret genitale secretum. Offert autem hostias qui per singulas hostias honoratur cum patre nimirum loquacissima turtur in auibus, at columba est animal mãsuetũ. Talis autẽ factus est erga nos Saluator mansuetudinem perfectè colens, & turtur orbem allexit, replens ortum suum proprijs melodijs. Occidebatur ergo turtur, & columba, vt ipse per figuras nobis pandatur passurus in carne pro vita mundi: quòd Simeon in brachijs accepit, insinuat hoc scilicet quasi senio iam deffessum ad infantiam & innocentiam Christianæ conuersationis redditurum, quòd *Benedixit Deum*, significat populum Gentilem post agnitionem veritatis Christi Deum in Hymnis laudaturum, quòd viso salutari Dei, cupit dissolui, signat contemplatiuos, qui per contemplationem Deum agnoscentes cupiunt dissolui, vt eum videant, sicuti est.

## TROPOLOGICE.

Admonemur offerre Deo sacrificium cordis nostri, postquam fuerit vitijs purgatum, & offerre turturem, id est, castitatem, & columbam, id est, simplicitatem, & binas ex vtrisque, id est, ex duplici nostra natura corporali, & spirituali Deo famulari, expectãtes semper redemptionem nostram tamquã in vltimo senio constituti; vtquè frequentemus Templum in Spiritu, si Christum amplecti volumus, & sacra communione recepta, benedicamus Domino, vt nos in pace custodiat, & lumẽ suum super nos signet, & contra aduersarios protegat, ad laudem, & gloriam suam.

## ANAGOGICE.

Eleuamur ad contemplandum semper Virginem MARIAM purgato corpore, & immortalitate recepta, qui post dies Deo altissimo placitos venit ad Templum cœlestis patriæ, quam Christus secundùm legẽ Moysi parentem honorando super omnes choros Angelorum, ad cœlestia Regna exaltauit, offerens ipsa turturem suæ præclarissimæ castitatis, & columbam suæ ineffabilis humilitatis; vti & adest Simeon iustus, amplectens Regem Regum, qui simul cũ omnibus sanctis semper Virginis MARIÆ si-

filium benedicunt, & laudant in secula seculorum.

## SERMO IN FESTO ASSVMPTIONIS Semper Virginis MARIÆ.

Luc. 10. INtrauit IESVS in quoddam Castellum. Luc. 10. Historia huius Euangelij facta est anno Christi 31. die secunda Decembris in die Martis.

### HISTORICE.

Quoddam Dominus ingressus Castellũ à Martha quadã muliere hospitio susceptus est; cuius cum germana MARIA Domini sedens pedes, eius melliflua audiret verba, conquesta Martha est, quòd nulla eius soror in ministrando iuuamina præberet, Dominumque vt eidem, quòd eam adiuuaret, imperaret, interpellauit. Respondens autẽ Dominus eam plurimum dixit esse sollicitam, & circa diuersa perturbari, sed vnum profectò necessarium fore; MARIAM autem optimam elegisse partem, quæ ab ea nunquam diuelli posset. Equidem nunc soluenda sunt dubia.

Dubitatur 1. cur hodie dicitur hoc Euãgelium, cùm non videatur facere ad propositum hodiernę festiuitatis? Respondet sanctus Vincentius in serm. hodierno, quòd literaliter non est ad propositum huius festinitatis, sed benè allegoricè quare in allegoria.

Dubitatur 2. vnde veniebat, & quò ibat Dominus, quãdo intrauit illud castellum? Respondet Magister historiæ Scholasticæ, quòd ex Galilæa veniebat in Iudæam.

Dubitatur 3. quomodo vocabatur illud castellum? Respondet Origenes, quòd prout dicit Ioannes, erat Bethania.

Dubitatur 4. quomodo Martha *Excepit IESVM in domum suam*, cùm Bethania esset Lazari, Marthæ, & Magdalenæ? Respõdeo, quòd Martha gubernabat partem fratris, & sororis, vt dicitur in legenda Magdalenæ.

Dubitatur 5. cur Euangelista non facit mentionem de Lazaro, sicut de MARIA, qui erat frater Marthæ? Respondeo, quòd quia Euangelista intendit narrare verba Marthæ contra MARIAM, & responsionẽ Domini, nec aliquid hic dicitur, quod Lazarus fecerit, vel dixerit.

Dubitatur 6. cur potius intrauit Dominus domum Marthæ, quàm alicuius alterius? Respondet Lyranus, quia propter eius deuotionem, & propter beneficia eis collata; quoniam Martham liberauerat à profluuio sanguinis, & à MARIA ejecerat septẽ dæmonia.

Dubitatur 7. cur MARIA sedebat? Respondeo, quia quærebat edoceri ex verbis Christi, sedendo autem, & quiescendo anima fit prudens.

Dubitatur 8. cur non ministrabat Domino MARIA? Respondet Augustinus de verb. Dom. quod pasci magis elegit à Domino.

Dubitatur 9. cur sedebat *ad pedes Domini?* Respondet Chrysost. quia propter reuerentiam, quam habebat ad Dominum.

Dubitatur 10. an Dominus solùm dixerit vnum Verbum MARIÆ, quia dicitur: *Audiebat Verbum illius?* Respondet Lyranus, quòd accipitur singulare pro plurali.

Dubitatur 11. quæ verba audiebat MARIA à Domino? Respõdet Basilius, quòd Dominus loquebatur de his, quæ pertinẽt ad pietatem, & veritatem.

Dubitatur 12. quid significat: *Satagebat?* Respondet Catholicon, quòd Satago componitur à Sat, vel Satis, & Ago, & ita Satagebat, id est, Satis agebat circa frequẽs ministerium.

Dubitatur 13. quid est *Ministerium?* Respondet qui supra, quòd est seruitium, vel officium Ministri.

Dubitatur 14. cur Martha hoc non faciebat fieri per ancillas? Respondeo, quòd, & ipsa, & ancillæ præparabant, ipsa præcipiente, & ordinante.

Dubitatur 15. quomodo *Stetit?* Respondet Lyranus, quòd quia fessa erat in labore præparationis, ideo stetit.

Dubitatur 16. cur ipsamet nos vocabit sororem, vt eam adiuaret? Respondeo, quòd propter reuerentiam Christi non fuit ausa ipsam vocare, quia eum audiebat.

Dubitatur 17. cur MARIA non respondit Marthæ de se conquerenti? Respondet Augustin. vbi supra, quia si pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem.

Dubitatur 18. cur intermisit verba, quæ dicebat Mariæ, vt responderet Marthæ? Respondet qui supra, quia in Verbo non laborabat cùm ipse esset Verbum.

Dubitatur 19. quid cogitabat MARIA, audita querela sororis, ante quam Dominus responderet? Respõdet qui supra, quòd timebat, ne diceret Dominus, surge, & adiuua, sororem tuam, quia noluisset perdere illa dulcissima verba Christi.

Dubitatur 20. cur Dominus eam excusauit? Respondet Lyranus, quòd vt ostenderet Marthæ, quòd sessio sororis non erat otiosa, sed melioribus actibus applicata.

Dubitatur 21. cur Dominus replicauit eius nomen? Respondet August. vbi supra, quòd repetitio nominis iudicium est dilectionis, aut fortè monendæ intentionis, vt audiat attentiùs.

Dubitatur 22. cur Martha turbabatur, præ-

præparando Domino? Respondet qui supra, quòd non turbabatur eò quòd pararet Domino, sed quia homo vult occurrere pluribus quãdo ministrat, & aliquãdo nõ potest; quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus, multa sunt, diuersa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt.

Dubitatur 23. cur Dominus reprehendit ministeriũ Marthæ? Respõdet Theophil. quòd Dominus non prohibet hospitalitatẽ, sed plurimorum turbationem, scilicet, abstractionẽ.

Dubitatur 24. cur non redarguit Dominus Martham, antequam conquereretur de sorore? Respondet qui supra, quòd Dominus nihil dixerat Marthæ, nisi postquam illum *sororem ab auditu studebat auellere.

* illa

Dubitatur 25. quid est illud: *Vnum, quòd est necessarium?* Respondet Augustinus vbi supra, quod est ipse Deus qui est vnus, & præ omnibus quærendus, vel vnum, id est, vnitas mentis ad Deum. Vnde 1. Corinth. 17. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.*

1. Cor. 17.

Dubitatur 26. Nunquid hospitalitas non est bona, quia dicit, quòd *MARIA optimam partem elegit?* Respondet qui supra: quasi dicat, non malam, sed illa meliorem.

Dubitatur 27. cur melior est pars Mariæ, quã Marthæ? Respondet qui supra, quia ab ea non auferetur; quia dulcedo veritatis in hac vita augetur, in illa perficietur, nunquam auferetur.

Dubitatur 28. nunquid pars Marthæ auferetur? Respondet qui supra, quòd suo, quia in illa patria non inueniet peregrinum quem suscipiat hospitio.

Dubitatur 29. an possit inueniri aliud tertium genus vitæ præter contemplatiuam vitam, quæ consistit in contemplatione virtutis, & actiuam, quæ consistit in exterioribus operibus misericordiæ? Respondet S. Thom. 2. 2. quæst. 179. articul. 1. & 2. & loquendo de vita humana, quæ attenditur secundùm intellectum. Vita humana sufficienter diuiditur per actiuam, & contemplatiuam; nec est aliquod tertium genus vitæ. Et licet Augustinus ponat tertium inter actiuum, & contemplatiuum, tamen media conficiuntur ex extremis, & ideo virtute continentur in eis, sicut tepidum in calido, & frigido, & pallidum in albo, & nigro, & similiter sub actiuo, & contemplatiuo comprehenditur id quod est ex vtroque compositum; & tamen sicut in quolibet mixto prædominatur aliquod simplicium, ita etiam in medio genere vitæ superabundat quandoque quidem contemplatiuum, quandoque verò actiuum. Vnde etiam, vt dicit Gregor. 6. moral. istæ duæ vitæ significantur per istas duas mulieres, quæ Dominum hospitio receperunt, contẽplatiua quidem per Mariam, actiua verò per Martham non autem esset hæc congrua significatio si essent plures, quàm duæ vitæ.

A Dubitatur 30. cur contemplatio, & actio dicuntur vitæ? Respõdet qui supra, quia vita vniuscuiusq, ostenditur ex operatione sibi maximè propria, ad quã maximè inclinatur, sicut plantarũ vita in hoc quod nutriuntur, & generantur, animaliũ in hoc quòd sentiunt, quòd monẽtur, hominũ verò in hoc quod intelligunt, & secundùm rationẽ agunt. Et quia quidã homines præcipuè intendũt contẽplationi veritatis, & quidã principaliter exterioribus actionibus; ideo cõueniẽter cõtẽplatio dicitur vita contemplatiua, & actio vita actiua.

Dubitatur 31. quid est vita actiua? Respõdet Beda in hom. quòd est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientẽ docere, errantẽ

B corrigere, ad humilitatis viã superbientẽ proximũ reuocare, infirmantis curã gerere, quæ * quibusque expediat, dispẽsare, & commissis nobis qualiter subsistere valeant procidere.

* quod

Dubitatur 32. quid est vita contemplatiua? Respondet qui supra, quòd est charitatem qui dem Dei, & proximi mẽte retinere, sed ab exteriori actione quiescere solius desiderio conditionis inhærere, vt nil iam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndã faciẽ sui creatoris animus inardescat, ita vt iã nouerit carnis corruptibilis pondus cum merore portare, totisque desiderijs appetere, illis hymni dicis Angelorum choris interesse, admisceri ciuibus cœlestibus, de æterna inconspectu Dei

C incorruptione gaudere.

Dubitatur 33. quæ virtutes pertinent ad vitam actiuam, & quæ ad contẽplatiuũ? Respondet S. Tho. 2. 2. q. 180. & 181. quòd virtutes morales essentialiter quidẽ pertinent ad vitam actiuam, vt dicit Philosophus in 10. Ethic. dispositiuè verò ad contemplatiuã. Doctrina verò ex parte sermonis audibilis semper pertinet ad actiuam; quantum verò ad naturam doctrinæ, si quis interius * concipit aliquam veritatem, vt per eam in exteriori actione dirigatur, pertinet ad actiuã, Ad contemplatiuam autẽ quando homo interiùs cõcipit aliquã veritatẽ intelligibilem in cuius cõsideratione, & amore delectatur.

* interius

D Dubitatur 34. quia videtur, quòd vita cõtẽplatiua etiã versetur circa plurima; quia ad eam pertinent oratio, lectio, meditatio, & etiã auditus. Respondet qui supra q. 180. art. 3. quòd cõtẽplatiua habet multos actus, per quos venit ad actum finalẽ contẽplationis, sed vltimus actus est ipsa contemplatio veritatis, ad quã homo pertingit dupliciter; vno modo per ea quæ ab alio accipit, etsi accipiat à Deo necessaria est oratio Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Si autem accipit ab homine, necessarius est auditus, secundùm quod accipit ex voce loquẽtis, & lectio, secundùm quod accipit ex eo quod per scripturam est traditum alio modo necessarium est, quòd adhibeat proprium studium, & sic requiritur meditatio.

Sapien. 7.

Du-

Dubitatur 35. quæ est potior actiua, vel contemplatiua? Respondet, qui supra q. 181. art. 1. quòd vita contemplatiua simpliciter melior est, quàm actiua, vt probat Philosophus in 1. Ethic. Secundùm quid tamen, & in casu est magis eligenda vita actiua propter necessitatem præsentis vitę; sicut etiam Philosophus dicit, 3. Topic. quòd Philosophari est melius, quàm ditari, sed ditari melius necessitatem patienti. A

Dubitatur 36. quæ earum est maioris meriti? Respondet qui supra art. 2. quòd est vita contemplatiua ex suo genere, quæ directè, & immediatè pertinet ad dilectionem Dei; vita verò actiua directiùs ordinatur ad dilectionẽ proximi, quia satagit circa frequens ministerium; potest tamen contingere, quòd aliquis in operibus vitæ contemplatiuæ, puta si propter abundantiam diuini amoris interdum sustineat à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus separari, sicut Apostolus dicebat ad Roman. 9. *Optabam ipse ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quod exponens Chrys. in lib. de compunct. dicit: Ita totam mentẽ eius demerserat amor Christi; vt etiam, hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat esse cum Christo, rursus id ipsum, quia ita vt placeret Christo, contemneret. B *Roma. 9.*

Dubitatur 37. an vita actiua impediat contemplatiuam? Respondet qui supra arti. 3. quòd vita actiua potest considerari quantùm ad duo. Vno modo quantum ad ipsum exercitium exteriorum actionum, & sic manifestum est, quòd vita actiua impedit contemplatiuã, in quantum possibile est, quòd aliquis occupetur circa exteriores actiones, & diuina contemplationi vacet. Alio modo quantùm ad hoc, quòd interiores animæ passiones componit, & sic adiuuat ad contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorũ passionum. C

Dubitatur 38. quæ est prior earum? Respõdet qui supra art. 4. quòd secundùm naturam vita contemplatiua est prior; in quantùm prioribus & melioribus inhæsit; vnde & actiuã vitã monet, & dirigit. Sed quoad nos, & via generationis vita actiua est prior, quia disponit ad cõ templatiuam. Dispositio autem in vita * generationis præcedit formam, qua simpliciter secundùm suam naturam est prior. D ** via*

Dubitatur 39. cùm auferatur vita actiua, videtur, quòd non debeant exerceri opera charitatis in proximum, ex quo meritum auferetur, & deperditur? Respondet qui supra q. 181. quòd non intelligitur, quòd meritum vitæ actiuæ deperdatur, sed quòd vita actiua non durat post hanc vitam, quia in futura vita Beatorum, cessabit occupatio exteriorũ actuũ; etsi qui actus exteriores sint, referentur ad finem contemplationis; & ita vita actiua auferetur, non autem meritum vitæ actiuæ præteritæ.

## ALLEGORICE.

*Intrauit IESVS* per corporis assumptionem, *In quoddam castellum* huius mundi; *Et mulier quædam Martha nomine*, quæ interpretatur domina, *Excepit eum in domum suã* vteri scilicet virginalis. Nam nulla est domina cœli, & terræ, nisi Regina Angelorum. *Et huic erat soror nomine Maria*; quia ipsa, semper Virgo, fuit Martha quoad opera misericordiæ corporalis, quæ exhibuit filio suo Christo, pascendo esurientem, sitientem potando lacte, nudum sua carne vestiendo, hospitem macula sua virginea recipiendo, infirmum, & in carcere crucis positum visitando. Fuit etiã MARIA, quoad contemplatiuam vitam, quã audiebat ab ore alij: *Et turbata fuit erga plurima* in eius passione, compatiendo sibi, & ex alia parte videns genus humanum aliter redimi non posse; & ita ista passio erat illud *Vnum necessarium.* Et tandem ipsa semper Virgo *Optimam partem elegit*, scilicet virginitatem inter matrimonium, & castitatem vidualem, *quæ non auferetur ab ea.*

## TROPOLOGICE.

Instruimur opera pietatis exercere, & Prædicatores reuerenter audire, nec contra contemplatiuos murmurare, & ne turbemur circa plurima aduersa occurrentia, sed semper in omnibus ad vnum tendamus finem nobis necessariũ; & sic optimam partem eligemus; si tamen perseuerantem vsque in finem vitæ nostræ, in dilectione Dei permanebimus.

## ANAGOGICE.

Contemplari licèt castellum cœlestis Ierusalem, in quod intrauit IESVS, humanam naturam in ipso collocando, ad quod & hodie semper Virginem MARIAM introduxit, eã in anima, & corpore exaltando super choros Angelorum; & hæc est illa præclara hodierna festiuitas, omnium Sanctorum festiuitatibus incomparabilis, in qua gloriosa, & felix optimam partem habuit, quæ non auferetur ab ea in æternum, & eius plurimæ turbationes in morte filij, in maximas exultationes conuersæ sunt. Cuius precibus, vt salutem consequi valeam, me committo.

## *SERMO IN NATIVITATE semper Virginis MARIÆ Liber generationis IESV Christi filij Dauid,* Matth. 1. cap.

QVibus temporibus nati fuerint in hac Genealogia descripti, pro maiori parte vetus testamentum demonstrat, maxime vsque ad transmigrationem Babylonis. Historicè aliter non exponitur. Erunt tamen soluenda dubia. *Matt. 1.*

Dubitatur 1. cur Matthæus describit Christi generationem secundùm carnem, & Ioannes secundùm diuinitatem? Respondet Chry-

sost.

sost. quia Matthæus Iudæis Euãgelium scripsit, quibus superfluũ erat exponere diuinitatis naturam, quam cognoscebant, sed necessarium erat eis mysterium Incarnationis exponere. Sed Ioannes Gentilibus Euangelium scripsit, qui non agnoscebant, si Deus filium habet, ideo necessarium fuit illis primùm ostendere, quia est filius Dei Deus, deinde quia carnem susceptt.

Dubitatur 2. cur hoc Euangelium vocatur *Liber generationis IESV Christi*, cùm eius generatio paruam huius libri contineat particulam? Respondet Rabanus, quòd consuetudo Hebræorum est, vt voluminibus ex eorum principijs imponent nomina, vt est liber Geneseos.

Dubitatur 3. quia hìc non videtur esse perfectus sensus, cùm nullum sit verbum principale. Respondet Glossa, quòd plenior sensus: & hic est liber generationis, sed hic est mos in multis, vt *visio Isaiæ Prophetæ*, Subaudi: hæc est. *Isai. 1.*

Dubitatur 4. cùm hìc multæ enarrentur generationes, cur dicit singulari: *Liber generationis?* Respõdet Glossa, quia propter Christi generationem cæteræ hic inducuntur.

Dubitatur 5. cur dicit: *IESV Christi?* Respondet Remigius, quia nouerat scriptum esse: *Liber generationis Adæ.* Et hæc exorsus est, vt opponeret librum libro. Adam nouũ Adæ veteri, quia omnia per istum sunt restaurata, quæ per illum fuerant corrupta.

Dubitatur 6. quomodo potest Euangelista Christi enarrare generationem, cùm Isai. 53. cap. dicatur: *Generationem eius quis enarrabit?* Respondet Hieron. quòd Isaias de generatione diuinitatis loquitur, sed Matthæus de humanitatis generatione. Et S. Tho. 3. p. q. 31. art. 3. dicit, quòd Matthæus non explicat modum incarnationis, quia hoc etiam est ineffabile, sed enumerat Patres, ex quibus Christus secundùm carnem processit. *Isai. 53.*

Dubitatur 7. cur dicit: *IESV.* Respondet Lyranus, quòd IESVS est nomen personæ.

Dubitatur 8. cur dicit: *Christi.* Respondet qui supra, quia est nomen naturæ, significat enim duplicem naturam in vno supposito, scilicet, diuinam, & humanam.

Dubitatur 9. cur Christus potiùs dicitur esse filius Dauid, & Abrahæ, quàm Noe, Isaac & Adæ? Respondet S. Tho. 3. par. q. 31. ar. 2. quòd ad hos repromissio de Christo facta est specialiter. Dictum est enim Abrahæ, Genes. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quòd Apostolus de Christo exponit ad Galat. 3. Et ad Dauid dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Psal. 121. Vnde, & Iudæi, vt Regem honorificè suscipientes dicebant: *O sana filio Dauid*, Matth. 12. *Gene. 22.* *Galat. 3.* *Psal. 121* *Mat. 12.*

Dubitatur 10. cur præponitur hìc Dauid Abrahæ, cum Abraham fuerit ante Dauid? Respondet Hieron. in homil. quòd est ordo præposteris, sed necessariò commutatus, si enim primum posuisset Abraham, & postea Dauid, rursus ei repetendus putat Abraham, vt generationis series texeretur. A

Dubitatur 11. cur potiùs incipit ab Abraham, quàm ab Adam? Respondet August. * super Luc. quòd prior Abraham meruit fidei testimonium, quia credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. * *Ambr.*

Dubitatur 12. cur non dicit Abraham genuit Ismael, & Isaac. Et Isaac genuit Esau, & Iacob, sicut dicit, *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius?* Respondet Glossa, quia Ismael, & Esau non permanserunt in cultu vnius Dei; fratres verò Iudæ, in populo sunt computati, & fuerunt patres populi Israelitici, vt dicit Lyranus, & ab eis duodecim Tribus Israel nominantur. B

Dubitatur 13. cur non nominat fratres Iudæ, sicut eius filios, scilicet, *Phares, & Zarã?* Respondet S. Tho. 3. part. q. 31. arti. 3. quoniam multi fratres Iudæ ex ancillis nati fuerint. Phares, autem, & Zaram simul nominãtur, vt dicit Ambrosius super Luc. quia per eos gemina describitur gratia populorum. Vna secundùm legem, quæ significatur per Zaram; & altera secundùm fidem, quæ signatur per Phares.

Dubitatur 14. cur potiùs ergo nominat Iudam ex nomine, quàm fratres? Respondeo, quia ex eo processit Christus, & non ex fratribus, vt dicit Glossa. C

Dubitatur 15. cur tantùm quatuor nominantur mulieres, scilicet, Thamar, Ruth, Raab, & vxor Vriæ? Respondet Hieron. super Matth. quòd in Genealogia Saluatoris nulla sanctarum assumitur mulierem, sed quas Scriptura reprehendit; vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. Vnde ponitur Thamar, quæ reprehenditur de socetino concubitu, & Raab, quæ fuit meretrix, & Ruth, quæ fuit alieni gena, & vxor Vriæ, quæ fuit adultera.

Dubitatur 16. cur non nominauit Bersabee proprio nomine? Respondet S. Tho. 3. par. q 31. art. 3. quòd propter peccatum ipsius, quæ fuit adulterij, & homicidij conscia, tum etiam, vt nominato viro peccatum Dauid ad memoriam reuocetur. D

Dubitatur 17. cur Lucas in Genealogia nõ facit mentionem de istis mulieribus? Respõdet S. Tho. 3. par. q. 31. artic. 3. quia Lucas Christum designare intendit, vt peccatorum expiatorem, ideo talium mulierum mentionem non facit.

Dubitatur 18. quæ fuit ista *Raab?* Respondet Chrisost. super Matth. quòd dicitur fuisse Raab meretrix de Ierico, quæ suscepit exploratores filiorum Israel, quàm Salmõ, qui

erat

erat nobilis inter filios Israel de Tribu Iuda, & filius Principis, quia vidit eam sic fidelem, quasi magnam aliquam constitutam meruit accipere in vxorem.

Dubitatur 19. cur *Booz* acceperit in vxorem *Ruth*, quæ erat Moabitidis? Respondet qui supra, quia Ruth Deos patrum suorum repulit, & Deum viuentem elegit; & *Booz* pro merito fidei suæ illam accepit vxorem, vt ex coniugio tali sanctificato genus nasceretur Regale.

Dubitatur 20. cur solus *Dauid* nominatur *Rex*? Respondet Remigius, quòd vt ostendatur ipsum primùm fuisse Regem in Tribu Iuda.

Dubitatur 21. cur dicitur: *Genuit Dauid Regem*, cùm non fuerit genitus Rex, sed post factus? Respondeo, quòd Ly: *Regem* nõ refertur ad illud verbum: Genuit, sed solùm ad Dauid; vt sit sensus: Iesse genuit Dauid, qui postmodum fuit Rex. B

Dubitatur 22. cùm pater Dauid vocaretur
1. *Reg.* 16 Isai, vt habetur 1. Reg. 16. cur dicitur filius *Iesse*? Respondet Glossa, quòd pater Dauid binomius, quia vocatus est Isai, & Iesse.

Dubitatur 23. cur ergo Euangelista potius nominat Iesse, quàm Isai? Respondet
*Isa.* 11. Glossa; quia Isaias 11. non vocat eum Isai, sed Iesse, dicens: *Egredietur virga de radice Iesse*; vt ostenderet illam prophetiam completam esse in semper Virgine Maria, &
*Christo.* Chrisost. * Ideo etiam Euangelista non vocat eum Isai, sed Iesse. C

*Luc.* 13. Dubitatur 24. quia Luc. 13. dicitur, quòd Christus descendit à Dauid per *Nathan* filium Dauid; & hic Matth. dicit, quòd descendit per Salomonem, & sic videtur cõtrarietas? Respõdet Lyranus, quòd ideo Lucas describit Christum descendere per Nathan; quia licèt omnes Sapientes Hebræorum cõcorditer tenerent, Christum debere descendere de Dauid; tamen aliqui eorum opinabantur, quòd descenderet ab eo per Nathan, propter excellentiam suæ sanctitatis, & prophetæ; alij verò per Salomonem propter dignitatem Regiam, & suæ excellentiam sapientiæ. Secundùm veritatem autem descendit D per vtramque. Aliter tamen per Salomonem descendit secundùm lineam naturalis generationis; per Nathan verò secundùm lineam legalis generationis; quia Nathan fuit filius Dauid adoptiuus. Et Ioseph, qui ponitur immediatè post Christum, ascendendo
* *Heli.* fuit filius adoptiuus *Helij*, * seu legalis; Nam *Nathan*, & *Mathat* descenderunt à Dauid, sed Mathat per Nathan filium Dauid adoptiuum, Nathan autem per Salomonem; & isti duo Mathat, & Nathan habuerunt vnam vxorem successiuè, quæ dicta est Iescha; & ista à Nathan concepit Iacob, & à Nathat Helij, ita quòd Helij, & Iacob fuerunt fratres vterini, sed à duobus fratibus à Dauid diuersimodè descendentibus. Helij autem vxore habita, mortuus est sine semine, & ideo Iacob frater accepit vxorem fratris sui, vt ei suscitaret semen, & genuit Ioseph; ita quod Ioseph fuit filius naturalis ipsius Iacob, & sic accepit eum hic Matth. fuit autem filius Helij, legalis, & sic accepit eum in Genealogia Lucas.

Dubitatur 25. quia 4. Reg. 8. dicitur, quòd *Ioram* genuit *Ochoziam*; & hic Matthæus di- 4. *Reg.* 8.
cit. quòd *Ioram genuit Oziam*. Ergo videtur, quòd non benè describat Genealogiam Saluatoris? Respondet S. Thom. 3. part. q. 31. art. 4. quòd sicut dicit Hieron. super Matth. Ioram Rex generi se immiscuerat impijssimæ Iezabel, id circo vsque ad quarta m generationem eius memoria tollitur, ne in Sanctæ Natiuitatis ordine poneretur.

Dubitatur 26. quia aliqui alij Reges etiam fuerunt peccatores, sed tamen propter hoc non præcluduntur à Genealogia. Respondet qui supra, quòd illorum non fuit continua impietas; nam vt dicitur in lib. quæstion. noui, & veteris testamenti Salomon merito patris sui remissus in Regno est; Roboam merito Asab filij sui. Horum autem trium continuauit impietas, scilicet, filij, & nepotum.

Dubitatur 27. quia 4. Reg. 23. cap. *Ioachim* fuit Rex; & tamen non ponitur hic à 4. *Reg.* 23
Matthæo. Respondet Chrisost. super Matthæum, quòd ideo sublatus est de numero Regum; quia non populus Dei constituerat eum in Regem, sed Pharao per potentiam.

Dubitatur 28. quia cùm *Ieconias, & fratres eius*, nati fuerint ante trasmigrationẽ Babylonis, cur Euangelista dicit, eos natos in ipsa transmigratione? Respondet Lyranus, quòd quia tunc imminebat captiuitas Babylonis, ideo dicuntur geniti, *in transmigratione Babylonis*.

Dubitatur 29. cur nominantur in hac Genealogia fratres Ieconiæ, cum fratres aliorum Regum non nominentur? Respondet S. Thom. vbi supra, quia omnes fratres Ieconiæ regnauerunt diuersis temporibus, quod in alijs Regibus non acciderat, vel quia eorum similis fuit, & iniquitas, & miseria.

Dubitatur 30. quia 1. Paralip. 3. dicitur, 1. *Paralip.* 3.
quòd Ieconias genuit Salathiel & Phaadia, & Phaadia genuit Zerobabel. Respondet Glossa, quòd multa in Paralipomenon vitio scriptorum sunt deprauata.

Dubitatur 31. quia cùm de Abiud, vsque ad Ioseph, nihil in Scriptura Sacra reperiatur, quomodo Euangelista potuit texere Genealogiæ seriẽm vsque ad Christum? Respõdet Lyranus post Glossam, quòd fuerunt aliqui studiosi apud Iudæos, qui Genealogias à
Dauid descendentes * diligentissimè scripserunt propter Christum, quem expectabant * *descendentium.*

à Da-

à Dauid descendere, & ibi Matthæus potuit reperire, vel dicendum, quòd Matthæus habuit per reuelationem.

Dubitatur 32. Cùm Christus non fuerit filius Ioseph: cur genealogia terminatur in ipso Ioseph, dum dicitur: *Iacob autem genuit Ioseph virum MARIÆ?* Respondet Hieronymus, quòd non est consuetudinis scripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex vna tribu fuisse Ioseph, & MARIAM, vnde ex lege eam accipere cogebatur, vt propinquam.

Dubitatur 33. Quia non dicitur, quòd MARIA fuerit de cognatione Dauid? Respondet Augustinus contra Faustum dicens. Nos ergo credimus etiàm, MARIAM fuisse in cognatione Dauid: quia eis scripturis credimus, quæ vtrumque dicunt, & Christum ex semine Dauid secundùm carnem, & eius Matrem MARIAM, non cum viro concubendo, sed Virginem.

*Allegoricæ.*

Quod ab Abraham per inter medios peruenitur ad generationem Christi, significat, quòd à virtute fidei, quæ est fundamentum, & mater omnium virtutum, sicut Abraham, qui credidit Deo, & fuit pater multarum gentium, peruenitur ad salutem, qui est IESVS, qui interpretatur Saluator.

*Tropologicæ.*

Instruimur, vt si volumus IESVM concipere, simus iusti, sicut Abraham, & quatenus Deum offendamus, pœniteamus sicut Dauid, & cæteri, qui peccauerunt ex hac genealogia, nec diffidamus, si simus pauperes, viles, & abiecti, quia non est personarum acceptor Deus, sed in genealogia ponuntur Patriarchæ Duces, Reges, & priuatæ personæ, ac pauperes.

*Anagogicæ.*

Contemplemur virgam Iesse semper Virginem MARIAM, & florem huius radicis IESVM Christum, de quibus cantat Ecclesia. Stirps Iesse virgam produxit, virgaque florem, & super hunc florem requiescit spiritus almus, Virgo Dei Genitrix virga est, flos filius eius quemadmodum in illa cœlesti gloria, in qua triumphos bellici certaminis aduersus Principem mundi huius reportarunt, gaudent, & regnant omnes Sancti cum Christo in æternum, & in seculum seculi.

# F. ALBERTVS
## DE MARQVESIIS.

### NOTA.

*PHilosophus singularis, Astronomus peritissimus, rarus Astrologus, Medicus, atque Theologus consumatissimus, venerabilis Pater Albertus de Marquesijs de Cottignolo, ex Seraphica S. P. N. Francisci familia in Æmilia, quæ Romandiola dicitur, & oppido Cotiniola natus, qui ad annum Virginei partus, M. D. XX. clarebat, edidit* Cœliloquium Morale *(male Possevinus, & Vvilotus Colloquium Morale nuncupant) in septem distributum libros, in quibus de cœlo super cœlesti, id est, de Deo benedicto, & Sacra Trinitate, Christo glorioso, & MARIA Sanctissima, de mundo in generali, & cœlo impireo, de sphera, cœlo decimo, primo mouili, Christalino, stellato, de duodecim signis zodiaci, de septem planetis, in generali, & speciali quoad realitatem, & moralitatem, applicando eorum naturas, proprietates, motus, influxus, syderum fluxus, & refluxus, quasi assumpto Eliæ Prophetæ curru, & ad æthereos illos igne, & claritate perpetuus scandens Solis, Lunæque Aureos thronos ascendens ad Ecclesiam Sanctam asportauit, ad bonos mores applicuit, & vitiorum detestationem, iam allegoricè, anagogicè ve, iam moraliter conscientiæ, & animæ loquens cœlum ipsum materiale, & in eo contenta ad cœli gloriam spiritualem direxit, nec non veluti apis argumentosa, ex varia scientiarum supellectile mel rosidum, &*

*diui-*

*diuinum collegit antidotum, & vt omnia vno solo proferam verbo; omnes Gentilicas fabulas, idolatras Genethliacas, & Mathematicas superstitiones antiquorum Saturni Iobis, Dianæ, Veneris, &c. Vnus hic Albertus baptizauit, & ad Christianitatem miro artificio, & scientia, doctè subtiliter, & eruditè reduxit: opus equidem egregium, atque insigne, dolendũ tamen summè, quòd iam iam temporis iniuria ab omnium litteratorum memoria videatur excisum, & obliuioni traditum, ne verò omnia tanti Doctoris perirent opera cœliloquia moralia de sacratissima N. Domina, cœlique, & terræ præpotenti Regina in septem libros sparsa hic ad eius gloriam, & Authoris commendationem transcribenda duxi.*

## DE POLO ARCTICO, QVI ET STELLA maris dicitur, moralitas pro Virgine MARIA,

*Ex lib. 5. cœliloquij cap. 17.*

POlus Arcticus potest dupliciter considerari, vel verus, & realis Polus mundi, & talis est immobilis, ita quod nullomodo mutat locum, & talis est inuisibilis. Alio modo sumitur Polus pro stella visibili, quæ est in cauda vrsę minoris, vel in principio currus, & talis verè mouetur, & in suo motu causat circulum, vt patet scienti Astrologiamo, & in proposito nostro, siue de isto, siue de illo non distinguendo erit sermo. Applicãdo ergo in proposito ad Matrem Domini. Dico, quôd Virgo MARIA dicitur stella maris, id est, Polus Arcticus, & quôd dicatur stella, patet, quia sicut stella quælibet cum de natura sua, secundùm Dionysium, sit opaca, tamen statim cùm fuit creata, fuit â Sole illuminata. Sic Beata Virgo MARIA, licet ex modo suæ generationis fuerit nata opaca obscuritate peccati originalis quantum erat ex se, tamen in eodem instanti, in quo in vtero suæ Matris fuit concepta, à Sole iustitiæ, mediante gratia præueniente, fuit sanctificata, vt pro ipsa ad litteram intelligatur illa prophetia Numer. 24. *Orietur stella ex Iacob*, sicut enim stella fuit factaà Deo sine macula, ita Virgo MARIA fuit concepta, & nata sine macula originalis peccati. Quod autem Mater Domini dicatur stella maris patet, quia habet proprietates stellæ maris. Vbi sciendum, quòd stella maris, quæ & Polus Arcticus, habet nouem proprietates Virgini MARIÆ Matri Domini excellentissimè conuenientes. Prima est, quòd habet stabilitatem in suo situ: omnes autem aliæ stellæ, quæ sunt in cœlo mouentur circulariter de loco ad locum, ista autem semper stat in eodem loco immobiliter fixa; ideo dicitur cardo, omnis enim motus circularis fit circa aliquid immobile, & illud dicitur cardo, vnde Iob 22. dicitur de primo motore. *Circa cardines cœli perambulat.* Istam autem proprietatem habuit Beata Virgo MARIA, tam in statu viæ, quàm in statu patriæ: in statu viæ, quia vt mox fuit concepta, & nata; fuit in gratia immobiliter confirmata, vt nunquam habuerit in se motum peccati mortalis, aut venialis, secundùm Augustinum, de natura, & gratia Dei cum de peccatis agitur, &c. Vnde secum eundem ipsa sola, citra Christum, sicut stella in hac parte permansit. Secundò, habuit istam proprietatem in patria, quia animæ aliorum sanctorum ex naturali inclinatione, quam habent ad sua corpora secundùm Apostolum, mouentur motu desyderij ad resumendum sua corpora, & ideo non sunt vltimatè quietatæ ab immobilitate; anima autem Virginis Beatissimæ, quia cum corpore suo est glorificata, vt determinat Augustinus in sermone de Assumptione eius, est perfectè quietata, vt vltra non moueatur hoc desyderio, sed simul in anima, & corpore est glorificata, sicut erũt sancti post iudicium, de quibus dicitur Apocalypsi 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Ad istius autem proprietatis perseuerantiam, debet conari hominis deuota anima, scilicet, vt fit in bono proposito sibi diuinitus infuso, immobilis, & firma, & non mutabilis, vt dimittet incepta bona, sicut homines insipientes, qui quotidie mutant suas affectiones, de quibus dicitur Eccles. 27. *Homo sapiens manet in sapientia sicut Sol, stultus verò sicut Luna mutatur.* Secunda proprietas istius stellæ, quæ dicitur Polus, est quod habet volubilitatem in suo circuitu, quia licet non transeat de loco ad locum, sicut aliæ, tamen voluitur infra ambitum suum cum sit fixa in firmamento, ideo ad reuolutionem firmamenti reuoluitur, vnde non est intelligendus ille cardo, vt non voluatur omnino, vt dicitur Prouerbior. 26. Quod sicut hostium vertitur in cardine suo, quia cardo est ab hostio separatus, & nõ voluitur hostio reuoluto; ille autem cardo est coniunctus firmamento, & ideo voluitur ad eius reuo-

*Num. 24*

*Iob 22.*

*Apoc. 3.*

*Eccl. 27.*

*Prou. 26.*

reuolutionem. Istam autem proprietatem obtinet nunc in patria Beata Virgo Mater Domini, quia licet sit in sua fœlicitate immobiliter collocata (vt patuit) tamen ex magnitudine suæ clementiæ se benignè conuertit (quasi se reuoluendo) ad quancumque partem fuerit inuocata, secundùm Bernardum, ideo pro eius condescensione benigna dicitur: Prouerb. vltimum: *Lex clementiæ in lingua eius.* Et ibi dem *manum suam aperuit inopi, & palmas*
*Prou.31.* *suas extendit ad pauperes.* Vnde sicut Regina, quæ est benigna, libenter se conuertit ad omnes miserorum petitiones, ita Mater Domini regnans in excelsis, se conuertit ad omnes partes, in quibus à miseris egentibus fuerit inuocata, & ideò illud auxilium non habuerunt Sancti Patres veteris testamenti, eo quod nulla erat in cœlis Regina, ideo pro illo tẽpore dixit sapiens, Eccles. 25. *Vbi non est mulier, ingemiscit egens.* Quia mulieres sunt magis pij cordis, &
*Eccl.25.* per ipsas solent plerumque miserationes Principum impetrari, & de hoc sunt multa exempla in Sacra Scriptura, & etiam Valerius Maximus ponit exẽplum de Coriolano placato precibus suæ matris, licet essent Pagani. Istam proprietatem debet habere quælibet anima viri pij deuotione cõiũcta, scilicet, vt benignè subeniat omnibus sicut potest, Luc. 6. *Omni petenti te tribue.* Vbi ostendit Saluator, quòd cle-
*Luc.6.* mentia hominis Christiani debet esse vniuersalis, cùm promittitur omni petenti te, iuxta illud Apostoli: *Operemur bonum ad omnes.* Secundò, quòd debet esse liberalis, cùm adolitur
*Galat.6.* tribue, scilicet, sponte, secundùm illud Apostoli: *Hilarem datorem diligit Deus.* Tertia proprietas est, quòd ista stella habet sempiter-
*2.Cor.9.* nitatem in suo aspectu: cùm enim aliquæ stellæ sint sempiternæ apparitionis, & aliquæ sempiternæ occultationis, pro quanto aliquæ videntur omni nocte, & aliquæ nulla nocte, vt sunt illæ quæ sunt oppositi emispherij, & aliæ quãdoque apparent, quandoque non, & aliquæ quæ apparent in tota nocte, sed non omni hora noctis æquè distanter apparent omnibus, nisi obstaculũ nubium sit interpositũ, vt patet ad sensum. Ista autem proprietas attribuitur B. Virgini, quia licet aliqui sancti appareant per effectũ omnibus inuocantibus se, & nõ omnes, vt quibus non est datum facere miracula; hoc tamen est proprium Virgini gloriosæ, omnibus inuocantibus eam deuotè, si non sit nubes interposita vitiorum, & sic est sempiternæ apparitionis per effectum subuentionis in nocte huius mundi, & in omni hora noctis vniformiter. Vnde de ea dicitur Prouerb. 31. quòd *de nocte surrexit*, & quòd de nocte non *extinguetur lucer-*
*Prou.31.* *na eius.* Ista autem surrectio noctis significat sollicitudinem assiduam, quam illa mulier Beatissima habet tempore noctis huius seculi, quia ad præbendum beneficia semper inuigilat eam inuocantibus, ideo sequitur: *Dedit prædam*

A *domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Ratio autem tantæ solicitudinis in hac muliere pro nobis est, quia res quãtò charius est empta, tantò charius est dilecta, & quia nos sumus empti sanguine Christi, qui charior erat Virgini, quàm ipsa sibi, ideo charius nos complectitur, quàm si nos proprio sanguine redimisset. Quarta proprietas est, quòd dicta stella habet subtilitatem in suo excessu, quia ipsa est altissima omnium stellarum, quæ sunt in emispherio, (intellige ad bonum sensum) cuius altitudinis signum est, quia Sol ascendens, & descendens inter duo solstitia per circulum anni; quantò plus appropinquat ad illam stellam,
B tantò magis dicitur ascendere; & quantò plus distat, tantò plus dicitur descendere, & ita est de Luna, & alijs planetis. Istam autem proprietatem Beatus Hieronymus attribuit Matri Domini in cœlesti patria: quia sicut ista stella est super omnes alias in firmamento eleuata, ita Mater Domini fuit super omnes choros Angelorum exaltata, vt dicere possit illud Ecclesiastici 24. *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nu-* *Eccl.24.*
*bis.* Tota enim cœlestis Curia, vel Hierarchia, vt dicit Beatus Dionysius, est dispositа ad modum columnæ, cuius vasis est Hierarchia infima, astillæ Hierarchia media, & capitelum suprema, & quia thronus Virginis
C fuit super illam locatus, ideo dicitur thronus meus in columna nubis. Quia verò hanc proprietatem habere non potest anima deuota Virgini MARIÆ, vt sit in tanta sublimitate localiter, ideo hoc fiat spiritualiter saltem, quia secundùm Sanctum Bernardum. Anima melius est vbi amat, quàm vbi animat. Cuius ratio est, quia amor est tendentia spiritualis amantis in amatum, & ideo cùm motus magis sapit naturam termini ad quem, quam à quo, ideo amor magis est in amato (intellige terminatiuè, non autem subiectiuè) quàm in amante, & magis ei coniungitur, & secundùm hoc dicit Apostolus ad Philippens. 3. *Nostra*
*conuersatio in cœlis est.* Quia scilicet, desi- *Philip.3.*
D deramus cœlestia. Quinta proprietas est, quia habet mediatatem in suo situ, quia ista stella est in medio firmamenti fixa, sicut centrum in medio circuli; nam cùm Equinotialis sit circulus diuidens spheram in duas partes æquales, omnes lineæ ductæ ab illa stella vsque ad Equinotialem: sunt æquales patet scienti. Istam proprietatem rectè habet Beata Virgo MARIA in medio Paradisi, quia sicut illa stella est in medio firmamenti, ita Christus creditur esse in medio Paradisi, siue in medio cœli Empirei, vt possit ab omnibus Sanctis videri totaliter, vnde dicitur in Apocalypsi, quòd *Apoc.22.*
in medio ciuitatis illius est *Lignum vitæ.* Et quia Mater Domini est iusta filiũ suum collocata ad dexterã eius, ideo in medio cœli dicitur corporaliter situata, sicut hęc stella in medio fir-

mamenti. Vnde vbi est Mater gratiæ, ibi est fons misericordiæ, & inde omnes nos hauri-
*Psal. 47.* mus: vnde Psal. 47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Istã autem meditatem seruare debet anima deuota, vt sit pacificata à litigijs, & tumultibus mundi, quantũ potest segregata, alioquin votis diuinis non poterit esse intenta sicut erat illa mulier. 4. Reg. 4.
*4. Reg. 4.* Cui cùm diceret Heliseus: *Nunquid habes negotia, vt loquar Regi, vel principi militiæ prote?* Respondit. *In medio populi habito, &c.* Et tu similiter facias, scilicet, habitãdo in medio, pacificando discordantes, consolando merentes, & dolentes, &c. Sexta proprietas istius stellæ est, quòd habet diminutionem in suo gradu; est enim in terminimas stellarum notabilium, quæ sunt in firmamẽto quo ad nostrum visum, cum sit principalissima, eo quod cœli dispositiones mensurat, & regulat, imò dicta est ex eo cardo, sicut illæ quator virtutes Cardinales dicuntur eo quod alias regulant. Istam proprietatem habuit B. Virgo, licet enim in quantitate virtutis fuerit principalissima, & maxima creaturarum, post animam Christi, tamen per profundissimam humilitatem minima in suis, & aliorũ oculis videbatur. De cuius humilitatis superabundantia, habemus in scriptura vnum testimonium, & vnum signum. Testimonium est Spiritus Sanctus, qui per os ipsius assignans rationem, quare fuit eleuata ad Christi maternitatem, *quia*, inquit, *respexit humilitatem*
*Luc. 1.* *ancillæ suæ, &c.* Luc. 1. signũ est quia cum præbuisset consensum Angelo, dixit *Ecce ancilla Domini.* Moris est enim humilium se cognoscere, & nuncupari secundùm titulum sui inferiorem. Cùm autem esset electa Mater, & sponsa, soror filia, & ancilla Christi (cæteris omnibus tacitis) hoc solum expressit: *Ecce ancilla Domini.* Istam autem proprietatem quilibet habere studeat, quia qui se humiliat, exaltabitur, & Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Septima proprietas est, quòd habet inuisibilitatem in suo contuitu, quia illa stella, quæ dicitur Tramontata, non est verè polus (vt supra dictum est) quia percipitur ad sensum, quòd ista facit aliquem parum circulum, sed quia est inter stellas vt sui nostro cognoscibiles: illi verò polo inuisibili maximè propinqua, imò per ipsam circuloquimur verũ polum inuisibilem, cum illa vera Tramontana non videatur; ista proprietas fuit in Matre Domini Virgine gloriosa, quæ per virtutem sollicitudinis, ita fuit ab aspectibus hominum sequestrata, vt esset communiter inuisa. Istius autem occultationis fuerunt duo signa notabilia. Primum est. Quando fuit ab Angelo salutata,
*Luc. 1.* fuit in loco solitario reperta, abscondita, Luc. 1. *Et ingressus Angelus ad eam*, scilicet, in penetralibus, vt cõsueuerat stare. Secundùm Ambros. secundum est, quia quando habuit ex officio in publicum procedere, vt in visitatione Elisabeth, cum festinatione transiuit per publicum, quia conspectum multitudinis non amabat. Sic quælibet deuotæ mulieres, maximè virgines, & viduæ debent euitare discursus, & cõsortia hominum, nec debent sine necessitate in publicum prodire. Octaua proprietas est, quòd habet fortitudinẽ in attractu, quia secundùm opinionem veterum Astrologorum, duæ stellæ attrahẽtes tenent terram immobilẽ, ita quod Polus Articus sustentat ipsam ne flectatur, & Antarcticus nenimis sursum feratur, secundùm quòd dicitur, quòd duo adamantes tenent in aere archam ferream Mahometi, sic in proposito dicere possumus de B. Virgine MARIA. Cùm enim omnes fideles militantis Ecclesiæ à ratione antiqua, scilicet, à peccato originali trahantur deorsum, nisi Domina mundi, scilicet, Virgo MARIA apud filium intercederet, & sic vt stella maris sustentaret, omnes mergentur in inferni profundum. Vnde de ea legitur in Apoc. in figura de illa muliere, quæ potuit *Apoc. 12.* draconem superare, sic B. Virgo superauit draconem infernalem, qui trahebat omnes deorsum. Nona proprietas est, quòd ipsa habet dominium super adamantem, quia dat sibi virtutem attrahẽdi ferrum, ideò non attrahit illud, nisi versus stellam illam in directum, ita Mater Domini habet dominium super lapides, id est, super corda lapidea, & adamantea peccatorum, vt ipsos conuertat ad pœnitentiam, iusta illud prophetricum Ezeq. *Auferam cor lapideum de*
*Ezeq. 11.* *carne vestra, & dabo vobis cor carneum, atque domesticum.* Et sic patet quando Virgo MARIA dicitur stella maris, de polo autem reali vide infra tract. 6. cap. 39.

## CAP. 17. Ex lib. 6.

### *Virginis Moralitas Prima.*

VIrgo est signum terreum, frigidum, mediocre, nocturnum, domus Mercurij. Prima, & est exaltatio eiusdẽ in quintodecimo gradu, de Dominus eius in die est Venus, in nocte Luna, & Mars participat cum eis, & est ac triplicitate secunda. Prima facies eius est solis. Secunda veneris. Tertia Mercurij. ex parte hominis habet in prante * ventrem, & intestina, per sonam pulchram facit, pulchros oculos, facie decoram, & mitigat voluntatem. Domus est in firmitatis seruorum, & ancillarum, & bestiarũ, iustitiam significat, & mutationem de loco ad locum, & hoc signum dicitur Virgo: quia sicut Virgo sterilis est, & sine fructu, sic Sol intrans illam partem Zodiaci, quæ vocatur Virgo, suo calore consumit humorem, & sic terrã à fructu sterilem facit. Talis est per omnia B. Virgo MARIA, quia ista est, & fuit terrea per humilitatem, frigidam per castitatẽ, quia Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum: fœminea per pietatẽ erga totum

mun-

mundum: & per maximam clementiam erga peccatores, nocturna per sui ascensionem ab oculis hominum, mediocris per maturam, discretionem in verbis, & gestis, domus Mercurij, quia vt dicunt Astronomi, Mercurius statim ad naturã illius cui coniungitur se inclinat, & si significat benignitatem, quæ vult voluntatem omnium adimplere, fuit igitur in ea Mercurius ideſt, benignitas in affectione, Ven⁹ quæ dicitur Lucifer, ideſt, honestas in conuersatione, luna alba, ideſt albedo castitatis in corde, in verbo, & in opere. Mars rubeus, ideſt, rubedo charitatis, & ideo sol, ideſt Christus primã eius faciẽ, ideſt, animã, & mentem occupauit, carnem, scilicet, ab ea assumendo, vnde Psal. *Sol & Luna steterũt in habitaculo suo*, hæc etiam est domus seruorũ, quia vere putatores qui serui sunt vitiorum, Petri 2 *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* & Iob 8. *Qui etiam dicitur bestiæ sine sensu.* Isti duo habeant eam pro refugio, & pro domo, quia scilicet facit eos iustos, & mutari de loco ad locum, de pœna ad gloriam, & quia iustitia significat mutationem, ideo illos in quibus dominatur, qui sunt tibi deuoti, facit pulchros per gratiam in anima, & gratiosos quantum ad oculos discretionis, & quantum ad faciem conuersationis, Prouer. 31. *fortitudo, & decor indumentum eius.*

*Abac.* 3. *1. Pet.* 2. *Iob.* 8. *Prou.* 31.

## CAPIT. 48. ex lib. 6.

### *Quòd Sol etiam significat Virginem MARIAM.*

SOl etiam figurat nobis MARIAM Matrem Christi, propter octo: primo, quia Sol habet nobilitatem in ortu. Oritur enim ex alto, & cum multo splendore, sic B. Virgo orta est ex alta progenie, quia scilicet ex regali stirpe, & concepta, & nata, cum sanctitatis splendore. Non enim concepta, nec nata est infecta originali peccato, sicut alij cõmuniter cõcipiuntur, & nascũtur, hinc est, quòd ecclesia festat de eius conceptione, & natiuitate, Ecclesiast. 27. *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species &c.* Secũdo, quòd sol habet sublimitatem in situ, quia sicut sol est positus in medio planetarum habens tres supra se, & tres infra se, sic B. MARIA exaltata, & sublimata est in gloria in sua assumptione, scilicet, vt supra se habeat tres personas diuinas, infra se, siue sub se tres Angelorum Hierarchias, & per consequẽs totã essẽtiã hominũ beatorũ, quia homines in cœlo non facient ordinem per se, vt dicit Augustinus, sed assumendi sunt ad ordines Angelorũ, Psalmus 3. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo.* Tertio, quia sol habet velocitatem in motu, vnde & satis cito perficit suum circulum, qui tamen est valde magnus: continuè enim sol mouetur velocius quàm sagitta, licet in aspectu nostro quasi non moueri videatur, prænimia claritatis intensione, sicut, & eius quãtitas, sic & eius velocitas subterfugit visum nostrum, similiter B. Virgo MARIA velocitatem habuit in motu obedientiæ, quia diuinæ voluntati per Angelum sibi expositæ cito consensit dicens, ecce ancilla domini, &c. Item in motu beneuolentiæ, quia statim ascendit in montana cum festinatione, & salutauit Elisabet, in quo dedit nobis exemplum conscendendi ad superiora per profectu virtutum, sine negligentiæ tarditate, item in motu penitentiæ quia dolenter & solicitè filium suũ requisiuit, quẽ ex aliqua forte sui negligentia se perdidisse timuit, Lucæ 1, *Ecce Pater tuus, & ego dolẽtes quærebamus te.* Quarto, quia sol habet pulchritudinem in aspectu, & propter hoc est oculis valde delectabilis ad videndũ, secundum illud Ecclesiastici 11. *Delectabile est oculis videre solem.* Nam sol sicut dicit Ambrosius in Exameron, est oculus mundi, iucunditas diei, pulchritudo cœli, mensura temporũ, virtus, & vigor omnium nascẽtiũ, dominus planetarum, decor, & perfectio omniũ stellarũ, & ideo in fabulis cum penatis vestigijs sol depingitur, & facit pueruli, propter quod etiam Phebus, ideſt, pulcher est dictus, sic & B. Virgo MARIA plena pulchritudine fuit, vnde Cantico 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et dicit tota, scilicet intus, & extra ad differentiã Hypocritarũ qui habent solum extra in apparẽtia pulchritudinem sanctitatis, sed ipsa pulchra fuit intus per puritatem, quia sine peccato etiam originali concepta, extra per Virginitatem, & ideo etiam significatur per arcam, quæ intus, & extra erat deaurata. Quinto, quia sol habet efficatiam in effectu; habet enim virtutem calefactiuam, & inflammatiuam. Nam ex motu radiorum, & eorum confractione, & multiplicatione, calor generatur in obiecti corporis superficie, & maximè si corpus obiectum fuerit speculare, sicut dicitur in perspectiua, quare si circa speculum cõcauum stuppa ponatur, à calore generato incenditur sic, & B. Virgo mentes puras, & sibi deuotas, quę sunt vt specula munda inflammat ad Dei dilectionẽ, vnde de ipsa dicitur *Mater pulchræ dilectionis* Ecclesiastici 24. & hæc est inflammatio amoris, quæ arefecit fenum concupiscentiæ carnalis, Iacob. 1. ex ortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum. Sexto, sol habet virtutem fecundatiuam, omnia enim hæc inferiora fecundat, & generatiuam eorum potentiam excitat, adiuuat, & confortat, vnde videmus ad sensum, quòd nihil fructificat, neq; excrescit, vbi solaris radius nõ attingit, illud autẽ quod facit animã bonis operibus fecundã, est timor Dei, vnde dicitur Eccl. 15. *Qui timet Deũ facit bona.*

*Lucæ* 15. *Oculis* 15. *Eccl.* 11. *Can.* 4. *Eccl.* 24. *Eccl.* 15.

Sed Beata Virgo MARIA etiam dicitur *esse Matertimoris.* Eccles.24. Quia scilicet sibi deuotos ad Deum timendum inducit, & eis suis meritis donum timoris acquirit: ex quo eos in bonis operibus fœcundos efficit. Sed oportet eam præuenire per deuotionem, si quis vult impetrare suæ gratiæ benedictionem. Sapient. 16. *Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Septimò, sol habet virtutem discretiuam; quia per eius lucem omnia detergentem: nunc colores omnes discernimus, & nigrum ab albo distinguimus. Similiter B. Virgo MARIA est, quæ mentibus sibi deuotis acquirit lumẽ discretionis, & veram cognitionem vitiorum, atque virtutum. Vnde dicitur Mater agnitionis. Hoc lumine carent illi miseri, qui reuerentiam non habent ad eã, sed potius contra eam infelices suas linguas relaxant blasphemantes, qui verè possunt dicere. Sapient. 5. *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol iustitiæ non est ortus nobis.* Et illud Eccles. 6. *Non vidit solem, nec cognouit distantiam boni & mali.* Octauò, sol habet virtutem fortificatiuã. Vnde videmus, quòd in eius ascensu super nostrum orizontem, virtutes animalium roborantur, & fortiores efficiuntur, & vsque ad diem mediam augmentantur: & quãdo sol tẽdit ad Occasum, debilitantur: Et ideo in somnũ animalia resoluuntur. Vnde etiam flores in ortu solis aperiuntur, qui in Occasu clauduntur. Ita B. Virgo MARIA sibi deuotos conformat, & roborat, dum eis subueniendo ad spem, & fiducia sui mentes eorum subleuat. Vnde ipsa dicitur esse Mater *spei sanctæ.* Eccles. 24. Propter omnes ergo dictas proprietates dicitur esse *electa vt sol.* Cant. 4. *Et mulier amicta sole.* Apocal. 12.

Eccl. 24. Sap. 16. Sap. 5. Eccl. 6. Eccl. 24. Cant. 4. Apoc. 12

## CAPVT 56. Ex lib. 6.

### *Quòd sol etiam significat natiuitatem Virginis MARIÆ.*

SOl etiam potest figurare natiuitatẽ Virginis MARIÆ. Pro qua scribitur Eccles. 25. *Sol oriens mundo in altissimis Dei.* Quãdo enim B. Virgo fuit nata mundo, tanquam sol totum mundum illuminauit. Nam Apoc. 12. dicitur: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole.* Et ideo Virgo MARIA rectè assimilatur soli, propter septem solis proprietates & conditiones. Primò, propter nobilitatem: sol enim est planeta nobilis materiæ & formæ: nam sua materia ita satiatur sua forma, vt vlteriorem non appetat formam: & ex hoc dicitur incorruptibilis, non sic inferiora, quorum formæ non satiant suas materias; quia 1. Phisicor. dicitur. Sicut mulier appetit virum, ita materia appetit formam, sic B. Virgo fuit nobilissima. Nam cùm Christus fuerit nobilis in quantũ homo, immo nobilissimus; quia *filius Dauid* appellatur Luc. 15. & Apoc. 19. *Rex Regum & Dominus Dominantium*; quam tamen dignitatem habuit à Matre MARIA, à qua habuit humanitatem. Nam licet secundùm leges partus sequatur ventrẽ, quo ad seruitutem & libertatẽ, tamẽ quo ad dignitatẽ filius sequitur patrẽ, & quo ad honores, & dignitates, & municipia, vt Ricard. in 4. distinct. 35. & Bonauentura ibidem. Cùm autẽ Christus in quantum homo nõ habuerit Patrem, sicut in quantum Deus non habuit Matrem (est enim in terris sine Patre, & in cœlis sine Matre) ergo à sola Matre traxit, & habuit naturam humanam, & ab ea sola habuit nobilitatem & dignitatem. Cùm autem nullus det quod non habet; psaq; dederit filio has dignitates. Sicut ergo filius fuit nobilissimus hominũ, Rex Regum, Princeps Principum, Imperator Imperatorum: ita & ipsa fuit Regina, Imperatrix, Principissa nobilissima. Ideo Ecclesia canit: Aue Regina cœlorum, & iterum, O gloriosa Domina, excelsa super sydera. Cum enim nobilitas contrahatur à patribus, ab auis, & proauis nobilibus. Hoc vere fuit in Virgine MARIA. Nam in Euangelio Matthæi quod legitur in eius natiuitate, numerantur 42. Viri nobilissimi, à quibus per lineam rectam descendit Virgo gloriosa, scilicet 14. Patriachæ, 14. Reges, 14. Duces: ergo fuit nobilissima. Ideo de ea cantat Ecclesia Natiuitas gloriosæ Virginis MARIÆ ex semine Abrahæ orta, de tribu Iudà clara ex stirpe Dauid. Et iterum, regali ex progenie MARIA exorta refulget, &c. Vnde vltima persona in toto semine, *est IESVS. qui vocatur Christus*; quia ipse fuit vltimus Patriarcha, vltimus Rex, & vltimus Dux. Vnde Apocal. primo & vltimo dicitur: *Primus & nouissimus*, scilicet *alpha & omega.* Primus scilicet, quẽ Deus intẽdebat; quia Christus est primus prædestinatorum, vt dicit Scotus, quia ipse ait: *In capite libri scriptum est de me*; in capite, id est, in principio prædestinatorum. Nouissimus etiam scilicet Patriarcha, Rex, & Dux in populo illo: & propter hoc quando ipse venit in mundum, fuit exhausta omnis nobilitas Iudæorum, qui in eũ non crediderunt; ita quòd vbi gens Iudaica mundissima, & nobilissima fuit ante ipsum; nunc vilissima, & abiectissima vltra omnes alias nationes, & post Christum nunquã habuerunt aliquẽ Patriarcham, Regẽ, vel etiã Ducem: nobilissimus ergo fuit Filius MARIÆ, nobilissima creaturarum post eum in toto genere humano est sua delicatissima Mater, ex quo sequitur corolariè; quòd sicut Christus est omni honore honorandus: ita *vt* etiam *in nomine IESV omne genu flectatur.* Philp. 2. Sic & nomen MARIÆ valde honorandum est. Diu. Bonauentura in pri-

Luc. 15. Apoc. 19 Apoc. & vlt. Psal. 39. Philip. 2.

primo distinct. 44. in quæstionibus circa litteram: quærit vtrum Virgo MARIA fuerit nobilissima creaturarum, scilicet, vtrũ Deus potuerit facere nobiliorem, aut meliorem? Et respondet, quòd est loqui de ea, quantum ad tres conditiones. Primò, quantùm ad prolis Conceptionem, & sic quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, & Mater nobilissimi Filij: & sic tantam habuit dignitatis bonitatem, quòd nulla alia mulier capere potuit. Et ideo omnes creaturæ, quantumcumque ascenderent in gradibus dignitatis, deberent exhibere reuerentiam Matri Dei. Secundò, si loquamur, quantùm ad gratiam iustificationis, tantam habuit, quantã creatura pura humana, siue rationalis, quæ facta sit recipere potuit. Tertiò, si quãtum ad naturalia loquamur: optima habuit, secundùm quod fini competens fuit. Simpliciter tamẽ potuit recipere meliora, & Deus dare. Hæc ille. Ratione ergo nobilitatis Virgo MARIA assimilatur soli; quia sicut Sol est nobilissimus planetarum, sic B. Virgo MARIA nobilissima creaturarum. Secundò, Sol est impermiscibilis alijs rebus; nã Sol suis radijs trãsit per fœces, & lutum: non tamen inficitur aliqua macula; est enim natura sua impermiscibilis rebus alijs extrinsecis: sic & B. Virgo licet fuerit in hac vita peccatorum fœcibus plena, in qua nemo sine crimine viuit. Ipsa tamen nulla peccati macula fuit infecta: immo mundissima, immaculata, & purissima ab omni peccato; nã caruit originali peccato, & actuali, de actuali quod committitur post vsum liberi arbitrij. Dicit beatus Augustinus lib. de natura & gratia, loquens de B. MARIA, ait: Cum de peccatis agitur; nullam prorsus volo habere quæstionem: & Bernardus in Epist. ad Lugdu. Putò, quòd copiosum munus gratiæ in eam descenderit, quæ non solum eius ortũ sanctificauerit; sed etiam deinceps ab omni peccato custodierit immunem. De originali autẽ cum quo homines nascuntur. Anselmus lib. de conceptu virginali, cap. 9. dicit: Decuit vt illius hominis, scilicet IESV Christi conceptio de Matre purissima fieret, quæ ea puritate niteret, qua maior sub cœlo nequit intelligi. Nam si Deus eam præseruauit à veniali, quòd minus est: multò fortiùs debuit eam præseruare ab originali, quòd est maius cùm separet à gratia & gloria; nõ sic verò veniale. Vnde cantat Spõsus, Cant. 4. *Tota pulchra est amica mea, & macula non est in te*, nec mortalis, nec venialis, nec originalis: ergo gloriosa Virgo MARIA verè fuit Sol impermiscibilis, quia nunquam secum miscuit aliquod peccatum. Tertiò, sol inter omnia visibilia est pulcherrimus, ac formosissimus. Est enim Luna formosa, & etiam alij Planetæ, sed cunctis formosior est sol. Sic B. Virgo verè fuit tanquam sol formosissimus, & non solum mente, sed & corpore. Omissa autem pro nunc mentis pulchritudine, dico de corporea, quòd fuit pulcherrima: quoniã vt dicit Philosophus: Natura est vis insita rebus ex simili simile procreans; igitur nisi impediatur natura, vel erret: filius est similis patri, vel matri, qui ergo nascitur de matre, & non de patre operatione tali, quæ non possit impedire, vel errare: ibi necesse est filium similem esse Matri; talis fuit Christus natus de Matre, sine Patre, operante Spiritu sancto, qui non potuit errare, nec impediri; fuit igitur similis Matri. Ipse autẽ, vt dicit Psalmus: *Est speciosus forma præ filijs hominum*, in tantum etiam, quod vt dicit Petrus in sua Canonica cap. 1. *Angeli in eum aspicere desiderant.* Et Hieronymus dicit: Quòd ideo Iudæi velauerunt oculos Christi, quando ei illudebant; quia eius aspectu formosissimo, & benignissimo mansueti fiebant. Hanc autem speciositatem habuit à matre, à qua & ipsam humanitatem, quam tamen dare non potuisset, nisi ipsa habuisset: sicut igitur inter natos mulierum speciosissimus fuit Christus, sic B. Virgo inter mulieres. Dicit enim Philosophus, 8. Phisicor. In natura nihil est inordinatũ. Natura enim facit aliquod pulchrũ, aliquod pulchriùs: ergo aliquod pulcherrimum secundùm naturam. Nam. 2. de anima. Omnium natura constantium positus est terminus: dandum est igitur aliquod pulchriùs; ergo pulcherrimum: aliàs natura deficeret, quod est falsum; quia 3. de anima, natura nõ abundat in superfluis, nec deficit in necessarijs: igitur dabitur pulcherrimum in summo, & hoc fuit verificatum in Christo, Matreq; sua. Legitur de beato Dionysio, quod dixerit beato Ioanni Euãgelistę, ostendenti sibi Beatam Virginẽ. O Ioannes, nisi Magister meus Paulus me docuisset, differentiam esse inter creatricem essentiam, & puram creaturã: hãc profectò MARIAM adorassem pro Deo. Narrãt Iudæi secundùm Bonauenturã, quòd Virgo MARIA fuit pulcherrima; à nullo tamen potuit concupisci: immo carnis concupiscentiã in alijs sua pulchritudo extinguebat. Ideo Eccles. 24. Assimilatur *cedro*, & *mirrha*; quoniã sicut cedrus interficit serpentes odore suo, & mirrha vermes; ita sanctitas MARIÆ interficiebat serpentes, & vermes concupiscẽtiæ carnis. Et ideo sanctus Ioseph, quantò magis conuersabatur, & loquebatur cum ea, tantò magis confirmabatur in proposito virginitatis, quam cum ea vouerat. Vnde de ea dici potest illud Esther. 13. *Facies tua plena gratiarum*; sic scilicet quod à nullo potuit cõcupisci, sicut enim à facie Christi, quãdo de templo *eiecit ementes & vendentes*, nullo resistente Matth. 21. & Ioann. 20. vbi dicit Hieronymus: Quòd à Christi facie exibant diuinitatis radij, quibus territi obe-

Cant. 4. — Psal. 44. — 1. Petr. 1. — Eccl. 24. — Esther. 13. — Matt. 21. — Ioan. 20.

diebant. Sic à facie Virginis exibant radij tã-
tæ honestatis, vt homines potius ad bonum,
quàm ad malum inclinarẽtur illius exemplo
honestatis, & castitatis eximiæ. Quartò, Sol
est luminosus. Sic enim in se lucet, vt statim,
quod in Oriente super Orizontem apparue-
rit, per totum Orbem emittit lucem, & ab eo
etiam lumẽ recipiunt omnes alij Planetæ tã
inferiores, quàm superiores. Sic verè Virgo
MARIA fuit Sol lucens multarum virtutum
in se, ac alijs etiã virtutum exempla tribuens.
Vnde Bern. O MARIA tu virtutum à Deo
tibi inditarum magnificis exemplis ad imita-
tionem tui nos prouocas, sic noctem nostram
illuminas. Lumen autem quod est in Virgi-
*Matt. 5.* ne, est illud de quo Matth 5. *Luceat lux ve-*
*stra coram hominibus*. Quod verè ipsa opere
cõpleuit, quando nos suis sanctissimis virtu-
tum exẽplis illuminauit, ideò de ea canit Ec-
clesia, hodie nata est B. Virgo MARIA ex
progenie Dauid, per quam salus mundi cre-
dentibus apparuit, cuius vita gloriosa lucem
dedit seculo. Item Natiuitas est hodie S. MA
RIÆ Virginis, cuius vita inclita cunctas il-
lustrat Ecclesias: qui igitur vias suas insecta-
tus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed ha-
bebit lumen vitæ. Nam Ambr. 2. de Virgini-
tate ait. Talis fuit MARIA, vt eius solius vi-
ta sit omnium disciplina. Quinto, Sol est in-
comprehensibilis, quoniam Sol in sua tota
videri non potest. Tanta est enim sua lumino
sitas, & resplendentia ex parte vna, & ex alia
nostrorum debilitas oculorum, vt fixis oculis
solem aspicere non possimus, sed aspicientes
lædimur, quia 2. de anima, ait Philo. excellẽs
sensibile corrumpit sensum. Sic B. Virgo MA
RIA fuit incomprehensibilis. Ipsa namque
concepit Filium Dei absque sui violatione,
imò potest partum Virgo remanens, sicut fue
rat ante. Quomodo autẽ hoc esse potuerit, ca
pere non valet noster intellectus, vtrumque
enim est incomprehensibile humana ratione,
ac via naturæ, sed non est impossibile apud
Deum omne Verbum. Ideò Hier. in Epist. ad
Paulã, & Eustochiũ, de Assumptione Virgi-
nis ait. Quòd natura nõ habuit, vsus nescivit,
ignorauit ratio, mens non capit humana, hoc
totũ gestũ est in MARIA, igitur sicut Sol est
incõprehensibilis. Sextò, Sol est vtilis, & fru-
ctuosus; virtute enim solis omnia virẽtia su-
mũt augmentũ, & profectũ: Blada, omniaque
legumina, ac omnes alij fructus maturi effi-
ciuntur: si enim non esset Sol, omnia essent
acerba, & imperfecta. Sic Virgo MARIA
est verè Sol fructuosus, quoniam ipsa mediante
omnes fructus nostri dulces efficiuntur, &
maturi, id est, mediante sua intercessione, om
nia opera nostra Deo fiunt grata, deficiente
autem ea, sunt acerua, nec Deo accepta. Vn-
de Bernard. ait, modicum id quod offerre de-
sideras gratissimis illis, & omni acceptione
A digniſsimis, MARIÆ manibus cura trade-
re, si non vis repulsam sustinere: quia vt idem
Bernar. nulla gratia venit de cœlo ad terram,
nisi transeat per manus MARIÆ. Et etiam
idem Bernar. in serm. de Natiuitate Virginis.
Redẽpturus Deus humanum genus precium
vniuersum contulit in MARIA. Intuemini
igitur, quanto deuotionis affectu eam à no-
bis voluit honorari, qui totius boni plenitu-
dinem posuit in MARIA, vt si quid spei in
nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea
nouerimus redundare; ille, ratio, quia ipsa est
distributrix thesauri misericordiæ Dei, etiam
Bern. ait: nihil nos Deus habere voluit, quòd
MARIÆ manibus non transierit. Ideò Ec-
B clesia in fine, quasi omnium horarum inuocat
eam, dicens: Salue Regina, &c. Ipsam depre-
cans, vt apud filium opera nostra faciat, vel
intercedat grata esse, & accepta. Septimò, Sol
est generalis, & vniuersalis; Sol enim indiffe-
renter oritur super bonos, & malos, & tã istos
quàm illos calefacit: *Et pluit super iustos,*
*& iniustos*, vt dicitur Matth. 5. sic B. Virgo *Matt. 5.*
MARIA est vniuersalis aduocata non solùm
iustorum, sed etiam peccatorum. Vnde Bern.
Quemadmodum Sol oritur super bonos, &
malos indifferenter. Sic MARIA præterita
non discernere merita, se se exorabilem omni-
bus clementissima præbet, omnium denique
necessitatibus amplissimo miseretur affectu.
C Idemque ait: Peccatorem, ò MARIA quem-
libet fœtidum non horres, non despicis, si ad
te suspiciunt, tuumque interuentum pœniten-
ti corde flagitauerint, tu illum à desperationis
baratro pia manu retrahis, spei medicamen
aspiras, ac toti mundo despectum materno af-
fectu amplecteris, foues, nec desinis quous-
que tremendo iudici miserum reconcilies.
Quantumcumque igitur quis peccauerit, ad
MARIAM recurrat, & remedium inueniet.
Ideò iterum Bernard. ait: Si criminum im-
manitate turbatus es, si conscientiæ fœditate
confusus, si iudicij horrore perterritus, si ba-
ratro desperationis absortus, MARIAM co-
gita, MARIAM inuoca, non recedat à corde,
D non recedat ab ore: Nam ipsa cogitans non
erras, ipsam rogans non desperas, ipsam se-
quens non deuias, ipsa tenente non corruis,
ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fa-
tigaris, ipsa propitia peruenis, & sic in teme-
ipsum experiri poteris, quantò meritò sit no
men Virginis MARIÆ maris stellæ; hęc Ber.
sic igitur Beata Virgo MARIA verè potest
dici Sol, quia nobilis impermiscibilis, for-
mosissima, luminosa, incomprehensibilis, vti-
lis, & fructuosa, generalis, & vniuersalis.

## CAPIT. 60.

*Veneris Moralitas, ex lib. 7.*

VEnus, quæ & Lucifer dicitur, est Plane-
ta Venebolus, fœmineus, nocturnus sem-

per

per concomitatur ſolem, vel præcedendo, & ſic dicitur, Lucifer, vel ſubſequendo, & ſic dicitur veſper; hic præ ceteris gaudentius fulget, ideo dicitur iubar propter radioſitatem, diem, & ſolis ortum immediatè annuntiat, & præcedit, hic excedit zodiacum in duabus partibus, hic facit ſuos cantores, muſicorum amatores; hic facit ſuos pigmentarios, & aurifices. Talis eſt B. Virgo, quæ fuit ſerena per pietatem, benevola per benignitatem, nocturna per humilitatem, radians per honeſtatem: Solem, id eſt, Chriſtum ſemper concomitans per incarnationis ſocietatem, ipſum præcedens per maternitatem, ipſum ſequens per filialitatem, & virginitatem, & etiam, quia poſt ipſum remanſit in mundo. Iſta etiam zodiacum, id eſt, conditiones naturæ noſtræ exceſſit in duobus, ſcilicet, in hoc quòd Virgo peperit, & in hoc quòd in creatura Creatorem portauit, vel in hoc, quòd inuiolata permanſit, & in hoc quod ſuper Angelos aſcendit, quia exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna, vnde iam de ea poteſt dici illud Iſaiæ 14. *Lucifer mane oriebaris, & dixiſti, aſcendam in cœlum, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo.* Iſta etiam facit ſuos, ſcilicet, ſibi ſubditos, & deuotos. Cãtatores per gratiarum actionem, pigmentarios per futuræ conſolationis contemplationem. Vel expone, ſi vis de viro perfecto, qui ſcilicet, in duabus ſui partibus, ſcilicet, quantum ad affectum, & intellectum zodiacum, id eſt, ambitum naturæ humanæ excedit, ſcilicet, quantum ad cognoſcendum, & meditandum ſuper cœleſtia eleuat intellectũ, & ad diligendum viſibilia, dilatat effectum, 2. Corinth. 5. *Siue mente excedimus, ſiue ſobrij ſimus, charitas Chriſti viget in nobis.* Iſte etiam ſolem iuſtitiæ Chriſtum ſemper per gratiam committatur. Romanor. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*, ipſumque quandoque præcedit deſiderando; quandoq; ſequitur imitando. Matt. 8. *Magiſter ſequar te quocumque ieris.* Vel etiam ipſum præcedit, & annuntiat prædicando, ipſumque ſequitur obediendo. Iſte dicitur præ cæteris gaudentius fulgere, quantum ad vultus hilarem tranquilitatem. Actuum. 7. *Intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos.* Alios facit per diuinæ laudis, * quam in eis excitat, iucunditatem habere. Cãdidus eſt per caſtitatem; fulgidus, vel fulgens per ſcientię luminoſitatem, feruens per pietatem, nocturnus per humilitatem, & ſic merito dicitur iubar, ſeu lucifer; propter exemplaris radiationis radioſitatem. Iſte ergo lucifer in tempore ſuo, Et veſperum ſuper filios terræ oriri facit. Secundũ Tolom. ſub venere ſunt libra, & laurus, & ſunt domus eius, & regnat in piſcibus, ſed in Virgine regnum perdit. Sic vere libra, id eſt, diuites, qui pecunias librant, & Tauri, id eſt, potentes, qui terra gubernant ſunt ſub venere, quia veneri, & luxuriæ famulantur in piſcibus, id eſt, in delitijs regnant, ſed verè in Virgine MARIA, ſcilicet, & in alijs virginibus perdit regnum ſuum, quia luxuria nunquam habuit in Beata Virgine aliquam partem, iuxta illud Roman. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, & ne obediatis concupiſcentijs eius.* Venus ergo poteſt etiam dici, amor carnalis, qui diſponit ad pulchritudinem corporis: ſenſuum voluptates acquirit, ſiue tactuum, ſiue odorum, ſiue ciuorũ, ſiue cantionum, ornamenta, & mulieres appetit. Aliquando etiã viros iuſtos, qui deſignantur in Libra propter æqualitatẽ iuſtitiæ, quia in Libra Sol exiſtens facit æquinoctiũ, & viros fortes, qui deſignantur * in Tauro, aggreditur, & inhicit. Regnat autem maximè in piſcibus, id eſt, hominibus ſub aquis delitiarum viuentibus, ſed in virginibus, id eſt, in continentibus deficit vigor eius.

Iſai. 14.

2. Cor. 5.

Rom. 8.

Mat. 8.

Actor. 7.

Rom. 6.

## CAPITVLVM 74.

### *Lunæ Moralitas quomodo ſignificat Beatã MARIAM. ex lib. 7.*

LVna dicitur quaſi luminum vna, id eſt, principalis ſecundùm Iſidor. quia ſoli in magnitudine, & pulchritudine eſt ſimillima, & Ambroſ. in Hexam. ait: Luna eſt decor noctis, Mater roris, humoris miniſtra, & dominatrix maris, temporum menſura, æmulatrix ſolis, aeris mutatrix, lumen à ſole mutans, ipſumque modo ſpeciali ad nos reijciens, & refundens. Talis eſt B. Virgo MARIA: quia verè luminarium cœli, id eſt, omnium ſanctorum Eccleſiæ eſt principalior, ac ſoli, id eſt, Chriſto Filio ſuo ſimilior quantum ad perfectionem, hæc eſt decor noctis, id eſt, huius turbulentæ vitæ, vel noctis, id eſt, peccatoris, eſt ſpes ſolatium, atque decor. Eccle. 6. *Decor enim vitæ eſt in illa*, mater eſt etiam roris, & gratiæ, & humoris deuotionis miniſtra. Iſai. 30. *Quando deſcendit imber, & ros de cælo.* Iſta dominatur mari, id eſt, peccatoribus tumultuoſis, ipſos ad penitentiam reducendo, vel mari, id eſt, mundo, Eccleſ. 34. *In fluctibus maris ambulaui.* Temporum dicitur menſuratrix, ſua ſcilicet, tempora debite menſurando, & ordinando, & in bonis vſibus exponendo. Seneca, tempus tuum in tribus diſpone: & ſequitur, præterita memorare, præſentia ordina, futura præcaue, vel etiam iſta tempus vitæ noſtræ diſcernit, & menſurat, conſiderando opera noſtra an bona ſint. Solem, ideſt, Chriſtum æmulatur, & amat. Lucæ 2. *Fili quid feciſti nobis ſic: ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Aerẽ, id eſt, conſcientiam peccatorum de malo in bonum mutat. Lumen etiam gratiarum à Sole Chriſto accipit, & tandem ad nos peccato-

Eccleſ. 6.

Eſai. 30.

Eccleſ. 34

Lucæ 2.

res iterum deriuat,& refundit: nam & hic viuentes, & purgatorio lugentes luce ſuæ miſericordiæ,& gratiæ recreat,& linit. Vnde ipſa
*Eccleſ.24* poteſt dicere illud. Eccleſ.24. *Penetrabo omnes partes terræ, & illuminabo omnes ſperantes in Domino, &c.*

Luna etiam maris eſt attractiua, terræ fœcundatiua, & grauioris ſomnij in cœleſti armonia effectiua, hæc eſt Beata Virgo MARIA, vel Eccleſia Dei, quia verè ſeris, id eſt, peccatoribus per noctem huius vitæ vagantibus, lumen diſcretionis, fidei, & ſapientiæ præſtat, ſemina etiam, id eſt, illos, qui iam per gratiam, & fidem ſunt in agro Eccleſiæ ſeminati, humore gratiæ, & deuotionis humectat, & ſic eos meritis, & virtutibus perficit, & augmentat aerem etiam groſſum, id eſt peccatores ſuis radijs, id eſt, Sacramentis purificat, id eſt, iuſtificat ne vaporum ſuorum, id eſt, peccatorum groſsitie corrumpantur; mare etiam, id eſt, amaros peccatores quotidie attrahit ad ſalutem; terram conſcientiæ virtutibus fertilem efficit, & inter cantus diuinæ laudis grauiorem, & humiliorem ſonũ emittit. Vnde Luc.
*Luc.1.* 1. Beata Virgo cantauit dicens: *Magnificat anima mea Dominum.*

## CAPITVLVM 75.

### *Tunc Alia Moralitas.*

LVna ſecundùm Iſido. dicitur, quaſi lumine vna, id eſt, prima, eſt enim Luna prima ſtellarum luminum, & planetarum ex parte noſtra, & ideò inter omnes ſtellas, & planetas Luna omnibus videtur eſſe maior: quamuis in veritate dicatur à Phi. eſſe minor (vt ſupra patuit) ſpiritualiter ergo loquendo, per Lunam poſſumus plura, & diuerſa intelligere, ſecundùm quòd habet multas, & varias qualitates, ac conditiones, ſiue proprietates. Vnde per Lunam intelliguntur quatuor. Primò, virginitas Matris Saluatoris. Secundò, [illegible]s boni viatoris. Tertiò, fragilitas vani peccatoris. Quartò, proſperitas mundi deceptoris. Primò, ergo dicamus de Chriſti Matris proprietate. Per Lunam enim intelligitur Beata Virgo MARIA; quia ſcilicet, ſicut Luna corporalis, & materialis per Solem innouatur: per Solem augmentatur: à Sole illuſtratur: cum Sole copulatur, & ſicut inuenitur. Primò, Luna naſcens. Secundò, creſcens. Tertiò, plena. Quartò, coniuncta, ſic verè ſpiritualiter loquendo, Luna, id eſt, Beata Virgo per ſolem iuſtitiæ Chriſtum, facta eſt Luna noua, vel naſcens: in ſua Conceptione fuit Luna creſcens: in ſuæ Natiuitatis declaratione fuit Luna plena: in Filij incarnatione fuit Luna ſoli coniuncta in perſonali Aſſumptione. Iſta enim alio modo dicitur Luna noua per conſcientiæ puritatem, & ſanctitatem.

A Res enim nouæ, vt communiter magis ſunt mundæ, & puræ. Lunæ creſcens per virtutum augmentum, & amplitudinem. Luna plena per gretiarum complementum, & plenitudinem. Luna eclypſatam per bonorum temporalium paupertatem, & paucitatem. Luna ſoli coniuncta per æternam felicitatem, & beatitudinem. Vel poſſumus dicere, quòd Virgo Beata in ſua Natiuitate fuit innouata, quia tunc: *Noua lux oriri viſa eſt.* Eſther. 5. in Fi- *Eſther.5.*
lij incarnatione fuit plenè illuminata. Vnde *Luc.1.*
dictum fuit ſibi, Lucæ 1. *Ave gratia plena Dominus tecum.* Tunc enim fuit impletum illud
Prouer.7. *Non eſt vir in domo ſua: abijt via* *Prou.7.*
*longiſſima: in die plenæ Lunæ reuerſurus eſt.*
B Quia ſcilicet, vir Dei Filius, quia à longè per peccatum Adæ receſſerat: in die plenæ Lunæ, id eſt, in Beata Virgine reuerſus fuit ad domum Eccleſiæ militantis, carnem videlicet aſſumendo. In Filij paſsione fuit eclypſata: quia ſcilicet, tunc defuit ſibi Sol iuſtitiæ Chriſtus: quare non fuit mirum, ſi ipſum tunc temporis per mœrorem, & triſtitiam obſcurauit. Tunc enim fuit Sol conuerſus in tenebras: *Et Luna in ſanguinem.* Vt dicitur
Ioel. 2. quia ſcilicet, ſole Chriſto per mor- *Ioel.2.*
tem in paſsione obtenebrato. Luna iſta per dolorem, & compaſsionem ſuæ mortis in ſanguinem eſt mutata. Apocalip.6. *Luna to-* *Apoc.6.*
*ta facta eſt, vt ſanguis.* Ideò dictum fuit ſi- *Luc.2.*
C bi Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Item in cœlum in Aſſumptione fuit ſoli Chriſto copulata: quia tunc *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Sicut dicitur Habacuch. 3. Sic ergo patet *Habac.3.*
quomodo iſta Virgo dicitur Luna. Vnde
proprie loquendo, de ipſa dicitur illud Pſal. *Pſal.88.*
*Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* Vbi oſtenditur, quòd Beata Virgo poteſt ſpecialiter dici Luna propter tres conditiones ipſius Lunæ; videlicet quia primò receptiua ſuperni numinis: quia *Thronus.* Secundò, quia diffuſiua interni luminis: quia *Sol.* Tertiò, quia repreſsiua æterni fluminis:
D quia in *Conſpectu* Dei. Luna enim primò ſua Dyaphaneitate recipit ſplendorem. Secundò ſua luminoſitate emittit fulgorem. Tertio ſua humoroſitate temperat ardorem: ſic verè Beata Virgo recipit primò diuinitatem, quia eſt Thronus diuinitatis receptiuus. Secundò, efficit vtilitatem ſua charitate: quia ipſa eſt Sol, qui ſcilicet, eſt maximæ vtilitatis. Tertiò, minuit ſeueritatem ſua pietate quia ipſa ſemper eſt in conſpectu Dei ad orandum pro peccatoribus. Primò ergo dicamus, quia ipſa eſt receptiua numinis ſuperni. Thronus inquit, ſicut enim Luna recipit lumen à ſole, & etiam cum ſole iungitur omni menſe. Sic verè Beata Virgo à Deo Patre lumen ſuum, id eſt, proprium Filiũ: qui eſt lumẽ

de

de lumine, Deus verus de Deo vero recepit, & mutuauit: & coperãte paranympho Gabriele, & eius consiliario Spiritu Sancto, cum ipso Deo Patre stetit matrimonialiter copulata, & dicto suo lumine, & benedicto filio impregnata, quod ostenditur cũ dicitur Thronus; quia scilicet Thronus habet suscipere, & recipere sedentem; quia videlicet B. Virgo fuit Thronus, sedes, & receptaculum huius lucis. Scilicet filij incarnati figurata in Throno Salomonis, de quo agitur 3. Reg. 10. vbi
3. *Re.* 10. dicitur. Quod Rex Salomon, *Fecit Thronum grandem de ebore, & vestiuit eum auro, & in isto Throno erant duæ manus, quæ sedile tenebant, & iuxta manus erant duo leones, & ad ascendendum ad Thronum erat sex gradus, & circa sex gradus duodecim leunculi hinc inde.* Iste Thronus est Beata Virgo, in qua Salomon, id est Christus per incarnationem sedit, & quem in conceptione, & natiuitate ipsius Virginis fabricauit, quia verè ista fuit Thronus intus eberneus, & candidus per castitatem, exteriùs aureus, & fulgidus per honestatem; duas habebat manus, id est dupli cem pietatem, quia scilicet ista est liberalis ad dandum temporalia, & æterna, vel ad subueniẽdum bonis, & malis. Et ideo iuxta istas manus erant leones duo, qui scilicet significant peccatores; quia scilicet iuxta manus misericordię MARIÆ Virginis habitãt peccatores, vt exinde recipiant veniam, & medelam; quia sicut dicitur Psalm. *Oculi Ancillæ*
*Psal.* 122 *in manibus Dominæ suæ.* Per sex gradus ascenditur ad Thronum istum: quia scilicet per sex opera misericordiæ peruenitur ad acquirendum, & promerendum gratiam istius benedictæ Virginis. Et ideo leunculi circa istos gradus ordinantur, & collocantur: quia scilicet peccatores, qui per istos leunculos designantur, istis sex gradibus, id est, sex operibus misericordiæ insistunt, vt sub istius protectione tueantur, & vt eius gratia mereantur, dicentes illud Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia*
*Hebr.* 4. *ad Thronũ gratiæ eius, &c.* Et ideo de isto Throno Dei Filij receptiuo potest dici illud Apoc. 12. *Raptus est filius eius ad Deum, &*
*Apoc.* 12. *ad Thronum eius.* Et Apoc. 20. *Vidi Thronũ*
*& 20.* *magnum candidum, & sedentem super eum.* Ita quod ipse Dei Filius potuit dicere illud,
*Eccl.* 24. Eccle. 24. *Ego in Altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis.* Ista est ergo Luna receptiua numinis superni, quia thronus. Vnde de ista Luna potest dici illud Apoc. 12
*Apoc.* 12. *Luna sub pedibus eius.* Secũdo ista Luna, scilicet B. Virgo, est influxiua luminis interni, & hoc ostenditur cũ dicitur, Sol; quia sicut Sol continuè fundit nobis lumẽ, ita B. Virgo fundit nobis gratiam, & ideo ista est Luna, quæ inter omnia sydera magis assimilatur Soli: quia etiam continuè influit in rebus in tãtum, quod per ipsam humor in corporibus generatur, mare per ipsam mouetur, & regulatur; ros in floribus, & herbis deriuatur, lumẽ etiam per ipsam temporibus nocturnis viatoribus ministratur. Et secundùm Ambros. in exameron dicitur. Primò, Luna est ductrix noctis. Secũdò est Mater roris. Tertiò est ministra humoris. Quartò est dominatrix maris. Quintò temporum mensura. Sextò æmulatrix solis. Septimò est immutatrix aeris. Talis proculdubio est Beata Virgo, quia reuera ista inter omnes alias personas fuit soli iustitiæ Christo similis, & conformis. Et ideo *Cantic.* 6.
dicitur Cantic. 6. quòd ista *progreditur, quasi aurora consurgẽs, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* More enim Solis lumẽ suæ misericordiæ, & gratiæ cõtinuè nobis fundit. Ista enim noctis, id est, cõscientiæ est illuminatrix, vel ductrix. Roris gratiæ est generatrix. Humoris deuotionis est ministratrix. Maris huius fluctuosi sæculi est dominatrix. Temporum, id est, meritorum nostrorum est mẽsuratrix. Solis iustitiæ Christi est æmulatrix aeris, id est, vanæ conditionis nostræ est in melius immutatrix, & breuiter ab ista luna nobis influit omne bonum, omnis gratia, omnis virtus, & ideo ista est MARIA maris stella. Vnde Bernar. super missus est dicit sic. Ipsa est, inquit, nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens, magis mentes quàm corpora fouet, virtutes coquit, vitia expellit. Ita igitur est diffusiua luminis interni. Tertiò, ista est repræsiua fulminis æterni. Ista enim fulmen, id est, ardorem diuini rigoris temperat suis intercessionibus, sicut Luna temperat ardorem Solis, & aeris suis humidis, & frigidis qualitatibus, & passionibus, quod ostenditur cùm dicitur: in cõspectu meo Ipsa enim semper est in conspectu Dei, vt pro peccatoribus intercedat, sicut enim dicitur Gen. 1. *Deus fecit duo magna lu-* *Gen.* 1.
*minaria*, Solem, vt *præesset diei. Lunam, vt præesset nocti.* Sol enim, id est, Christus præest diei, id est, viris iustis per iustitiã, &
tatẽ; & ideo dicitur, *Sol iustitiæ.* Mal. 4. *Mal.* 4.
verò, id est, B. Virgo præest nocti, id est, bulentis, & peccatoribus per clementiam, & pietatem, & ideo ipsa dicitur Regina misericordiæ: quia scilicet ista nõ cessat peccatoribus misericorditer subuenire, & pro ipsis Filij sui misericordiam implorare; quia scilicet sicut dictum est, ipsa in conspectu Dei est semper, dicẽs illud Hier. 18. *Recordare, quod* *Hier.* 18.
*steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum:* Et *vt auerterem indignationem tuã abeis.* Quid ergo? certè ex quo ista talis, & tanta pro nobis stat in cousspectu Filij sui pro nobis orando, iustũ est, vt nos stemus in conspectu illius ei obsecrando, famulando, & seruiendo. Elephantes enim dicuntur Lunam ado-

adorare, & omni nouilunio cũ balneati fuerint, solent omnes nouæ lunæ in signũ reuerẽtię capita inclinare. Et ad hoc faciendũ solent parunlos suos instruere, & docere. Topatius etiã lapis est preciosissimus; quia tamen solent influentiam lunæ sequi, & in suis virtutibus lunari influentiæ conformari. Solenites etiam lapis nobilis, lunæ videtur seruire. Pro eo quod in medio eius semper solet imago lunæ candida rutilare, in qua incrementum, & decrementum lunæ solet lucidè apparere, in quibus procuidubio instruimur, & docemur; quòd Lunam, ideſt, Beatam Virginem debemus totis affectibus honorarẽ, & ei caput, & animũ inclinare, & imaginẽ eius per deuotionẽ in medio cordis nostri habere, & crementum, & decrementũ ipsius; crementum dico bonorum spiritualium: decrementum bonorum temporalium: per ipsius imitationẽ debemus repræsentare, & nos influentiæ gratiæ suæ reponere, & suis virtutibus coaptare, vt de quolibet nostrum dicatur illud Psalmi: *Permanebit cum sole, & ante lunam in generatione, & generationem*: nos enim debemus permanere cum sole, ideſt, cũ Christo eidem per charitatẽ adhærendo, & ei famulando. Debemus etiã permanere ante lunam. Ideſt, ante B. Virginem, ipsam adorando, & ei famulando. Vnde Bernard. in quodã sermone de Pentecoste. Ad te inquit, MARIA sicut ad mediũ, sicut ad arcanum Dei, sicut ad negocium seculorum, sicut ad rerũ causam, respiciunt Vniuersi: Teque beatam dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mũdi, cœlorum regina; quæ in omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiã, iusti gloriam, peccatores veniam inueniunt: in æternum merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te manus omnipotentis Dei quidquid creauerat, recreauit; Patet igitur quomodo Beata Virgo dicitur luna, quia scilicet fuit superni numinis receptiua interni luminis diffusiua, æterni culminis repræsiua; & hæc de Beata [illegible]gine, & sic luna significat Virginitatem Matris Saluatoris, &c.

*Psal. 71.*

## CAPITVLVM 76.

### *Lunæ Moralitas alia pro Virgine MARIA.*

PEr lunam etiam significatur Virgo MARIA propter septem. Nam luna secundùm Basilium in suo libro Exameron, est decor noctis: Mater roris: Ministra humoris: Dominatrix maris, mẽsura temporis, Æmulatrix solis: immutatrix aëris, quæ omnia benè competũt sanctissimæ Matri Christi. Primo ergo luna est decor noctis, non solũ, quia noctẽ illuminat, sed etiam, quia in nocte decor ipsius apparet: præcipuè tunc cũ est plena. Ita Beata Virgo MARIA in nocte, ideſt, in obscuritate præsentis vitæ existens, fuit plena luce gratiæ diuinæ. Sicut Angelus dixit. Aue gratia plena, &c. Siue luce diuinæ præsentiæ. Propter quod subdidit, Dominus tecum, Dominus, scilicet, Pater te desponsans: Dominus Filius te imprægnans: Dominus Spiritus Sanctus te sanctificans. Vnde ipsa fuit totius Trinitatis nobile triclinium, siue luce Virginalis munditiæ: Quæ *Quia Cãdor est lucis æternæ, & speculum sine macula*: Vt dicitur Sapien. 7. Propter quam lucem addidit Angelus. *Benedicta tu in mulieribus*, siquidem ante eam mulieres in Virginitate permanentes propter sterilitatem erant maledictioni legis obnoxiæ. Sed ista in mulieribus etiam Virginibus, benedicta ex eo quod quanquam Virgo, nõ tamẽ sterilis, sed diuinitus fecunda, & ideò Mater intacta, & sic patet, quòd B. Virgo MARIA, *quasi luna plena in diebus suis lucet*. Eccles. 50. sed est notandum, quòd luna plena, non tantùm habet pulchritudinẽ lucis, sed etiam perfectionem figuræ circularis, quia tunc tota est rotunda, & ideò magis pulchra, quod etiam B. Virgini congruit, & ideò in Psalm. *Vocatur luna perfecta in æternum*. Hæc est perfectio suæ charitatis, per quam admodũ figuræ rotundæ fuit nobilissima, ideſt, promptissima ad benè operandum, capacissima, & amplissima ad omnes suscipiendum Eccl. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, &c.* Item fine carens, ideſt, indeficientissima ad perseuerandum, vnde ibidem, vsque ad *futurum seculum non desinam*, & ideo etiã dicitur perfecta in æternum: luna enim quando plena est, lucet per totam noctem, sed quãdo non est plena, quandoque lucet in principio noctis, & significat benè incipientes, & cito deficientes, quãdoque in fine noctis; & significat benè finiẽtes. Sed Beata Virgo MARIA velut luna plena fulsit in suo principio, quia in vtero Matris concepta sine peccato originali, & sanctificata, in medio, quia Filio Dei illustrata, & sanctè, & innocẽter conseruata; in suo vltimo, quia anima, & corpore glorificata. Per noctẽ etiã significatur tribulatio, & tentatio. Quidam ergo sancti adiuuant in principio, quidã in medio, quidã in fine, ipsa autem adiuuat semper, & in principio dando audatiam, & in medio conferendo perseuerantiam, & in fine dãdo coronam; hæc est etiam luna, quæ noctem, ideſt, peccatorũ tenebrositatem lumine suæ gratiæ, siue misericordiæ non definit illustrare. Vnde, & ipsa sicut luna vocatur: Regina cœli, quia de nocte absente sole inter sydera primatũ tenet, & tanquam absente Rege, ideſt, sole, vt Regina Regnũ gubernat; similiter quando Rex Christus ex aliqua causa faciem suam alicui

*Sap. 7.*

*Luc. 1.*

*Eccl. 50.*

*Psal. 88.*

*Eccl. 24.*

abscon-

absconditi. Tunc MARIA maximè misericordiam ostendit, & fulget ei luce misericordiæ, quæ prius erat in tenebris culpæ. Et sic patet. Quomodo B. Virgo nõ solũ est electa, vt Sol, sed etiam *pulchra vt Luna*: Sicut dicitur, Cant. 4. Secundò, Luna significat nobis Beatam Virginem MARIAM: quia Luna est Mater roris. Nam vim suæ humiditatis aëri imprimit, & aërem subtiliter alterãs, & immutans in ipsius superficie rorem gignit: vnde manifestè videmus, quòd æstiuali tempore, quantò Luna est serenior, tantò abundantior ros super gramina se ostendit. Rori autẽ assimilatur Filius Dei incarnatus propter ipsius roris generationem. Nam ros generatur in interstitio medio aëris, & tẽperatè calido, & temperate frigido. Tria auem sunt interstitia, cœlũ, mundus, infernus. Hæc ergo irroratio, ideſt, Filij Dei incarnatio nõ est facta in supremo interstitio, ideſt, in cœlo, quia naturam Angelicam non assumpsit, nec infimo, scilicet, in inferno: quia dæmones non redemit, sed in medio, ideſt, in mundo, quia naturæ humanæ se vnijuit. Oſee. 14. *Ero quaſi ros*, huius roris mater fuit B. MARIA, quia inter eius Virginea viscera ros iste cœlestis descendens nostræ se carni vnijuit. Est enim quoddã genus piscis, qui coclea vocatur, qui tempore roris ad littus procedens, & ibi se aperiens; rorem cœlestem inter viscera suscipit, & se claudens margaritam gignit; ista coclea est B. Virgo MARIA, quæ rore cœlesti perfusa, generauit de suis visceribus Margaritam preciosam, de qua Matth. 13. *Inuenta autẽ vna pretiosa Margarita abijt, & vendidit.* Hæc Margarita Christus est, propter quem debemus omnia vendere, quæ habemus, ideſt, terrenam substantiam, voluntatem propriam, & conuersationem mũdanam, & eam emere. Istum rorem Deus totum posuit in vterum Virginis, & inde procedens totum mundum irrigauit. Vnde Bernar. rigaturus aërem Deus cœlesti rore totum vellus prius infudit. Redempturus etiam genus humanum pretium contulit in MARIAM. Tertio, quia luna est ministra humoris, nam in augmento lunæ humores crescunt in corpore, crescunt enim, & humescũt in capitibus cerebella, in ossibus medullæ, & breuiter in corporibus omnis humoralis substantię, & similiter in eius diminutione omnia diminuuntur. Ob quam causam melius est minuere sanguinem in lunæ augmento, quàm in eius decremento, sed ligna pro ædificijs incidere & arbores inserere, vel plantare, est melius in decremento, quàm in augmento, cuius ratio est, quia cum augmento crescunt humores, si tunc arborem insereres, vel plantares, humor nimius, qui in planta abundaret, quia à natura benè regi nõ posset, fructus faceret vermiculosos: ligna etiã tunc incisa ædificijs non sunt apta. Quia propter humiditatem inclusam ad putredinẽ sunt parata, à vermibus nihilominus faciliter corrodenda, & deturpanda. Beata autẽ Virgo humoris ministra fuit; quia scilicet suis filijs triplicẽ humorem infudit, scilicet conceptionis nutritionis, & deuotionis; cõceptionis administrauit Spiritui Sancto, nutritionis administrauit Christo, humorem autem gratiæ, & deuotionis cuilibet suo filio adoptiuo; in conceptione etenim Christi B. Virgo MARIA ex purissimo humore sanguinis sui non solum materiam ministrauit in conceptione corporis Christi, sed etiã secundùm Scotum in 3. dist. 4 ipsa actiuè cõcurrit ad generationem corporis, scilicet organizando, & formando, cooperante Spiritu Sancto. Et ideò Beata Virgo verè fuit Mater Christi, vnde Matthæi 1. *Cùm esset desponsata Mater IESV MARIA.* Item dedit Filio humorem nutrimentalẽ, scilicet, quando eum lactauit vbere de cœlo pleno, propter quod Lucæ 11. dicitur *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Sunt etiam duo vbera, quibus lactat B. Virgo filios suos adoptiuos, scilicet, ex vno infundens humorem gratiæ iustis, ex alio humorẽ misericordię peccatoribus, & ideò ab Ecclesia vocatur MARIA, Mater gratiæ, Mater misericordiæ. Quartò, quia luna est dominatrix maris, nam sicut adamas trahit ferrũ post se, sic luna mouet, & trahit post se occeanum, vnde in suo ortu intumescit mare, & crescit ex parte orientali, & decrescit ex parte occidẽtali; & ècontra, quando est in occasu; Secundũ autẽ, quod luna plus, vel minus profuit in lumine, ita plus, vel minus se extendit, vel retrahit ipsum mare, & sicut dicit Maurus in lib. Ciceronis, occeanus in incremẽto lunæ retinet modum istum. Primo enim die crescentis lunæ fit copiosior solito, & abundat in summo; sed secundo minuitur, & sic crescit vsque in diem septimum; deinde iterum crescit per septem dies, ita quod in quarta decima die, iterũ est plenus in summo. Vnde in nouilunio mare est summè plenũ, & in plenilunio. Mare autem moraliter accipitur tribus modis, nam vno modo dicitur mare huius vitæ amaritudo, & super illud mare B. Virgo habet virtutẽ, scilicet, quia eius pietas ostenditur super illos, qui sunt in tribulationis amaritudine positi, nam *ventri, & mare obediũt ei.* Matth. 8. vẽti sunt aduersitates exteriores, mare sunt interiores amaritudines; vel venti sunt violentiæ tentationum, mare perturbatio tribulationum. Secundo, mare vocatur, peccatorum inquietudo, Esaiæ 57. *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*, sed quando illa luna oritur peccatoribus eos luce suæ misericordiæ illustrando, tunc crescit, ex parte orientis, & decrescit

Cant. 4.

Oſee. 14.

Mat. 13.

Matt. 1.

Luc. 11.

Matt. 8.

Esai. 57.

ex parte occidentis, quia ſcilicet eius auxilio oritur, & creſcit in ipſis peccatoribus lux gratiæ, & aqua miſericordiæ, & deficit caſus culpæ; Sed è contra, ſi iſta luna occiderit peccatoribus, ſcilicet, vt eius per gratiam ſuam non adeſſet, tunc creſceret ex parte occidentis, & deficeret ex parte orientis, ideſt, deficeret lux gratiæ, & creſceret caſus culpæ: Tertiò vocatur mare mũdi, viciſſitudo, ſiue mutabilitas, ſicut autẽ oſtẽſum eſt, mare virtute lunæ, habet quadruplicẽm mutabilitatem; vna eſt replẽtionis, & illa eſt in nouilunio: ſecunda diminutionis, & illa eſt vſque ad ſeptimum lunæ. Tertia argumentationis per alios ſeptem dies, ſiue ſex. Quarta iteratæ repletionis, & hæc in plenilunio; Similiter virtute, & auxilio B. Virginis peccatores in mũdo exiſtentes, replentur aqua pœnitentiæ, & decreſcit in eis mare culpæ, & augetur profectus gratiæ, & tandem peruenitur ad plenitudinem gloriæ. Quinto dico, quòd luna eſt menſura temporis, quia ſecundũ motum lunæ accipiũtur anni lunares, qui apud Iudæos obſeruauantur, vnde Eccl. 43. *Luna in omnibus in tempore ſuo*, oſtenſio temporis, & ſignum æui, & continet annus lunaris 354. dies. Vnde patet, quòd annus ſolaris ſuperat lunarem in vndecim diebus, vnde Hebræi, & Arabes annum ſeruant minorẽ, quam ſit noſter vndecim diebus præter quadrantem vnius diei. Item ſecundũ lunam diſtinguuntur mẽſes lunares, vnde menſis dicitur à manè, quod eſt luna, eo quod Hebræi ex curſu lunæ menſes vocabant, & accipitur mẽſis lunaris apud Iudæos, & Arabes ſecũdũ curſum lunæ in toto zodiaco, donec ſolem attingat, quod facit in 29. diebus cum dimidio, vt dicunt Aſtrologi: dies autem lunares ſecundum Arabes, incipiũt de ſero ab occaſu ſolis, eo quod ortus lunæ ſit tempore occaſus ſolis, & ſic ſecũdùm eos nox præcedit diẽ. Sed Græci, & Romani, & aliæ gentes, quæ non vtuntur in mẽſibus ſuis viſione nouæ lunæ, computant diẽ ab ortu ſolis cum nocte, vſque ad ortum ſequentis diei, & ſic ſecundùm eos dies præcedit nocte, vt dicit Alfraganus, Differẽtia. Patet ergo, quòd luna habet dies, menſes, & annos, ſed tamẽ menſes, & annos habet breuiores. Quia ſcilicet B. Virgo habet plenitudinẽ gratiarum, & virtutum, & donorum, ſicut Chriſtus, qui ſoli aſſimilatur, in minori tamen gradu, licet exceſſerit omnes alios ſanctos, Eccl. 33. *Quare dies diem ſuperat, & annus annum.* Sextò, luna ſignificat B. Virginem MARIAM, quia luna eſt æmulatrix ſolis, nam aliquando ipſi ſoli eſt ante, aliquãdo ſuper, aliquando ſubter, vnde luna, aut eſt cum ſole in coniunctione, quando aſcendit, aut à latere, vt quãdo à ſole recedit, vel quãdo ad ſolem reuertitur, aut in plena oppoſitione, quando ſcilicet totaliter ſoli opponitur, ſic B. Virgo ante Chriſtum, qui etiam eſt ſol iuſtitiæ, fuit quantum ad ætatem carnis, ſicut Mater ante Filium, & hoc quantum ad humanitatem, quia quantum ad diuinitatem Chriſtus fuit ante eam, ſecundum illud, *poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt.* Ioan. 1. Itẽ fuit poſt Chriſtũ quantum ad mortem, quia Chriſtus ante eam mortuus fuit, nam vt quidã dicũt ſuper vixit filio vndecim annis: erat enim, vt dicunt, quando Chriſtũ cõcepit 14. annorum, & manſit cum eo annis 33. & poſt mortẽ Chriſti ſupervixit vndecim annis, & ſecundũ hoc quando abijt erat annorum 58. Licet alij aliter dicant. Item ipſa fuit ſupra Chriſtũ materna auctoritate, cui Chriſtus in pueritia humiliter ſe ſubiecit, & reuerenter obediuit, ſecundũ illud, Lucæ 2. *Deſcẽdit cũ eis, & venit Nazareth.* Lucæ 2. Scilicet, cũ Virgine, & Ioſeph, *& erat ſubditus illis*, itẽ ipſa fuit ſub Chriſto non ſolũ dignitate, ſed etiã ſitus localitate cùm eſſet in cruce ſuſpenſus, tunc enim ipſa ſtetit inferius ſub eo *iuxta crucẽ* Ioannis 19. ſed notandũ, quòd quando luna eſt ſub ſole, ita quod recta diametro inter nos, & ſolẽ ſit interpoſita, ſolet eſſe eclipſis ſolis concauſatiua, & hæc fuit in paſſione Chriſti, quia B. Mater ſub ipſo mærẽs ſtetit, & tunc ipſa eclipſis ſolis, ideſt, mortis Chriſti cauſatiua fuit; In quantum naturam, quæ pati, & mori poſſet ex ipſa Chriſtus aſſumpſit; Sed notãdum, quòd eclipſis ſolis occidere non poteſt ſecundum naturam, niſi in cõiunctione ſolis, & lunæ, quando de nouo accenditur, & dum ipſa coniunctio in linea ecliptica celebratur, & hoc eſt ſemper quando ſol eſt in capite draconis, & luna in cauda; vel è conuerſo, vnde dicit Albutmaſar in lib. de motu planetarum, ſi luna inter nos, & ſolem obiat defectum radiorum nobis facit in capite, vel cauda draconis; quid autem ſit caput, & cauda draconis, dictũ eſt in littera, & dicetur infra, & ſimiliter B. Virgo dupliciter ipſum ſolem Chriſtum, quodammodo obſcurauit Primo, quando ipſum concepit, & carne veſtiuit; tunc enim minoratus eſt paulominus ab Angelis, quia exinaniuit ſe ipſum formam ſerui accipiens, vnde hoc fuit quaſi in capite draconis, ideſt, in muliere, vel humana carne, quæ fuit Caput, ideſt, principium peccati. Item in cauda, ideſt, in morte Chriſti, vbi fuit quodammodo finis peccati, vbi draco infernalis ſuum dominium perdidit, & terminauit; Nota etiam, quòd quãdo luna eſt ſub ſole, quamuis lumẽ perdat ex parte terræ, non tamen perdit ex parte cœli; vnde quãdo luna ipſi ſoli coniungitur, nihil omnino luminis ad terrã dirigitur, ſed tantũ ex parte cœli in plena illuminatione permanet, & inſiſtit, & ita ſimiliter B. Virgo, quãuis in paſſione videretur, ex parte corporis eclipſata, & obſcurata præ triſtitiæ immenſitatem

Eccl. 43. Ioan. 19. Eccl. 33. Lucæ 2. Ioan. 1.

tatem, ex parte tamen animæ semper fulgoré tenuit per fidei firmitatem. Vnde licet alia luminaria mundi, scilicet Apostoli fuerint eclypsata, tunc fidem perdendo: ipsa tamen semper luxit fidei lumen seruando. Item ista nostra luna tunc fuit in coniunctione cum sole, quando innixa super dilectũ suum ad cœlum assumpta fuit. Item Christi soli à latere stetit, quia in cœlo iuxta thronũ Filij locatus est *thronus Matris*, sicut legitur in figura 4. Regum 2. de matre Salomonis. Fuit autẽ opposita soli in annuntiatione, quia tunc quanto sol, id est, Deus, vel Angelus annuncians, plus ipsam commendabat, & magnificabat, dicens: Aue gratia plena, tãto ipsa è cõuerso se humiliauit dicens: *Ecce ancilla Domini*: vnde quia humilitatem Deus ancillæ suæ respexit: ideo eã suo lumine repleuit, sicut luna impletur lumine, quando est soli opposita. Septimò, luna significat beatam Virginem, quia luna est immutatrix aeris, & mediante aere maximè immutat corpora humana. Vnde Hyppo in principio pronosticorũ de luna loquens, ait: Est quoddã cęleste sydus in quo oportet medicum prouidere: cuius prouidentia est mirabilis, & stupenda. Et Balienus in cõmento de diebues criticis dicit: Diem certam, quæ non fallit, intendat medicus quam docuerũt Astrologi Ægyptiorum, quòd per coniunctionem corporis lunaris cum stellis fortuitis fiunt ægritudines terminabiles ad bonum. Cum contrarijs verò cõtrariè, scilicet ad malum. Et ideo cautus, & perfectus medicus secundùm doctrinam Hyppocratis aspicere debet primam lunam, & quando est plena lumine: quia tunc crescunt humores in omnibus, vt dictum est. Quãdo ergo in febres quis cadit, multum necesse est videre, vtrum luna tunc exeat de coniunctione: tunc enim crescit infirmitas, quo vsque veniat ad oppositionis gradũ, id est, in plenilunio: & si fuerit, cũ malo planeta, aut in malo signo, & aspexerit Dominum domus mortis, quæ est signum octauum, scilicet Scorpionis, vel si aspexerit Martẽ, qui dicitur dominus signi Scorpionis: tunc de morte timendum est. Si verò fuerit cũ bono planeta, & in bona domo, siue signo, & aspexerit Dominũ domus vitæ; scilicet Mercurium, & Venerem, aut Iouem, tunc de vita sperandum est, & sic de alijs, vt patet in libro Hyppocratis, quẽ dicitur cõposuisse de vitijs infirmitatis secũdam lunã: propter quod dicit Scotus in 2. dist. 14. Necesse est medicum scire Astrologiam, quia posset medicinã alicui infirmo dare vno tempore, quæ interficeret, quæ tamẽ alio tempore liberaret, & è conuerso, sicut ergo luna habet dominium super infirmitates corporales: sic etiam Domina nostra habet dominium super morbos tã corporales, quàm spirituales; vt faciat eos esse ad mortẽ, vel ad vitam secundùm hominum merita, & deuotionem ad ipsam. Nam eam reuerentes vitali aspectu aspicit, & curat. Ipsam verò blasphemantes, vel contẽnentes, nisi per pœnitentiã redeant mortali aspectu, aspicit, & necat. Potest etiã Beata Virgo MARIA significari per stellam maris, de qua vide supra.

4. *Reg.* 2.

# F. ANDREAS CROCQVETIVS.

## NOTA.

*INter alia non minus docta, quàm pia, quæ scripta posteritati reliquit R. P. Dominus Andreas Croquetius, vel Croquenius, Belga Duacensis Monachus Benedictinus, Congregationis Clumacensis, Et Prior Monasterij Hasnonensis, Licentiatus, & Theologus insignis, Hæbraicæ, atque Græcæ linguæ peritissimus, qui obijt Valencenis in Belgio, vt referunt Arnoldus de Vuion lib. 2. ligni vitæ, fol. 401. & Antonius Possevinus anno à Virgineo partu MDLXXXX. non vulgari eruditione edidit Catecheses Christianas Duaci impressas apud Ludouicum Vindium, anno MDLXXV. postea Lugduni apud Thomam Soubron, anno MDXCIII. in 4. maiori à Matthæo Galeno quondam apud Duacenses Cancellario, summa diligentia emendatæ prodierunt, in quibus fol. 142. in Catechesi 45. salutationem Angelicam,*

*Aue*

*Aue MARIA, licet breuissimè eruditè, tamen explicat, illustrat, & aduersus Santimarianos, vt sequitur explanat.*

# TOTA SALVTATIO ANGELICA, CVM suis appendicibus explanatur.

*Catechesis 45.*

POstremo conuentu, pro temporis angustia, vindicauimus ab aduersariorum calumnijs angelicam (vt vocamus) salutationem: & illius interprecandum vsurpationē: itaque nunc recta ad eius explicationem cōtendemus, *Aue MARIA, gratia plena Dominus tecum.* Quod nōnulli philosophantur in hoc verbo (*aue*) quasi sit væ inuersum: nimis cabalisticum est. Rursus, quod quidam aiunt, non fuisse dicendum aue, salue, pax tibi, aut quidpiam simile: sed gaude, χαῖρε: quoniam angelus authorem gaudij nuncia-
A bat: non minus est ineptum. Nam Syrus contextus habet שלם schelom lechi, quod Hebræi solebant in salutationibus vsurpare: nec aliud, quàm nostrum (salue) significat, siue pax tibi, quo nomine quidquid futurum est, ac fœlix imprecabantur. MARIÆ nomen non est ab Angelo positum: sed quia paulò post additur, ecclesia hic etiā inseruit: quod iam ab Apostolorum ætate factum docet Iacobi liturgia. Alias de significatione domini dictum est, quam hoc loco licet Iacobi, Basilij, & Chrisostomi calculis approbare, qui in suis liturgijs hanc sanctissimam virginem
B δεσποιναν τῶν ἡμῶν, id est, dominam nostram vocant, siue τὸ παῖδος, id est, vniuersi ad nominis huius alludentes (quicquid aliis videatur) veriloquium. Vnde constat non est hanc in cæterarum mulierum ordinem cogēdam, quæ regem vniuersorum est enixa, nec illos audiendos, qui, vt eludant nominis nunc indicatum mysterium, cauillantur simile ferè inditum sorori Aaronis: אלישבע cum sit certo certius olim secus lectum fuisse. Verum vt hinc parum haberemus præsidij: nec huius
C nominis dignitatem satis ab hostibus tueri valeremus: D. Iacobus, & cæteri liturgici suppedicant innumera nostræ virginis illustria epitheta, quæ summam eius præstantiā, sublimitatemque satis superque declarant: vt alibi nonnullis prolatis ostendimus. *Gratia plena.* Non arbitror hoc loco gratiam, quam nostri gratum facientem nuncupant, intelligendam: quamuis eam Diua Virgo cumulatissimè recepisset: nec rectè puto quosdam ista verba adeò premere, vt nulli mortalium patiantur esse communia: cùm & in
D actis Stephanus, & apud Lucam vterque parens D. Baptistæ hoc titulo celebrentur: tametsi D. Ioannes filio Dei pro summo elogio tribuat, quòd sit plenus gratiæ, & veritatis. Intelligemus igitur, quòd Hebræis est vulgatissimum: vt Prob. 31. *Fallax gratia & vana est pulchritudo.* Eccles. 26. *Gratia super gratiam*, &c. & alibi sæpe, *Inuenisti gratiam: si inueni gratiam in oculis tuis*: quibus in locis nil aliud sibi vult gratiæ vocabulum, quàm Latinis gratiosum esse: vt sit hæc sententia huius orationis: Quæ plurimum gratia vales apud filium tuum Deum, quæ nil non effectura es tuis precibus. Interea tamen nullum genus gratiarū nostræ virgini libentissimè fatemur defuisse. *Dominus tecum.* Nonnulli veterū sic interpretantur: Dominus in vtero tuo: quod valde mirū est: cùm Angelus posteà verbo futuri dicat: *Ecce concipies, & paries filium:* ex quibus verbis liquet necdum in vtero fuisse. Quid autem ea scripturæ phrasis velit, vetus historia nos edocet: vbi Booz ait ad Ruth, & Noemi: *Dominus vobiscum*, Saul ad Dauid. *Vade, & Dominus sit tecum*: sic angelus Gedeoni: *Dominus tecum virorum fortissime.* Sic autem Gedeonem hanc sermonis formam intellexisse, vt mox dicturi sumus, indicat illius respōsū, *Si Deus nobiscū: quomodo acciderūt nobis hæc mala?* Ergo Dominum esse cū quopiā dicimus, quando electum declaramus, tanquam organum, quo vel populus liberetur, quales Gedeon, Dauidque fuere: vel quoddā insigne beneficium nonnullis conferatur. Itaque cùm Deipara perpetuam nobis peperierit redemptionē: quis neget iure sic olim ab angelo, & à nobis quotidie salutari? Hæc igitur esto sententia: Elegit te Dominus, vt sis ei instar cuiusdam instrumenti, per quod prodeat is in orbem, qui verè genus humanū sit in libertatē asserturus. Sic angelus: Deinceps attexuatur ex eiusdem spiritus apothecis deprompta nobilissimæ matronæ Elisabeth cū Virgine colloquia. *Benedicta tu in mulieribus.* Ne quis mihi de hac præpositione (*in*) litem moueat: non minùs eleganter dicitur *in mulieribus*, quàm inter mulieres. Est autem hic sensus: Tu ex laudatissimarum mulierum laudatissima. Nam in veteri testamēto fuere quamplurimæ hoc titulo donatæ, vt illa Iabel vxor Haber Cinæi? Abigail, cuius eloquium prædicatur benedictum: Iudith super omnes mulieres terræ totius benedicta laudatur: ne nouum videatur, si maiores nostri Elisabeth verba sint in hanc sententiā interpretati. Nam Diuus Iacobus in sua liturgia, ait diuinam Virgnem non solùm esse τιμιωτέραν τῶν χερουβίμ, id est, pretiosiorem quàm cherubim: verumetiam καὶ ἐνδοξοτέραν τῶν σεραφίμ, id est, gloriosiorem seraphim, ac proinde non simpliciter appellat benedi-

*Prou. 31. Eccl. 26.*

*Rut. 1 1 Reg. 15. Iudic. 6.*

*Iudith 4 1. Reg. 25 Iudit. 13.*

dam

ctam (tametsi & hoc etiam interdū vsurpet) sed cum augmento ὑπερευλογημένην, id est, superbenedictam: vnde constat verum esse maiorum nostrorum commentarium. Nolo tamen dissimulare benedictum Hebræis penè eundem esse, qui est laudabilis: nisi quòd ברוך baroue, siue syrum huius loci ברכא bericath paulò maiorem habent energiam. Nā laudatus dicitur Latinis laude dignus: etiāsi maligna fama, & ingratæ laudes virtuti non respondeant: interdum quoque laudibus ornatum significat, siue ob virtutem, siue ob quidquis aliud, vt sæpe laudantur indigni. Hebræi autem nullum ברוך appellant, cui desit virtus laudis meritum, vel cuius virtus præmio suo careat. Ergo iuxta hebraicam proprietatem, primùm hæc virgo dicitur omni virtute prædita: deinde suis virtutibus dignā adsecuta laudationem. Et certè ad nostram ætatem vsque fuit ab vniuersis non tantum benedicta: verùm etiam ὑπερδουλείᾳ veneratione summo habita in pretio: vtcunque nūc quidam, post Antidicomariamitas, malè sani oblatrent. *Et Benedictus fructus ventris tui.* Iam istud est explicatum: nisi quod non est hìc laudum sola causa virtus: sed omnis plenitudo diuinitatis, non tantùm dulia: vel excellentiore honore: sed etiam latria (quam nefas vlli deferre creaturæ) venerando. Est autem mirè dictum: *fructus ventris tui:* cū proles, natùsue dici potuisset. Et quidem tota schola Hebræorum dictura est Hebraicæ consuetudinis esse, vt sic vocentur liberi. Fateor: interim tamē intrepidè dicam cum D. Ambrosio, in veteri testamēto, vel nulli, vel huius fructus typo, & merito delatam esse hanc nomenclationem. Nam plurima typis tribuunt scripturæ, conueniant antipis: vt ex empli causa, vocatur Heua mater viuentium: cùm tamen (si audiamus Epiphanium in Antidicomar.) Fuerit potius mortis, & morientium genitrix. Sed hoc illi datum est, quia gerebat typum huius nostræ virginis, quæ omnium vitam genuit. Dicta est rursus illi adiutorium simile viro: quod nomen tātùm abest, vt illi conueniat: vt viro fuerit in laqueum: ratione tamen eius, quæ præfigurabatur, virginis, ita vocata est. Ad eundē modum neque fructus est, præter Christum, illiusque typicos, nomine dictus quisquam. Huius autem nominis causa duplex reddi potest. Fructus enim nonnunquam meritum, & præmium significat, vt ibi: *Quòdsi viuere in carne hic mihi fructus operis est*, id est, merces vt nostis beatissimā virginem sua præ omnibus innocentia promeruisse: vt in tantū culmen honoris subueheretur. Altera est generationis purissimæ summa nobilitas, & integritas, qua sanctissima Virgo filium sic protulit: certa fide semper creditum sit nihil, quod secundùm naturam alijs sit, passam fuisse: nil sordidum, nihil triste, nullum vitium expertam. Hanc autem nostræ virginis prorogatiuam visum est Spiritui sancto explicare ducta metaphora ab arboribus: in quibus, cum folia, flores, fructusque panduntur, vt sunt mundissima, dignaque miraculo omnia: sic in conceptione, fœtu, partu, nutriatione Filij Dei nihil non admirabile, purum, castūque fuit. Ne igitur Naxoræi, & Ebionæi dicerent ex Iosepho concepisse: dicta est genuisse, non filium: sed fructum, qui est super omnia benedictus. His erogij gratia subiungimus nomē Seruatoris, & clausulam *amen*, de quibus aliàs sæpè. Cæterùm, qui a nonnulli solent addere. *Sancta Maria ora pro nobis*: non silentio prætereundum. Hæc autem forma precationis videtur non vsque adeò veteribus cognita: sed addita ab hominibus pijs, & doctis: vt orationis forma esset clarior. Certè Græci hanc formulam non habent. Si cui autem libeat quiddam coronidis vice huic orationi subtexere. D. Iacobus in sua liturgia subministrat longè commodiorem, quæ huius totius orationis ætiologiam continet, eaque est huiusmodi ὅτι σωτῆρα κατέστης τῶν ψυχῶν ἡμῶν, id est, quia tu peperisti, *Seruatorem animarum nostrarum*, quasi diceretur: propterea te salutamus: quia tu ediderisseruatorem animarum nostrarum. Iam si præter notissimum vsum reducendi in memoriam summa genitricis Dei priuilegia, insignemq; dignitatem, ob quam sic ab Angelo principe fuit salutata, requiratur alius: vtimur hac formula pro legitima oratione, & hymno: quib⁹ aliquas ēper includitur petitio.

# B. ANGELA DE FVLGINO.

## NOTA.

*VEnerabilis, & gloriosa B. Angela de Fulgino, in sanctitate illustris, virtutibus celebris, in diuinis reuelationibus singularis, ex instituto S. P. N. Franciſci*

de

*decessit è vita anno à virgineo partu MCCCIX. pridie nonas Ianuarij, de hac sanctissima fœmina plura extant apud Arturum à Monasterio in Marti. Fran. Eius reuelationes Spiritu sancto dicante ab ipsa conscriptas, iussu Reu. DD. Francisci Ximenez de Zisneros, S. R. E. C. vnà cum S. Melchiadis, primo excusæ fuerunt Toleti anno 1505. in 4. deinde seorsim prodierunt Coloniæ, apud Ioannem Gimnicum: anno 1601. ex quibus duæ sequentes visiones, quæ ad Virginem Dei Matrem MARIAM expectant, hic transcribere duximus.*

## QVADRAGESIMVM QVARTVM. QVALITER hæc sancta eleuata in spiritu vidit gloriosam Virginem Dominam nostram pro humano genere deprecantem.

ELeuata fuit quadam vice, & non in oratione tunc, sed posueram me ad pausandum, quia erat post comestionem. Vnde nec de hoc cogitabam, sed subitò eleuata est anima mea, & videbam beatam Virginem in gloria, & intelligens vnam mulierem positam in tanta nobilitate, & gloria, & dignitate sicut stabat, delectabar miro modo, nam videre ipsam erat ineffabilis lætia. Stabat enim B. Virgo MARIA rogans pro humano genere, & videbam eum tanta aptitudine humanitatis & virtute, quôd erat inenarrabile. Vnde & ego ineffabiliter delectabar. Et dum ego ita aspicerem ad prædicta, subitò apparuit ibi IESVS Christus, sedens iuxta eam in humanitate glorificata. Et intelligens carnem illam, quomodo fuit pœnata, & opprobriata, & crucifixa, & intelligens omnes pœnas, iniurias, & despectus, & ignominias, quas pro nobis sustinuerat, quas etiã tunc mirabiliter intelligebam: tunc nullo modo dolebam de eis, immò erat nihil delectatio tanta quod narrari nõ potest, & ego perdidi loquelam, & putabam mori. Et erat mihi pœna supermaxima, quia non moriebar, & quia non perueniebam statim ad illud inenarrabile quod videbam. Et durauit mihi ista visio per tres dies continuè, & non impediebar à comestione, quæ erat multùm pauca, cõtinuè enim corpore languido iacebam, & nihil loquebar, non impediebar etiam ab aliqua alia re, quando autem nominabatur mihi Deus, non poteram sustinere pro immensa delectatione.

A nit cum Filio in templum. Et hæc audiuit anima mea cũ magno amore, & tunc fuit anima mea eleuata, & vidi Dominam nostram intrantem in illa hora, & obuiauit sibi anima mea cum magna reuerentia & amore. Et cùm aliquantulum vererer accedere ad eam, ipsa Domina nostra dedit animæ magnam securitatem, & extendit versus me Filium suum IESVM, & dixit: O dilectrix Filij mei accipe, tradiditque brachijs meis Filium suũ, & videbatur habere oculos clausos, quasi dormiret, & erat pannis inuolutus, siue fasciatus.

B Ipsa autem Domina nostra quasi ab itinere fatigata sedit, & faciebat tam pulchros & delectabiles gestus, & ita honestos, & gratos mores ostendebat, & erat ita dulce, & delectabile videre ipsam, quôd anima mea non solùm poterat respicere puerum IESVM, quem sic astrictum tenebam inter brachia, sed etiã cogebatur respicere ad Dominam nostrã. Dum igitur sic starem, subitò puer remansit in brachijs totus nudus, & aperuit, atque leuauit oculos, & respexit, & statim in aspectu illorũ

C oculorum sensi, & habui tantum amorẽ, quod vicit me omnino. Exiuit enim de illis oculis tantus explendor, & ignis amoris, & lætitiæ, quod est mihi indicibile. Et tunc subitò apparuit vna immensa maiestas ineffabilis, & dixit mihi. Qui non viderit me paruum, nõ videbit me magnum, & addidit: Ego veni ad te, & obtuli me tibi, vt tu te offeras mihi. Et tunc anima mea modo mirabili, & indecibili obtulit semetipsam ei: demùm obtuli me totam, & filios meos sequentes perfectè, & totaliter obtuli, nihil mihi, nec de se, nec de suis reseruãdo. Et intellexit anima mea, quòd

D Deus illam oblationem multum acceptabat, & cum magna alacritate recipiebat.

De alacritate verò & lætitia ineffabili, & delectatione, & dulcedine indecibili, quàm habui intendendum, quod Deus cum tanta benignitate meam oblationẽ recipiebat, nihil possum dicere, quia est mihi impossibile manifestare. Altera vice vidi B. Virginem me ad cognitionem exhortantem, & benedicentem, & mihi dolorem suæ compassionis quam habuit de Filio suo dicentem.

*Quadragesimum quintum capitulum. Qualiter iterum vidit Virginem D. N. Christum in templo offerentem. Et quomodo huic sanctæ fuit Christus positus in brachijs, fuitque ei dictum, quoniam ex quo Dominus seipsum offerebat; quod ipsa etiam offerret.*

IN purificatione B. Virginis dum essem manè in Ecclesia Fratrum Minorum de Fulgino, facta est mihi loquutio dicens: Hæc est hora, in qua Domina Virgo MARIA ve-

# F. ANGELVS DEL PAS.

## NOTA.

*DEi seruus doctissimus Theologus, eximius Concionator, ac sanctus Pater Fr. Angelus del Pas, vel à Passu, vel, vt alijs placet, de Pace, ex illustribus parentibus anno MD. XL. natus Catalanus, & Perpinianensis natione, Frater Minor, & filius Seraphici Patris Nostri Francisci factus, simul virtuti, ac pietati, studijs, & perfectioni ita operam dedit, vt omnibus in vtroque cunctarum cerneretur, putaretur què specimen litterarum, & virtutum. Secessit è vita die vigesima tertia Augusti, anno à Virgineo partu MDXCVI Romæ, & sepultus in magnifico tumulo marmoreo apud Sanctum Petrum in Monte Aureo, vbi nunc vsque crebris coruscat miraculis, & pro illius Canonizatione processus fit authoritate Apostolica. Plura scripsit, quæ Summus Pontifex Clemens Octauus expeditis litteris in forma speciali approbauit, datis die 24. Septembris anno MDXCIIII. sui Pontificatus anno III. Incipiūtquè. Sicut accepimus Dilectus filius Angelus del Pas, &c. quæ magna est famæ, doctrinæ, & sanctitatis viri cōmendatio. Reliqua, hoc est, vita, gesta, miracula, & opuscula recens à Fratribus Bonifacio Bonibelli, Luca Vuadingo in præfatione ad S. Euangelistam Marcū, Arturo à Monasterio in Martyr. Francisc fol. 363. & ab alijs quàm plurimis ab hoc Doctore citatis, vbi etiam agit de summo affectu, ac deuotione, qua Angelus iste nomine, & Angelicus re, Angelorum, & hominum Reginam Sacratissimam Deiparam Virginem MARIAM honorabat, & diligebat. Ex vngue Leonem cognosces optimus Lector, si hanc, quam in Virginis laudem, reuerentiam, & gloriam super Missus est, & Magnificat eruditam damus ab eo concinnatam expositionem attentè, beneuolèque perlegeris.*

## CAPVT XXIII.

**In mense autem sexto Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.**

POstquam igitur quē Deus Præcursorē Christi elegerat, cōceptus fuit, & quinque mensium, *in mense sexto* statuit idem omnipotēs Christi incarnationē perficere. Propterea in huiusce rei profūdo negotio *Missus est* legatus *Angelus* ille *Gabriel* de summo cœlorum, nec quidē ab alio, quā *à Deo*, qui illū *in ciuitatē Galilææ* electissimā *cui* est *nomē* antiquū *Nazareth* destinauit.

*In mense autem sexto*, 25. Martij, vt habent omniū Martyrologia, & Monologia, necnon Patres, tam Græci, quā Latini, qui aliquid de huiusmodi diei solemnitate scripserunt, vt Andreas Hierosolimitan, Abbas; Ioannes Damascenus, Chrysostomus, Augustinus, Micrologus; Rodulphus & innumeri alij, iuxta Romanū Ritū, hac die, & mense Annuntiationem Angeli ad

MARIAM celebrant. Licèt olim, vt ex Concil. Laodicensi, capit. 51. & Tolet. 10. cap. 1. decimo quinto Kalendarum Ianuarij ageretur ob maiorem diei solemnitatẽ, quæ extra Quadragesimã poterat exhiberi. Qua ratione etiam modò, cùm incidit in hebdomada sancta, transfertur ad hebdomadam secundam Paschæ. Verùm antiquus mos fuit eadem qua incidit die peragi, iuxta Aug. lib. 4. de Trin. cap. 5. sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas, octauo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus. In quo etiam mense, subdit S. Bonauen. & horno, & mundus fuerat conditus, nec non die, vt Athanas. in q. ad Antiochum Principem, q. 17. annotat. Et hæc est nostrorum communior opinio, ait Genebrardus in sua Chronologia. Contra Hebræi, inquit, à nouilunio Septembris annum ordiuntur, existimantque eo mense annum fuisse conditum, sequuti sententiam R. Eleazaris, qui id contra R. Iosiam defendit. In sexto itaque homo legitur conditus, & prolapsus reparatur; hodie enim, inquit Andreas Archiepiscopus Cretæ in Annuntia. gloriæ Pater genus humanum commiseratus, naturam in Adam corruptam benignis oculis intuetur. Ideò, subdit inferiùs, magnus inter Reges, ac diuinus Pater Dauid. Misericordia, inquit, & veritas obuiarunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt. Quandoquidẽ deserta in vbertatem versa sunt, & qui in hac vasta solitudine moriebãtur, surrexere. Et terra quæ spinas, & tribulos mortis germinabat, dedit fructũ suũ sublimẽ, vt nõ sit qui sequentiũ, siue vaccarum, hoc est, Dæmonum, siue spicarum, hoc est, peccatorum tenuitatem extimeat, tam abundanti fructu, qui hoc sexto tempore, ætate, anno, die, ac mense, cibat ad vitam æternam, quæ non perit. Is ergo principium mensium, qui mentas omnium replet, & mentes, vt neque curiosis desit ad contemplandum, dum pincernam in gradũ pristinum cernunt restitui, imò verò ad honorem Regis subleuari, vt vno se tantùm solio præcedant, alioqui homo Deus, & Deus homo dicatur, neque item auidi oppetant rufam potionem, aut lacteam, quæ vel priuant vita, vel primogenituram tollunt, cùm rorem de cœlo lapsum in similitudinem coriandri, hoc est, Dei Verbum, in similitudinem hominum factum, penes se habeant, vel vt instar Prophetæ dicam. In conspectu habeant mensam aduersus omnes appetitus, qui tribulant nos. Felix tempus, in quo Deus ostendit se nobis, & constituit in quo recordaretur nostri, alleuiaret terram Zabulõ, eiusque tempore, & omniã festa quæ fuerunt amantium cessare, ex hominibus facit, quia tempus beneplaciti Deus, dies sanctificatus illuxit nobis, & mensis ex mense, & Sabbatum, ex Sabbato, hoc est, spiritualia, & vera pro ijs quæ tantùm apparent, & sæpius nugantur, iam nunc proponuntur omnibus. Etenim non iam videtur Deus in sexta die requiescere, sed verè requieuit ab omni opere suo quod patrarat; siquidem hominem, quem tunc formarat, assumit, & assumptum retinet, sequitur, cũ assumpto communicat. Quid vltra, ò creatura mundi potuit facere Deus, & non fecit? Tene vtraque manu, nec dimittas si spõsa es; si enim in tempore tenueris, in æternitate frueris, & si in sexta complexus fueris, non perdes in septima, quæ requiem promittit; quodque in mense vitæ mortalis summum duxeris lucrum tenere, citò in annos æternos, tibi gloriam, & honorẽ fore.

*Missus est.* Cur ad recreationem hominis *Missus* sit Angelus, minimè verò ad creationem, libenter audirem aliquem, qui edoceret; erant quidem Angeli præconditi, vt August. & alij docent. Persuadebat sic fore corporis formatio, quæ ex limo terræ, vt reliqua materialia, ministerio alicuius creaturæ videbatur posse, & debere fieri. His si Hebræorum fabulas admittamus, facilè respondemus, videlicet vtrimque Angelos cõcurrisse, vt fugiant enim Trinitatis indicium, & clarum testimonium, faciamus hominem ad imaginem, &c. Dei cum Angelis colloquium interpretantur, in quod nostri textus, & ratio detestantur, neque enim Angelorũ consilio vti poterat omniscius, neque decebat ministerio alicuius vti omnipotentem ad opus alioqui summum, in quo statuebat requiescere, hoc est, tandem in plenitudine temporis habitare, & reponere thesauros sapientiæ, & scientiæ suæ, ac maiestatis gloriam concludere; Ne quod de Idolis Idololatræ, id Angeli de homine, quũ superiorem cernerent, dicere possent: Manus meæ fecerunt. Ergo cur modo mittitur, an non, præstat hoc mysterium omni alio. Mittitur, sed nihil ad opus; Spiritus enim sanctus superueniens, ipse facit omnia quæ ad corporis formationem spectant. Mittitur in primis, vt legatione eius, mysterium celebretur, vt Andreas Hierosolymit. serm. in salut. Angeli, ex consimilibus Angelorum factis, Genes. 18. Iud. 16. persuadet. Secundò, vt fieret reparatio hominis, quo ceciderat modo, videlicet Angelo intermedio. Homo, inquit S. Bonau. lapsus est per suggestionem Angeli mali, sic reparat per ministerium boni. Nuncius impij, ait, in malũ; legatus fidelis, sanitas. Tertiò, vt mysterium à seculis absconditum, per eos qui propinquiores erãt, inciperet innotescere, tã hominibus, quã Angelis tamẽsi plena per Christũ, & Apostolos facta postmo-

*Psal.* 84.
*Isai.* 5.
*Num.* 14
*Genes.* 3.
*Psal.* 84.
*Genes.* 40
*Genes.* 15
*Exod.* 16.
*Iere.* 14.
*Psal.* 142
*Iob.* 14.
*Isai* 9.
*Osea* 2.
*Ezech.* 16
*Psal.* 68.
*Genes.* 2.
*Gene.* 18.
*Iud.* 16.

modum, ad omnes peruenerit, neque enim, aut Iulius Firmicus, de Prophanorũ error. cap. 25. scire potuerunt, quando verbum Dei descendit ad terram: ideò, & ipsi sollicita interrogatione respondent. Quis est
*Psal. 23.* iste Rex Gloriæ? Quibus quærentibus perspicua Christus numinis sui maiestate, respondit: Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Quartò, vt fructus incarnationis, vt hominibus, ita & Angelis esse communes indè constaret, itaut Redemptorem, secundùm Scotum in 3. Angelorum, & hominum Christum acclamemus. Illi enim vicerunt in sanguine Agni, hi au-
*Apoc. 12.* tem eodem dealbauerunt stolas suas. Vel
*Apoc. 7.* vt inquit Bernard. serm. 1. super Salue Regina, quòd Angeli confirmati, homines reparati fuerint; seu potius, vt Idiota De Virgine Maria contemplatio. cap. 4. quòd Angelos instaurauerit, homines autem reparauerit. Quintò, annuntiare mysterium, quod omnes Prophetæ prædixerant, & vt Bernard. serm. 2. in cantic. ostendit, quòd in antiquorum symbolis fuerat præmonstratum, vt Cyril. Alexand. ep. ad Anastasium, Alexandrum, ac reliquos Monachos scribit tom. 2. acto. Concil. Ephesini. Et quòd, vt prosequitur Hilarius lib. 11. de Trinitat. confessione omnium magnum est pietatis Sacramentum, quòd manifestatum est in carne, vtuificatum est in spiritu, visum est Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in claritate. Angelus mittitur, vt quemadmodum Patres propter ea, quæ de Christo in acceptis symbolis per manum mediatoris Angeli, & apparitionum frequentem honorem Angelis detulerunt, & nos qui veritate ipsis internuntijs fruimur curemus, vt & facit Ecclesia in festis eorum maiori quàm priores reuerentia, & deuotione sanctos Angelos prosequi. Et denique, vt sciamus nihil, nisi Angelicum hoc in mysterio agi. Qui fit caro, est magni consilij Angelus; quæ carnem administrat, est Domina Angelorum; & qui per Verbum carnem factum
*Ioan. 1.* redimuntur ex templo in ipso incarnatio-
*Marc. 12* nis momento, erunt sicut Angeli Dei. De-
*Eph. 4.* nique, vt inquit Athanas. lib. de incarnation. Christi, nihil peccato obnoxium fuit in incarnatione Christi, sed clarum omne ac splendens. Indè enim est, subdit, quod docemur exuere veterem hominem, & induere nouum.

*Angelus.* Quid hac voce significetur dictum est, & vulgatum: cur tamen hoc in loco exprimatur, aduertamus; eò videlicet, vt inferiorem homine iam deinceps Angelum credamus: tantò enim Angelis homo
*Heb 1.* melior effectus est modo, quantò differen-
*Psal. 2.* tius præ illis nomen hæreditauit, cui enim

A dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? Id autem mox effectum vniuersi credimus. Subinde Cyril. lib. de recta in Christum fide ad Reginas. Vox hæc, *Angelus*, ministerij notionem præfefert, seruilemque conditionem insinuat: at verò filius eum denotat, qui subsistentem ex patre substantiam, naturamque habet. Vna autem subsistentia, quæ est hypostasis, subsistere Dei, & hominis naturam in vno Christo, Athanas. lib. de Incarnat. Christi, & fides persuadet, non duos, sed vnum Christum ab vnitate subsistentis hypostasis Verbi proponit, & credit, itaut, scribit Hilar. lib. 1. de Trinit. per dignationem assumptæ carnis non inops suorum, B quia tanquam vnigenitus plenus gratiæ, & veritatis, & in suis perfectus sit, & verus in *Ioan. 1.* nostris, contra Hæreticos, qui Christum Dei filium negant, vt Sabellius, & alij, qui falsa de Christi humanitate commentant, & mentiuntur.

*Gabriel.* Huius quoque interpretationem præmisimus, rationem hic appositi nominis perquiramus. Etenim *Gabriel*, secundum Bernard. hom. 1. super Missus est, non de minoribus est, sed vel de ordine Archãgelorum, vt S. Thom. sensit, vel secundum Scotum, vnus de Seraphin, qui ardentes interpretantur. Incarnatio autem Verbi est C mysteriorum gratiæ, & primum, & potissimum, quod præ excellentia eius dicebat olim Vates, Cùm narrabitur, nõ credetur; *Habac. 1.* sitque maxima vnionum post illam, quæ in Sanctissima Trinitate reperitur, vt persuadet S. Thom. 3. parr. q. 2. art. 3. & ante eum Bernard. lib. 5. de consid. & ante vtrosque Aug. 10. de Trin. cap. 10. Ergo à *Gabriele*, qui de sublimibus est, optimè annuntiatur, qui & ratione Angelicæ naturæ magis ad vnitatem accedit, quàm homo, siue sub vna specie vnumquemque ponas cum S. Thom. siuè plures cum Scoto. Fit quoque *Gabrielis* mẽtio, vt hoc esse mysteriũ, quod aliquã do per eundem, Danieli reuelatum est sub symbolo, impletamque hebdomadarũ prophetiam, aduertamus, inquit Seraphicus D Doctor Bonauent. in Luc. *Gabrielis* deniq; nomen exprimitur, sicut, & aliquando Michaelis, Raphaelis, Seraphini, & aliorum, vt cœlestium ciuium pensatis nominibus spiremus ad eorum gloriã, quæ hisce indicatur, Vndè scribit Bernard. ad Monachos Flauiacenses ep. 68. quando ex solo auditu vocabulorum etiam de ipsorũ beatorum spirituum cognitione iam beatus sum; non mediocriter, subdit profeci; quia didici ab Apostolo, Paradisum, & tertium cœlum nominare, si etiã non raptus cum Apostolo solis ex no- *2. Cor. 12.* minibus secreta cœlestia iã noui, & audiui ineffabilia verba, quę nõ licet homini loqui

*A Deo.* Scilicet, Missus est Angelus Gabriel, quia, inquit Bernar. Ho. 1. super Missus est, non ab alio aliquo fortè excellentiore se (vt assolet) Spiritu, sed *ab ipso Deo* mitti perhibetur. Vel ideò dictũ est, *A Deo* ne cui, vel beatorum spirituum, suum Deus ante quàm Virgini reuelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui vtique inter suos tantæ potuerit inueniri excellentiæ, vt tali & dignus nomine haberetur, & nuncio; nec discordat nomen à nuncio, Dei quippè virtutem Christum, quem melius nuncupare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quàm virtus? *A Deo* quoque dicitur, quòd sola Dei gratia, nullorum meritis præcedentibus, diuinum
*Ioan.* 3. hoc mysterium nobis communicatum fuerit. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Et hoc non
*Tit.* 3. *Ephes.* 3. ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam; vndè Paulus. Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, misit Deus filium suum; non enim Christus per meritum bonæ voluntatis, ait S. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 11. obtinuit esse filius Dei, sicut posuit Photinus; neque etiam opera alterius cuiuscumque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno, tùm quòd ipsa sit principium gra
*Ioan.* 1. tiæ, secũdùm illud. Ioan. 1. Gratia, & veritas per IESVM Christum facta est: tum quòd sit transcendens præmium, quòd per meritum possit acquiri, vtpotè vnionem beatificam, licet hoc nõ sit apud omnes certum, vtpotè Durand. in 3. dist. 5. q. 3. & Scotum, distin. 6. q. 1. Ille quidem plures alias vniones præfert hypostaticæ; hic verò quantum ad operationem postponit vnionem hypostaticam beatificæ. Ex congruo tamen, subdit idem Thom. meruerunt Sancti Patres Incarnationem desiderando, & petendo; congruũ enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant; tùm maximè Vrrgo dicitur meruisse portare Dominum omnium; non quod meruit ipsum incarnari (licet oppositum dicant Gabr. & Almayn. in 3. dist. 4. quæst. 1.) sed quia meruit ex gratia sibi data, illum puritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei. Prosequitur ista pariter Aug. lib. de prꝺ. sanctorum, cap. 15. lib. de bono perseuer. cap. vlt. tract. in Ioann 105. & in Enchir. cap. 40. nec non S. Thom. idem lib. 4. contra gentes cap. 28. *A Deo* etiam missus dicitur Angelus tempore Incarnationis
*Genes.* 13. Verbi, quando non vltra licet illi dicere.
*Genes.* 35. Ego protector tuus, & merces tua magna
*Genes.* 46. nimis. Ego Deus Omnipotens crescere te
*Exod.* 3. faciam. Ego sum fortissimus Deus patrum
*Luc.* 3. tuorum. Ego sum qui sum. Ego Dominus qui sanctifico vos, Et similia, quæ Deum præseferebant. Sed sum ab alio missus, à Deo legatus, non Deus, sed minister Dei, qui in carne venit. Itaque ante aduentum Christi sub eius typo dixit, Ego Deus, vt Cyril. Alexandrin. & alij Patres deponunt. Postquàm venit, omnes sunt administratores spiritus à Deo missi, vt vni Christo obsequantur, haud secus quàm Proconsules, & Proreges, qui absente Rege, vt Reges agunt, & loquuntur ad suos; ministros verò se proferunt cum Rex ad Regnum intrauerit. Denique *à Deo*, qui vnicus est, & solus, sed in personis trinus, Angelus mittitur ad opus incarnationis, vt illud totius Trinitatis concursu, & omnipotentia fieri aduertamus, quia opera Trinitatis, inquit Aug. 1. de Trinit. cap. 4. in princ. tom 3. ad extra sunt indiuisa, & Damas. lib. 1. Ortod. fidet cap. 13. Indè S. Thom. 3. part. q. 32. art. 1. ad. 1. opus cõceptionis, commune quidem est toti Trinitati, secundùm modum tamen aliquem attribuitur singulis personis: nam Patri attribuitur authoritas respectu personæ Filij, qui per huiusmodi conceptionem sibi assumpsit humanam naturam. Filio autem attribuitur ipsa carnis assumptio. Sed Spiritui Sancto attribuitur formatio corporis, quod assumitur à Filio. Itaque, vt paucis, fidem hãc proferam, Trinitas egit incarnationẽ, quæ in solo Verbo fuit terminata, ac si tres vestirẽt vnum, qui vestitus remaneret, duobus nihil illius vestitus habentibus. Adde, si placet, *à Deo*, qui non patitur secũ quenquam regnare, nec deificari, mitti Angelũ ad præclarũ hoc opus, vt illud totius Idololatriæ euersionem, & ruinam Idolorũ, atque profanorum cultũ, extirpationẽ esse, inde colligamus, vt Tertullianus, Theodoretus, atque alij aduersus gẽtes ex sacris oraculis demonstrant. Neque statuat demissio è Cœlo lapide, qui fit mons magnus replẽs omnia. Neq, durãt tabulæ primæ post primũ Moysis desensum. Et quidẽ Deus hoc primo in carnẽ aduẽtu, vt lapis deiecit cultũ Deorũ, & optimus legislator, priori mandato euacuato, ac quasi confracto, aliud instaurauit, & sanxit legem priore meliorem. Et quid vltra dicam *à Deo* missum Angelũ, nisi vt discrimen Dæmonũ, qui se ingerunt, & malorũ Præsulũ, qui non missi currunt, annotemus? Etenim bonus Angelus, siue ad prouincias, nationes, & vrbes, siue ad peculiaria negotia expectat mitti, similiter Præsul ad ea quę sũt Dei missus è vestigio ad opus properat; qui verò, nõ missus aggreditur opus, in susceptionẽ venit, sit ne bonus, an is, qui se 2. Cor. 11
in Angelum lucis transfigurat, nõ vt ædificet, sed destruat quod alij ædificauerunt, neque vt ascendens ad suggestum tabescere fa-

faciat cor Ægypti, & pẽdat peccatores de terra, sed vt abominationes desolationis introducat. Ergo si bonus es, expecta à Deo mitti, & noli te ipsum mittere.

*In Ciuitatem.* Non ad campum, vt is qui
*Iud.* 13. apparuit Manue, & Gedeoni; neque ad de-
*Iudic.* 6. sertum, vt is, quem vidit Moyses, neque ad
*Exod.* 3. aquas, vt alius qui luctabatur cum Iacob,
*Gene.* 32. nec ad exercitum, vt is qui castra præcede-
*Exod.* 14. bat, sed ad *Ciuitatem*, quæ est ciuũ vnio;
*Ioan.* 11. quoniam annuntiandus erat, & venturus,
*Cantic.* 1. qui dispersos Israel congregaret ad optimũ ritum, qui in brachio suo congregaret agnos ad vbera meliora vino, fragrantia vnguentis optimi, hoc est humiles ad fontes Saluatoris, qui denique congregaret populum sanctificatum, & de nouo creatum, hoc est, totam gentilitatem ad vnum tabernaculum restaurauit, hoc est, ad se; ad vnam ciuitatem, vtpotè Ecclesiam, quam erexit, & ad vnum Templum, videlicet sacrum cultum, quem instituit, propter quod dixit. Ego ve-
*Ioan.* 10. ni, vt vitam habeant, abundantius habeant.
*Ioan.* 15. Ego sum vitis, & vos palmites. Et, Ego
*Ioan.* 8, principium qui, & loquor vobis, vt verbo,
*Matt.* 8. scilicet, sanem omnia, scientia iustificem im-
*Isai.* 53. pium, & labijs pronunciem pacem his qui
*Isai.* 57. propè, & his qui longè. Ideo non ad cam-
*Genes.* 3. pum, qui spinas, & tribulos germinat; non ad desertum, qui feras nutrit, non ad aquas, quæ suffocant, neque ad castra, quæ Orbem vertunt in solitudinem, Angelus Missus est, neque Christus venit, hoc est, non venit, vt peccatis faueat, sed intermissum commi netur, non vt pacem cũ Dæmonibus teneat, sed in ore gladij disperdat; non vt delitias complectatur, sed destruat, neque venit vt castris sceleratorum auxilio præbeat, sed præcipiter in Inferni rudentes siquidem, hi bella volunt, Christus pacem ciuitatis, &
*Ioan.* 14. ciuium quærit. Pacem, inquit, meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Cùm igitur scribit Grogor. Nissen. ad Olympium Monachum, libr. de perf. Christiani forma hanc nobis è cœlo gratiam attulerit, operepretium est, vt priùs operis magnitudinem consideremus, quo meritas largitori Deo gratias habeamus, deinde tales in omni vita nos præstemus, quales requirit huiusce nominis excellẽtia. Neq; enim (subdit fr. Gregor. Basil. de constitut. monastic. ca. 2.) alia de causa ille corpus nostrũ gerit, vt quoad fieri possit, nos ad imitanda ipsius vitæ studia nos conformemus.

*Galilæa.* Seu גלילה, galila, à verbo גלל galal, quòd est, voluere, reuoluere, inuoluere, denoluere, vnde nomen גליל galil, id est, circulus; hinc que ait Pagninus Galilæam appellant, hoc est, rotam volubilem, seu volutabilem, exponit Benedictus, quo nomine Orbem totum, qui sphæricus est,

A & ad rotę similitudinem volubilis inuolẽs omni intra se significari persuademur, item que vniuersam creaturam incarnationis mysterio comprehendi, & nobilitari: nam in vniuersitate creaturarum (notat Pater Medina supra 3. part. S. Thomas, quęst. 1. art. 1. ad 6.) quatuor gradus entium reperiuntur. Primus est non habentium vitam, vt lapides. Secundus est, habentium vitam, sine sensu tamen, vt plantæ, & virgulta. Tertius est viuentium vitam sensitiuam, vt bruta. Quartus est, viuentium vita intellectuali, vt Angeli, & homines. Hi omnes gradus inueniuntur in homine, & ideò à Philosophis Microcosmus, id est, minor mundus, vel abbreuiatus mundus apellatur, & à
B D. Gregorio supra illud Marc. vltim. Prædicate Euangelium omni creaturæ, homo ipse nomine omnis creaturæ intelligitur, Volo dicere, quòd per hoc mysterium incarnationis Dominicæ omnium creaturarum gradus eleuantur. Et infra. Sed notandum, quòd in hoc mysterio Deus summo modo se communicat creaturæ intensiuè, non extensiuè: Etenim (paulò inferius) in hoc mirabili incarnationis sacramento Deus non secus se gessit, atque artifex, qui omnẽ suæ artis perfectionem in quadam pulcherrima imagine depingenda vult ostendere. Quapropter D. Paul. ad Col. 2. dicit de Christo, *Colos.* 2.
C quòd in eo sũt abscõditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Ad hæc citat. Aug. 13. de Trinit. c. 10. lib. 10. de ciuit. Dei, c. 29. lib. de prædest. sanctor. ca. 15. Aliud de situ *Galilææ*, ad quã Gabriel destinatur mysterium, proferamus. Tradunt (inquit Benedictus in nomin. Hebræo. interpretatio.) historici duplicem esse Galilæam, superiorem, scilicet, & inferiorem. Superior iuxta Tyrum Sydonem, & Cæsaream Philippi sita est, quà gentes attingit ad Aquilone: ista Galilæa gentium, Isai 9. Mar. 4. appellatur vel quia illic gentes, vsque ad Salomonis tẽpora habitarint, vel quòd Hiram Regi Ty- *Isai.* 9. *Matt.* 4. rorum ablata sit, 3. Regum 9. Hæc in Tri- 3. *Reg.* 9.
D bu Nephtali sita est inferior Galilæa circa Tiberiadem, & stagnum Genezareth in Tribu Zabulon posita est, de qua Matthæi 3. & 4. Habentur ista quoque a- *Matth.* 3 pud Oegisippum lib. 3. cap. 6. de Hierosolymorum excidio, & Iosephum libr. 3. de bello Iudai. capit. 2. Ad priorem Galilæam, quæ dicitur gentium, mittitur Angelus, vt gentium conuersionem per hominem Deum futuram insinuaret, quia & *Genes.* 49 ipse est expectatio gentium. In omnibus *Psal.* 66. gẽtibus salutare suum, vnde ad eum Pater. *Isai.* 49. Parum mihi es, vt suscites feces Israel, dedi *Luc.* 11. te in lucem gentium: nam super candelabrũ *Isai.* 26. posita candela accensa nõ cõmensales tantũ illuminat, sed omnibus, vt habet Euãgeliũ,

qui in domo sunt, lucet, & candelabrum lucens inter duo vela, sic erat dispositum, vt illustraretur suo splendore interius tabernaculum, & exterius, in quo situ erat, necnon qui extra velum habitabat vulgus lucem illius participabat: hanc ego contemplor Gentes, Iudæos, qui inter duo vela locum habebant, beatos, qui interius tabernaculum colunt: Omnibus quippè his Deus factus homo, lucet lux vera, lux mundi, & Agnus quem perspexit Ioannes lucernam, cœlestis Hierusalem ciues huius lumine
*Apoc.* 21. gloriæ illuminat, reliquos fide, & gratia, quæ nos ad lucem inaccessibilem trahunt, caligine peccatorum depulsa. Propterea namque ait Athanas. lib. 2. aduer. Hæret. facta est huiusmodi coniunctio (συναφεια) vt naturali Deitati coniungeretur naturalis homo, ac certa foret salus, & deificatio θεοποιησις ipsius, & vt mediam inter Deum, & hominem substantiam gerens, inquit Lactant. libr. 4. cap. 13. scilicet, Christus, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatē posset educere. Ista per Christum, & alia gentibus communicata, insinuat Angelum in Galilæam transmitti, vt & priùs annotauit S. Bonau. in Luc. Quibus libet adijcere, Galilæam quæ volubilis est, mundum designare, & hominem, qui numquam in eodem statu permanent, nisi cùm ad eos venit Christus, vt stabilis rota in medio volubilis, is enim clauum tenens dirigit hominem ad portum, & custodit cœtum, vt non declinet, neque ad sinistram errorum, neque ad dexteram vitiorū. Quo fit, vt Ecclesia persistat in suis traditionibus, & legibus, nec quicquam aduersus eam portæ inferi præualeant. Similiter iustus in omnibus itene-
*Matt.* 16 ribus suis prosperos faciat successus, & rectos calles percurrat, tanquam lignū, quod
*Psal.* 2. plantatum est secus decursus aquarum. Im-
*Isai* 48. pijs autem non est pax, & eorum Synagogæ, vtpotè Hæreticorum, Paganorum, &
*Isai.* 59. malorum conuentus proprietatem Galileæ semper retinent ad nouos errores, nouaque mala se continuò voluentes, quousque veniant tenebræ exteriores inopinatæ dum lucem expectant, & pacem.

*Cui nomen Nazareth. Nazareth*, inquit Benedict. est sanctificata, aut separata, vel coronata: si autem per ϰ tzade scribatur, interpretatur custodia, vel florida, vel virgultum. D. Viculus Galileæ, iuxta montē Thabor, in qua nutritus IESVS nosster. Mat
*Matt.* 2. thæi 2 Luc. 4. ædificata super montē. Quid
*Luc.* 4. ergo sibi velit eo Angelum pro incarnationis mysterio mitti, multa inde colligimus. Primum vinculi paruitas ostēdit Ecclesiā, qua ex gentilitate amplissima erat congreganda, fore paucorum, comparatione ad reliquos, qui non sunt ex nostris, velut Pagani, & Hæretici facta; nam etsi multi sint vocati, pauci censentur electi, nec ex ijs omnes *Matt.* 25
qui videntur, intrabunt in Regnum cęlorū, si quidem, & commensalis audiuit. Quomodo huc intrasti, nō habens vestem nuptialē? non omnes quæ dicebantur sponsæ receptæ sunt. Est igitur Ecclesia vrbs parua, quā pauper Christus liberat, quia homo natus est in *Psal.* 86.
ea, & ipse fundauit eam altissimus; propter *Isai* 26.
quod gens iusta custodiens veritatem, dicitur meritò ad eam intrare, etsi numero multiplicetur ex omnibus penè gentibus. Secūdò Galilæam interpretari virgultum, insinuat fundatorem huius Ecclesiæ, ac modū, vtique Christum, qui per sanguinē crucis, & humilitatem fundauit Ecclesiam in mōtibus sanctis. Ideò, inquit Isaias. Ascendet *Isai* 53
sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti; sicut virgultum, inquit, quod separatum ab omni planta, omnem sustinet in agro tempestatem, quia de gētibus dixit non est vir mecum. Et sicut radix, quia gratia, & meritum eius non pendet ab alio; est *Isai.* 63.
tamē de terra sitiente, quia plantatus, & vnitus diuinitati, quæ sitit & vult omnē hominem saluum fieri. Est mirabilis metapho
*1. Tim.* 2. ra, ait Adam in hunc locum, seu potius allegoria, qua humilitas nostri Redemptoris, & redemptionis modus designetur. Floridam dici Galilæam est signare, secundùm S. Bonauent. eum qui est nos campi, & lilium cōuallium ibi nasciturum, vel secundùm Ber. *Cant.* 2.
super Missus est, hoc tandem fructum illis qui sub flore figurarum degebant concedēdum fore. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum; *Psal.* 84.
qui est semen, quod reliquit Dominus, ne *Isai.* 1.
essemus, sicut Gomorra, quinimò vt Para- *Genes.* 2.
disus voluptatis, qui nō tantùm septuplum *Gene.* 41.
vt Ægyptus, sed centuplum, ac per singu- *Apoc.* 22.
los mēses largitur duodecim multiplicatos fructus. Adhuc per floridā Galilæam intelligito virtutum omnium odorem, præsertim virginitatis, & continentiæ, quæ dono Dei Ecclesia quam Christus fundauit in se- *Psal.* 77.
cula relucent, vt videatur nunc dici. Flo- *Cant.* 2.
res apparuerunt in terra nostra: Flores, inquam, qui parturiunt odorem Christo bonum; vitam æternam, & gaudium, quod nemo tollit. Quia ipsi, deponit Vates, videbunt gloriam Domini, & decorē Dei nostri. Hinc dicito, custoditam interpretari Galilæam, quod per eum, quem recepit Ecclesia Caput potentissimum omnium, & sapien- *Isai.* 30.
tissimum omnē obtinuerit munitionē, cu- *Luc.* 22.
stodiā, & armaturam, vt nec ipsa, nec suo- *Psal.* 118
rū quispiam offendi valeat; habet enim Do- *Isai.* 26.
ctores, qui numquam auolabunt; habet Pa- *2. Pa.* 32.
stores iuxta cor Dei; habet Vicarium pro *Iudit.* 13.
quo rogauit vt nō deficiat fides; habet Scriptu-

pturam, cuius sermo ignitus vehementer; & habet Castra, quæ superari non possunt. Paruula quidem est, sed muro & antemurali cingitur, Dei (inquam) & Angelorũ præsidijs, quibus Sennacherib abrogans, vtpotè Dæmon cum suis propulsatur. Et Holofernes temulentus, hoc est, Hæreticus decapitatur. Si Galilæam placet coronatam exponere, dicito eô vocari Ecclesiam, in qua oritur corona gloriæ, & diadema Regni Christus, quod omnes illius ciues duplici coronentur corona, Regis inquam, & Sacerdotis: quia qui mox annuntiatur, fecit nos Deo nostro Regnum, Reges, ac Sacerdotes; quia Sacerdotes nos ipsos offerimus spiritualem hostiam Deo, & rationabile sacrificium præmium essentiale speramus; accidẽtale autem, quia Reges, quorum est gladio vincere carnem in virginitate, in martyrio mundum, & in doctrina potestates tenebrarum, nec non de nobis ipsis cùm aliquid aduersùs spiritum agimus vindictam sumere in pœnitentia, & spirituali disciplina. Separata quoque dicitur Galilæa, quod tam is qui annuntiatur, quã eius tota familia nihil commune habeant cum inferno, qui omnino est tenebrosus; nihil cum mundo, qui est in maligno positus, & nihil cum reliquis gentibus, quæ dicunt Deo, recede à nobis. His enim tenebræ cõcreatæ sunt: illis autẽ Sol semper lucet, pax & omnis requies. Denique Galilæam interpretato sanctam, quòd sanctus sanctorũ qui sanctificat omnes in solio, videatur mox vel le sedere, vt illi acclament omnes tribus terræ. Sanctus, Sanctus, Sãctus, Dominus Deus Sabbaoth, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis, vt ab eo, & per eum vniuersi sanctificẽtur, qui inquit. Ego Deus qui sanctifico vos.

*Isai 62.* *Apoc. 5.* *1. Pet. 2.* *Iob. 10.* *Io. 5.* *Iob. 21.* *Isai. 6.* *Exod. 31*

## CAPVT XIV.

### *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis MARIA.*

NOn ad qualemcumque Missus est cœlestis ille paranymphus, sed *ad Virginem* fœminarum omnium splendorem, tũc *desponsatam* diuino nutu per Sacerdotes templi *viro*, quem Deus tàm insigni connubio præparauerat, *cuique nomen* haud vulgare *erat*, sed insigne, & in multis celebre, vtpotè *Ioseph*, qui *de domo* Regia *Dauid* originem suam trahebat, vt & Virgo desponsata: erat autem *nomen Virginis* identidem admirabile, & insigne, quippè qui *MARIA*, in antiquis venerandum, in hac autẽ prorsus admirabile, & gloriosum.

*Ad Virginem.* Hic enim status, & in matre, & in filio, & in opere, quod per incarnationem faciendum erat, requirebatur. Redemptionem quidem in quarta generatione futuram prædixit Deus: hæc autem est, quæ sequitur primam, quæ in Adam facta est de terra virgine absque Patre, & Matre. Secundam, quæ in Eua, de solo Patre consideratur. Et tertiam, quæ omnibus est cõmunis, de Patre, & Matre. Igitur quarta de sola Virgine Matre, priori quodammodo similis Redemptionis mysterio locum habuit, vt operi admirabile principium esset simile, & quod impertit Regnum cœlorum, Angelorum societatem, & Filios Dei efficit, à virginitate quæ clara est, & integra, vt cœlum, & astrum, nihil habens cum alijs commercij, vt Regnum illud, quod est omnium supremum; nec cogitat, nisi quæ Domini sunt, quomodo placeat, & ministret Deo, velut Angelus, & Filius de Patre benemeritus, initium sumeret. Nam & hi qui in Diluuio per lignum bitumine intrinsecus, & extrinsecus linitum saluati sunt, & qui ab Ægypti seruitute in libertatem venerũt, ac in nominis יהוה signo, ex quo integrantur omnia tempora, acceperunt, sed, & Moyses quo adaquauit populum, nisi in virga? & Sanson in quo defendit nisi in mola? & eundem in quo à timore exemit Deus nisi in lapide mundo? Vt enim horum facta Redemptionis plenæ fuere symbola, ita & instrumenta, quibus acta sunt, virginitatem, quæ redemptionem orbi peperit designabant. Virginitas enim, quæ hoc in mysterio æternitatem consiliauit redemptis, vt היה heihe secundùm Hæbreos, videtur omnia tempora vnire, est vt virga à cohærẽte separata, robustior mola, & limpidior lapide. Est (vt Ignatius scribit ad Ioan. seniorem, Epistol. 1. cœleste prodigium, & sacratissimum spectaculum. Quia nunquã (perorat Bern. serm. 3. in vigil. Nat. Do.) iuxta rerum ordinem virginitas, vbi fœcunditas prædicatur, nec vbi fœcunditas integrè conseruatur. Humano vsu, inquit, Leo serm. 2. Natiu. Dom. & consuetudine, quod credimus caret, sed diuina potestate subnixum est. Id quod facilè concedet, qui ex virgine prodentem crediderit Deum de Deo, lumen de lumine, cãdorem lucis æternæ, altissimum, & excelsum nomen eius, atque omnipotens, qui vt habitat lucem inaccessibilem, ita voluit in Virgine, quæ nihil haberet lubrici, neque corruptionis, vt in solio de lignis sethim Sedere; & inde factus ex carne eius homo, vt Sol & aurora consurgens immaculatus, omnino integra Matre exire. Sic quidem decebat Verbum, quod nihil à suo principio subtrahit, sed perficit, sic Dei Filium, qui honorificat Patrem, sic denique Redemptorem, qui salutem, vt rorem cœlum; qui vitam abun-

*2. Cor. 1.* *Genes. 7.* *Exod. 14.* *Iud. 15.* *Sap. 7.* *Exod. 35.* *Cant. 6.* *Ioan. 8.* *Genes. 1.*

dantem, vt fons irrigans terram, & qui Deum ipsum ijs qui errabant communicare venerat, ac Deos per imitationem efficere, integros, incorruptos, impollutos, & ex toto Virgines eos reddere, qui possent contenderent Dei domum portare, & in eo negotiari. A Matre autem inchoari debuisse mysterium profectò suadet ratio, quemadmodum Fulgent. lib. de fide ad pet. cap. 2. Tertul. de car. Christ. Ignat. ep. ad Heronem, ac reliqui Patres demonstrat. Quorum vnius Lactantij lib. 4. de vera sapient. testimonium proferam. Ipse, inquit, Pater Deus, & origo, & principium rerum, quoniam patentibus caret ἀπάτωρ, & ἀμήτωρ à Trismegisto verissimè nominatur, quòd ex nullo sit procreatus. Ideireo etiam filiũ bis nasci oportuit, vt ipse fieret ἀπάτως atque ἀμήτωρ In prima enim natiuitate spirituali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris à solo Deo Patre generatus est: in secunda verò carnali ἀπάτωρ quoniam sine Patris officio virginali vtero procreatus est, vt mediam inter Deum, & hominem substantiam gereret. Vel vt annotat Ambros. Epist. 28. secundùm ordinem Melchisedech sit Sacerdos, cuius pater non reperitur in terris, neque in cœlis Mater. Iam quid deceat Matrem hoc in mysterio reperiri Virginem, paucis explicemus. Virgo erat, quæ delictum protulit, ergo, & in Virgine medetur congruenter homini; Peregrinam impressionem non suscipit cœlum quod est Deo sedes, & illa admitteret corruptionem, quæ Filio Dei communicat corpus? Gloriantur Angeli de virginitate, quid? etiam herbæ, & plantæ campi, quia secundùm Abrutallum Philosophum, flos in terra est sine Patre, in cœlo tantùm habens solem Patrem, & quod dignum est & excellens negabimus ei, quæ super Angelos sedet, & est viuentiũ Mater? Maris stella est, vt inquit Beda, Hom. Annunt. & Giselbertus. De altercatione Synagogæ, & Ecclesiæ. Quòd vniuersos fœminarum genere in partu periclitante ipsa sola scintillat semper virginitatem. Alioqui amictum quem sibi Ioann. secundùm August. lib. de symb. ad Cathec. ca. 1. & Bernard. serm. Signum magnum tribuit, Sole, Luna, & Stellis perornatum, non haberet; Neque vt Fulgen. ait serm. de laud. MARIÆ, & Petr. Damian. serm. de Mar. natiu. maledictio quæ in fœminis regnat in ea velut benedicta inter mulieres cessasset, quod impium est, & voci Angeli, qui eam salutat benedictam contrarium. Est igitur tota pulchra in omni virtute, electa in virginitate. Perpetua, vt Sol, qui est orbi vniuersus æquè lucens: Pulchra in partu, vt Luna, quæ pluuiam in noui luminis susceptione diffundens integra permaneret, & terribilis, vt castrorum acies ordinata, quæ suis excellentijs, & amictu deaurato, hæriticorum oculos offundat; Angelos autem in admirationẽ rapiat, & in stuporem deuotos. Quia quis vnquam ista audiuit? quis vidit talia? exclamat Origen. Hom. 1. ex collectis in vnũ varijs, hactenus nemo mox credimus, quia faciet Dominus nouum super terram, quãdo Angelus ad Virginem mittitur. Virginem (vt deponit Bern. Hom. 2. super Missus est) carne, Virginem mente, Virginem professione, Virginem, qualem describit Apostolus, mente, & corpore sanctam; quia inquit Gregor. Nazianz. in carm. libidines auersor, vt nec verbulo. Audire pictura, nec fas aspicere. Spernendo siquidem hęc, Virginem animum possideo. Testem facio quẽ latere potest nihil. Nũquã vlla placuit, nec animum cepit venus. Talis itaque secundũ August. ser. 10. in Natali Domini eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantùm haberet meritum, vt Dei filium in semetipsam susciperet, & post partum omni modo Virgo permaneret. Denique ad Virginẽ mitti Angelum in qua compleretur mysterium Incarnationis, significat Ecclesiam deinceps Virginem, semper futuram, vt Aug. lib de Sancta Virginita. c. 6. & ser. 6. in Natal Domini. Isidor. lib. allegor. noui Testament. Gregor Papa in Psal. 4. Pœnitentialem, & Cypria. lib. de vnit. Ecclesiæ, ac reliqui deponunt, ita quod idolatriam semel abiuratam, & detestatam nunquam gentilitas coluerit, vt olim Prophetæ improperabãt Iudæis sub nomine fornicationis. In Virgine quoque mysterium nostræ redẽptionis impleri, & eò ad Virginẽm mitti Angelũ, notat, non solùm Angelos fore deinceps familiares Virginibus, & pudicis, sed & Deum habituros hospitem, & familiarem, qui Virginitati, & cõtinẽtiæ studerent; Hinc Paul. eam commendare, ac reliqui sancti non cessant laudibus extollere, & præferre viduitati, & coniugio, licèt, & ista suam promereantur laudem, & præmium, sed multò inferiora his quæ Virginitati, tũ in terris, tũ in cœlis concedunt oracula.

*Apoc. 12.*

*Cantic. 4*
*Cantic. 6*

*1. Cor. 7.*

*1. Cor. 7.*

*Despensatam.* Minimè nuptam, ait Abdias in vita Barthol. Apost. subinde Cyril. Hierosol. cathes. 12. MARIA Mater propter solam desponsationem vxor Ioseph vocabatur, vt prægnans, scilicet Virgo, secundùm Hilarium, & Theophilact. rectius omni suspitione liberaretur. Volunt itaque hi Patres, nec nõ Hieronymus, Gregorius, & Origenes, & refertur capit. inuenta. capit. genuit. capit. sic quippè 27. quæstio 2. inter MARIAM, & Ioseph ipõtalia tantùm interceßisse, non nuptias, propter quas verum matrimonium, verosque coniunges vocamus contrahentes. At Aug. lib. de

de nupt. & concupis. cap. 9. 11. quem omnis Schola Theologorum sequitur, non solum tribuit MARIÆ sponsalia, vndè vocatur desponsata, sed nuptias inter illã, & Ioseph, vndè coniuges dicti sunt, statuit. Præcedebat secundùm Anselm. in 1. cap. Mat. despõsatio nuptias per aliquod tempus. Illa quidem, ait Gerson, facta est Hierosolymis: nuptiarũ autem solemnitas, post redditum ab Elizabeth, quando de diuino conceptu certus est redditus Ioseph. Nihil tamen hoc derogare Virginitati MARIÆ, vt Hæretici, tàm veteres, quàm noui somniant, propter quos Patres priore, reformidabant vxorem à nuptijs dici, sed solùm à desponsatione, non tàm Aug. quàm alij plures persuadẽt quòd matrimonium non faciat copula, sed consensus; nec consensus quidem expressus ad copulam, nec tacitus, sed consensus ad indiuiduam cohabitationem, vt Chrys. super Mat. & habetur 27. q. 2. cap Matrimonium, & cap. sufficiat ibidem deponit Nicolaus. Esset enim Hæresis dicere, ait Pater Domicus Soto in 4. d. 26. q. 2. art. 3. quòd Beata MARIA, & Ioseph in proposito habuerint illam carnalem copulam, cùm priùs illud diuinæ voluntati commiserint, & postea voto continentiæ confirmauerint. Itaque ad desponsatam mittitur Angelus: sed cur non antequam desponsaretur? Fortasse ( inquit Ambros. lib. 2. in Luc. ) ne diceretur, quod conceperat ex adulterio. Et benè vtrunq. posuit Scriptura, vt & desponsata esset, & virgo. Virgo, vt expers virilis consortij videretur: desponsata, ne temeratæ Virginitatis adureretur infamia. Etiam subdit, vt Virginitas MARIÆ falleret Principem mundi, qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Priorem rationem Bern. Hom. 2. de Beata Virgine prosequ tur. Posteriorem, & alias adfert Hieron. lib. cont. Heluid. & in cap. 1. Mat. Basilium fortè hom. de human. Christ. generat. & Origen. homil 1. & 3. in diuer. secutus. Quibus libet duas superaddere; primò quidem ex desponsata Virgine spiritualis, & cœlestis Adam nasci voluit, vt nouam generationem, quæ spiritualium est hominum pèr eum qui tale haberet initium fore agnosceremus, à libidine carnis, à corruptione peccati; & Dæmonis impulsu alienam penitus, quodq. maius, & excellentius; fœcundiorem multò & clariorem illa, quæ multos habet filios, sicut nouellas oliuarũ. Secundò desponsata, & Virgo eligitur, & quæritur Christo, vt naturam assumptam in vnitate Verbi, etiã secundùm substantiam in anima, & corpore cæteris hominibus communem admittamus, secundùm status qualitatem, & conditionis ornatum, cunctis qui creari possunt hominibus excellentiorẽ esse, vt fides docet, ratio suadet, Patres deponunt, & Scholastici in 3. tum maximè S. Thom. 3. part. multis argumentorum generibus demonstrat Christum super omnes esse iuxta assumpti hominis qualitates. Cæterum, quia desponsatã legimus MARIAM, ætatem eius inquiramus. Ad hæc Cayetan. in Luc. ait. Certum est Beatam Virginem fuisse tunc ad minus annorum decem & nouem, & hoc si mulieris tertio senario annorum completur augmentum, sicut secundo senario pubescit. Et rationabile est, vt fuerit tunc annorũ viginti quatuor, vt perfecta etiam secundùm ossa mulier, perfecta Mater, perfectũ gigneret filium. Hæc Cayetan. fortè protulit, vt videretur oppugnare Lutherum, qui in postilla, circa explicationem Euangelij in festo Annunciationis MARIAM, vel tredecim, vel quatuordecim, vel quindecim fuisse annorum dixit. Atque vtinã sic omnia scripsisset, & credidisset: nam non illius hoc extitit adinuentũ, sed Ecclesiæ totius videtur opinio, videlicet quindecim annorum MARIAM natam Christum genuisse, id quod Euodius Episcopus Antiochensis, quem Ignatius Episc. ad Antiochen. commedat, apud Nicephor. lib 2. Eccles. Hist. cap. 3. deponit: & multis hoc idem tempus fuisse MARIÆ quãdo lucem mundo tulit, reuelatum legimus, vt Brigitæ, atque alijs, quos prætereo. Talis quippè ætas erat conueniens Matri, quæ peperit illum, qui canticum graduum, quod quindecim constatur Psalmis, & canticis spiritualibus in terris venerat introducere apud homines bonæ voluntatis, & illud idẽ perpetuò firmare in Cœlis; hoc est, qui venerat homines latificare, & pleno gaudio Beatos donare. Vndè Psaltes. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati, tunc repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione. Et quid nostra? An non etiam Angelorum? Nato quippè Christo cecinit multitudo Angelorũ. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

*Luc.* 2.

*Psal.* 25.

*Viro.* Vir dicitur, non solum à virtute naturæ, quæ inest homini ad opera sua complẽda secundùm naturam, sed etiam à virtute Dei, quàm infundit, vt perfectionẽ supernaturalem, ad quã nos vltimatè cõdidit, ac ingiter spiritus postulat, appetitque ratio, assequamur. Vnde apud Hebræos dicitur ‘ish, Qui (inquit Pagninus in Thes. ling. san.) auctoritate, dignitate, gloria & existimatione antecellit, & inter honoratiores cõnumeratur, vt Latinè vir. Ac propterea deduci volũt nonnulli ab ‘. quod sonat esse. Ac si ei qui viri nomen sortitur nihil deesse debeat quod ad naturam, & statum optimum faciat, vt de Ioseph nostro Christ. in breui narratio. Mat.

pro-

prosequitur, illũ in omnibus præclarũ dicẽs, qui supra legem saperet, & Prophetas continuò meditaretur. Quare, & iusti nomen apud Euangelistam promeruit; non imputatiua iustitia, vt volunt Centuriatores, sed formali, quæ cœlestem habitum, & qualitatem animo diuinitus impressam dicit, vt Euthym. in Mat. Bernard. hom. 1. & 2. de Beata Virgine, & ante omnes Origen. hom. 1. inter extraordinarias. Quin & virtutum studio Virginitatem perpetuã addidisse Hieron. aduer. Heluid. testatur, idque ex voto, sicut & MARIA, iuxta Gerson. in annotat. super. 1. cap. ad Gal. sicque. secundùm Chrysolog. ser. 175. conscientia sponsus esset, & vt inquit Greg. ho. 26. & 27. integerrimæ custos Virginitatis. Hinc Aug. sem. 15. de natiu. Domini ad eum: Habe Ioseph cum MARIA coniuge tua communem Virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit MARIA Sponsa Christi in carne sua Virginitate seruata; ûs autem & tu Pater Christi cura castitatis, & honorificentia Virginitatis, vt de Virgineis membris genitricis nulla sit Zelotypia. Denique, his virtutibus donum singulare adiectũ vult Gerson serm. de Natiuit Virg. MARIÆ, videlicet peccati originalis fomitem, aut extinctum, aut depressum in Ioseph fuisse; immò verò sanctificatum in vtero quidã volũt. Sed missis, quæ non omnes Catholici de peccato originali admittunt, illi iuxtà doctrinã Patrum & decentiam, quidquid virtutis, & sanctimoniæ Patriarchis, & Prophetis, sanctisque viris scripturæ tribuũt, iure optimo conuenire facilè possumus persuadere; nam non carnis seruãdæ curam habuit per lignũ, vt Noe, sed omnium animarum per MARIAM Deo plenam, quam custodiuit; Vn de non pater multarum gentium, vt Abrahã propter vnum Isac, sed vniuersarum propter vnum Christum, qui ex sibi desponsata ortus est. Nec Saluator Ægypti, vt Ioseph ille, neque. ductor Populi Israel vt Iosue, sed omnium populorum. Quid? dicam ne Dei? Dei quidem in carne, qui talem, ac tantum virum elegerat, vt in Ægypto puerũ & matrem eius saluaret ab homicida, & à semine nequam custodiret Nazareth. Mihi tẽpus deficeret potius, quàm scripto cõplerẽ quæ mens de iusto Ioseph cõcepit, & quisq; pius ampliora enucleabit, si nomẽ viri quod illi datur, cõtulerit cũ officijs, & priuilegijs, quibus voluit illustrari, vt sponsus (inquã) esset Matris, quæ peperit Deũ, & Pater vocaretur ab eo, qui se & omnia fecerat, sem perq. gubernat. Adde quo, subditus erat, illis. Incidit hic quæstio de ætate Ioseph quãdo cũ MARIA matre despõsationẽ celebrauit. Epipha. enim hære. 78. cõtra Antid. senẽ facit, & opinio Ecclesiæ, quæ admittit senem dipingi, & venerari. Alij contra inuenẽ, vt alibi diximus referunt, vt posset Virgini inseruire, & labores illos susc ipere, qui cum in artis exercitio, tum in fuga ad Ægyptum, & reditu sunt consecuti. Alia item hic quæstio tractari posset. Si vir is fuit Ioseph, qui præ virtutis studio Virginitatẽ coleret ex voto, quomodo se nupciarum periculo exposuit? Diuinitus id tamen factum per Sacerdotes templi deponunt Patres, quos premisimus, necnon Gregor. Nyssen. Orat. in die Natiu. Domini, Simon Metaphras. in oratione de ortu, & educatio. Deiparæ. & alij.

*Cui nomen erat Ioseph.* Excellentiam tanti viri, tum nomine Ioseph, tum loquutione, *Cui nomen erat*, insinuatur, etenim loquendi modus, *Cui nomẽ erat*, vt alibi annotauimus, præclarè quid in nominato designat, videlicet eũ esse, qui dignus fuerit scribi, nomẽq; suum referri apud Deum, qui est, & erat, & erit ab æterno. Vnde dicere: *Cui nomẽ erat*, & non, *Cui nomen est*, interpretato, *Cui nomen erat* antequam esset, antequam videretur in carne, aut quippiam in proprio genere extaret, nec operaretur. Quoniam nomine æterno hæreditat Deus iustum, vt viuat à generatione in generationem, nec vsquam in æternum deleatur, velut impiorum, quod putrescit, quia non in libro vitæ scriptum, sed vel in nummismate, vt Cæsaris, mundanique Principis; vel in Ædificijs, vt Babilonis superbe, quæ cecidit: vel in terra, vt Hypocritæ, quem proijcit ventus à facie terræ! vel in carne, vt Holofernis, quem confundit casta Iudith: vel certè in armis, vt Senacherib, & omnis tyrannus, quem Angelus percutit; & omnis qui scriptus est in libro vitæ conculcat, conterit, & deducit, vt in Martyribus contemplamur, & in nostro Ioseph, qui Herodem armatum delusit, & Ægyptum quæ in Dijs suis tumultuabat placuit, deiectis Idolis per eum cultus custodiã, curamque gerebat; quique vsquam potuit offendi, quia inter electos nomen habuit æternum, quod est mirabile in vniuersa terra. Huius tamen nominis excellentiam, nomen Ioseph exponit; est enim Ioseph יוסף idem quod augmentum Domini, vel Domini profectus. Et quis nostro Ioseph magis profecit, & augmentum fecit in schola pietatis, vt non solum Angelos ad hospicium, velut Abraham, & Loth recipere meruerit, & audire, sed & Dominum facie ad faciem primus post Matrem videre, adorare, vagientem audire, & loquentem lingua altera? Hæc cine sunt inchoantis, an verò proficiẽtis? Profectò profecti, & augmentati in omni benedictione spirituali; clamat ille. Ostende faciem tuam, & audit: Posteriora mea videbis. Ioseph autem lætus ait: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.

*Genes. 7.* *Genes. 17* *Iosue 1.* *Matt. 2.* *Luc. 2.* *Apoc. 21.* *Matt. 12* *Apoc. 14.* *Matt. 6.* *Psalm. 1.* *Iudit. 12.* *2. Paral. 32.* *Apoc. 21.* *Matt. 2.* *Psal. 8.* *Gen. 18. & 19.* *Exod. 30.* *Gen. 32.* *Ester 4.*

Fami,

Familiaribus quidem, & ijs qui erant primi in palacio, ac secundi à Rege cõce debat hoc Assuerus, nec vlli facilè modo permittitur ex aulicis Regem clarè intueri. Ergo multũ profecit Ioseph, qui Regẽ Regum, & Dominum dominantium, cum voluit vidit, tractauit, illi ministrauit cibũ, & reliqua, quæ tempus postulauit. Hæc quidem glorificant Ioseph, non Moysem; excelsum reddunt eundem, non Aaron; etsi enim omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sint, & in diebus suis haberentur in laudibus Ioseph in omnibus gentibus prædicatur, Dilectus Deo & hominibus, quem elegit Deus ex omni carne, vt pasceretur inter lilia, inquit Rupertus Abbas in cap. 1. Matt. vt scilicet virgo virginem desponsaret, & Filium Dei ex Virgine natum Filium haberet, & contractaret delicijs affluens.

*De domo Dauid.* Vt legitima successione, inquit Cayet. filius Dauidis haberetur Iesus. Nam de semine Dauid, scribit Gaudẽt. Episcopus Brixi. tractat. 2. de Lect. Euang. nascitur Ioseph, cui desponsata virgo MARIA, eiusdem quippè tribus, quia aliter non licebat, genuit IESVM, qui dicitur Christus. Quare, notat S. Bonau. de domo Dauid, referri ad Virginem, & ad Ioseph, quia vterque fuit de semine Dauid, cui facta erat repromissio. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum de fructu ventris tui, ponam super sedem tuam. Valeat igitur Erasmus, qui in annotat. noui testamenti, dixit ad huc esse subdubio, an Ioseph & MARIA sint eiusdem Tribus; hoc quidem nullus Catholicorum addubitauit, sed Faustus Manicheus, quem Aug. lib. 23. cont. Faustum cap. 6. opugnat, & Iulianus Apostata, qui vnà cum Iudæis perfidis, vt scribit Ciril. con. Iulianum, inter probra Christianis obiecta, hoc vnum erat, IESVM non descendere de Tribu Iuda, sed Leui, quod Ioseph & MARIA non essent eiusdem Tribus, & alioquin argumentatur Bern. hom. 2. de Beata Virg. non esset desponsata viro de domo Dauid, si non esset, & ipsa de domo Dauid; Ambo igitur erant de domo Dauid, sed in altera completur veritas, quàm iurauit Dominus, altero dumtaxat conscio, & teste adimpletæ veritatis. Vndè Hilarius in 1. cap. Mat. dixit, quòd Ioseph potius, quã MARIÆ Natiuitas recensetur, nihil refert. Quia subdit Eucherius lib. de difficil. quæstion. noui Testament. Consuetudo scripturarum est, virorum potius, quàm fœminarum seriem in generationibus texere. Sed missus his, Isaias apertè Christi Matrem de Regia stirpe Dauid celebrat. Egredietur, inquit, virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Vbi Hieron. Nos virgam de radicè Iesse, Sanctã MARIAM Virginem intelligimus, quæ nullum fruticem sibi habet cohærentem. Florem huius radicis, Tertuliano lib. de corona militis, interpretatur Christum. Quin, & reliqui Patres, vt Beda hom. de Natiuit. Domini. Isidor. ad sororem Florentinã cap. 1. Rupert. Abb. libr. 11. de vict. verbi cap. 18. atque alij, ne omnes enumerent, affirmant. Sed cur de domo Dauid Matrem habere voluit, & Patrem putatiuum? Profero communem, & literalem rationem, quod vt Dauid septẽ annis in Hebrõ, triginta verò, ac totum vitæ tẽpus in Ierusalem super omnem Israel, ita Christus septem mundi ætatibus, hoc est, ab exordio mundi vsque ad eius consummationem fidelibus est præfectus, qui per Iudã designantur, sicut per omnem Israel, vniuersæ procul gentes, & spiritus aduersum quos proferet iudicium, vt Rex vniuersorum in Hierusalem illa cœlesti cõstitutus, quando, inquam Pater subiecerit illi omnia, & inimicos statuerit scabellum pedum suorum.

*Et nomen Virginis.* Repetitur Virginis honor, non solùm virginitatem, quæ magnã habet remunerationem, auri iucunditatem, & salutem à Domino potans de fontibus Saluatoris absque pecunia aquas, quæ fluunt impetu de Libano, & generant fontem, qui salit in vitam æternam, hoc est, perfectionem mundi, & purissimi status, quo se virgo leuet desuper, & videat Deum, qui consortiũ similis non recipit, videatur commendare, sed etiam audientium animos subleuare, vt pensius multò quàm in cæteris virginitatem MARIÆ contemplentur, & admirentur; quoniam nouum fecit in ea Dominus super terram, vt pote mulierem, quæ virum nesciret, neque semel aliunde reciperet in virginitate manentem circundare verum. Virum dico perfectum, cui perfectionũ adiectio fieri non potest, quin cætera ipse perficit antequam sciat vocare Patrem & Matrẽ. Quem propterea admiratur Salomon videre in adolescentia, vel vt aliàs legitur, in adolescentula, quæ sit cœlum clausum, atque serenum, & pluens; terra inculta, & paradisum voluptatis producens; virga nulli cohærens, & florida, atque frugifera: & sit nubes fulgur intra se procreans, & emittẽs absque tonitruo, seu scissura. Id quod ego, haud secus quàm primum admiror; vtrumque enim summum Dei opus; illud quidem pietatis summæ, omnipotentiæ autem istud. Vnde Lybica Sybilla cecinit.

*Psal.* 131

*Esai.* 11.

*Hæc naturæ opera* (S. excedit) *ac faciet*
*qui cuncta gubernat.*

Et Phrigia.

*Virginis in corpus voluit demittere cœlo*
*Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus almæ.*
*Matri, quæ miseros cõtracta à sorde lauaret.*

Subinde Erithrea.

*Cer-*

*3. Reg. 2.*

*1. Gen. 15*
*Psal. 109.*

*Prou. 8.*
*Esai. 12.*

*3. Reg. 3.*

*Cerno Dei Matrem, quiſe dimiſit ab alto* A
*Vltima felices referent cum tempora ſoles,*
*Hebræa quem Virgo fere de ſtirpe decora.*

Hinc quoque Virgil. in Bucolicis ſcriptum reliquit.

*Iam redit & virgo redeũt Saturni regna.*

His atque alijs Gentilium Sybillarum teſtimonijs, & Poetarum, qui de huiuſce Virginis noſtræ opere mirabili diuinitus locuti ſunt olim Patres, vt Lactanc. lib. 4. diu. iuſt. cap. 18. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 18. Euſeb. Cœſarien. lib. 4. de vita Conſtant. Arnob. lib. cont. gentes, atque alij antiquiſſimi hiſce velut domeſticis aduerſus Ethnicorum perfidiam vtebantur. Quin & ex eorundem fabulis depromebant argumenta, B quæ fidem huius myſteri j facilitarent. Vnde Ruff. in expoſit. Symbol. Apoſtol. Mirandũ cur hoc gentibus impoſsibile eſſe videatur, qui credunt Mineruam ſuam de cerebro Iouis natam? Et infra. Sed & Liberum de fœmore eius natum, ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque quam Aphorditem vocant, de ſpuma maris credũt eſſe progenitam. De ouo natos Caſtorẽ Pollucemque confirmant. Ex formica Myrmidones, &c. Penè ſimilibus fabulis Cyrillus Hieroſol. Catechet. 12. veritatem noſtram perſuadet Gentibus, quæ hoc ſupra naturam opus non amittebant, tum maximè Philoſophi illud auerſabantur communi argumento, Concepit mulier, Ergo concubuit. At inquit Petrus Damianus epiſtol. 4. cap. 10. Audi ſyllogiſmũ. Si lignum ardet, profectò vritur, ſed arder, ergò & vritur: ſed ecce Moyſes videt rubum ardere, & nõ comburi. *Exod. 3.* Rurſus, ſi lignum præciſum eſt, ergo non fructificat. Sed ecce virga Aaron in Tabernaculo contra naturæ ordinem reperitur *Num. 17* Amigdalas protuliſſe: ſic impoſsibilitatem auertit, & myſterium omni laude dignum elucidat Patrum concio; ſcriptura autem in memoriam reuocari, admirari, & exaltari eo ſæpius repetito adortatur, præſertim Lucas, qui virginis nomen crebro inculcat, nam eo audito, qui pius eſt & ſapiens, illico ad præ- D claram & caſtam generationem, quæ in eius vtero virginali facta eſt, ſubleuatur, & con-
templatur in ea puerum, qui ea amicit Sole, *Apoc. 12.*
facitque ſolium eburneum, quod maculam *2. Paral. 9.*
non admittit, neque dehoneſtatur deſuper
ſedente Rege, ſed cunctis eſt Regnis admira- *3. Reg. 10*
bile, quod ſcilicet virgo concipiat, ferat conceptum, & pariat virgo Deum, vt virginitatis ſe gloriam, inquit Iunil. in Gen. potius quàm nuptias diligere probaret. Ergo, ſubdit Aug. ſerm. 7. de Natiu. Domini, Diligamus præ omnibus caſtitatem, quia vt placere hanc ſibi Chriſtus oſtenderet, pudicitiam veteri virginalis elegit: Ad quam pariter incitamur, cùm nomen Virginis audimus.

*MARIA.* Vel vt Hebæi legũt מ ר י ם MIRIAM, etſi minimè hoc modo in Eccleſijs, vt temerè Laurent. Valla ſuadet, ſed vt Patres tàm Græci, quàm Latini ſemper vſi ſũt proferri cenſeam, vocari ſemper MARIAM, cuius interpretationem Hieron lib. de nomini. Hebrai. tradit, dicens, MARIAM plerique æſtimant interpretari, illuminantme iſti, illuminatrix, vel zmirma maris: ſed mihi nequaquam videtur: melius autem eſt, vt dicamus eam ſonare, Stellam maris, ſiue amarum mare: Sciendumque, quòd MARIA ſermone Syro, domina nuncupatur. Ab hac vltima ſignificatione Damaſ. lib. 4. fid. Orthod. cap. 15. Eucher. lib. 2. inſtructio. & Chryſol. ſerm. 146. MARIAM celebrant Dominam, quæ illum enixa eſt, vt inquit Damaſ. per quem condita ſunt vniuerſa. S. Bonau. in Luc. & Beda, atque Bernard. hom. 7. ſuper miſſus eſt, ſtellam maris prædicant, quod lucem ſeculis meruit generare perennẽ, quod illuſtret fluctuantes, & iuuet, & quod in ipſa vaticinium impleatur. Orietur ſtella ex Iacob. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ. Ego ſum radix, & genus Dauid ſtella ſplendida. Et quod eius ductu (vt ſcribit *Num. 24.* Giſelbertus de Alterea. Synagogæ, & Eccle- *Eccleſ. 50.* ſiæ) ad patriam tranſfretemus. Vnde Poeta *Apoc. 22.* Chriſtianus iuxta ſignificatum cecinit MARIÆ.

C *Nunc ò ſtella maris noſtri nos aſpice præſens.*
*Eripe tot pelagi penè hauſtos fluctibus atris.*

Alias interpretationes non proſequuntur facilè Pater, omnes autem ritè cõuenire MARIÆ paucis pro captu oſtendam. Primumque mare dici amarum, Simeon inſinuauit eidem, dicens. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ideſt, exponit Beda, Do- *Luc. 2.* lor paſſionis Dominicæ, quia dolores partus, ſeruit Damaſ. lib. 4. de fid. ort. cap. 15. quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſsione viſcerum lacerum reparturiens. Eſt & amarum mare, D quod mortua expellat, vtpotè Diabolũ, cuius caput contriuit, non ſolum in ſe nuſquam illi conſentiens, vt exponit Bernard. hom. 2. ſup. Miſſus eſt: ſed in iuſtis omnibus per Chriſtum, quem ex carne ſua genuit, vt notat Aug. lib. de natura, & gratia cap. 36. Nec miror, inquit Richebius lib. 5. de laud. Virgin. MARIÆ cap. 11. ò Domina ſi ſic fortitudine pollebas, Summis etiam Agelis robuſtior, quoniam Dominum virtutum, Chriſtum Regem, qui Patris virtus eſt, cuncta ſuſtentans protuliſti. Pariter in Hæreticos, qui Patrem habent Diabolum, ſe mulierem oſtendit fortem; ſola enim, deponit Bern. ſerm. de MARIA Virg. ex verb. Apocalip. interemit vniuerſam hæreticam prauitatem.

Id

Id quod antea scripserat Hieron. serm. de Assumptio. Quod fuerit Leæna, inquit Epiphan. hær. 78. contra Antidicomaritas, quæ peperit Leonem inuictum de Tribu Iuda, peruersorum omnium domitorem. Zmyrnam maris, seu Myrrham, iuxta linguã Latinorum vocitato MARIAM, quia quasi myrrha electa dedi, inquit, suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Vnde ad eam sponsus. Tota pulchra es amica mea, columba mea, & macula non est in te. Et Poeta Christianus.

*Apoc.* 5.

*Cantic.* 4.

*Sola malo exorta es veterique imperuia noxæ.*

Quia, inquit S. Thom. in expos. Salut. Angeli. nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Siquidem puritas, subdit idem in 1. sent. d. 20. art. 3. intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, sine vlla contagione peccati, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali fuit immunis. Adeoque tradit Basilẽ. Synodus, solẽnis & festi diei annua celebratione in Ecclesia cohonestetur, sicut passim multis abhinc annis cernimus obseruari. Est quidem hoc omnium efficacissimum argumentum, quod sicut apud S. Thom. canonizat sanctum, ita apud omnes fidem debet facere, MARIAM vt myrrham absque corruptione originalis conceptam fuisse. Hoc quoq; nomine, designare illuminatricem, facilliũ est ostendere, non enim solum fidem, quæ lumen est, atque lucerna sola deficientibus cæteris retinuit, vt in diebus tenebrarum Ecclesia indicat, sed etiam illustratis Apostolis magistra extitit quoad vixit, secundùm Idiot. lib. contemplat. B. Virginis cap. 3. Vdne Rupert. lib. 1. in cant Magistram magistrorum acclamat. Et licet Apostoli, subdit Anselm. lib. de excel. B. Virg. cap. 7. per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnẽ fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eundem spiritum veritatis, illius profunditatem intelligebat, ac propter hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento, didicerat. Quis igitur Euangelijs non credat, colligit Euseb. Emissen. in Euangel. de festo Assump. Quis eis contradicere præsumat, quæ aut Matris, aut Filij auctoritate muniuntur? Nec tantum se Apostolis illuminatricem præstitit, & omnibus, qui ad eam accederent, vt Ignatio, & Dionysio, sed remotissimos, vt Messanenses, & Florentinos transmissis epistolis illustrauit. Tantorũ verò priuilegiorum causam insinuat prior MARIÆ æthymologia, videlicet illuminant ipsi. Ipsi quidem tres, qui sunt in diuinitate vnum, vnumque habitant inaccessibile lumen, à quo omne datum optimum, & ipsum est, quod illuminat omnem hominẽ, sed per Patrem: in MARIAM autem tota se diffundit huiusce luminis claritas, quia concepit lumen de lumine; fœcunditas, qua sit vniuersis vtilis; splendor, quo superat Angelos; Maiestas, obquam veneratur vbique, ac demum sublimitas, quæ eam super choros Angelorum à dextris optimi Salomonis in vestitu deaurato, amictam Sole, coronatam stellis, habentemque Lunam & omnem creaturam, quæ subiecta est motui, exaltat ad Thronum, quale in vniuersis regnis nõ reperitur. Indè Arnobius in Psal. 84. Domũ Dei quam decet omnis sanctitudo. Petrus Dam, ser. 3. de natiu. Sacrarium Diuinitatis, intra quod se recepit ille, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Basil. in 8. cap Isa. Prophetissam, qua nullus inter mortales peritior, atque alij acclamant Deiparæ, peneque innumera epitheta concinnant, vt lumen cœleste, quod illi communicatum est, vt cæteros illustraret, declarent, prædicent, & commendent eam, quæ nullis valet satis laudari Poeta Christia.

*Apoc.* 12. *Psal.* 44. *3. Reg.* 10

*Cui pater omnipotens plenos se numine fudit.*

Hæc sunt, quæ MARIÆ nominis interpretationes ex Hier. petitæ subministrarunt. Et quidem appositè, si ad fontes Hebræorum verborum, & nominum, vndè MARIÆ nomen est, recurrimus. Quos quia ignorauit Victorinus Strigelius Hæreticus in scholijs super 1. cap. Luc. MARIAM interpretatur miseram, vt & Lutherus in postil. in festo Annunciation. aquæ guttam, quæ si mari, vel magno fluuio comparetur, nihil quicquam est. Interdum his prauis vtuntur Hæretici interpretationibus, vt detrahãt MARIÆ, eamque miseram, vt reliquos, & abiectam, viliisque conditionis, & status, tàm apud Deum, quàm apud homines fuisse ex nominis æthymologia, & falsis commentis proponant hominibus, quos ab eius cultu, & inuocationa conantur retrahere: sed conterẽtur hostes, honorem autem MARIÆ, ac nomen, non tàm homines celebrabunt, quàm Dæmones, vt olim Apollo apud Plin. lib. nat. hist. 36. cap. 15. dixit.

*Nescia virgo viri quondam partum nobilis edet.*

*Qui velut igniferis impulsa sagitta procellis.*

*Edomitum reddet pro magno munere mundum.*

*Huius quam MARIÆ nomen manet, alma potestas.*

*Agnoscet templum proprium sibi rite dicatum.*

CA-

## CAPVT XXV.

*Et ingressus Angelus ad eam dixit. Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

MIssus itaque à Deo Paranymphus, etsi aliàs solitus esset inuisere Virginem, & frequenter alloqui, vt mox, nunquam; etenim *ingressus* cum summo splendore, qui lætificaret MARIAM, & totum habitaculum intra quod honesta virgo post sacra Tẽpli ad pia opera se recipiebat, & permanebat vagandi inimica, illustrauit, vt verè *Angelus* Dei tam magnifico apparatu visus illi fuerit; tùm maximè quando *ad eam dixit*, quæ nondum ipsa audierat, nec alius à cœlesti nuntio, qui omniscio propinquus est, proloqui poterat; dixit enim. *Aue*, quæ meritis Euam superas, reparatrix hominum, quos infælix nimium subuertit, es quippè *gratia* illa *plena*, quo fauores reliquos superat, & subleuat te ad omnem excellentiam, quæ eũ in cœlis, tum in terris appeti potest, aut cõtendi. Nec mireris, quia *Dominus* in quo, cum quo, & per quem sunt omnia, est *tecum*. Ergo *benedicta tu*, quæ tàm amplissimos promeruisti fauores, vt *in mulieribus*, quæ hactenus præcesserunt, & posthac suborientur, suntque adhuc superstites tu sola digna fueris, & apud Deum vnicè probata, cui talem, ac tantam conferret benedictionem in qua vniuersæ procul gentes benedicerentur.

*Et ingressus.* Non quò solent mortales, vel aperto ostio, vel pulsata fenestra, aut per rimulas vndè perflant venti, sed vel penetrans corpus, & ostium clausum, vt censet Bernard. hom. 3. de B. Virg. & Andr. Hierosolymit. serm. de salutatio. aut vt piè creditur, per fenestram apertam, quæ in eadem domuncula Laureti dicta ob solemne factum celebratur lampade ad eam accensa. Potuisse autem Angelum penetrare parietes & corpus omne circumstans vacuum habita culi, persuadent Doctores ex natura corporis glorioſi, quod ianuis clauis intrauit sæpius ad Apostolos; tametsi enim dotem glorioſi corporis negent Angelo Doctores nostri, hunc tamen spiritum credunt, & flammam ignis, nõ terrini, sed cœlestis, cui facilius est discurrere, & moueri continuo, & discontinuo motu à loco ad locũ, & intrare omnicorporum dimensione penetrata. Verum de his vide Dam. lib. 2. fid Orthod. S Thom. in 1. part. & Alex. Alens. ac reliquos Scholasticos cum Magistro sententiarum in 2.

*Angelus.* Reperitur nomen Angeli, vt in illo velut in tutissimo protectore, ac ministro salutis æternæ gaudeamus semper, & delectemur in nomine tutoris, qui hæreditatem nostram, omnifariam curat multiplicatam per Deum restitui absque inuidia, & rapina, quin, vt inquit Hilar. can. 18. in Mat. iucundatur summè, & gaudet; hoc enim est illi proprium, quia bonus, & diligens Dei cultum; vnde Athanas. lib. de communi essentia, Patris, Filij, & Spiritus sancti dixit, Angelus est animal rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale. Verum hoc loco, animal interpretato, viuens, scilicet intellectuale, vt inquit Damasc. Præterea Angelo dictio iteratur, dum legatio exponi debet, vt apparitiones Angelorũ, quæ olim Patribus, vt Abrahæ cùm iussus est deserere patriam, & cognationem: Isaac, quãdo pro Rebecca exauditum anũtiauit. Iacob, quando post luctã benedixit illi, atque alijs, hac vnica adimpleri aduerteremus, quin perfici. Nam qui in figuris per ministros apparuit, & inchoauit opus redemptionis, per se ipsum ad exitum peroptatũ deduxit. Quia nouissimè, inquit Paulus locutus est nobis in Filio, qui nos è mundo ad cœlum vehat, & meliori cognationi societ, qui semper pro sua reuerentia exauditur, quoties pro sponsa, dum sterilescit in peccatore, vel parturit in iusto, rogauerit, ac per eum benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, qui est super omnia benedictus. Ille igitur, ait Iustinus Martyr oratione ad Antoninum Imperatorem, qui prius per ignis formam, & imaginem corporeã, Mosi, ac cæteris Prophetis apparuit; nunc (subdit) ex Virgine homo genitus, iuxta Patris Consilium, & voluntatem, propter salutem ei credentium nullificari, & passionem subire perseuerauit. In carnem enim, prosequitur Tertul. lib. 3. aduer. Marcionem, ex carne nasci habebat, vt natiuitatem nostram natiuitate sua reformaret. Quæri hic solet, de forma corporis in qua apparuit. Consuele Doctores.

*Genes.* 12. *Genes.* 25. *Genes.* 32. *Heb.* 1. *Heb.* 5. *Psal.* 66. *Iust. Mar* *Exod.* 3.

*Ad eam.* Scilicet intus, inquit Cayet. in propria mansione manentem, ingressus est, sola quidem in penetrabilibus latebat, secundùm Ambros. lib. 2. in Luc. quam nemo virorum viderit, quam solus Angelus reperit; sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere deprauaretur affatu ab Angelo salutatur. Quid autem sola ageret, Baptista Mantuanus canens ostendit, lib. 1. parthenic Mar.

*Assiduis veterum studijs oracula diuum. Infra.*
*Nunc lanam pingebat acu, nunc pensa trahebat.*
*Serica, & immissis per licea pendula filis*
*Vela Sacerdotum sacros texebat in vsus.*

Vndè inter homines (inquit Cusanus Card. lib. 4. excit. in illud MARIA optimã partem elegit) MARIA ὀθεόπνευς, tam in actiua, quàm contemplatiua vita optimam partem habuit: nam vt scribit Sabell. lib. 2. exẽplo. cap.

cap. 4. & 9. & lib. 3. cap. 4. à prima luce ad tertiam diei horam rebus diuinis peculiarè operam dabat: inde ad meridiem, puellare aliquod opus obibat, sæpè & lanificio vacabat, mox autem à cibo, qui parcissimus illi erat, reliquam diei partem Scripturæ Sacræ lectioni sedula impendebat, ita vt quum ritè sanctèque cœlestia curaret, humana tamen non despiceret. Erat illi honestus vestitus (perorat Damas. oration. 1. de natiu. Virg.) mollitiem omnem, ac luxum fugiens, gressus grauis, ac sedatus, atque ab omni mollitie remotus. Denique scribit Gregor. Nicomedien. oratione de MARIA in Templo oblata, erant MARIÆ mores incomparabiles, & agendæ vitæ ratio composita virtutibus, quamobrem spiritus dona, ætate in dies procedente illi crescebant, & cum Angelis versabatur, nec erat expers diuinarum reuelationũ. Idẽ de frequenti Angelorũ cũ MARIA colloquio, & cibo quẽ illi ministrabãt, vt cũ plerisq; sanctis factũ referũt Patrũ historiæ, Cedrenus in cõpend. suæ histor. deponit, quòd eius, qui excelsum habet nomẽ, & imperium, Mater futura esset. Propterea ait Gregor. in fine tragediæ de Christo patiẽte.

*Æquanda nullis, mater, & virgo supra*
*Omnes decora virgines, & maxima,*
*Quæ vincis omnes ordines cœlestium*
*Regina Domina generis humani bonum.*

Ergo discè virginem moribus adhortatur reliquas, Ambros. lib. 2. in Luc. Morem autem describit Hieron. in epis. ad Lætã de Instit. filiæ, dicens. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet, turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret; surda sit ad organa, tybia lyra, cithara, cur facta sint, nesciat; nunquam iuueniculos, nunquam cincinnatos videat. Prosequitur illa quæ in nostra MARIA laudamus, minimè autẽ in plerisque nostrorum temporum virginibus, quod exemplum sibi propositum non æmulentur, sed Dinæ, & filiarum Sion.

*Genes.* 34. *Dixit.* Hoc est proposuit suam legationem postquam ingressus est ad eam; vndè inquit S. Bonau. sup. Lucam, procedit Angelus tanquam bonus Rhetor, valdè ordinatè, vt Euangelista explicat perfectè; præmittitur enim primò salutationis ingressus, secundò additur narrationis processus, ibi: Et ait Angelus ei, ne timeas MARIA: subiũgitur tertiò conclusionis terminus, ibi: Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum. Istæ enim sunt partes principales Rhetoricæ, scilicet Exordium, Narratio, & Conclusio, secundùm Tullium.

*Aue.* In Græco est χαῖρε, quod saluere, gaudere, & valere significat; vnde Petrus Chrysolog. serm. 140. In hac voce, oblatio est muneris, non simplex salutationis officium; quia enim subdit Theophil. dictum erat à Domino, vt in tristitia pariat Filios, soluit tristitiam illam in gaudium, quod Angelus Virgini afferens dixit, Gaude gratiosa. Præclara quidem oratio ad eã dicitur, quæ Angelis præstabat, ait Damascen. oratione 1. de dorm. Virgin. & Euthim. cuius gaudium Euæ soluit maledictionem. Tria enim mala Euæ, prosequitur Fulgent. serm. de laud. MARIÆ, ex partu Saluatoris, à tribus bonis MARIÆ probantur excluſa: nam Euæ dictum est, In doloribus, *Genes.* 3. & in tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui, MARIA autem è contrario, quàm præclarissimis tribus bonis sublimetur, auscultа. Salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ; sic enim eam legitur salutasse. Aue MARIA, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Cùm dixit, Aue, salutationẽ illi cœlestẽ exhibuit. Cùm dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram excluſam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam. Cùm dixit, Benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expressit, vt ex ea benedicta dicatur inter mulieres quæcunque perseuerauerit Virgo. Itaque, secundũ Hesychium Hierosol. serm. de Laud. Virg. MARIÆ, per virginem Euã maledictio cœpit, quàm Virgo MARIA sustulit, vt qui in virgine, seu ob virginem, percussit vniuersum genus humanũ, sanaret in Virgine: Quapropter lætabitur virgo in choro, non vltra obliuiscetur ornamenti sui, neque sedebit in puluere serpentino. Quoniam habitauit iuuenis ille, qui nunquam senescit, cum Virgine, quæ decora nimis est, & pulcherrima, cuius aspectu Rex Regum, qui in Assuero *Esther* 2. signari voluit, oblitus est repulsæ, quam ingratissima tulerat, voluitque regnare pro Vasti, ac dici omnium regina. Hæc quidem, Aue insinuat, si ab Abere petatur; multòque amplius, si Græci nominis χαῖρε interpretamenta sequimur, vt sit, vel gaude, vel salua sis. Quare inquit Sophron. serm. de Annuntiat. Virgin. non simplex, fateor, vel assueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna. Eam tamen in serm. Encomiastico Epiph. hisce prosequitur. Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in sapade gestans lucem inextinguibilẽ, Sole splendidiorem, Aue gratia plena, hami efficax spiritualis, in te siquidem hamus diuinitas Tãdem post multiplicem Aue repetitionem, concludit: quo pacto prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico; cui prædicandæ, cœlestis ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò nec Angelorum. Quia

sicut

sicut Sol (ait Petr. Damian. serm. de Assumption) solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat. Ergo Aue, quæ non es Eua, sed contra potius nomine, atque re.

*Gratia plena.* Legi aliàs gratiosa, notat Benedict. in Biblia sua, qua lectione vsus est Theophil. & Euthimius pariter dixit, Gratiosam nominauit illam, tanquam videlicet gratia supernaturali dignam. Sic quidem interpretati gratiosam, parum ducerent Patres legi pro gratia. Verum quia nomine gratiosæ abutuntur Antidicomarianitæ, præsertim Lutherus, Bucerus, Sarcerius, ac reliqui, vt gratiosam ferant MARIAM, quod à Deo, Angelis, & hominibus, digna fuerit amari & complecti, non quòd gratiam diuinitus infusam, qua illius animus super cæteros illustraretur, acceperit, lectionem illam non admittit Ecclesia, nec probant Patres, nec referunt sub Euthymij sensu; Hæretici enim Gratiosam dicunt MARIAM, non gratia plenam, ne cõpellantur admittere habitum supernaturalem infusum, quo anima iustificatur, secundùm Catholicam fidem. Et aliquando admittant gratia plenam, vt Græco consonũ κεχαριτωμένη ad Hæresim retorquent: Vndè Brentius in postil. circa Euangel. Annuntiat. dixit. Nec hæc quidem vocabula, Gratia plena reijcimus, modo rectè iuxta Analogiã fidei intelligantur, quo scilicet, plena gratia sit, à Deo recepta in gratiam, & quòd Deus faueat ei. Hæc Hæreticus: At Catholicus; Quid? Gratia plena est MARIA, nõ solùm quòd sit chara, sed quòd charã, habens Deus MARIAM dotauerit habitibus spiritualibus gratia gratũ faciẽte, & quæ nominatur gratis data, omnibus deniq; charismatibus melioribus, quæ illius spiritũ redderẽt astris splendidioré, & pretiosioré omni lapide pretioso quo cœlestes Spiritus decorantur. Vndè Sophronius, cuius verba in 6. Synodo act. 11. recitãtur, dixit MARIAM totam Sanctã: Quia, subiungit Idiota lib. contẽp. c. 2. adest tibi omnis gratia naturaliũ bonorũ, spiritualium charismatũ, & cœlestiũ donorum. Ab ipsa quidẽ sui Cõceptione, exponit Laurent. Iust. serm. de Annuntiat. in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo. Propter quod dignã digni, immaculatam sancti, & immaculati, immô verò cœlestẽ thesaurum Deitatis, plenissimã sanctitatem, perfectãque iustitiam. Orig. hom. 1. ex varijs locis collectã, appellat. Non est ergò dubitandũ, ait S. Thom. 3. p. q. 27. art. 5. ad 3. quin Beata Virgo acceperit excellenter donum sapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiã prophetiæ: non tamen accepit, vt haberet omnes vsus harum, & similiũ gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundùm quod conueniebat conditioni ipsius. Vndè si vera est sententia, subdit Commẽtator Medina in locum citatum. S. Thom. B. Aug. D. Thom. & Scholasticorũ, quòd Moises, & Paulus viderunt in via diuinã essentiam, id concedi potest, & B. Virgini. Rursus, si verum est, quòd Baptista habuerit motum liberi arbitrij in vtero matris, vt probabiliter Caietan. in sequenti art. colligit ex Euangel. Luc. 1. idipsum concedendũ est B. Virgini. Sed obijciet Hæreticus, plenum esse gratiæ Christo propriũ est Ioan. 1. Ergo nõ MARIÆ. Quare nõ, gratia plena, sed gratiosa est potiùs dicẽda. Respõdetur ex sentẽtia sancti Thom. loco citato, & omnium, gratiã habere capitis, cuius est in alios diffundi, solius Christi esse; MARIÆ eã gratiæ plenitudinẽ habere, quæ matrẽ Dei efficeret dignã, & authori gratiarũ propinquã. Vndè ad consequentiã dico, legendum, gratia plenam, vt tenuit semper vulgata editio, & Patres, Hieron. Gregor. Ephren. Epiphan. & reliqui sunt soliti vti; non gratiosa, quod ad carnis formã potiùs adaptetur, quã animæ, vt & faciunt Hæretici; vndè Patres nunquã hoc nomine MARIAM vocitarunt absolutè, nisi adiungerẽt gratiã, virtutes, & alia quæ sunt animæ ornamẽta, sic Athanas. serm. de MARIA Virgin. Theophil. Euthimius, ac reliqui.

*Dominus tecum.* Quomodo autem Dominus secum esset, non expressit; est enim Dominus vt causa prima, & vniuersalis cum omnibus creatis iuxta commune dictum. Deus vbique est per essentiam, præsentiam, & potentiam, quòd vniuersis, & singulis esse, operari communicet, & per eundem conseruentur. Vndè dixit. Cœlum & terram ego impleo, meus est enim orbis terræ. Est quoque in rebus animatis vt spiritus viuificans, quia: Ego, inquit, occidam, & ego viuere faciam. Est & in rationali mente, vt perficiens, & adimplens naturæ capacitatem, vt finem, ad quem est, assequatur: Quia præuenit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis. Diuidit donationes Spiritus, & gratiarum, quasi oleum de oliuis purissimum ad continuandam lucernam quam elegit, vt luceat in firmamento cœli. Ergo qui fuit Dominus tecum, ô MARIA? quæ es luminare minus post Christum, quem fecit excelsum in omni Ecclesia? Quia excellenti, ait S. Bonau. in Luc. & singulari modo, tanquam in proprio Tabernaculo. Dominus enim Verbum tecum, exponit Petr. Martyr Alexand. in act. 1. Synod. Calced. Dominus Verbum, in vtero caro fiet. Quare subdit Dionysius Riquelius lib. 1. de præconio & dignit. Virg. art. 21. Virgini se Deus cõiungit, nõ solùm per gratiarũ charismata, per illuminationẽ, per dilectio-

*Hier.* 33. *Psal.* 49. *Dent.* 32. *Psal.* 28. *Rom.* 21. *Leuit.* 24

lectionem, aut adhæsionem extrinsecam, sed etiam per naturalé, & realem quandam identitatem, quia factus est aliquid eius eo modo quo proles est aliquid sui parentis. Etenim aliquid substantiæ Virginis sactæ assumpsit, & hypostaticè, atq. realiter sibi vniuit, & habitauit in medio eius. Subindè Petr. Dam. serm. 1. de MARIÆ natiu. deponit peculiari modo quàm cùm reliquis Dominum cùm MARIA habitasse. Habitat quidem in Angelis Deus (prosequitur Iustinian. serm. de Annunt.) sed non cum Angelis, quia cùm illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Id quod ante tempora nouit Sibylla, quæ lib. 3. Oracul. Sibyllin. sic eam alloquitur. Lætare, & exulta, ô puella; tibi enim gaudium donauit æternum, qui cœlum, & terram condidit; is verò in te habitabit, tibiq. erit immortale, & indeficiens lumen. Itaq. iuxta horum sententiam, *Dominus tecum*, dicitur MARIÆ ob mysterium Incarnationis. Placet quoq. aduertere, dici ob Trinitatis assistentiam, quæ in ea plus cæteris post Christum lucere cœpit, vt Bern. hom. 3. de Mar. Virgine, & serm. 3. super Missus est, prosequitur. Id quòd prius Method. in oratione ad Hypapantem Domini annotauit; sic enim eam salutat. Salue dilectionis Dei thesaure. Salue humanitatis Filij fons. Salue Spiritus Sancti vmbraculum. Deniq. quia Dominus tecum, nõ aliud quippiam, perorat Chrys. hom. in hypapantem Domini; inter creatas res visibiles, aut inuisibiles vna hac maius, aut excellentius inueniri potest.

*Benedicta tu.* Tam ista, quàm præcedentia verba, imprecatoriè dici arbitratur Cayetan. At inquit Ganneius, peccatum est hoc loco à Cayet. quòd precantis illa verba non sunt, sed affirmantis benedictam præ cæteris Virginibus MARIAM. Quemadmodũ (perorat Method. in oratione ad hypapantẽ Domini.) Benedicta, inquit, tu celeberrima, & desideratissima, tuum Dei genetrix nomen diuinis benedictionibus & gratijs omni ex parte refertum, vt fidelium fax, tu incircumscripti (si ita loqui fas est) circumscriptio, tu speciosissimi floris radix, tu creatoris mater, tu nutrix omnia nutrientis, atq. alijs plurimis affirmat benedictam. Et meritò benedicta, inquit Andr. Hiero. Episcopus Cretensis in Annunt. Angel. Benedixit enim te Deus tabernaculum suum: quoniam scilicet Christum gestari. Hac quidẽ ratione plures benedictiones accumulat Sanctus Episcopus MARIÆ, post quas subdit eò benedictam, quòd cõpletain illa fuerint oracula. Isa. 8. De Prophetissa. Ezech. 44. de Porta clauss. Dan. 2. Abach. 3. Psal. 67. de Monte. Zach. 4. de Candelabro. Gen. 2. de Paradiso voluptatis.

*Isa.* 8. *Ezech.* 44 *Dan.* 2. *Abac.* 3. *Psal.* 67.

A Interpretati sunt quoq. Patres verba ista *Benedicta tu*, per modum imprecantis & optantis laudẽ MARIÆ, vt Bernard. hom. 2. de B. Virg. dicens. Benedicta in mulieribus, quæ illam generalem maledictionẽ euasisti, qua dictum est, in tristitia paries filios, & nihilominus illam, qua dictum est, Maledicta sterilis in Israel, ac singularem consecuta es benedictionẽ, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Etiam benedicta, inquit Germanus Patriarcha, exponens de MARIA illud Psal. Audi filia & vide, quia benedictionis conciliatrix. Vndè subdit S. Bonau. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ, B laudauerunt eã. Itaq. dupliciter exponitur, Benedicta tu; vel desuper benedictionibus Dei locupletata, vel creaturarum laudibus prosecuta. Vtrunque autem conuenire MARIÆ, non tàm Patres, quàm dictio Græca ὐλογημένη, qua solitum est in scripturis, & pro laudare, & pro repleri gratijs vti. Vtroq. modo solemus benedicere creaturæ; Deo autem solùm priori: quia, quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

*In mulieribus.* Idest, inquit. S. Bonau. super Lucam, super omnes mulieres. Nec solùm super omnes sui nominis, MARIAM sororem Moysi, ac reliquas quæ in Euangelijs describuntur, sed quotquot referuntur C magnæ, & celebres. Nam quæ in lege præcessit MARIA typus nostræ fuit. Illa quidẽ fuit soror Sacerdotis, & Legislatoris: hæc autem, inquit Ambros. lib. 2. in Luc. & epist. 81. fuit mater Christi, qui dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & Rex, ac Legifer noster. Illa spiritum propheticum: hæc Prophetissa antonomasticè dicta est, ait Basil. in 8. cap. Isa. Immò verò vaticinium prophetarum, secundùm Hieronym. in cap. 6. Mich. Virgo erat soror Moysi, si credimus Apponio lib. 6. commentar. in cant. Ambros. in exhort. ad Virgin. & Gregor. Nyssen. lib. de Virginit. cap. 6. Nostra autem MARIA Virginum exemplar sine exemplo, vt cantat Ecclesia, fuit. Vnde Venantius Fortunatus. D lib. de æternis gaudijs cecinit.

*Virginitas fœlix, quæ partu est digna Tonantis.*
*Quæ meruit Dominum progenerare suũ.*

Quare cæteris, quæ in Euangelio enarrantur Marijs excelsiorem esse facillimum est demõstrare. Siquidem Maria Magdalena, etsi optimam partem elegerit, sed prius peccatrix, si de illa Euangelica lectio intelligitur, vt Hieron. Aug. Gregor. Beda atq. alij volunt. At tu MARIA Deipara, canit Christian. Poeta in hymno ad Magnam Matrem Virginem. *Loc.* 10.

*Sola malo exorta es, veteriq. imperuia noxæ*

Flos de spina, spina carens. Subdit Adam de Sancto Victore, quin & super dilectum suum innixa, delitijsque affluens ab vtero, vt posset eum, (inquit Cyril. Hierosol. cathet. 12.) per quem omnia sunt, suscipere, sicut Angelus prædicabat. Laudantur à pulchra sobole MARIA Cleophe, & Salome, sed quæ fecũdior, partusque fœlicioris eius, quæ illum in quo sunt condita vniuersa concepit, & peperit, virgo manens? Ego, inquit, Mater pulchræ dilectionis; hoc est dilecti ex dilecto, qui candidus est, & rubicundus, electus ex millibus; per quem & milia millium sunt, & Deo gloriam ferunt astra matutina. Super reliquas mulieres excelsam ostendere frustra est, cum Angelis omnibus superiorem prædicet Christ. & reliqui Patres, reginam cœlorum acclament. Prætereire tamen nolo rationem, quæ occurrit. Cur super mulieres, vel inter mulieres, vt alij exponunt, dicatur. Eam ferunt Patres, quòd maledictum à muliere cœptum tulerit. Ego, quòd super omnẽ carnem, cui mulieris nomen à fluxu, & mollicie primatum post Christum acceperit; & imperium contra omnia vitia, quæ effeminãt spiritum. Ergo qui spirituales estis sequimini, è vestigio Angelum ad MARIAM, de qua velut speculo, secundùm Ambros. lib. 1. de Virg. refulget species castitatis, & forma virtutis, & salutate: Aue gratia plena, Dominus tecum. Sic facere nos docent antiqui Patres, Athanasius in Euang. de Santa nostra Deipara. Chrysost. in liturgia, & reliqui; necnon inueteratus vsus Ecclesiæ, tametsi illum Hæretici conentur abolere, vt qui pati nequeant cultum, & honorem, qui parẽtibus gloriosis, tum maximè illi, quæ est omnium parens tribuitur. Sunt enim filij alieni, qui claudicauerunt à semitis suis: sed viuit Dominus, & benedictus Deus meus, qui te, ò Deipara, Mundo, Cœlisq. dedit, vt rogemus te Domina (inquit Anselm. lib. de excel. Virgine Marc. cap. 12.) per ipsam gratiam, qua te pius, & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit, quatenus id apud ipsum nobis impetres, & obtineas, vt plenitudo gratiæ, quàm meruisti in nobis sic operetur, quo participium beati premij nobis eius misericordia quandoque condonetur.

*Ezech.* 24

*Cant.* 5. *Iob.* 38.

## CAPVT XXVI.

### *Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.*

MIra igitur illa, *quæ* in Angeli verbis continebantur, *cùm* MARIA sacra attrétisimè *audisset*, & penetrasset, protinùs præ humilitate, quæ non patitur alta de se sapere; *turbata est*: *in sermone* quidem *eius* huiusmodi admirationem passa est, non in aspectu; & quanto *cogitabat* intra semetipsam, *qualis* & quàm excellens supra omnium merita *ista salutatio*, quæ vix Angelo supremo, nedum mortali debetur, tanto penes se stupebat, nec poterat cognoscere, quomodo ad se fieret, aut quorsum. Quandoquidem humilis nihil in se excelsum nouit.

*Quæ cùm audisset.* Ideſt Secundùm S. Bonauent. in Luc. silentio, & taciturnitate auscultasset, secundùm illud. Audi tacens, & pro reuerentia accedat tibi bona gratia, & sic prompta fuit ad audiendum, licèt non ad loquendum, secundùm illud. Sit autem omnis homo velox, ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et propterea dicit *audisset*, ideſt, perfectè audientiam præbuisset; auris enim bona, audit cum omni concupiscentia sapientiam. Pro *audisset*, Euthym. & Ambr. legunt, Vidisset; Vnde Cayetanus. Sensus visus describitur, sicut de Zacaria scripserat, quòd vidit Angelum. Et quidem Græcè est ἰδοῦσα, hoc est, vidisset. In quo ait Gannæius, multum torquetur Erasmus, non aduertens τὸ videre, pro audire, immò, & pro quolibet alio sensu, etiam interiori, vt refert Augustin. in pleriſq. locis accipi: sed nec multum refert, si dicas, quæ cum vidisset insolitam Angeli præsentiam, an quæ cùm audisset, insolitum Angeli sermonem loquẽtem, turbata est in eius sermone audiendo. More vt ait Glos. Interl. humanæ fragilitatis; quia subdit, altera Glos. Ordin. nesciebat si præteritum, an futurum esset, quòd Angelus dixit. Hæc tamen non consonant Patribus, qui vt vidimus, doctiorem cunctis Prophetis celebrant, & solitam Angelicis colloquijs, nisi dixerimus aspectu, & colloquio Angeli territam, quòd ad se tam fulgidus nunquam Angelus accessisset, nec tam sublimem salutationem detulisset. Vnde Zacharias Chrysopol. lib. 1. in vnum ex quat. Euangel. dixit. MARIA nouam benedictionis formulam mirabatur quæ nusquam ante lecta fuerat; sed & Gabrielem aspectu terribilem ad Virginem intrasse vult, Aug. serm. 14. in nat. Domini, & secundùm Ambros. lib. 1. officio cap. 18. specie peregrinum. Si tamen Chrysologo qui serm. 140. dixit Angelum specie blandum, habitu mitem apparuisse, assentimur, non intuitu, sed colloquio, territam dicendum est, vt & Euseb. in Euang. Missus est sensit; turbata est, inquit, non in vultu Angelum, sed in sermone eius; non enim Angeli, sed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio sibi portenderet, cogitabat, facto docens posteros, quid in visionibus attendendum, potiùs verba ne, an loquentem? non hunc, cùm in Angelum lucis se transformet aliquando Sathanas, sed quæ

*Iac.* 1.

*Ezech.* 3.

pro-

profert loquens pensemus, si verò consonét, an falsum annuntient, & præcipitium; labijs enim suis intelligitur inimicus cùm in corde tractauit dolos. *Prou. 26*

*Turbata est.* Non vt cæteri, qui vel sensum amittunt, vel rationem, ne possint discernere quæ audiunt, aut inspiciunt quousq. recepto spiritu confortentur, vt Daniel, & Ezechiel, & plerique iustorum, dum illis primò superna communicantur; Nec quidem turbata est ad vitæ vsque discrimen, velut pusilli qui insolito, & tremendo spectaculo mori timent, & de suis funditus actum iri, vt Manue; sed *turbata est*, hoc est obruta multis hinc inde confluentibus cogitatibus: vt accidit Philosophis, & Astrologis ad nouam Eclypsim, & insperatum naturæ cursum, ne dicam monstrum, quòd Dionysius Areopagita considerabat in retrogradatione Solis, dum Christus obibat: & alij in alijs quæ se inopinatè offerunt, excedunt que cõmune studium. Hanc ego in MARIA, quæ animum simul, ac corpus acceperat pacatissimum libera ab originali labe, vnde est passio turbans vsque ad deformitatem; tantùm admitterem, vt quæ sit perfectorum, cui potius admirationis nomen, quàm turbationis conuenit, vt Lyra. opinatur. Turbari propriè carnis est, quæ vt abyssus & profundum, susceptо desuper lapide originalis culpæ, totum hominem à priori, & perfecto statu deturbat, vt neque pes, neque mens satis suum officium faciant. Per analogiam ergò, & metaphoram turbari MARIAM potiùs crederem, quia Mulier fortis, cuius precium procul est, & de vltimis finibus. Vndè Bern. tract. de passion. Domini cap. 2. Verè fortis hæc mulier, & præ cunctis post filium honoranda. Verè, & virago dici potest. *Dan. 10.* *Ezech. 2.*

*In sermone eius*, Sermonem, quem per assumptum corpus Angelus formabat, dixit Euangelista, *eius*, non quòd Angeli sit vocali vti sermone, sed quòd omnis ille expressus sermo virtute eius esset; in corpore enim ipse formabat vocem, in aure vt perciperetur exprimebat, & nonnunquam dicti intelligentiam interius communicat menti Angelus. Turbat autem, hoc est, admirationem generat sermo Angelicus, quia sapientiam semper loquitur inter perfectos. Turbat verò, hoc est exagitat, & penè exanimat pusillos, qui nullius sunt sensus, neque intelligentiæ, proniores ad Rasin, & filium Romeliæ, quam ad aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, hoc est, ad mundũ & carnem, quàm ad spiritum. Hi non percipientes, quæ Dei sunt, adeò in sermone Angeli turbantur, vt penè cadant exanimes, clamentque, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Non sic turbatam fuisse MARIAM, *1. Cor. 2.* *4. Reg. 15* *Ex. 20.*

A sed tantùm admiratam, indicant quæ sequuntur.

*Et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Præturbatione enim exagitatus non cogitat, siquidem mens suo destituitur officio, quando vim patitur sensus, nimiumq. turbatur. Imperturbatus est sensu, qui mente recogitat: & eum qui substantiam rei noscens ad qualitatem se applicat inuestigandam, quis dicet nisi pacatissimum? Talem, & tu lector MARIAM habeto, non turbatam more nostri, vt Hæretici fabulantur, si quomodo eam miserrimam sicut & nos, qui cimbolo alarum conturbamur, persuadeant. In pulchritudine pacis sedens MARIA, vt audiuit salutationem Angeli eiusque substantiam nouit, ad qualitatem, hoc est, ad circunstantias se conuertit, diligentiusque cum his, quæ didicerat, contulit vniuersa. Verisimile enim est, ait Andreas Hierosolym. in salut. Angel. ipsam, & de clara stirpe natam, & Dauidis filiam, haud ignaram diuinorum, quæ in scripturis habentur oraculorum fuisse, vt cogitationes suas statim conuerteret ad primæ parentis lapsum, ac reliqua huius generis. Et infra, sic penes se loquentem introducit. Nũ sola ego inter mulieres nouum naturæ modum inducam? mene solam possibile est fœtum in vtero gestare cum nullo congressam viro? qualis nam hæc sit salutatio? quis ille, aut vnde ingressus, qui nuntium hoc mihi apportauit? Hominem ne, qui mihi loquitur putabo? sed corpore ceu vacans apparet, Angelum ergo eum censebo? Verum hominis instar loquitur. Quid quòd video sit ignoro, & ad ea quæ mihi dicuntur, hæsito. Hæc Andreas. Quibus non iam Lyra: quàm Bernardus, Sophronius, Petrus Damianus, ac Patres antiqui consonant, vno excepto, quòd innuant legatum minimè innotuisse MARIÆ, assueta quippè erat Angelis, & ad eam accedere Dæmones non poterant, quòd multis Angelorum myriadibus custodiretur, vt Salomonis optimi solium quòd fortissimus Israel stabilitur. *Isa. 32.*

## CAPVT XXVIII.

*Et ait Angelus ei. Ne timeas MARIA inuenisti enim gratiam apud Deum.*

HÆc itaque cùm intra semetipsam meditaretur, sapienterque singula quæ audierat perscrutaretur, & nihil responderet obstupefacta præ magnitudine rei, *ait Angelus* qui præsto labatur responsum, eique curat noua inferre gaudia, *Ne timeas*, inquit, ô *MARIA* Dei electa, & præuisa ab æterno ad excelsum opus quod adhuc nemo est assecutus. *Inuenisti enim* tu sola super reliquas mulieres huiusmodi *gratiam apud Deum*, vt esses quàm Orbis diu expectauit, ex qua de-

fluat gratia, quæ omnes gratificet, & saluet, Saluator ipse.

*Et ait Angelus ei.* Postquam, ait S. Bonau. præmissus est salutationis ingressus, hic secundo loco sequitur narrationis tractatus, seu processus, in quo primum introducit Euangelista Angelum narrãtem, etenim duo illi restabant, insinuatam salutatione ipsa legationem fusius explicare, & confirmare MARIAM, vt deuotè, humiliter, & constãter pareret altissimo. Hic quidem est vnicus Angelorum scopus, vt Dei voluntas expleatur. Eò Intelligentiæ cœlos mouent, vt ordinatione Dei perseueret dies. Genti præsunt Principes, vt lumen signatum super quemque conseruent lucernam pedibus, ne offendant ad ius naturæ. Curam regnorũ habent Dominationes, vt pacem quæ parua multiplicat, stabiliant. Ministrant Regibus Potestates, vt cor illorum teneant in manu Dei, ne ministri Supremi Regis videantur in aliquo à legibus, & iudicio declinare. Denique siue communes, siue priuatas personas custodiant Angeli Præsides, & alloquantur, hoc vnicum quòd Deus præordinauit, & voluit in nobis perfici tantùm intendunt, vt fusius persuadent, quæ Hermes in suo pastorali audisse, & vidisse per Angelum, refert Dionysius de cœlesti Hierar. atque alij. Vndè Proclus Patriarcha Constantinopoli, Epis. de fide ad Armenios dixit. Ministrare namque præceptum est Angelo, non dogma componere. Qui autem ministrat, si fidelis est, voluntatem cuius ministerium gerit, implere satagit. Propterea, & Gabriel ait de nouo ad MARIAM.

*Ps.al.118.* *Prou.21.*

*Ne timeas.* Erat enim Gabriel, ideſt fortitudo Dei, qui Dominum fortem veniebat annuntiare, ac pariter omnem propulsare timorem, quo iacebant exanimes & perterriti, qui mundi huius principem, & tenebrarum ductorem Luciferum sensérant aduersarium. Aderat tempus in quo absque timore malo in terra nostra esse homines oporteret, in vastitate & fame ridere, & bestias terræ non formidare, quòd pacis authorem nedum pacem, haberet tabernaculum nostrum. Vndè Psaltes. Indutus est Dominus fortitudinem, & precinxit se; etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur; agitatus timoribus Assur, quem percussit virga directionis, & eiecit foras cum mundo, quem pariter vicit, & malè affecit in septem riuis, vt Ægyptum, hoc est, in septem peccatis, quorum chirographum deleuit data libertate his qui in illum credent. His enim dicitur. Ne timeas à facie eorum. Ne timeas serue meus Iacob, & ne paueas Israel, quia ecce ego saluum te faciam de longinquo, & reuertetur Iacob, & requiescet, & prosperabitur, & non erit qui exterreat eum.

*Iob.5.* *Psal.92.* *Isai.30.* *Isai.2.* *Col.2.* *Hier.1.*

Ergò quia adest Saluator qui defendat, ait Angelus ad MARIAM, noli timere; nec non, vt se nuntium proferat verùm, qui sit à fraude alienus. Quasi diceret, inquit Andreas Hierosolym. Non fraudulentus hìc modus est, haud fallendi animo ad te venio, non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuntius adsum, ex altissimis veni lætum tibi adportans nuntium, nec qualecunque lætum nuntium, sed plenum gaudij lætum nuntium. *Ne timeas MARIA.* Non fraudis hæc salutatio est, non tristitiæ significatio. Dominus tecum, qui vnus omnis gaudij largitor, & vniuersi mũdi conseruator. Tecum est, qui à sinu Patris auelli non potest. His similia prosequitur Angelus apud Andream, vt timorem MARIÆ abigat. Cæteros autem solet Angelus confortare, vel dato nomine, vt, Ego sum Gabriel. Ego sum Raphael. Ego sum Angelus Domini; aut signo sacro præostenso, aut certè eloquio suaui, & facto amoris, vt cùm statuit super pedes exterritum præ timore. Ad hunc tamen timorem nõ inciderat MARIA, turre Dauid fortior, quæ in locum propugnaculorum haberet dona Spiritus Sancti prælucida. Clipei illi essent, virtutum singulare munimen, & armaturam omnium fortium conseruaret, virorumque fortissimum Deum, vt dilectum cõplecteretur. Quid igitur ad eam Angelus, Noli timere? Adeonè territam admittemus MARIAM, vt inquit Hæreticus Schenechius, quòd verbis Angeli consolatorijs egeret, ne desperaret, quòd corruptam, & vitiatam naturã haberet, suorumque peccatorum esset conscia, mortis ac inferni terroribus affecta, corde demum pauida, & pusillanimis? Absit tantam irrogare blasphemiam illi, quæ est hortus conclusus malam herbam non nutriens, neque admittens latronem; fons signatus, quem impleuit Spiritus Sanctus, & signat suum, ne quis maculam impungnat tantæ pulchritudini, & cuius denique emissiones sunt paradisus, vt nihil præter balsamum Virginitatis, cinamomum amoris, myrrham incorruptionis peccati, & areolam aromatum vniuersarumque virtutum olfaciat, splendoremque proferat. Sola hæc cœlum, & terrã amplitudine superauit ait Chrysol. hom. in hypapantem Domini, & meritò inquit Chrysol. ser. 144. Virgini salua sunt omnia, quæ omnium genuit Saluatorem. Neniæ ergo sunt, quæ Hæreticus protulit. An non timuit? Reuera, sed non ob ea, quæ maledictus somniat, siquidem immunis ab his defectibus fuit, qui timorem omnino seruilem, aut mundanum valent generare, tamq. deformem qualem Hæreticus fingit. Timuit quidem, hoc est reuerita est summa humilitate Angelum, & gestu corporis honore profe-

*Luc.1.* *Tob.2.* *Ezec.2.* *Cant.4.* *Cant.4.*

secuta est, vt solent qui filiali timore permoti maiores, & excellentiores prosequuntur honore. Ad hunc itaque timorem alludens Angelus dixit. Noli timere; hoc est, desine iam quæ nos Angelos superas gratia, licet gloria modo te excedamus, tantùm honorem, & reuerentiam tua humilitate, silentio, & decore deferre, vt videaris nimium timere, non solùm conseruus tuus sum, sed minister, cui parere iucundum, & acceptissimum Dominam acclamare. Age igitur Dominam respiciens me sponsi tui legatum, & alloquens, quia audit seruus tuus. Denique ego timorem MARIÆ filialem reputo, non seruilem.

A

*MARIA.* Nomen hoc primo Euangelista expresserat, nunc Angelus nominat, vt illud de cælo præuisum, & ab initio nominatum credamus, iuxta Rabbinum Haccados, ac reliquos Rabbinos, quos Galatinus lib. Archanorum refert, necnon Sibillas, quæ Lactantio Firmiano authore, MARIÆ nomen passim repetunt, & expressius Erythrea lib. 8. oraculo. Et breuis, inquit, egressus MARIÆ de Virginis aluo exorta est noua lux. Ipsa est, inquit Bernard. hom. 2. sup. Missus est, nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum Orbem illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferus penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora; fouet virtutes excoquit vitia. Ipsa inquam est præclara, & eximia stella super mare magnũ, & speciosum subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Itaque, subdit Epiph. lib. de laud. Virg. MARIÆ, Præclarè puellæ MARIÆ beatum nomen interpretatur, illustrata, vtpotè quæ illustrata sit à filio Dei & cũctos vsque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminauerit. Ergo vt Angelus nomen MARIÆ nominat, ita nos frequentemus, eòque sæpius salutemus, & honoremus, quòd formidant Dæmones, peruersis dominatur, periclitantes liberat, & ducit ad Deũ vniuersos qui sedulò inuocant, illudque honorant.

B

*Num.* 24.

*Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Qualem, inquam, ait Andr. Hierosol. in salut. Ang. non natus est quisquam ab æterno, sicut tu. Tu regia stirpe nata, & Sacerdotali, quæ Regem Regum pareres, & Sacerdotem æternum, per quem Reges, & Sacerdotes constituuntur reliqui, ait Ephiph. contra Nazaræos hær. 29. & Anastasius Patriar. lib. cont. Iudæos. Tu pijs, ac diuitibus orta parentibus Anna, & Ioachim, quem Damas. oratione 1. & 3. de Mar. natiu. diuinum appellat: Annam verò venerandam, & vtrosque celebrat Gregor. Nyss. hom. de human. Chris. generatio. Tu tali concepta coniugio, quale deponit. S. Brigitta lib. 1. reluat, cap. 9. non reperiebatur tunc sanctius, neque honestius, vt eadem affirmat. lib. 6. cap. 49. Tu à conceptu immaculata, quia benedicta terra, inquit Bruno instituti Carthusiani fundator in Psal. 101. cui benedixit Dominus, & quæ ad instar cæli, secundùm Petr. Damian. serm. 3. de Mar. natiuit. plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium. Tu natalitio die gaudium vniuerso mundo tulisti, vt Sergius Hierapolita. in cantic. de fest. natiu. Mar. quio, & tota Ecclesia decantat. Quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam. Tu trinula ad templum per parentes gratos delata, vt Ignat. in ep. ad Antioch. ex Euodio tradit, ac summa cum omnium admiratione tũ maximè Sacerdotum, vt ait Nicephorus lib. 1. Eccl. hist. cap. 7. Tu denique, ne repetam omnia, quibus non sufficeret tempus, inueniisti talem gratiam apud Deum, vt eiusdem mater electa fueris, & digna cui tantus honor conferretur, inter omnes adinuenta. Vndè Chris. serm. in Domini hypapante. Beata mater vltra omnem humanæ naturæ modum modestiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuersorum Dominum gestare promeruit. Verè lignum vitæ, addit Bern. hom. 49. in 25. cap. Gen. quòd solùm fuit dignum portare fructum salutis. Nulla siquidem puritate, deponit Basil. hom. de humana. Christi generatio. par MARIÆ Virginitas inter homines ad effectum Sancti Spiritus recipiẽdum est reperta. Hæc (subiungit Honor. ser. de fes. natiu. Mar.) prima inter mulieres vouit Deo Virginitatem, & ideò sola inter mulieres meruit Virgo summæ prolis fœcunditatem. Vt scilicet, (vt cùm Hieron. in ep. ad Eustoch. de custodien. Virgin. loquar,) mereretur effici mater filij Dei; vnde Prudent. in Cathemeriano.

C

*Edere nam quæ Deum meruit*
*Omnia virgo venena domat.*

## CAPVT XXVIII.

D

*Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius, IESVM.*

ECce ò MARIA dilecta, quam apud Deum inuenisti gratiam, quæ omnem hactenus communicatam beneuolentiam facilè super excellit. *Concipies* tu quidem sola ex proprijs tui corporis sanguinibus purioribus corpus vniuersorum formosissimum, *ac* demum animatum simulq. à Dei Verbo assumptum *paries*, saluis tuis integris, *filium* tuũ, quinimo Dei, & propterea natum ex te *vocabis* dum tempus erit *nomen eius* singulare, & admirabile, quod os Domini nominauit, vtpote IESVS, cui omne genu flectatur, nomen super omne nomen.

*Ecce.* Gratiam ò Maria, seu potiùs my-
*Genes.*41 sterium gratiarum omnium fontem, quod
*Dan.*2. apud Deum, non apud Reges, vt Ioseph in
*Iob.*1. Ægypto, Daniel in Babilone, Tobias in
*Genes.*18 Ninive, & alij alibi; neque apud Angelos,
*Genes.*19 vt Abraham, Loth, Iacob, Moyses, & simi-
*Genes.*32 les; Neque apud populos, vt Ester, & Iu-
*Ex.*33. dith; neque apud cognatos, vt Gedeon, &
*Est.*10. Iephte; neque apud exercitus, vt Iosue, &
*Iudit.*16. Dauid; neque denique alibi, quàm apud
*Iud.*8. Deum inuenisti. Est enim *Ecce*, vtpote my-
*Iosue.*1. sterium, quod excedit gratiam, quam inue-
1.*Reg.*18 nit Noe coram Deo, aut Salomon; quod de-
*Genes.*6. nique multi Reges, & Prophetæ voluerunt
3.*Reg.*3. videre, & non potuerunt, quodq. omnes ab
*Luc.*10. orbe condito summis, & assiduis postula-
*Psal.*117 runt precibus, & non inuenerunt. Tu au-
*Psal*41. tem rogasti. O Domine benè prosperare:
*Psal.*43. Exclamasti. Quãdo veniam, & apparebo an-
te faciem Dei. Tu es ipse Rex meus, & Deus
meus, qui mandas salutes Iacob. Venit ergo
*Ezec.*37. iam noli tardare: Obsecrasti; Vtinam notum
*Psal.*53. fieret nobis nomen tuum. Deus in nomine
tuo saluum me fac; sic tamdiu multipliciter
quæsisti, quousque inuenisti, non virum, qui
te errantem ad fratres dirigeret in Dothain,
*Genes.*37 non Angelum qui te præcederet. Quid? ne-
*Ex.*23. que Deum solùm, qui tibi promitteret se-
*Gen.*22. men in quo benedicerentur omnes gentes,
*Psal.*71. sed daret sicut pluuiam super vellus, sicut
*Deut.* stillam super gramina, & sicut nubem gloriæ
*Ex.*40. super tabernaculum, quod in te elegit, for-
mauit, & illustrauit, vt quem cœli capere
2.*Par.*3. non possunt ad te introducas, & in te ipsa
recondas thesaurum, ex quo omnes locuple-
tantur. Hoc quidem *Ecce*, excedit illud. Ec-
ce dedi vobis omnem herbam. Ecce odor fi-
*Genes.*1. lij mei sicut odor agri pleni. Ecce constitui
*Genes.*24 te Deum Pharaonis. Ecce do eis pacem fœ-
*Exod.*7. deris. Ecce nunc multiplicauit te Domi-
*Num.*25. nus. Ecce vnxit te Dominus. Et quid mo-
*Dut.*10. ror? nonne reliqua mysteria, quæ per *Ecce* de-
1.*Reg.*10 signantur postponuntur præsenti? Huius
enim symbola censemus illa. Est enim idem
vngens, & ipsa læta vnctio, quæ ad omnes
diffunditur. Est vnus in quo sunt omnia, &
*Eph.*1. per quem multiplicantur. Est fœdus, quod
pacificat quæ in Cœlis, & quæ in terris sunt.
Est odor agri, in quo solo redolent spiritus.
*Ioan.*6. Est, vt concludam, pabulum, quo viuant ani-
malia tua Domine virtutum in vitam æter-
nam, quæ non auferetur, nec morietur qui-
cunque manducauerit ex hoc pane, quem
herba frumenti tulit in terra cui benedixit
*Es.*7. Dominus. Itaque vt piè creditur legens Ma-
ria. Ecce virgo concipiet, audit post salutationem, *Ecce* concipies; vt non tam videretur inuenisse, quod quærebat, quàm vt studiosum lectionis oraculorum, non abesse ab
*Psal.*118 Angelo, qui doceat, illustret, & intellectum det paruulis, vt intelligant quæ legunt, &

A sciant, vel impleta oracula, aut certè adesse tempus. Id quod MARIA præ omnibus aumox experitur.

*Concipies.* Vt sic, ait S. Bonau. impleatur in te illud Isaiæ. Ecce concipies, & paries filium. Et quid sibi vult *concipies*? totum capies, ac simul. Ergò sola Maria verè concepit; non enim mundi partem, sed totum; non speciei indiuiduum, sed totam speciem; non templi porticum, sed ædes; non carbunculum, sed lapicinium; non myrrham, sed axolam integram aromatum; non cedrum, sed libanum montem; non columnam, sed con- *Rom.*2.
summatum tabernaculum. Quid vltrà symbolicè loquar? totum ac simul concepit Deũ,
B in quo sunt condita vniuersa, in quo, per quem, & cum quo sunt omnia. Et si mihi non credunt, vt Ambros. vtar verbis, quæ tom. 2. acto. con. Ephes. recitantur, credant Apo- *Gal.*4.
stolo dicenti. Quando autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Filium inquit suum, non vnum de multis, non communem, sed suum; suum cùm dixit, generationis æternæ proprietatem significauit. Hunc posteà factum ex muliere asseruit, vt factura non Diuinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur, factum ex muliere per carnis susceptionem; factum sub lege per obseruantiam legis. Generatio illa cœlestis ante legem, ista post legem.

*In vtero.* Hoc apposuit, inquit Theophil.
C Dominum ex ipsius Virginis vtero incarnatum substantialiter. Dei enim Verbum (scribet Petr. Alexandri. Mar. lib. de deitate, & refertur actio. ead. ephes. con.) quòd citrà vi- *Hiere.*31
ri commercium sola Dei quiduis efficere potest voluntate, in Virginis vtero incarnatum est, viri præsentia eiusdemue actione, adhoc minimè requisita. Signanter igitur dicit prosequitur S. Bonauen. in Luc.) Ecce concipies in vtero, vt ostendat hoc ipsum esse magnum, & mirũ, & nouum, vt concipiat intra nihil recipiendo ab extra. Creauit Dominus nouum super terram, mulier circundabit virum: quid autem nouum illud sit
D fons. de Vir. Mar. c. 3. prosequitur. Vndè Sybilla Delphica intonuit.

*Hoc opus, hoc memori semper qui corde reponet.*
*Huius pertentant cor gaudia magna Prophetæ*
*Eximij, qui virginea conceptus ab Aluo*
*Prodibit sine contactu maris, omnia vincit.*

Itaque, nõ in mente cõcepit, vt Philosophi, *Rom.*2.
qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deũ *Hier.*2.
glorificauerunt. Non in carne, vt Iudæi, qui *Psal.*118
à seculo confregerunt iugũ, & dereliquerũt *Psal.*37.
fontem aquæ viuæ. Non in corde solum, vt *Psal.*83.
pij, quorum est sedulo clamare. Concupiuit *Psal.*138.

ani-

*Psal.* 83. anima mea facere iustificationes tuas : Desi-
*Psal.* 138 derium meum ante conspectum tuum : Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum verum, Quo ibo à spiritu tuo? Sed neque in corde, inquit Caieta. vt nouellus error somniauit, Errorē tamen, quem præterit Caiet. & nouellum dicit, nos antiquum arbitramur, vt Valētinianorū, qui nihil ex Virgine Christum sumpsisse prædicabant, sed quasi per canalem transisse. Apolinariorū, qui cœlicam non humanā carnem in Christo agnoscebant. Marcioniſtarum, qui nihil veri hominis, sed phantasticū portasse corpus voluerūt. Proclianistarum, qui simulatum hominem dixerunt Christum. Ad hos errores, velut ad antiquissima spineta, & immanes tribulos, fateor accessisse Sarcerium hæreticum, atque alios nouatores prioribus deteriores, & collegisse, ac seminasse, quæ illi pari infidelitate messuerant, ex agro, & mercede iniquitatis. Quotquot enim veritatem naturæ humanæ Christo denegarūt, dixere, non in vtero, vt cæteri hominum conceptum fuisse. Ex omnibus tamen, quæ fidei plus hoc in loco aduersatur est quam Photinus suscitauit. Hic quidem sentit, Christum in vtero conceptum, quin totum ibi sumpsisse initium. Quo dogmate scribit Nicepho. lib. 9. Eccl. hist. cap. 31. vbique locorum diuulgato, vniuersi tàm in Oriente, quàm in Occidente Episcopi, siuè Nicenam sequerentur fidem, seu Arrianam complecterentur sententiam, graviter id tulere, quod ex æquo contra omnes nouas res inducere existimaretur. Paulò post tamen cum Sabellio Lybico, & Paulo Samosateno, qui eadem deprehensi sunt docere dānatū refert Sirmij (quò Imperatore Constantio) varij Episcopi ad Concilium conuenerant, quemadmodum, & Socrates scribit lib. 2. eccl. hist. c. 30. & 31. Quia verò Photinus (contionatur Theodorus Amyræ Episcopus homi. Nat. Dom. habita in Syn. Eph. Ciril. præsente, referturque tom. 6. eiusdem Concil. cap. 10.) natum puerum hominem dicit, neque puerū illum, qui ex vtero prodijt, diuinū esse admittit, sed hominē à Deo distinctū esse cōtendit; exponat mihi, qui fieri queat, vt natura humana ex vtero virgineo nata, virginale claustrum incorruptum conseruauerit? nullius enim hominis mater virgo permānsit. Subindè infert Deū esse, qui ex parte inquit sortitus est initiū, non Deitatis, sed aspectibilitatis. Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; ac propterea subdit Angelus.

*Ioan.* 1. *Et paries.* Scilicet undem quem concipies, & gestabis more reliquarum in vtero, atque eadem virgo permanens, quia conceptum sine libidine, ait S. Bonauent. sequitur partus sine parturitione, & dolore; ideò addit, *Et paries* filium secundùm illud, Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Pensa si potes, ait *Ricard.* de Sancto Victor. lib. 2. de Emanuel. ca. 25. quæ, & quanta sit ista mirificentia, virginem concipere, virginem parere, & post partum virginem permanere? Æstima si vales, quæ & quanta sit ista mirificentia, partum Virginis, ab hora conceptionis omnem plenitudinem accipere, & in humanitatis veritate plenitudinem diuinitatis obtinere? Hæc (profert Hesychius ser. 2. de Sancta Deipara) Vniuersum Trinitatis complementum, quandoquidem, & Spiritus Sanctus aduenie bat, atque hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vtero gestatus inhabitabat. Papè, (vt Andreæ Hierosolym. verbis vtar) rem admiratione dignam. Vellus roreſcit sicca area: Terra dat fructum sine agricola, & absque manibus inciditur lapis angularis in fundamento fundatus, vt corrupta destruat, conseruet autem virginitatē in monte, vndè prosilijt, secundùm Epiph. ser. de laud. Virg. Mar. Subinde Cumana Sybilla.

*Ef.* 66.

*Exod.* 3. *Num.* 17 *Iudit.* 6.

*Dan.* 2.

*Vt voluit nostra vestitus carne decenter*
*Incunctis humilis, casta pro matre puella.*
*Deliget; hæc alias forma præcesserit omnes.*

*Filium.* Filij nomen potest referri, ad Cōcipies in vtero, & paries, quemadmodum, & Epiphanio videtur dum citato loco perorat ad Virginem, Tu enim es Deipara, quæ Verbum ex te incarnatū peperisti; Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum filiū genuisti, ex te incarnatum, sed æternū, qui ante est, & ante omnia. Ita (subdit Fulgēt. de incarn. & gratia Christi, cap. 6.) Deū Verbū secundum, quod caro factū est, virgo sancta concepit, Angelorum, hominūque factorem, eundemque nihilominus virgo peperit hominum Redemptorem. Alludunt ad hæc, quæ Ambros. epist. 81. scribit. Hæc est virgo quæ in vtero concepit; Virgo, quæ peperit filium. Ex quibus omnibus infertur filium, qui à primo conceptu filius creditur aliquid supra hominem esse; hominum enim nullus in conceptu est filius, sed embrio. Qui ergo à conceptu est filius, Deus censetur, nō purus homo. Sed obijcit Nestorius in Cocil. Epheſ. tom. 2. c. 8. Sacra Scriptura ex Christipara Virgine genitū esse nusquā affirmat, sed IESVM Christum, sed filium, sed Dominum. Quid tum Hæreticè? an non ista sufficiūt ad fidem, quæ in te desideratur? optabas fortè legi. Misit Deus Deū suum, vt idololatriam suscitares? Aut certè voluisses scribi. Ecce virgo concipiet, & pariet Deum, vt Deificares MARIAM? Apagè insane, sapiētia quæ fundauit cœlos, & ædificauit totā Ecclesiæ domum in Patriarchis, Prophetis, Euangelistis.

listis, atque Doctoribus, docuit nomina, quibus in hoc potissimùm mysterio vtendum
*Genes.25.* esset, vt veritas pateret Iacob lenis, Esau autem in sua permaneret rusticitate. Hanc quidem tu impostor adamans non intelligis, quæ legis, neque emedullas artificis sapientissimi mentem. Siquidem quò perspicacius fieret nòbis arcanum, nominibus quæ tam de Deo, quàm de homine dicerentur, vti voluit
*Mat.22.* Spiritus Sanctus. Vndè & Christus per nomen Domini, suæ Diuinitatis dexteram, & carnis assumptæ stipem ex Psal. testimonio declarauit Iudæis, similiter & per nomen Fi-
*Luc. 22.* lij, quando interrogatus, Die nobis palam si tu es Christus? Respondit eadē penè, quæ de filio hominis Daniel prædixerat. Vndè sic argumentatur Cyril. in epi. ad Anastas. & reliquos Monachos. Si homo, inquit, fuisset, &
*Daniel.7* ob copulationem eum Deo, tamquam Deus honoratus, dixisset Propheta, quasi Deum, vel quasi filium Dei eum, qui cum nubibus venit, visum esse. Sed hoc non dicit, sed illud dicit. Sicut filiū hominis. Vidit vtique Deū existētem, & hominem factum filium, hoc est
*Philip.2.* in similitudinem hominum factum, iuxta Pauli vocem. Eundem inquam Patri consubstantialem (scribit Io. Antioch. nomine Orientalium ad Cyril. tom. 5. c. 5. Eph. con.) secundùm Diuinitatem, nobis item coessentialem secundùm humanitatem. Siquidem naturarum facta est vnio; quò fit, vt vnum Christum, vnū Filium, vnum Dominum confiteamur, & secundùm hunc inconfusæ vnitatis intellectum Sanctam Virginem Deiparam esse profitemur. His atque alijs inducti Concilij Ephesini Patres, damnarunt Nestorium, cuius scripta Theodosius Imperator præcepit inflammari. Ergo Filium Dei, quem instanti primo Virgo MARIA cōcepit, peperit eundē. Quapropter idem Filius, qui ab æterno ad Patrem Deum refertur, ordinem quoque habet ad Matrem humanam; an verò vna, an alia, atque alia relatione filius patris, & filius matris dici debeat, Scotistis, & Thomistis committo.

*Is.30.62* *Et vocabis.* Ergòne mater filio nomen imposuit? An non legimus. Ecce nomen Domini venit de longinquo. Et vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit? Qui ergo ait, vocabis, quòd vocatum est? & cur vocat tēporalis mater, quod Pater æternus ab æterno eructauit? Vterque vocant, quòd suum est; proles enim sequitur ventrem in humanis, in diuinis autem mentē; hinc enim ante secula procedens, est patris, & matris, quando in temporis plenitudine ab eius vtero manauit. Vocatur autem in tempore, qui præcessit omne tempus, vt in tempore quoque vocarentur, qui ante tempora nomē electum acceperunt in Deo; vndè dicebat, qui vocare venerat, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Tuum quidem, quod est mirabile, & ineffabile: Tuum, quod electis communicas, vt Filij Dei nominemur, & simus. *Psal. 21.*

*Nomē eius IESVM.* Profectò, & hic quispiā inuestigabit de multiplici Christi nomine, & quorsum statuit Angelus appellare IESVM potiùs, cum de eo scribatur. Hoc est nomē quod vocabūt eū, Dominus iustus noster. Voca nomen eius Emanuel. Voca nomē eius, accelera spolia detrahere, festina prædari. Dominus nomen eius. Dominus exercituum nomen tibi. Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Vir oriens nomen eius, & similia quæ videbantur propiùs illi adaptari? Minimè gentium. Enimuerò nomē IESVS, est nomen super omne nomē. Quod autē est eminens, reliqua includit quæ subsunt. Vndè Georgius in sua harmonia, nomē IESVS fingit esse illud Tetragrāmatō. quod Hæbrei יהוה Iehoua vocitant, tametsi ob eius excellentiam velint ineffabile esse, neque proferri, cuius explicationem Messiæ seruari contendunt. Quod cùm factum sit, nos qui doctrinā eius profitemur, liberè, pronunciamus יהוה. Iehoua, quoties occurrit, & inuocamus super nos tam hoc, quàm reliqua Dei nomina, dū nomen IESVS adoramus, colimus, & eius virtutem, quæ ad omnia est miracula, & portenta, nobis communicari postulamus. Tantumdem enim est, ait Cyril. Alex. lib. de vnigen. incar. cap. 3. & Christus, & Emanuel, & IESVS: & idē verò quasi ex re nomen est factum. Quin & alia nomina secundùm Galen. lib. 3. c. 18. ab ipsius saluationis sumuntur effectu, cum solùm aut principium, aut medium, aut finem nostræ saluationis concernāt: sed hoc nomē IESVS totum nostræ salutis processum, principium scilicet, medium, & finem continet. Ergo dicendum, ait S. Thom. 3 p. q. 37. ad p. quod in omnibus illis nominibus quodammodo significatur hoc nomē IESVS, quod est significatiuū salutis: nam in hoc, quod dicitur *Matt. 1.* Emanuel, quod interpretatur nobiscū Deus, designatur causa salutis, quæ est vnio diuinæ, & humanæ naturæ in persona Filij Dei, per quam factum est, vt Deus esset nobiscū quasi particeps nostræ naturæ. Per hoc autem, *Isai.8.* quod dicitur, Voca nomen eius accelera, &c. designatur à quo nos saluauit, quia à Diabolo, cuius spolia abstulit secundùm illud, Col. *Colos. 2.* 2. Expolians principatus, &c. In hoc autem, *Isai.9.* quod dicitur. Vocabitur nomen eius admirabilis, &c. designatur via, & terminus nostræ salutis, in quantū, scilicet a, dmirabili Diuinitatis consilio, & virtute ad hæreditatem futuri seculi perducimur, in quo erit pax perfecta filiorum Dei sub ipso Principe Deo. Quod verò dicitur. Ecce vir oriens, &c. refertur ad quod primum, scilicet, ad Incarnationis

tionis mysterium, secundùm quod exortum est in tenebris lumen rectis corde. Ad hæc dicito, vocari Dominum iustum nostrum, à iustitia infusa, per quam ad nos descendit, & dominatur nostri Deus noster, Emanuelem, vt Authorem iustitiæ, & salutis Deum, & hominem simul esse credamus. Est, Accelera, quia exultauit vt Gigas ad currendam viam suam. Est, Spolia detrahere, quia captiuam duxit captiuitatem. Est, Festina prædari, quia antequàm sciret per ætatem carnis vocare patrē, & matrem, Damasci, id est, Diaboli fortitudinem tulit, & præcipitauit mortem. Est Dominus nomen eius, quia, inquit, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Dominus quoque exercituū dicitur, quia ad eum Pater. Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Dicitur, Admirabilis, quia generationem eius quis enarrabit? Dicitur consiliarius, quia magni consilij Angelus. Deus, quia præter me, inquit, non est alius. Videte, quòd ego sim solus. Fortis, quia fortis, & potens, Dominus potens in prælio, & propugnator ad saluandum. Pater futuri seculi, quia cùm tradiderit Regnum Deo, & Patri, euacuabit omnē principatum potestatem, & virtutem: solus autem ipse erit Pater habitantibus Ierusalem. Princeps pacis etiā dicitur, quia auferens bella, vsque ad fines terræ, vt congreget ab Oriente, & Occidente, & à quatuor terminis terræ electos filios, qui recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno cœlorum, & seruiant Domino humero vno constituentes sibimet caput vnum, vt non sint vltrà duo populi, sed populus sanctus & pacificus, quem elegit Dominus sibi, & multiplicat, abūdareque facit omnibus. Denique, Vir oriens appellatur, quia splendor Patris, & in splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genitus; vnde & lux mundi, quæ illuminat mirabiliter à montibus æternis, omnem hominem venientem in hunc mundum. IESVS autem, est nomen eius proprium, tū naturæ, tum officij, quod vt Deus & homo in redemptionem prolapsi egregiè perfecit. Id quod Scriptura nominis, & interpretatio per se satis indicant. Eius Scriptura est, יהשוע Iesua quæ constans literis quatuor, vt יהוה Iehoua Diuinitatem humanitati coniunctam præsefert, necnon admirabilis vniōnis finem. ו Iod enim principium interpretatur, estque pater principium de non principio in diuinis. In his autem quæ sunt ad extra, æquè conuenit tribus, vnde Christus dixit. Ego principium. שׁ, Schin, est dens oris, quod alludit ad secūdam personam Verbi, hoc enim à mente est Patris, & in Patris essentia manet vnus numero Deus, instar dentis, qui ab ore profluit, & ibidem remanet. ו, Vau, secūdùm eundem Hieronym. ad Paulam, est, Et, quo Spiritus Sanctus, qui est coniunctio, & nexus amoris

*Psal.* 111. *Iere.* 23. *Psal* 18. *Ep.*4. *Isai.*8. *Matt.*28 *Psal.*2. *Isai.* 53. *Isai.*9. *Deut:*32 *Psal.* 29. *Isai.* 63. 1. *Cor.*15. *Psal.*45. *Matt.* 8. & 24. *Oseas* 8. *Deut.* 28 *Psal.*109. *Psal.*75. *Ioann.* 1. *Ioan.*8.

A secundùm August. denotatur. Et is quoque licèt à Patre, & filio, sit vnus est ijsdem in natura. ע. Hain, quarta nominis IESV litera, exponitur fons, siue oculus oris, vt per eam intelligamus assumptam humanitatem, quæ est fons patens domui Iacob in salutem mēstruatæ & immundæ. Oculus item est oris, quia vnita Verbo, quòd Altissimi os, vndè primogenita fluxere, appellatur. Vndè Hain, & Schin figuræ nonnihil assimilantur; omnes autem Diuinæ personæ hoc nomine signantur, tum quòd identitate naturæ sint idem Verbo, tum quòd innotuere orbi per assumptum hominem, qui vocatur IESVS. Is quidē singula de Trinitate, nunc parabolis, nūc claro eloquio explicauit, & perfecit irrigare, vnificare, & fœcundare omnia quæ aruerant, quinimò arentia ipsa, fontem in vitam æternam saltentem effecit, per largitionem meritorum, & gratiarum, quæ iugiter velut de fōte scaturiebant ab humanitate assumpta, cuius finis extitit vitam dare abundantiùs, hoc est, ad gloriam trahere. Propter quod oculus, qui dirigit gressus in finem, hoc loco interpretatur: finis autem noster est os Dei, hoc est voluntas eius benè placens; ad hūc vniuersa quæ IESVS fecit, & dixit ordinari deponunt oracula, & Patres vnanimiter sic credunt, nec aliud petunt, nisi fiat volūtas. Itaque IESVS nomen sic expositum facilè omnia alia obuoluit, & munia quæ sic dictus perficit, clarissimè proponit. Vnde non quatenus homo dicitur IESVS (vt censuit Athanas. in rescrip. ad Liberium Papam, quòd perfectum hominem assumpserit Deus) sed vt Deus; tamen si vulgarem nominis interpretationem sequi velimus, vt IESVS dicitur Saluator, nam neque vt Deus solùm, neque vt homo solùm, saluauit Christus, sed vt Deus, & homo, est, & dicitur Saluator (vti Cyrillus, ex 1. Timoth. 1. Paulus Apostolus IESV Christi secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, probat libr. de recta in Christum fide ad Theodosium;) Vndè IESVM præuidens Isaias intonuit. Ecce Deus Saluator meus. Tu es Deus absconditus, Deus Israel, & Saluator. Ergo, siue IEsus exponatur, vt solet, siue per literarum intelligentiam, nomen erit facilè aliorum Princeps, super omne nomen, in quo oporteat nos saluos fieri. Atque hæc de nomine IESV, de quo plura habes apud Matth. & restant multò plura, cùm ad nominis impositionem, Deo duce perueneremus.

*Zach.* 13. *Ezech.*24 *Ioann.* 4. *Ioann.*10. *Isai.*12. & 45. *Philip.* 2 Act. 4.

( ? )

CA-

## CAPVT XXIX.

*Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.*

HIc, ò MARIA, iuxta nomen suum habebit & laudem, & imperiũ, *erit* quippè *magnus* omnium, qui fuerunt, aut erunt, aut esse per Deum possunt. Siquidem & ipse, qui habitu erit homo persona *filius* patris *Altissimi vocabitur*, non ab Angelis aut hominibus solùm, sed à Deo ipso Patre, qui vt ab initio, sic in æternum dicet ad eum. *Psal. 2.* Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Et* ideò in humanitate quam ex te assumet pro summo dono *dabit illi*, vt vnicè dilecto, *Dominus Deus* Pater, *sedem* illam totius imperij, dignitatis, atque gloriæ, quam *Dauid patris* eius regnum potuit temporaliter præfigurare; vt sit excelsus præ Regibus terræ, cui *Psal. 88.* vniuersi acclament gloriam, honorem, diuinitatem, & potestatem in secula seculorum. Amen.

*Hic erit magnus.* Magnus quidem fuit Ioannes, inquit Theophil. sed non ad hoc *Luc. 1.* Altissimi filius. Fuit & Moyses vir magnus, *Exod. 2.* sed in terra Ægypti coram seruis Pharaonis; Christus autem inter Filios Dei primatum habuit. Et Magnus erat Iob, inter omnes *Iob. 1.* Orientales; Christus autem princeps Regum *Apoc. 1.* terræ. Quare, *Hic erit magnus*, secundum S. Bonau. ostendit magnitudinem eius excellentissimam esse propter gratiam singularé; ibi, Et Filius Altissimi vocabitur; propter excellentiam Regalem, ibi. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid; & propter potentiam æternalem, ibi. Et regnabit in domo Iacob in æternum. Itaque & Ioannis & aliorum habet principiũ, notat Ambros. sup. Luc. lib. 2. habet, & finem: Dominus autem IESVS idem est finis atque principium, idem primus & nouissimus, nihil ante primum, nihil vltrà nouissimum. Vtcunque dupliciter Chri- *Apoc. 1.* stum considerare *magnum* oportet, licet in vtraque omnes magnos excedat. Est *magnus* *Psal. 47.* vt Deus, cui acclamatur, Magnus Dominus, *95. 144.* & laudabilis nimis. Rex magnus super ter- *36. 88. 85* ram. Magnus & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt. Magnus es tu, & faciens mirabilia, & similia, quibus Deum om- *Isai. 12.* nipotentem, vniuersorum conditorem, & immensum profitemur & vnicum. Est quoq. *Ioan. 1.* *magnus* vt homo, iuxta illud. Quia magnus in medio tui, De quo Ioan. In medio vestrũ stetit quem vos nescitis; tametsi enim in terris visus fuerit, & cum hominibus conuersatus, nemo nouit nisi ipse, quid esset in homine, quem assumpserat; Siquidem huius magnitudo erat omnes thesauros sapientiæ, & *Ioan. 2.* scientiæ Dei penes se conseruare, videlicet *Colos. 2.*

A (vt longa serie Scholastici in 3. S. Thom. in 3. p. & alij libris particularibus, vt Anselm. lib. Cur Deus homo. Athanas. & Tertul. de verita. incarn. ac reliqui affirmant ex sacris oraculis) scientiam beatorum, qua comprehensor; omnem scientiam infusam, qua Angelis & Adã fuit eminentior; gratiam capitis, per quam meruit redemptionem vniuersorum, ac denique omnem spiritualem ornatũ, qui possit à Deo communicari rationali creaturę. Attamen cũ hæc ab oculis reliquorũ abscõdita essẽt, paruus reputatus est ipse: nã qui *Isai. 52. 53.* excelsus, paruulus natus est, & visus est Deus, qui vincit scientiam nostram, quasi vnus ex *Psal. 48.* nobis colonus, percussus à Deo, & humilia- *Prou. 22.* B tus, vt impleretur, simul in vnum diues, & *Exod. 7.* pauper. Diues, & pauper obuiarunt sibi, ha- *Deut. 32.* buit enim petra aquas, & saxum dedit oleum, *Mat. 15.* potuitque sitientem adaquare mola arida, sed *Luc. 11.* & thesaurus, quò nisi in agro? & margarita ni- *Psal. 21.* si inter viles paleas reperitur? Ergo qui dixit, *Phil. 2.* Ego vermis, non est rapinam arbitratus eru- *Ioan. 8.* ctare. Ego principium. Et quidnam non & paru- *Ioan. 9.* itas Christi magnitudo est? & dum se paruifi- *Act. 3.* cat magnum præstat? Etenim quidquid in *Matt. 9.* Christo est, *magnum* prædicatur: nam sputum *Luc. 1.* eius illuminat cœcos, tactus erigit claudos quin & fimbria fluxum restringit, suscitatque mortuum vox eius, & vt verè fatear, orbem to- C tum excitauit, quem pariter sanguis diffusus sanauit. Quare, inquit Euthym. est *magnus* propter magnitudinem operum & sermonum suorum. Hæc quidem si videris (perorat Origen. Hom. 6. in Luc.) pariter intueberis non transitoriè dictum, *Magnus erit*, sed verbum opere completum. Magnus est Dominus IESVS, & præsens & absens, tribuitque consortiũ fortitudinis suæ huic cœtui nostro, atquè conuentui, quòd vt singuli mereamur accipere, deprecemur Dominum Deum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen. *Apoc. 1.*

*Et filius Altissimi vocabitur.* Altissimus est qui proclamatur solus in omni, & super *Psal. 96.* omnem terram, qui diuisit gentes, & constituit termios populorum, iuxta numerum fi- D liorum Israel. Qui sanctificat tabernaculum suum, & fundat Ecclesiam; quia homo natus *Deu. 32.* est Altissimi filius. Quo factum est, vt homo *Ps. 46. 86* ille sic vocetur *filius Altissimi* Dei, scilicet, per gratiam vnionis, inquit S. Bonau. Filius *Ioan. 1.* inquam vnigenitus, secundùm illud, Vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. & ita æqualis erit Altissimo secundum illud: *Psal. 96.* Tu Dominus Altissimus super omnem terrã. *Phil. 2.* Quis hic nisi Christus Dominus, de quo: Donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, &c. Hoc autem nulli alij dedit, quia in solo filio Virginis est gratia vnionis. Hoc est Deus hypostaticè vnitus humanæ naturæ, vt quæ de filio Dei prædicantur, conueniant homini Chri-

sto

sto ratione personæ filij Dei, qui in assumpta natura singulari gerit personam hominis. Vnde fit, vt Deus est homo, homo est Deus, Deus factus est homo, homo factus est Deus. Deus est natus, passus, & crucifixus, & similes propositiones de Christo homine verificantur, vt Scholastici in 3. tum maximè Dionys. Cartusian. dist. 7. S. Thom. 3. p. q. 16. persuadent à gratia vnionis quæ in Christo supponitur. Est autem gratia vnionis secundū Pelbortum tom. 3. sui Rosarij Verbo, gratia 3. Dei bonitas naturam humanam secum vniens, & hoc modo accipiendo, gratia vnionis nominat quid increatum. Secundò dicitur gratia vnionis fundata in natura humana, quā diuinum Verbum terminat, qua vnione natura humana dicitur Verbo vnita, & Verbū ei vnitum, sicut suo modo quis, similitudine similis dicitur. Tertiò modo dicitur gratia vnionis quidam habitus supernaturalis, qui charitas nominatur, qui de congruo hanc sequitur vnionem; decet enim hominem Deum, seu naturam assumptam charismatibus charitatis informari. Attamen postrema proprius dicitur gratia singularis personæ, & capitis vnionem hypostaticam sequens abundanter, quod propinquius esset, inquit S. Thom. 3. p. q. 7. art. 9. anima Christi causæ influenti. Propriè igitur gratia vnionis, qua Christus annuntiatur *filius Altissimi*, est vnio ipsa hypostatica filij Dei cum natura humana. Dicitur *Ephes. 2.* autem gratia, quòd omnes transcendat meritum, sed propter nimiam charitatem qua nos Deus dilexit, nusquam Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Est enim hoc summum beneficium, quod esse potest, ait Medina in 3. p. S. Thom. q. 4. art. 1. & omnia beneficia mundo exhibita, si cum hoc beneficio *Hebr. 2.* Incarnationis conferantur, minima sunt. Cui enim aliquando dixit Deus. Filius meus es tu? Ergo velut summum nascituro conferen- *Hebr. 1.* dum beneficium, ait Angelus ad Matrem. *Et filius Altissimi vocabitur*. Primum scilicet à Patre, qui voce ad eum delata intonuit. Hic est filius meus dilectus. Deinde ab Angelis, quando introduxit Deus primo- *Matt. 3.* genitum in orbem terrarum, & dixit. Adorent eum omnes Angeli eius. Præterea ab *Hebr. 1.* Apostolis, qui cum Petro confessi sunt. Tu es Christus filius Dei viui. Postremò à cunctis fidelibus, qui credunt in IESVM Christum filium Dei vnigenitum. An non etiam *Matt. 16* Dæmones credunt, & contremiscunt? Denique solum perfidi Iudæi exclamant. Hunc nescimus vnde sit. Deus dereliquit eum: Blas- *Iacob. 2.* phemat, quia filium Dei se facit. Sequuntur *Ioan. 9.* hos, vt ait Damas. ad Paulinum, quicunque *Psal. 70.* contra veritatem naturarum, quæ in vno sunt *Ioan. 19.* Christo, dogmatizant: nam qui Dei naturam in Christo denegant, vt Cherintus olim, & nunc Ochinus, hanc, Christus est filius Dei

A Altissimi naturalis, minimè admittunt. Nec similiter Christus homo est filius Dei, qui humanam naturam non recipiunt in Christo, vt Prescillianus, & Manichæi. Ex omnibus, qui plus cæteris turbarunt Ecclesiam hac in parte leguntur Eutyches, & Nestorius. Hic quidem, scribit Virgilius lib. 3. con. Euty. Constantinopoli. duas inducendo naturas, duas putauit esse personas, & ob hoc arbitratus est duos Christos esse. Eutyches respiciēs vnam personam, vnam censuit esse naturam, & ob hoc humanam ausus est denegare. At huiusmodi non esse Christianos Athanas. in epist. ad Epicte. dicit. Ferit autem anathemate imprimis Cyril. duodecim capitulis con-
B Nesto. scriptis, & explicatis contra Theodoretum, deinde Synodus tota Ephesina, & post modum Chalcedonensis, quam Marcianus Imperator aduersus Eutychen collegerat, in quibus communi Patrum sententia diffinitum est, Christum vnum esse, eundemque Dei filium, atque hominis dici, & consequenter MARIAM non solum Christotocos, sed Theotocos dici oportere, hoc est, verè Matrem Dei. Credimus enim, ait Fęlix Papa ad Maximum, & Clerum Alexan. Dominum nostrum IESVM Christum ex Virgine MARIA natum; credimus hunc esse æternum Dei Filium, & Verbum, non autem hominem à Deo assumptum, ita vt alius sit ab illo.
C Igitur vnus est naturalis *filius Altissimi*, qui *Psalm. 2.* vocatur à Patre. Filius meus es tu, & ad quem *Lucæ 2.* mater. Fili quid fecisti nobis sic? Obstare his *Roman. 1* tamen videtur Paulus, qui prædestinatus est filius Dei in virtute. Ergo si in virtute, quam habuit infusam vocatur Filius Dei, per adoptionem is erit, non per naturam? Absit tanta impietas, quam Elipandus Toletanæ Sedis Archiep. introducere suis scriptis conabatur. Hoc, inquit, Adrian. Papa I. ad Synod. Francofordiæ. Catholica Ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam malè credentibus assensum præbuit. Ratio autem est secundùm S. Thom. 3. part. quæst. 23. art. 4. quia filiatio propriè conuenit hypostasi, vel personæ, non autem naturæ. In Christo
D autem vnica est persona increata, cui conuenit esse filium per naturam: minimè autem per adoptionem. Quare hac in parte errasse Durandum cum Elpidio nulli sit dubium. Ad locum igitur Pauli dico malè exponi, sed vt Patres, qui licèt varient, nihil tamen contra fidem proferunt; conueniunt enim omnes, Christum esse Dei naturalem filium, & ab æterno prædestinatum in natura, quam assumpsit in tempore, dici, & esse filium Dei. Qui ampliora huius loci interpretamenta desiderat, vel S. Thom. 3. p. q. 24. art. 1. & Medinam eius commentatorem consulat, aut certè Aug. lib de prędistin. sanct. c. 15. Hier. Amb. Tertull. Theodor. & Scholast. in 3. dist. 7.

*Et*

*Ioan.* 10. *Et dabit illi Dominus Deus.* Dabit, loco communicabit, esse potest, vt ibi. Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est, idest Diuinitas, quam in generatione mecum fecit communem; quia Ego, & Pater, vnum sumus præstat omnibus, velut primum vniuersorum principium, atque agens, & ens à nullo pendens, quin ab eo cuncta dependent. Dare, hìc quoque pro honorare potest poni, vt ibi. Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quod est Imperium, quod Psaltes Regi precabatur dari, ac filio Regis, nec non gloria, ac honor, quæ homini Christo super opera manuum Domini concessit dator. Si dare hoc postremo modo accipias, interpretare, Sedem, vniuersa honorifica, quæ largita sunt Christo secundùm humanitatem, videlicet esse caput supra omnem Ecclesiam, Pontificem ad interpellandum, Regem ad regimen in virga ferrea: & Potestatem omnis iurisdictionis super cœlum, & terram. Saluatorem à malis, & in bonis obtinendis Mediatorem. Quæ omnia complexus est dicens: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius. Et ibi. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Si, Dare, primo modo placet vsurpari, Sedem, dicito Gloriam, maiestatem, & omnipotentiam, & magnifica omnia quæ sunt solius Dei interpretari. Dedit quidem filio omnia Pater, vt sit omnipotens, quia Pater meus vsque modo operatur, & ego operor; vt sit patitor æternus, & insistitus, quia antequam Abraham fieret Ego sum; ab æterno enim generauit me Dominus. Hæc autem omnia vnius Christi esse propria iuxta diuersitatem naturarum, quæ vni adhærent personæ Verbi, perpulchrè, & admodum sim docet Cyril. Alex. in vtroque lib. quos ad Theodosium, & Reginas direxit. De recta in Christum fide. Cæterùm ne in his prosequendis te conturbet (Lector) futurum, Dabit, Erit, Vocabitur, nota eiusmodi futura in scripturis non semper distingui à præterito, & præsenti, & potissimum cùm sermonem de diuinis proponunt. Quin imo tunc, & præsens, atque præteritum connotant: nam, æternum, omne tempus includit; vnde, dabit, tantundem est, ac dedit, & dat; Erit, est, & fuit; Vocabitur, vocatur, & vocabatur. Propter quod Moysi dans nomen suum Deus, illud sub. Est, fuit, & erit, expressit. Iterum nota, Domini, ac Dei fieri mentionem in collatione Dauidicæ sedis, vt eam nihil aliud credas, nisi regimen, siue increatum, siue creatum, ad operationem, & fœlicitatem electorum. Domini enim est regere; Dei autem beare, atque perficere. Qualitatem igitur Sedis innuit Angelus, quando dixit, Dabit Dominus, finem verò, cum subiunxit, Dabit Deus. Id quod licèt obseruare in Prophetis: nam vbi de Rege, ac Regno sermo est futurus, Domini fit mentio, vt, Domini est Regnum, & ipse dominabitur gentium. Quoniam Dominus excelsus terribilis Rex magnus. Et, Dominus in capite eorum. Ita quoque Deus memoratur, quoties de beatitudine, & ijs quæ ad eam ordinantur agendũ est. Vt, Deus meus misericordia eius. Et, Deus noster miseretur. Deus ipse veniet, & saluabit nos. Verè Deus appropinquans ego. Quia sic, inquit veritas, Deus dilexit mundũ, vt filium suum vnigenitum daret. Ergo Domini nomen, insinuat Regnum, ac regimen: Dei autem fœlicitatem, quam inaccepta sede possedit, & obtinuit subditis, vt qui nunc in Vicaria eius Sede, & Regno sedent aduertant diligenter finem; curentq; non se solum, sed subditos pascere, & dirigere ad montem, qui est in vertice montium, vt quisque Deo fiat sicut annulus in manu dextra, & impleatur cuiusuis saccus frumento, ac torcularia redundent oleo, & vino, ne in perpetuum egeant. Hæc studuit Christus nobiscum, & qui sunt Christi ijsdem inuigilant, vt nomen quod per naturam Christus hæreditauit, filij Altissimi, participent ipsi, & acclamentur filij excelsũ omnes: non Belial, & patris Diaboli, quod portant, qui Bestiæ, non Deo, & qui Mundo, non muneri claro inseruiunt.

*Sedem.* Quid sedis voce importetur habemus ex dictis, quibus ad explicationem maiorem adhibeo, *sedem* signare naturam, vt, Sede à dextris meis, hoc est habeto indiuiduam mecum naturam æquè in alterutro perfectam, & dextris meis, atque perfectionibus claram. Porrò, nomine *Sedis*, potestatem intelligi Daniel insinuat dicens: Iudicium sedit, & libri aperti sunt; hoc est, sedit ad iudicium potentissimus Iudex, & potuerunt vniuersorum causæ, vt pro ijs quisque supplicium reportaret, aut certè præmium. *Sedes* quoque dicit pulchritudinem omnem, qua natus est animus perfici; vt ibi. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam; hoc est, eam perfectionem, qua Principes tui illustrantur. Etiam humilitatem, vt cætera omittant, ac persecutionem, *Sedes* designat, vt. Desolata in terra sedebit. Sederunt peregrinantes in terra. Sedebit conflans, & emundans argentum; hoc est humiliabitur vt aurifer, & argentarius ad depurationem metalli pretiosi, si quo modo virũ Leuitam, & Israelem, qui est pretiosior auro, quod per ignem probatur, purificet à fecibus peccatorum, & emundet ab omni inquinamento. In his quatuor sediisse Dauid, sed excellentius Christum, facilè persuadebit, qui typum Dauid veritati Christi valebit accõmodare. Dauit fugit tristis à facie Saul, & Absalon, eiuq; humiliatus sæpiùs sedit: Christus autem humi-

*Psal.* 22. *Psal.* 46. *Mich.* 2. *Psal.* 58. *Ps.* 114. *Isai.* 35. *Hier.* 13. *Ioan.* 3. *Isai.* 2 *Ioan.* 2. *Psal.* 81. *Ps.* 109. *Dan.* 7. *Sap.* 8. *Isai.* 3. *Hier.* 41. *Mala.* 3. 1. *Petr.* 1. 2. *Reg.* 2. 2. *Reg.* 15 *Hebr.* 5. 1. *Reg.* 18

*Marc.* 7. miliauit semetipsum, vt Pontifex fieret.
*Isai.* 11. Dauid sapienter se in cunctis gerebat: Chri-
*Ioan.* 16. stus autem benè omnia fecit. Dauid potens omnia vicit prælia, & in iudicio sedit, & æquitate pro mansuetis terræ: Christus autem quid? Ego vici mundum, iam Princeps huius
*Ioan.* 8. mundi eijcietur foras. Nec ego te condemnabo, dixit humiliatæ mulieri. Denique Dauid homo, & secundùm imaginem Deus: Christus verò secundùm naturam, & homo, & Deus. Sed vnus interim, ait Iulius Papa ad Prosdocium, vnigenitus est in cœlo, vnus vnigenitus in terra, vt nos, perorat Cyprian. tract. de Eleemosyn. Dei filios faceret.

*Dauid Patris eius.* Christi patrem dicit
*Roman.* 1 *Dauid*, quia factus est ex semine Dauid secũ- B
*Matt.* 22 dùm carnem. Vnde interrogati Iudæi, Christus cuius filius est? dicunt ei Dauid. Ergo quia filius Dauid, supra eius sedem sedet;
*Psal.* 131 Promisit enim Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui
*Exod.* 39. ponam super sedem tuam. Ergo infert, Iudæis sperandum est dispersis, quia congregabuntur de terris inimicorum; lætandum est captiuis, quia non erunt in memoria prio-
*Isai.* 65. ra, ait Deus. Et, Ecce creo Ierusalem exul-
*Ezec.* 21. tationem, & populum eius gaudium. Dabo-
*Ezec.* 36. que vobis humum Israel: & arabimini, & accipietis sementem: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hędo accubabit. Deni-
*Isai.* 21. que choros ducentes Iudæi perfidi conci- C
*Zach.* 9 nunt. Lauda filia Sion, exulta filia Ieru-
*Soph.* salem, quia Rex tuus venit tibi, non timebis
*Isai.* 21. vltra malum. Ecce Saluator tuus venit, & merces eius cum eo. His atque aliis oraculis deludunt seipsos Iudæi, vt non credant Christum, qui nihil horum visus est temporaliter agere, sed sperent adhuc venturum, qui suscitet tabernaculum terrenum Dauid, quod tamdiu cecidit, & reædificet Ciuitates, & templum, quorum vestigia vix apparent. Erratis, ò Iudæi, nõ intelligentes scripturas. Quia Regnum meum non est de hoc mundo, dixit Christus, & Rex quem vestrorum om-
*Ioan.* 18. nium concio inaugurauit Regem, Messiam ex Dauid, cùm dixit, Osanna in excelsis filio
*Matt.* 11 Dauid. Quare audiens thronum, vel sedem D Dauid, aduertit Theophil. ne putes sensibile quoddam Regnum, sed diuinum, quo regnauit super omnes gentes per prædicationem. Quod quidem fit iam inde ex eo tempore, ait Iustinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone Iudæo, de veritate Christianæ religionis ad Pompeium, cùm in Cœlum post resurrectionem à mortuis, susceptus est Dominus noster IESVS Christus, temporibus ad finem suum currentibus. Vnde cum resurre-
*Matt.* 28 xisset intonuit. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Vtique Deus homini dat, inquit Petrus Chrysolog. serm. 144. diuinitas carni. Dabit illi Dominus Deus. Quis A Deus? vtique Verbum, quod erat à principio semper Deus. Cui dat? Quod caro factum est, & habitauit in nobis. Audi Apostolum dicentem, Deus erat in Christo mundum sibi
*2. Cor.* 5. reconcilians, sibique vtique, non alij. Hic ergo Deus, qui in Christo erat, Regnum sibi dabat in Christo, & conferebat suscepto corpori, quod semper sua Diuinitate possederat.
*Hebr.* 1. Hoc autem accepit elatus in cœlum, sedens nunc ad dexteram maiestatis eius, vt tanquã vnicornis, scribit Origen. hom. 16. in Num. vnum omnium Regnum teneat Christus, quia
*3. Reg.* 1. sicut scriptum est, Regni eius non erit finis. Itaque Dauid, qui viuens substituit in Regno Salomonem, figura extitit Dei Patris, qui omne iudicium dedit filio, eumque fecit ex-
*Ioan.* 1. celsum præ Regibus terræ, caput supra om-
*Psal.* 88. nem Ecclesiam, & collocauit à dextris in excelsis, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. In his quidem spiritualibus
*Eph.* 1. consistit Regni Dauid reparatio, & celsitu-
*Psal.* 109 do, quam oracula promittunt, vti Lactantius Firmianus, lib. 4. diu. Inst. cap. 13. ait, cuius, & participes fiunt piè viuentes, secundùm Hilarium in Psalm. 50.

## CAPVT XXX.

### *Et regnabit in domo Iacob in æternum: & Regni eius non erit finis.*

ITtaque super folium excelsum Dauid subleuatus, qui ex te, ò MARIA nascetur desideratissimus *regnabit* Rex sapiens atq; fortis super omnes, qui erunt de *domo Iacob*, & electi inter fortes, & rebustissimos Israel. His quidem Regni sui inexhaustas diuitias impartietur, vt eis *in æternum* fruantur. *Et enim eius Regni* fœliciss imi *non erit finis*, qui vel transmutet sedem, vel regniculos debellet, aut extenuet magnitudinem ciuium, aut opes furetur; absque fine enim omnia bona in illo reperientur Regno.

*Et regnabit.* Sicut scriptum est. Regna-
*Hier.* 23. bit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra; in his enim duobus consistit regimen Christi, vt vno Regni diadema, & altero sceptrum videatur ostentare: est enim iustitia instar diadematis, quo coronatus à patre, meruit suos pariter coronari velut lapide pretioso, subindeque fieri Reges, Regnum, & Sacerdotes. Siquidem iustitia, quam nobiscum facit in terra, nihil est aliud, quã gratia, & virtutum ornatus, quem Spiritus Sanctus rogante Patrem Christo diffundit in nos abundè, eoque velut oleo lætitiæ iniungit, & subleuat ad Regium statum. Iudicium autem est punitio, & vindicta, quã de peccatis, & peccatoribus sumit per pœnitentiam, & laborem, quem statuit à suis voluntariè sumi, vt non regnet peccatum in

mor

*Rom.6.* mortali corpore, neque sit peccator in domo
*Psal.92.* sua, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Vnde Hilar.in Psal. 50. dixit. Hoc Regnum Dei est, vbi peccatum vincitur, vbi mors perimitur, vbi non regnat hostis. Verùm quia hoc tantum est fortium, subditur.

*In domo Iacob.* Iacob enim interpretatur supplantator, luctator. De *domo* igitur *Iacob* erunt, qui supplantant carnem, ne vt serpens serpat, Dæmonem abigunt, ne vt fera bestia sæuiat; auersantur mundum, ne vt vulpis decipiat; qui denique per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, omnes per circuitum hostes debellant strenuè, nec assentiuntur Sathanæ, stirpis sunt Iacob, super quos Christus regnat, communicans gratiam, vt sufficiant stimulum carnis supprimere; largiens humilitatem, vt oculos sublimes deijciant, immo verò ad eos descendens in vinculis, vt æquanimiter ferant aduersa, & reportent de omni tyranno victoriam. Dixit enim his. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Nolite timere eos, qui
*Matt.38* corpus occidunt. In patientia vestra possi-
*10.* debitis animas vestras. Sic enim disposuit
*Luca 12.* Pater meus dare vobis Regnum. Et ipse: vin-
*22.* centi dabo edere de ligno vitæ, quod est in
*Apoc. 2.* medio Paradisi. In his igitur athletis regnat omnium agonotita, qui exijt vincens, vt vin-
*Apoc. 6.* ceret. In delicatis autem, qui otio indulgent, & vacant vitijs, regnat bestia truculenta, quæ toto ore deuorat.

*In æternum.* Æternalem hìc potentiam notat, inquit S. Bonau. secundùm quod pro-
*2.Reg.7.* missum erat Dauid. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum Regni eius, vsque in sempiternum. Sed hæc, subdit Lactant. lib. 4. inst. c. 13. vt Iudæi non intelligerent hæc fuit causa, quòd Salomon filius Dauid templum ædificauit, & ciuitatem, quã de suo nomine Hierosolyma nuncupauit. Cùm tamen videant oculis ad solum vsque materialia illa diruta, nec permansisse *in æternum*, redire deberent ad cor, & intelligere perpetuitatem spiritualem, quæ oraculis promittuntur, vt Vigil. Mart. lib. 5. con. Euti. & Euseb. Cesar. lib. 7. de demonstr. Euang. cap. 9. atque alijs multis Scripturæ locis adductis, demonstrant.

*Et Regni eius non erit finis.* Neque in toto, neque in parte. Regnum Christi in parte est
*Sap.7.* anima iusti, quæ dicitur sedes sapientiæ, propter quod Dei Regnum intra se portat apud quem Deus descendit, & manet. Huius *non*
*Ps. 111.* *erit finis*, quia in memoria æterna erunt iusti.
*15.* Huius fœlicitas non marcescit, quia delectationes in dextera Dei, vsque in finem. Sed neque Regnum in totum, finem habet. Hoc nuncupato cœtum Beatorum. Horum co-

A ronæ sic benedixit, vt campi eius impleantur vbertate, hoc est, sic se vniuersis communicat, vt singuli repleantur omni benedictione *Psal.46.*
spirituali in cœlestibus, quo fur non ascendit, neque tinea demolitur, quæ præparauit Deus diligentibus se. Qua propter in requie opu- *Eph. 1.*
lenta, in tabernaculis fiduciæ, & pace per- *Luc. 12.*
petua introducuntur degere, & prædicantur *1.Cor.2.*
securi à fame, peste, bello, nullam vltra ex- *Isai. 32.*
perientes miseriam, quia Dominus in medio *Hier.21.*
illorum.

## *CAPVT XXXI.*

*Dixit autem MARIA ad Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum*
B *non cognosco?*

TAmetsi vniuersis quæ dicebantur fidem præstaret *MARIA*, modum quo in ipsa implerentur nesciebat; quà propter *dixit ad Angelum*, qui ista narrabat. Ego quidem singula teneo, & Deo pro ijs immensas refero gratias, quod me ex omnibus ad opus excelsum elegerit, verum *quomodo* in me Virgine permanente, *fiet istud*, non penetro. *Quoniam* multis ab hinc annis me totam consecraui Altissimo, quin eo annuente voui virginitatem, & *virum*, quem *non* dum *cognosco* proposui perpetuò à commercio corporis mei ablegare.

C *Dixit autem MARIA ad Angelum.* Introduxit prius Euangelista, ait S. Bonau. Angelum narrantem, & subiungit hic prudentissimam Virginem percunctantem; in qua percunctatione tria nobis explicantur, scilicet, dubitatio conueniens, ibi. *Quomodo*, &c. ratio mouens, ibi. *Quoniam virum*, &c. & solutio satisfaciens, ibi. *Et respondens Angelus*, &c. *Dixit* ergo, & colloquium cum Angelo continuauit absque timore, tum quòd solita esset Angelos familiariter alloqui, tum quòd vitæ excellentia ad pia omnia, & rationabilia intrepidam faciebat, & eloquentem. Nec inter Angelos, nec inter homines, ait Rupert. Ab. lib. 6. in Canti. similem, vel primam habet, vel sequentem habitura est. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ, ait Petr. Damian. ser. de Natiu. Mar. charismate plena fuit? supergreditur creaturis (subdit Ber. in ser. Signum magnũ) vt meritò, sub pedibus eius Luna esse dicatur. His igitur illustrata cœlitus, non formidabat Angelorum colloquia, sed libenter continuabat; Angelum enim formidant, & diffugiunt malæ mentis homines: pij autem gaudent illos alloqui.

*Quomodo fiet istud.* Vt videlicet, inquit Euthymius, concipiam in vtero, & pariam filium? non enim quasi discredens, subdit

Theo-

Theophil. Virgo dixit. Quomodo erit mihi istud, sed vt prudens, & intelligens, vt discat modum, inquirit; non enim prius tale quiddam factum est, neque post hac fiet. Ideò, & ignoscit ei Angelus, & non condemnat, vt *Luc.1.* Zacariam, sed magis modum docet; nam Zacharias meritò condemnatur; habuit enim exempla multa, quandoquidem, & multæ steriles fuerunt; Virgini autem nullũ exemplum erat. Neque enim facilè erat scire, (notat Ambr. lib.2.in Luc.) mysterij ũabscondítum à seculis in Deo, quod neque superiores Potestates scire potuerunt. Quinimo familiare est Angelis, qui reuelant mysteria aliquid dubij ingerere auditoribus, vt moueantur interrogare, sicque fiant sapientiores ex responsis. Sic Moyses dixit. Quis es *Exod.3.* Domine? Iacob: quod est nomen tuum? Da- *Genes.23* niel: Quid sibi vult? Zacharias: quid est hoc? & alij dubitarunt alia, quæ ex reuelationibus minus probè nouerant. Sic quoque MARIA modum faciendi, quem ignorabat, quærit. Cùm enim triplex sit concipiendi modus, ait S. Bonau. scilicet, vnus carnalis, alius spiritualis, tertius admirabilis, & singularis, quæro quo istorum modorum fiet? sic Nicodemus querebat, cùm audiret, quod oporteret *Ioan.3.* eum renasci denuò. Quomodo inquit, possunt hæc fieri?

*Quoniam virum non cognosco.* Pro non cognoscam, Hebræorũ more, qui eadem voce præsens, & futurum annunciant, ex qua Aug. lib. de san virgin. c.4. Greg. Nysse. ser. de san. natiuit. Chrysost. homil. 49. in Genes. ac reliqui Patres colligunt MARIAM Virginitatis votum emisisse. Vnde *Quoniam virum non cognosco*, interpretatur S. Bonau. id est, non cognoscitura me propono, & ita sum Virgo mente, & carne, & proposito, vt mihi rectè cõpetat illud Rebeccæ, quòd erat puel- *Genes.24.* la decora nimis; Virgoque pulcherrimi, & *1.Cor.7.* incognita viro. Et secundùm Apostolum iam non cogitabat quæ carnis erant, sed quæ Domini sunt, vt sancta esset, & corpore, & spiritu; & ideò non irrationabiliter quærebat, quomodo debebat prolem concipere, quæ non proponebat virum cognoscere, vt si posset esse, quòd haberet simul virginitatem, & fœcunditatem, tunc consensum præberet. Legerat, inquit Ambros. lib.2.in Luc. quia Virgo generaret, non legerat quomodo ge- ** non legerat* neraret. Legerat. Ecce Virgo in vtero concipiet: quomodo autẽ conciperet, *in Euangelio primùm Angelus est locutus. Aduersantur his, quæ de voto Virginitatis MARIÆ dicta sunt, Centuriatores, qui alumni Caluini cum reliquis, negant MARIAM vouisse virginitatem, vt hoc figmento monasticum votum si fieri potest, destruant. Verùm vt illud apud Patres est firmum, ita hoc stabit in Ecclesia Dei, vsque in seculum, ne desit Eunuchus, qui se castret propter Regnum cœlorum. Verum quoad votum Virginis, qui plura desiderat, legat Aponium lib.4 in cant. Hugo de Sancto Vict. lib de Mar. Virg. perpet. & Ruper. lib. 3. in cant. & Honor. ser. in fest. Natiu. MARIÆ qui primam tanti voti authorem constituit MARIAM, & ideo, inquit, sola inter mulieres meruit Virgo summæ prolis fœcunditatem. Id quod etiam Bernar. hom. 3. de B. Virg. deponit. A MARIA igitur cœpit Virginum ordo, & votũ, quod nostræ Moniales obseruant à tẽporibus Apostolorum, vt ex Ignatio in ep. ad Antiochen. Cypr. lib. 1. ep. 11. atque alijs patribus constat, qui nunc Velatas, vt Ambr. lib. de inst. Virg. c. 18. aliquando Deo consecratas, vt Fulg. ep. 3. ad Probam, nonnunquam Christi Spõsas, vt Obtat. lib. 6. con. Donatistas, ac ępiùs Sanctimoniales vocant, & Castimoniales, vt Aug. ser. 23. in Euang. secundùm Mat. Formam voti, quod Virgo emisit, Abdi. lib. 8. de vita Bart. Apost. describit in hunc modum. Hæc, inquit, Virgo, cũ execraretur omnẽ virum, prima Deo omnipotenti vouit; primã autem ideò dixi, quia ex quo homo factus est ab initio seculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter fœminas constituit in corde suo, vt diceret. Domine offero tibi virginitatem meam. Vnde patet, absolutè vouisse non conditionatè, si Deo sic placeret, vt Scholasticorum nonnulli affirmant. Attamen quando huiusmodi votum emiserit, non est certum, sanctus enim, Aug. lib. de Virgin. cap. 4. ac cæteri ex verbis MARIÆ ad Angelũ vnanimes affirmant, vouisse ante aduentum Angeli. S. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. vult proposuisse Virginem permanere ante desponsationem, vouisse verò vnà cùm Ioseph annuente Deo post desponsationem. Si credimus reuelationibus Amadei, cùm ad templum trinula per parentes est præsentata, stupentibus omnibus, se animo, & corpore denouit, & promisit omnem suiintegritatem Altissimo. Quidquid sit tamen de tempore, certum est apud nos. Virginitatis votũ ab ea ante sicut omnes emissum, vt homines Christum, sic mulieres sacræ MARIAM contemplarentur, exemplũ sine exemplo tam infœliciũ temporum, quando, vt Galat. lib. 7. de arca. nos. fidei. c. 14. ait ex Rabbi. senten. omnes Virgines Iuda appetebant licitè, vel illicitè deflorari, à quarum moribus tantùm abfuit MARIA, vt mentẽ nedũ corpus seruare castissimum proposuerit, & vouerit, vt inquit Anselm. de excel. Bea. Virg. cap. 4. Vndè quia prima fœminarum, ait Beda ser. m. 4. in assump. MARIA Virg. tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere. Nam (ait ad eam Chrys. hom. 49. in Genes.) si cognoscere virũ, non fuisses habita digna, vt huic mi-

ni-

nisterio seruires; nõ quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas. Regius enim fuit introitus. Quomodo ergo, ait ipsa ad Angelum secundùm Aug. lib. de Mar. Virgin. fiet istud, vt ego graueſcam ex pudico, & castissimo marito, quoniam virum penitus non cognosco; Desponsata sum homini iusti; si cum illo non conuenero, vnde erit, quod generabo? Sed si poterit fieri, vt concipiam intacta, & generem clausa, indica modum, & paratum inuenies cor meum. Iam ergo modum quem explicat Angelus audiamus.

## CAPVT XXXII.

*Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

ETenim, ò MARIA fœminarum omnium prudentissima, *respondens Angelus*, pulchri sunt sermones tui, atque iustissimi; nec enim decet te aliã fieri, neque vult cui te credidisti Deus, imò eò te digniorem iudicat, quo te, animo, & corpore castissimam intuetur. Qua propter, *dixit ei*, quem efflagitas modum accipe, sed insolitum, sed inauditũ, quippè totum diuinum. Siquidem nõ homo, sed Spiritus ille, qui implet omnia, atque fœcundat, & sanctificat, vt qui solus *sanctus, superueniet* acturus *in te* omnia, quæ ad generationem corporis faciunt; *& virtus* omnium potentissima, quippè *Altissimi* ad te intrabit, & corpus, atque naturam, quæ ex te, tibi communicabitur, & formabitur in vtero tuo, velut nubes clarissima *obumbrabit*, totumque hominem formatum, & animatum assumet in vnitate suæ hypostasis, ac personæ. *Ideoque* tanta illi naturæ humanæ singulari fiet accessio gratiarum, virtutum, donorum, & omnium benedictionũ, necnon honorum, vt iure verequè *quod nascetur* primo *ex te*, intrà te, deinde ex te foris, quandoquidem plenum, & omninò perfectum primo instanti virum concipies, qualem etiam paries, *sanctum* omninò erit, & *vocabitur filius Dei*, quinimò erit illi naturæ vnitus.

*Et respondens Angelus.* Respondit quidem Angelus ad integrum sensum, & sanum, quẽ mente Virgo conceperat, & paucis explicauerat; est enim Angelus Spiritus, qui facilè penetrat omnia, & comprehendit ex minimo verbo, & signo externo, quid sibi animus velit, quidque mens intendat; quid patiatur Agar, & quid Abraham sit cum filijs facturus. *Genes. 16.*

*Dixit ei.* Respondit quidem ad dubium, & dixit ei, quòd scire optabat; vndè responso certam reddidit de sua virginitate, fore in omni euentu integram; cùm verò *dixit*, lætam effecit de mirabili opere, quod agente omniam supremo Spiritu, qui vices aliorum suppleret, in ipsa compleri oporteret. Etenim frequens hic loquendi modus Scripturarum, Respondens dixit, tantùm à nugacitate abest, vt mysterium prælagiat.

*Spiritus Sanctus superueniet in te.* Quasi dicat Angelus, ait S. Bonau. Quæris quomodo concipies? ad hoc respondeo, quòd fœcundaberis sine corruptione, concipies sine libidine, paries sine dolore, quia non ex virili semine, sed ex Spiritus Sancti virtute. Fœcundum, inquit Theophil. reddens vterum tuũ, & condens carnem consubstantiali Verbo. Sic, prosequitur Chrys. hom. 49. in Gen. poteris parere; totum enim operatione Spiritus erit. Ne igitur spectes ad terram, è cœlis operatio est, spiritus gratiæ est, quod fit, ne quæras naturæ modum, ne iuxta nuptiarum leges intelligas, Spiritus ille Sanctus nouit conseruare, non violare integra, neque habitat in corpore subdito peccatis. Loco ergo humani seminis, infert Cayetan. superuenientis in alias mulieres, ad hoc vt concipiant, superueniet in te Spiritus Sanctus, hoc est nullam habens immunditiam cuiuscumq; generis; neque corporis, neque animæ, sed omninò eleuatus ab omni immunditia. Quod pro semine Spiritus Sanctus superuenerit, ante affirmarunt Chrysost. homil. 1. in Matt. op. imperf. & Damasc. lib. 3. orth. fidei. cap. 2. & Scholastici, prout semen dicit virtutem actiuam: secundùm autem, quod in semine intelligitur substãtia corporalis, quæ in conceptione transmutatur, negat Hieron. in exposit. Cathol. fidei, circa medium; non enim Spiritus Sanctus, est consubstantialis corpori Christi. Qua ratione, vt notat S. Thomas, in 3. p. q. 32. ar. 2. Aug. lib. de natur. bon. cap. 27. & Ambr. lib. 2. de Spirit. Sanct. c. 5. negarunt, Christũ dici de Spiritu Sancto conceptum, sed ex Spiritu Sancto, velut ex potestate. De, enim apud illos tantùm designabat consubstantialitatem, non efficientiam. At cùm vtrũque connotet nihil obstat, quominus Christum dicamus conceptum de Spiritu Sancto, sicut ex Spiritu Sancto. Hoc modo, inquit S. Thom. quòd efficientia Spiritus Sancti, referatur ad corpus assumptum; consubstantialitas verò ad personam assumẽtem. Ad corpus enim referri Spiritus Sancti consubstantialitatem omninò repugnat, necnon Spiritum Sanctum dici Christi Patrẽ, tum quòd consubstantialis genito non sit, nec ad similitudinem generantis Spiritus, Christi corpus formetur, inquit Aug. Enchi. li. cap. 39. & 40. Vndè cùm non solùm actio, sed etiam similitudo generantis, & geniti filiationem, tâm in Diuinis, quàm in humanis constituat, Christũ solius MARIÆ, non Spi-

ritus

ritus Sancti filium prædicamus ; An verò MARIA actiuè concurrerit necne, an solùm passiuè ministrans tantùm sanguines ad formationem corporis, Scholastici deffiniẽt. Interim altius literã aggrediar, *Spiritum*, quo viuificantur omnia, authorem insinuat mysterij, non vt Seruetus Hæreticus dogmatizat Manichæos æmulatus, quòd Christi corpus ex substantia Dei per Spiritum Sanctũ fuerit formatum; Deus enim, nec materia, nec forma potest alicui esse, cùm sit perfectus, & per se completum ens, ac purus actus; sed eò Spiritui generatio corporis Christi tribuitur, vt illud valdè bonum agnoscamus velut primæua composita, quibus idem principium tribuit scriptura, cùm ait, Spiritus Domini ferebatur super aquas; hoc est, vt Patres exponunt, erat in materia prima distinctus introducens formas. Hunc Spiritum, dicit Sanctum, non vt Appollinaris dogmatizabat cum Arrio, quòd vicem animæ gereret Spiritus Dei in Christi corpore, quandoquidem non fuisset homo eiusdem speciei nobiscum, nec consequẽter hominis Redemptor: sed *Sanctum* adfore *Spiritum* dixit, vt sanctificaret fœtum, secundùm Athanasium, & secundùm S. Thom. noua sanctificatione repleret matrem. Id quod. *Superueniet in te*, secundùm Bern. ser. 4. super Missus est, indicat. Numquid, inquit, repleri potuit gratia, & necdum habere Spiritum Sanctum, cùm ipse sit dator gratiarum? An fortè ideò non dixit simpliciter. Veniet in te, sed super te, quia prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc superuenire dicitur propter abundantioris gratiæ plenitudinem. Denique verborum hæc series. *Spiritus sanctus superueniet in te*, proponitur, vt conceptio Spiritualis Adam, & renouatio Spiritus, quam Christus introduxit approprietur Spiritui Sancto, licèt totius sit Trinitatis opus. Primò quidem, inquit, S. Thom. 3. par. q. 32. art. 1. quia hoc congruit causæ Incarnationis quæ consideratur ex parte Dei; Hæc enim est amor, qui Spiritui Sancto tribuitur. Secundò quia hoc congruit causæ Incarnationis ex parte naturæ assumptæ, quæ scilicet, non ex meritis, sed ex gratia Spiritus Sancti propria assumpta est. Tertiò, quia hoc congruit termino Incarnationis, qui erat hominem fieri sanctum, ac Dei Filium: vtrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto.

*Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sicut enim, notat Cayetan. in Luc. in seminibus terræ mandatis, videmus requiri quasi vmbrã tegmen terræ, sub quo vires terræ attrahuntur, & colliguntur quodãmodo ex semine, & sic terra germinat; ita in mulieris vtero præter virile semen, velut obumbratio quædam generatiuæ partis mulieris cum virili semine fit, fotiua, & attractiua naturalium humorum, & virium mulieris ad concipiẽdum. Itaque intendit Angelus dicere, quòd vltrà Spiritum Sanctum loco seminis. Virtus Diuina dabit tibi actualem efficaciam cõcipiendi, conseruando te à delectatione venerea. Alludere visus est ad Euthy. qui locum exposuit. Virtus Dei proteget te, potentem faciet ad huius rei operationem. Ac si diceret, inquit Franc. Abb. tom. 6. De gratiã. Ne timeas pudicitiæ speculum, æstum libidinis, virtute Altissimi adumbraberis; sicut vmbra feruorem remouet, refrigerium præstat; sic interposita virtus Altissimi, excludet actum peccati. Horum expositio non placet, tum quod idem facere videantur, Spiritum Sanctum superuenientem, & virtutem obumbrantem; sic enim ait Euthy. Idem quoque indicat hic sermo. Et quidem si obumbrare, est refrigerare, cùm hoc sit propriè Spiritus, & flatus, nullo modo apud Cayetan. & Fran. Superuenientis Spiritus, & Virtus Altissimi distinguntur; tum maximè quòd seminis rationẽ habens Spiritus omnẽ actionẽ, quæ ad generationẽ, requiritur perficit. Quare Dionys. Carthus. Virtutem obumbrantem interpretatur, Patrem. Virtus, inquit Altissimi, hoc est Omnipotens Deus Pater, obumbrabit tibi, id est, suam potestatem immensam tuæ capacitati contemperabit, vt eius influẽtiam ferre queas. Idem olim visus est Hesychius ser. 2. de Sancta Deipara sentire, dicens. Hæc vniuersum Trinitatis complementum, quandoquidem, & Spiritus Sanctus aduenìebat, atque hospitabatur, & Pater obũmbrabat, & Filius vtero gestatus inhabitabat. Videtur ista probabilior priori, nisi quod Patrẽ, post Spiritus Sancti aduẽtum operari statuat. Etsi enim opera Trinitatis indiuisa sint, quoties contingit agentium fieri mentionem, ac personarum sermo inchoatur, nisi aliud mysterium amoris postulet, quale fortasis Sancti hoc loco aduertũt, vt in baptismo Christi, & descensu Spiritus Sancti. Vtcũque Tertia, quam mox referemus, plures habet Patres, vtpote Gregor. Nyss. ser. de Natiu. Dom. Theophil. in Luc. Damasc. lib. 4. de fid. orthod. cap. 15. & multò ante Athanas. ser. de Deip. & post Bern. ser. 3. & 5. de Ascens. Dom. atque alij plures per virtutem obumbrantem intelligunt Filiũ. Altissimi Dei Virtus, ait Greg. Nissen. qui est Christus, superuentu Spiritus Sancti in Virgine informatur. Quemadmodum enim forma corporũ, ex forma progredientium effingitur, eodẽ modo iudicia Filij Deitatis in Virtute nascentis elucebunt, & apparebunt imago videlicet, & sigillum, & vmbra, & splendor primarij authoris. Obũbranit igitur Virtus Altissimi, inquit Athan. corroborans Virginẽ, & Diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt indè lineamentis collectis vide-

*Genes.* 1.

videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi. Non enim suspicandum est, quòd secundùm simplicem naturæ suæ proprietatem Virgo in se habitantem Deum videre potuerit, aut quod ipsa animata rationalisque, & intellectualis Incarnatio ipsum conspicere valuerit: sed quatenus possibile fuit, vtpote obumbrante illam virtute Altissimi, & vmbras, & quasi lineamenta faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in se habitantem. Hinc Bern. ait, Verbum visum esse ab Apostolis, vt Solē in nube, lumen in testa, & cereum in laterna. Sicut enim pictor, addit Theophil. primùm delineat, & vmbras inducit, & deinde perfectū colorē addit: ita & Dominus ipse sibi carnem condens, & imaginem hominis formans primùm delineauit illam in vtero Virginis, cōpacta ex sanguinibus semper virginis carne, quam deinde paulatim figurauit: sed hoc est dubium: sunt enim qui dicunt, quòd vbi Dominus obumbrauit vterum Virginis, statim perfectus fuerit infans. Alij autem hoc non recipiunt. Hi tamen sunt Hæretici, modo Centuriatores, qui discursum cęterorum hominum non in augmento solùm, sed in formatione corporis, atque virtutum incremento, in Christo fuisse dogmatizant, cū dicat oraculum, Mulier circundabit virum,
*Hier.31.* hoc est, vt Bern. exponit, Virgo est cōcipiens Deum: nec alio quidem, quàm virtute Dei solius: hæc autem in instanti operatur. Quare concludit Theologorum Schola in instanti Christum perfectum fuisse hominem, & vt
*Isai.3.* inquit Isaias, in eo spiritum Domini requieuisse. Itaque Spiritus Sanctus superuenit quasi ad præparandam, & formandam materiam corporis Christi, *& virtus Altissimi obumbrauit*, id est, secundùm S. Thom. 3. p. q. 32. art. 1. corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Diuinitatis; vmbra enim à lumine formatur, & corpore, vt Gregor. dicit 18. Mor. cap. 12. Altissimus autem intelligitur Pater, cuius Virtus est Filius. Ex his duo inferūt Patres, videlicet vt corpus Christi naturale, est per Spiritū Sanctū, sic quoque mysticum, quod est Ecclesia, & quod sub speciebus consecratur. Hæc Fulgent. lib. 2. ad Monimum. Hilar. lib. 2. de Trinit. & Damasc. lib. 4. orthod. fid. cap. 14. Ego dicerem, Christi corpus Spiritu Sancto superueniente, & Altissimi virtute formatum, vt nihil animale in eo admittamus, sed spirituale; quia primū quod animale, deinde quod spirituale.
1. *Cor.15* Primus homo de terra terrenus, secundus autem de cœlo cœlestis. Est cò ab Spiritu corpus Christi, quod omnia venerit spiritualia reddere, hoc est meliora, cœlos nouos,
*Apoc.22.* & terram nouam. Porrò hoc Christi corporis fuit speciale, de Spiritu Sancto concipi, quòd vt Spiritus super omnia eleuatur, ita

A corpus Christi excelsum, sublime, & super altitudinem nubium principatum habet. Denique de Spiritu Sancto est corpus Christi, vt qui sunt eius curent corpora sanctificari, & fieri templum Spiritus Sancti, non Idolorum, immunditiæ, & fornicationis multiplicis, quæ olim securius regnabant in corporibus hominum, nec cessarunt; quoniam pueris alienis adhæserunt, regulam Pauli non sequi- *Gal.6.*
mur, sed regulum qui venena diffundit, qua *Isai.14.*
propter cessant regna domus Israel, hoc est virtutum splendor, & imperium; tulit enim
3. *Reg.14* thesauros domus Domini, & domus Regiæ, hoc est iustitiam, & naturæ optimæ actiones,
crapula, ebrietas, & concupiscentia praua,
B siquidem in sepulchris concupiscentiæ audacter homo prouocat Deum. Ergo Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, sed vincetis; quia superueniens Spiritus omnia vinificat, & confortat virtus Altissimi, vt possit omnia, qui eam ex alto indutus fuerit. Vndè sequitur.

*Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum.* Congruit quidem conceptioni nativitas, vt quæ contra humanæ conditionis morem, ait Beda in Luc. Virgo concipis, supra humanæ cōditionis modum Filium Dei generes. Quia enim, subdit S. Bonauen. fœcundaris virtute Spiritus Sancti, non prolem viri generabis, sed prolem Dei, non peccatorem, sed sanctū.
C Impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorū: si enim quemadmodū dicitur: quod natū est ex carne, caro est: & quod natū *Dan.9.*
est ex Spiritu, Spiritus est, ergo quod nascitur *Ioan.3.*
de Spiritu Sancto, necessariò sequitur esse sanctū. Nec cōmuniter hic quisquā accipiat *Sanctū*, sed illa singularitate, ait Petr. Chrysol. ser. 149. qua clamatur in cœlestibus Sanctus, *Isai.9.*
Sānctus, Sānctus, Dñs Deus sabbaoth. Vndè, subiecit Bern. ser. 4. de annunc. Dom. Si diceret Angelus, quia nascetur ex te sancta caro, vel sanctus homo, parum dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè, *Sānctū*, quia quidquid fuit, quòd Virgo genuit, procul dubio ac singulariter sanctum fuit. Est enim, vt Gregor.
D Nysse. in testim. adu. Iudę. notat, masculinū, *Leuit.12.*
quòd adapertens vuluam sanctum Domino vocatur; nullus enim masculus adaperit vuluam, sed consuetudo viri cum muliere. Igitur dictū illud de Domino est intelligēdum. *Sanctum* quoque, subiungit Cayetan. non solùm significat sanctitatem prolis, sed modum sanctitatis, quod scilicet *nascetur sanctum* ad differentiam cuiuscumque alterius nascentis. Quilibet enim nascitur obnoxius originali peccato, ac pœnis cōcomitantibus, etiamsi in eodem instanti Diuina gratia sanctificaretur. IESVS autem nascitur nulli obnoxius culpæ, aut pœnę. Nos enim, deponit Greg. lib. 18. Mor. cap. 33. ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum

Pro-

Propheta dicamus. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ille autem solus veraciter
*Psal.* 50. sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex cõmixtione carnalis copulæ conceptus non est. Iuxta literam, notat Gannæius, Græcam lectionem non habere, *Ex te*; & Cayetan. ait, *Ex te* superfluere: at vtrumque redarguit Athanas. ser. cont. omnes Hær. potissimum contra Valentinum, & Basilidem, asserentes Dominum, veluti aquam per canalem, penetrasse per impollutam Deiparam Virginem, sic scribens. Quid? annon auditis quid Archangelus Gabriel Virgini loquatur? Aue gratia plena Dominus tecum, Spiritus Sanctus descendet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, nam quod ex te nascetur, sanctum vocabitur. Si igitur dixisset, per te, verisimile aliquid haberet ista impudentia: cæterum cùm dicat, Ex te, clarè demonstrat Deum Verbum assumpsisse ex ea humanum templum. Vides Gannæie, Athanasium Græcum, legere ex te: sed, & tu Cayetane nota, Ex te, non superesse, sed necessarium esse ad hæresim reuincendam. Ad hæc, ò Lector, adde. *Ideò*, notam esse illationis præcedẽtis propositionis, ac si diceret, Ergo sanctum, quod nascitur, quod à Spiritu sit, & virtute Altissimi, vt
*Iac.* 1. nos pariter concludamus iugiter, datum op-
*Rom.* 2. timum, & domum perfectum desursum esse à patre luminum: ramus enim sanctus radicem sequitur sanctam: nasci sanctum dicitur, non fieri; quoniam hoc initium, illud apparitionem dicit, quod autem ab æterno sanctum est, & à se ipso, inchoari non potest: benè autem apparere multifariam multisque
*Hebr.* 1. modis: in insensibili, vt in rubo; in sensibili,
*Exod.* 3. vt in animalibus; in rationali, vt in Angelis, qui se vocabant Deum. Igitur quia apparuit in forma serui, nasci dicitur, non fieri. Sancti appellationem accipit natus de muliere, minimè autem ex Patre genitus, quoniam vt ex Patre, qui lumen est, procedit quasi splẽdor: vt ex muliere ortum habet, notam corruptionis, poterat apud imperitos incurrere, nisi adderetur, *Sãctũ*. Dicitur, & illud *nasci ex te*; hoc est MARIA Virgine, quod initiũ vnde ad homines sãctitas fluxit ipsa extiterit, quia
*Ioan.* 10. ex ea prodijt, quẽ Pater sanctificauit, & misit
*Tit.* 2. in mundũ, vt nos sanctificaret, & emundaret ab operibus mortuis, efficeretque populum acceptabilẽ sectatorẽ bonorum operum, sanctos, & impollutos.

*Vocabitur filius Dei.* Hæc seorsum, à superioribus quidam absolutè legunt, inquit, Euthym. & secundùm Gannæ. ad phrasim Hebræam, vt cum καλέω significet, imploro, & inuoco, καλεθήσεται verti possit, implorabitur, siue inuocabitur, quasi diceret, quod nascetur ex te sanctum, inuocabitur, siue implorabitur Filius Dei. Non enim Dei Filius in carnem venit, & in carne videri voluit, quàm vt inuocaretur. Vndè Isaias. Tunc inuocabitis, & Dominus exaudiet, & Hier. Inuocabitis me, & viuetis. Propè enim est Dominus, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus eum. Secus autem Regnis, & gentibus, quæ non inuocant nomen Domini, & nomen Filij eius; deponunt oracula. Sed missa interim inuocatione, *vocabitur*, inquit. S. Bonau. ab ipso Deo. Hic est Filius meus charissimus, & Mat. hìc est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. *Vocabitur* ab ipsis credentibus. Tu es Christus Filius Dei viui. Et alibi, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Non vocabitur tantùm filius hominis, notat Cayetan. sed *Filius Dei*, & ad hoc directè refertur coniunctio, *Ideò*, ex singulari enim modo, scilicet, quòd de Spiritu Sancto conceptus est, congruissima ratione subsecuta est appellatio Filij Dei; talis enim, & non alia natiuitas congruit filio Dei; talis enim modus adminiculatur ad cognoscendum, credendum, atque confitendum Filium MARIÆ esse Filium Dei. Confundatur igitur, infert Theophil. & hoc loco Nestorius. Ille enim dicit, quòd non fuit Filius Dei in vtero Virginis quiescens, sed nudus homo è Virgine fuerit natus, posteaque habuerit Deum factum sibi comitem. Audiat igitur, quòd illud, quòd nascebatur in vtero, erat *Filius Dei*. His innumeras demonstrationes adhibuere Patres Concilij Ephesini, tum maximè Cyrillus aduersus Nestorium, vt eum ad sanam fidem conuerterent, eo tamen indurato, hanc contra pertinacem scripsere sententiam. Igitur Dominus noster IESVS Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetiuit, per sacram hanc Synodum eundem Nestorium, omni prorsus Episcopali dignitate priuatum, & ab vniuerso nihilominus Sacerdotum consortio, & cœtu alienum esse decernit. Habetur tom. 2. Act. Concil. Ephes. c. 10.

*Isai.* 51. *Hier.* 29. *Psal.* 27. *Hier.* 10. *Mar.* 9. *Matt.* 3. *Matt.* 16 *Rom.* 1.

## CAPVT XXXIII.

*Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.*

ETsi, subdit Angelus, nihil de omnipotentia Altissimi dubites, immò verò firmissimè credas, & quod tibi proposui mysterium, ac reliqua quæ statuerit pari facilitate possit, vt tum alacriorem, tum certiorem de futuris reddam, accipe tibi insperatũ gaudium. *Ecce* quæ tamdiu precibus, & eleemosynis vacauit, vt fructum ex coniugio Domino offerret, vtpotè *Elisabeth* iã grandæua, & ex matre tibi affinis, & *cognata tua* familiariss-

liarissima, hæc quidem *ipsa*, cùm omnem prolis spem exuisset, *concepit* nutu, & imperio Deo *filium* supra modum charissimum, qui erit Deo, atque hominibus dilectus, & in benedictione memoria eius, id quod *in senectute sua* fermè extrema factum est, vt non tàm potens, quàm mirabilis in sanctis suis appareret Deus. Tempus autem, quo cœpit anus agere vterum aliquod interceſsit: *hic* enim *mensis sextus* à conceptione filij, *est illi* nouę matri, *quæ* à reliquis *vocatur* adhuc *sterilis*, cùm ipsa modo fœcundior, & fœlicior plerisque debeat reputari.

*Et ecce Elisabeth.* Per *ecce*, quod est mysterij signum orditur Angelus conceptionem Ioannis in anili vtero, vt magnum quid, tàm in prole, quàm in parentibus factum insinuet. In prole quidem, quia vt aurũ, & smaragdus, ac lapis pretiosus in sterili concipitur terra, & reperitur; sic Ioannes ex parentibus, qui viribus defecerant, Magnus coram Domino, non corpore solùm, sed virtutibus, vt annotauit Ambros. in 1. cap. Luc. & Procopius Gazæus in 26. cap. Genes. In parentibus autem elucet magnum ex tali veterano, & illustrissimo conceptu, quod non solùm apud se iustitiam eorum, sed apud homines hoc signo probari voluerit, vt generantium meritis, inquit Aug. ser. 22. de sanctis, dignitas germinis nosceretur.

*Cognata tua.* Idque ex parte matris, docet Hyppolitus Portuensis Episcopus, & Martyr, apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Tres, inquit, fuere sorores Bethleemiticæ, filiæ Matthan Sacerdotis, & Mariæ coniugis eius, sub Cleopatræ, & Casoparis Persæ Regno, ante Herodis Antipatri filij Regnum. Primæ, Mariæ. Secundæ, Sobæ: Tertiæ, Annæ nomen erat. Nupsit prima in Bethleẽ MARIA, & peperit Salomẽ obstetricẽ. Nupsit secunda itidẽ in Bethleẽ Sobæ, & genuit Elisabetã. Nupsit postremò, & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit MARIAM Dei Genitricẽ, ex qua nobis exortus est Christus, ipsa veritas. Theophil. alio refer cognationis vinculum. Aaron, inquit, vxorem duxit Elisabeth, quæ filia fuit Aminadab, qui fuit ex Tribu Iuda. Vides quòd ab initio, & ab Aaron cognata fuit Elesabeth Dei Genitrix: quia enim vxor Aaron, ex Iuda descẽdit, è qua tribu fuit Dei Genitrix, & Elisabeth fuit ex filiabus Aaron, meritò Dei Genitrix *cognata* dicitur Elisabeth: nam proaua eius, hoc est, vxor Aaron fuit ex Tribu Iuda. Variæ enim fuerunt, ait Euthym. harum duarum Tribuum cognationes, cùm enim Aaron primum, & postmodum Ioiada, qui ambo summi Sacerdotes erant, vxores de Regia Tribu duxerint, & post hos alij, consequutum est, vt ex tali permixtione, hæ duæ essent inter se cognatæ. Verùm cùm mirabilia Dei absque numero fiant, cur tantũ exemplum de cognata proponat Angelus, & non alterius fœminæ, aut operis mirabilis, quod tũc in orbe operabatur author, vt quod radijs vnius Solis astra penè infinita illustret, & fœcundet animata, & quæ carẽt sensu adaugeat, & ex minimo terræ fumo imbrem, rorem, pluuiam, niuem, grandinem, & permulta alia multiplicet, vel quod in aqua ignis ardeat, vt in Vulcano, vel quòd fulgur deuoret ferrum intacta vagina, aut quodlibet aliud naturæ miraculum, quò facilè credentium fides valet confirmari, & credere nihil esse Deo impossibile. Imprimis Elisabeth cognatæ exemplum tradit, quo non solùm fides confirmatur, sed lætificatur MARIÆ animus. Etenim maiorem lætitiam inferunt, iuxta charitatem, cuius ordo est à proximiori incipere, bona quæ à Deo communicantur cognatis, vt docet S. Thom. 2. 2. de charitaris ordine differens. Prætereà cognationis agit memoriam, quòd ad eam denuntiatus, cognatos, qui erant secundùm carnem venerat ante omnes redimere, iuxta illud. *Matt.* 16
Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt *Isai.* 12.
Israel. Vndè eorum Vates intonuit. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Verùm quia sui eum *Isai.* 8.
non receperunt abscondit faciem suam à do- *Luc.* 1.
mo Iacob, & factus est lumen ad reuelationẽ *Act.* 22.
gentium; quia, inquit, Paulus, Indignos vos feciſtis. Insuper cognatæ exemplum, & non alterius statuitur, quoniam temporalia omnia ad homines: hi autem ad Christum, quem *Ephes.* 1.
Virgo concepit, ordinantur, vt ad Caput super omnem Ecclesiam, & velut ad finem in quo beantur, & perficiũtur, quia, inquit. Ego
α, & ω, principium, & finis. Ergo fidem fa- *Apoc.* 1.
cturus Angelus Christi conceptioni, argumẽtatur ab hominis cõceptione mirabili: Cùm Sansonis conceptionem persuasit, materiali exemplo vsus est.

*Et ipsa concepit.* Si ergo, ait S. Bonauent. Deus dedit conceptum seni, dare potest, & inueni, licet istud nouum, illud iam factum; vndè in Genesi, concepitque Sara, & peperit filium in senectute sua. Sed quid fuit necesse, *Genes.* 21
querit Bern. serm. 4. de annunc. etiam huius sterilis Virgini nunciare conceptum? Num quid fortè dubiam adhuc, recentiori voluit *Luc.* 1.
confirmari miraculo? Absit: legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatã: MARIAM autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potius fidem ipsius, Elisabeth prophetãte, fuisse laudatam agnouimus. Sed ideò sterilis cognatæ conceptus Virgini nunciatur, vt dum miraculũ miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Habet enim hoc, notat Cayetan. in Luc. suauis Diuinæ sapientiæ dispositio, vt hominem naturaliter per sensibilia cognoscentem, sensibiliter quoque exẽplis instruat, fir-

firmèt, consoletur. Hoc primò annotauit Chrys. hom. 49. in Gen. Cœpit autem ante
*Chrys.* MARIAM Elisabeth, quæ interpretatur Deus iuramenti, vt ante aduentum Christi in carnẽ, per pactum fœdus, & iuramentũ Dei, quod cum Patribus iniit de Messia venturo, salutẽ fuisse hominibus, vitam, & conceptũ salutis firmiter credamus, integritatis statũ qui possidetur in gloria, nulli concessum, nisi post conceptum, & partum Virginis. Tunc quasi fœlicitatem consecuti, dicebat Isaias. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Et scient, quia ego Dominus Deus eorũ (prædixit per Ezechielem) eò quòd transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terram suam, & nõ dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abscondam vltrà faciem meam ab eis. Hoc autem impletum est, postquam Virgo concepit, & peperit filium, cuius nomen Emanuel, id est, nobiscum Deus, vt ad vitia dispersos,
*Matth. 1.* & sectas in vnum congreget cultum, & statuat super terram, quæ viuentium est, beatificetque in seculum.

*Filium in senectute sua.* Hæc est, inquit, Cayetan. vna miraculi ratio. Nam, prosequitur Andr. Hierosol. Qui matricem præter omnium spem prolificam in senectute reddere potest, Virginem quoque grauidam exhibebit. Et licet mirabilius fit istud in Virgine, vtrũque tamen diuinæ Omnipotentiæ opus est. Ideoque Abraham cõtra spem, in spẽ credidisse legitur, vt fieret pater multarum gentium, cùm considerasset emortuam vulnam Saræ. *In senectute* igitur concipit vetula nouum hominem: in adolescentia verò ipsa concipit Virgo antiquum dierum, quid hoc? Annon vinum nouum in vtres nouos, & vetus in veteres docuit Scriba doctus mittere, & cõsuere nouis pannis, nouas scissuras, & veteres veteribus? Vtique, & factum est, vt imperauit: nam filius, quem decrepita concipit, senectam, & senium, vtpote, naturã
1. *Cor.* 15 iræ induerat, & vt primus homo de terra terrenus erat in luto formatus: at quem Virgo portat, adolescentulus est in adolescentula in
1. *Cor.* 5. clusus, nihil habens fermenti malitiæ, aut nequitiæ, sed totus est splendor vt lux, & nouus homo de cœlo cœlestis, qualem non peperit, neque nouit antiquitas veteranorum hominum, qui in insipientia sunt, & in pulnerem ex quo fotmantur, redeunt. Quid ergo? antiquus dierum? optimè antiquus, & semper Deus atque solus æternus à se, sed nouus homo, & admirabilis in noua muliere, & adolescentula prodijt, & nobiscum conuersatus est, vt nouos nos quoque efficeret, annositate nequam deposita; factus est enim nobis sapientia à Deo, & iustificatio, & redemptio,
1. *Cor.* 1. quæ vt Aquilæ renouant iuuentutẽ nostram, vt cum astris matutinis collaudemus Deum Saluatorem nostrum.

*Et hic mensis.* De huiusmodi mense supra dictum est: cur autem in præsentia memoretur, inquiro. Erat hic vltimus inter vacuos, quos Patres absquè fructu pertransierunt. Erat, & initium omnium frugum, quæ Angelos, nedum homines satiarunt. Ergo quia mensis ex mense, vt Sabbatum ex Sabbato *Isai. 66.* fieri oportebat, de eo fit mentio, quando, & vetera abire incipiunt, & inchoantur noua, quæ per singulos menses duodecim fructus procreant. Hæc sunt vniuersa Christi acta, quæ perfectionem, & fœlicitatem, cuius symbolum est fructus duodenarius, inducunt. Est enim ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide IESV Christi, nempè, vt exponit Oecumenius, populum Dei proprium effectum.

*Sextus est, illi quæ vocatur sterilis.* Hoc quidem apud alias nomen acceperat, vt quasi exprobrantes illi sterilitatem, non Elisabetham, sed sterilem, vocitarent; ea est enim improbitas pessimorum, qui in deteriorem partem accidentia omnia interpretantur, vt nominibus odiosis cognominent, quos nota, aut defectu cernunt alicui; Vndè serua nequã, *Tob 3.* vocauit dominam virorum interfectricem. *Tob. 2.* Vxor Iob, virum dixit insipientem, & stultũ Dauid, appellauit Michol; & Elisabetham religiosam, fatuæ mulieres, & viri, qui non *2. Reg. 3.* attendebant ad petram vndè excisi erant, *Isai. 52.* neque ad Saram vetulam, quæ peperit eos, tacitis nomine, & cognomine honestis, probrosa voce acclamabant, vtpote, sterilem. Erat tunc probro sterilitas corporis: nunc autem, & semper, mentis sterilitas apud omnes diffamata est, & damnata; Vndè Ouid. lib. 1. de Pon.

*Cernis vt ignauũ corrũpant otia corpus?*
*Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ?*

## CAPVT XXXIV.

### *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

IGitur quæ vocabatur ab omnibus *sterilis*, quæuè per naturam non poterat concipere, facta est per Deum fœcunda, & filij mater, vt *non* tam tu, quæ Deo credis firmissimè, quàm cæteri omnes, qui minùs sunt constantes in fide, sciant quia nihil eorum, quæ non repugnant, *erit* facto *impossibile apud Deum*, cuius nomen est Omnipotens, *omne* quidem *verbum*, Verbo suo, vt semel fecit, iterum potest condere, conditum destruere, & renouare destructum, vt non sit qui dicat: Cur ita facis? aut prohibeat.

*Quia non erit impossibile apud Deum.* Hoc, quod proposui mysterium cùm nihil sit Omnipotẽti impossibile, alioquin non esset Om

*Genes.17* nipotens: at inquit ipse. Ego Deus Omnipotens. Omnipotens verò dicitur, scribit Venant. in Exegesin Symboli Apostolici, eò quod omnia possit, & omnium obtinet potentatum, quia Pater omnia creauit per Filiũ; vndè Euripides apud Anthenagoram Philosophum in apologia pro Christianis cecinit.

*Videsne sublimem hunc, & immensum ætherem.*
*Omnem qui terram continet sinu suo,*
*Hunc tu Iouem putabis, hunc credes Deũ,*

Huic Sophocles assentitur apud eundem.

*Vnum reuera numen est, & vnicum*
*Quod cœlum, & terram nutu condidit suo.*

Vterque subscribit Anthenagoras, Dei naturam, ex tanta pulchritudine mundi, tum inue B nit, tum vnum esse, & ibi illum esse oporteat ostendit. Philoalus quoque vniuersa tanquã in carcere à Deo contineri dicens, simul vnũ, esse ipsum simul, & materia superiorem non obscurè insinuat. Portò Lysis, & alius quidã Philosophus in hac sententia fuerunt, vt Deũ numerum quendam esse putarent: alter ineffabilem, alter verò excessum illum, quo numerus maximus proximum sibi superat. Sicque Omnipotentem, cui nihil esset impossibile inferiùs declarabant, atque vnicum; quia plures Omnipotentes, vt efficaciter probat Scotus in Prim. dari non possunt.

*Omne verbum.* Nihil excipitur, inquit, Cayetan. nisi quod implicat contradictoria, quod etiam non excipitur, sed nõ includitur, C quia non comprehenditur sub verbo aliquo, vtpote quod non potest intelligi. Dicendum ergo, colligi Alex. Hall. 1. p. q. 21. M. 1. Art. 1. quod quædam attribuuntur per se potentiæ Dei; quædam verò ei non attribuuntur, sed tamen potentiæ eius subijciuntur. Passiua ergo, & materialia ei non attribuuntur, vt dicatur posse mori, vel currere: sed potentiæ eius subijciuntur, quia etsi ea non efficit in se, tamen efficit in alijs, & ideò eius potentiæ subijciuntur. Priuatiua verò, & inordinata, etsi ea non efficiat in se, vel in alijs, tamen eius potentiæ subijciuntur, quia per eius potentiam ordinantur. Vndè, & de passiuis dicit Ricard. in lib. de Trinit. multa D sunt quæ dicimus posse, quæ multò melius est non potuisse, quàm posse, sicut posse deficere, posse destrui, & quælibet huiusmodi, vt scilicet, posse mutari. De priuatiuis verò, & inordinatis, dicit Aug. in lib. de Prædestin. Sanct. in malorum potestate est peccare: vt autem peccando, hoc vel illud malum faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinãtis eas. Hæc ex Alexan. quibus adstipulatur S. Thom. 1. p. præsertim lib. 1. Cont. Gen. cap 96. & lib. 2. cap. 25. ac reliqui Scholastici in p. sent. Quare secundũ Basil. in Moral. cap. 1. reg. 8. ab his quæ dicuntur à Domino, dubitatio omnis, omnisq; A hæsitatio repelli debet. Nec, vt Aug. admonet ser. 4. fer. 3. Pas. est quod aliquis ea quæ sunt imperfectionis, & impotentiæ, seu debilitatis adducat contra Dei potentiam, vel dicés, Imperitioris linguæ ego sum: vel, Puer ego sum; aut certè: Hominem non habeo; potest enim omnia, quæ ideò vocantur hìc *verbum*, quod Verbo Domini, & voluntate fiant, iuxta illud, Dixit, & facta sunt. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ; vndè Ber. ser. 4. de Annunc. Apud Dominum idem est facere, quòd loqui, & loqui, quòd velle. Propter quod, inquit, Hil. in Psalm. 53. In omnibus quæcumque in corpore manens gesit, virtutis vocem dedit, cum paralytico dixit, Surge & ambula; cũ Lazarum vocauit è sepulchro; & cũ Petro, ac cœteris Apostolis dixit, Quæ cumque ligaueritis super terram, &c. Quod item vniuersa, cùm sint propè infinita, dicantur *verbum* in singulari, non vacat mysterio; quod existimarem propter relationem creationis, qua omnia ad illud ineffabile Verbum, per quod facta sunt, & conseruantur, ordinem habent, intrà quod etiam vitam habent in Idæa, quæ est vniuersorum exemplar, & simulachrum.

*Exod.* 4. *Hier.* 1. *Ioan.* 5. *Psal.* 32. *Ioan.* 5. 11. *Matt.* 16

## *CAPVT XXXV.*

*Dixit autem MARIA, Ecce Ancilla Domini, Fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.*

HIS auditis ab Angelo, *dixit MARIA*, non minùs animo humili, quã gestu honesto, & pulchro eloquio. *Ecce* prompta sum ad omnia, quæ Altissimus ordinauerit, velut *Ancilla* vna omnium, quæ sunt *Domini*, eique sedulò administrant, & obseruiunt. *Fiat* igitur Angele Dei, *mihi* indignæ tantò mysterio *secundum verbum tuum*, quòd in nomine Omnipotentis enarrasti: vt autem consensit impletum est, quòd Angelus, dixerat. *Et* ideò statim *discessit* ad locum quo venerat, nihilq, amplius *ab illa* quærens *Angelus*, disparuit.

*Dixit autem MARIA.* Hìc vltimò ponitur, inquit, S. Bona. assecutio propositi, quòd fuit in consensu Virginis, per quam mox cõcepit filium Dei: hunc autem consensum describit debitè, & ordinatè factum, quia ex humilitate prædisponente, & charitate perficiente, & credulitate pronunciante. Introducit ergo primò pronunciationem ex credulitate, cùm dicit, *Dixit autem MARIA*; quia enim Angeli dictũ credidit esse verum, ideò dat expressè responsum consentaneum. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, & in Psalm. Credidi propter quod locutus sum. Dixit autem verbo fidei. Propè est verbum in ore tuo, & in corde

*Rom.* 10. *Psal.* 115

cot de tuo, Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia ergo corde concepit verbum fidei, ventre concepit filium Dei. Itaque primum animo dixit, hoc est, proposuit assentiri postulatis, deinde conceptum sermonem continere non potuit, quin illico eructaret
*Psal.* 44. verbum bonum. Vndè Iræneus lib. 3. cont. Valentin. cap. 33. quod alli gauit virgo Eua
*Isai.* 7. per incredulitatem, hoc, Virgo MARIA solvit per fidem. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Legerat, inquit Ambros. ideò cre
*Ioan.* 1. didit futurũ. Inde Fœlix, subdit Aug. lib. de san. Virgin. cap. 3. & 5. quia Verbum Dei custodiuit, per quod facta est, & quod in illa caro factũ est. Exprimitur hic denuò MARIÆ nomen, vt illud obsequens factum multò amplius veneremur. Siquidem, & nomen hoc, scribit Petr. Chrysol. ser. 146. prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis. Meritò ergo matris Christi est hoc maternum. Totis ergo medullis cordium, hortatur Giselber. de alterca. Synag. & Eccles. totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM.

*Ecce ancilla Domini.* Eligitur Regina cœlorum, & dũ Angelorũ Domina constituitur, se Ancillam vocat, quia Sapientiæ vocem noverat, quæ ait. Quãtò maior es, tantò humilia
*Eccles.* 3. te ipsum. Rectorẽ te posuerunt, noli extolli,
*Eccl.* 32. sed esto quasi vnus ex ipsis; Deus enim humi-
*Psal.* 12. lia respicit in cœlo, & in terra. Præsertim delectatur magnos, & sublimes in medio fratrum sedere humiles, & non sapere, nec ali-
*Eccl.* 32. quid plus cœteris sumere, vt MARIA quæ, secundùm Ambr. simul Ancillam dicẽdo nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quod iuberetur; mitem enim humilemq; paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. (Subinde Ber. hom. 4. sup. Missus est.) Prorsus, & rara virtus humilitas honorata, hoc est luminare, quod minuitur in consum-
1. *Reg.* 25 mationem. Simile responsum dedit Abigail, inquit S. Bonau. mulier prudens, cùm Dauid
*Ruth.* 2. vellet eam in vxorem accipere. Ecce famula tua sit in Ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Et illa Ruth. quæ designat Beatam Virginem. Vndè mihi hoc, vt inueniré gratiam ante oculos tuos? Et post. Locutus es ad cor Ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius puellarum tuarum. Et quia se Virgo MARIA humiliauit, se ad gratiã prẽparauit. Decebat enim, secundùm Bedam in Luc. vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intrauit, ita denuò per humilitatẽ MARIÆ vitæ introitus pãderetur. O quantum meruisti, exclamat Ambr. Ans-

A bertus libr. 2. in Apocal. O quantum Beata humilitas in sacra Virgine valuisti! quid enim in sacra Virgine meruisti, nisi vt Deum homini cõiungeres, vt Verbum carni vnires. Nos autem quid? vnitum superbia auersamur. Videas inquit Ber. ser. 4. super Missus est, plerosque in Ecclesia, de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, pristinæ obliuisci abiectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas, & homines ad honores Ecclesiasticos peruolare, & quæ adepti sunt nummis, attribuere meritis. Et vbi est, qui MARIÆ humilitatem sequatur? Hæc cùm sit Hęra, Ancillam, se dicit, nos cũ sæpè
B serui simus peccati, magna de nobis ipsis præsumimus, & dominari melioribus gloriamur, sed væ nobis, quia sedes Ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mi-
*Eccles.* 10 tes pro eis.

*Fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Iam, inquit Euthym. non solùm credidit, sed etiá optabat, vt sibi contingeret sicut optabat. Ac si diceret (secundùm Theophil.) tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit, faciat Deus, quod voluerit. Vndè Ambros. Apparatus, officij est: contingat mihi *secundùm verbum tuum*, conceptus est voti. Quin
C dicens, *fiat mihi*, non solùm assensum præbet, secundùm Cayet. sed preces adiungit ad tantum donum consequendum. Cæterum quando incarnatio Verbi in eius vtero facta fuerit, incertum est. Rupertus Tuitiensis lib. 1. de oper. Spirit. Sanct. cap. 9. post hæc verba *fiat*, &c. factam reputat. Vbi, inquit, benè credula mentem suam, & os suum aperuit, vt diceret, Ecce Ancilla Domini, *fiat mihi secundùm verbum tuum*, mox iuxta dictum Angeli, Spiritus Sanctus superueniens in eam per apertas fidei ianuas sese infudit, nimirum in sacrarium pudici pectoris, deinde in templum sacri, & incorrupti vteri: In domum pectoris, vt prophetissam faceret: In vterum, vt matrem faceret. Consonat Damas. lib. 4. ort. fid. cap. 15. dicens, post con-
D sensum sanctæ Virginis, Spiritus Sanctus supernenit in eam, iuxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus instruens eam, & virtutem Diuinitatis Verbi susceptiuã præbuit: simul autem, & generatiuam, &c. Hoc idem Fulg. seu Aug. ser. 11. in Natali Domini, & reliqui, vt plurimum tenent. At Petr. Alex. Mar. lib. de Deitat, videtur sentire Incarnatum Verbum, quam primum Angelus dixit. Spiritus Sanctus superueniet in te. Cùm Angelus, inquit, sacram Virginem eiusmodi oratione salutabit. *Aue gratia plena Dominus tecum*, hoc est, Dei Verbum nunc tecum est: nam illa Gabrielis salutatio, Deum Verbum in vtero virgineo natum, & carnem factum insinuat; hinc, & scriptum est, Spiritus San-

Sanctus superueniet in te, &c. Referuntur verba hæc in Concil. Ephes. tom. 2. cap. 7 & suffragantur huic Greg. lib. 18. mo. c. 27. & Niceph. lib. 1. hist. Eccl. cap. 8. Prior opinio est communis, citra fidei iacturam potest altera eligi. Libet tamen annotare, quòd non dicat MARIA, *Secundùm verbum* Domini, sed *tuum*; legatus enim erat, non actor. Domini ergo erat Verbum suum. Nec hoc ignorabat, quæ præstabat sapientia. Atqui eò *tuum* dicit, non Domini; sic enim vtrumque, & Deum, & legatum honorat; quandoquidē vt in persona ministri Dominus, sic in verbo ministri, verbum authoris veneratur. Tum quoque verbum Angeli per quod, & erat, & loquebatur, Verbum erat Patris, quod carni *Ioan. 1.* est vnitum. Inde S. Bonau. *fiat mihi secundùm verbum tuum*, Verbum quod erat in principio apud Deū, fiat caro de carne mea. Fiat mihi, inquit, Iser. hom. 4. sup. Missus est. *Verbum* non prolatum, vt transeat, sed conceptum, vt maneat. Et si ita fiat, tunc potero dicere tibi, quæ dixit mulier Sareptana *3. Reg. 15* Eliæ. Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est. Itaque *fiat* secundùm Bern. est desiderij signū, non dubitationis nota. Etiā est signum *Psal. 71.* assertionis, sicut in Psal. dicitur. Dicet omnis populus fiat, fiat: Est item affectionis, vt *119.* in Psal. Fiat manus tua, vt saluet me. Ergo, vt dixit, *fiat*, factum est Verbum caro, vno eodemque instanti congregati sunt sanguines, organizatum est corpus, animatum, & assumptum, atque repletum Spiritu, non ad mensuram. Denique vnus Christus coaluit Deus & homo intra vterum Virginis. Hoc Damas. Aug. Cyril. ac reliqui antiquissimi, & omnes Scholastici statuunt, fideque credimus sic factum. Vndè Tiburtina Sibylla cecinit.

*O nimium Fœlix, cœli dignissima mater,*
*Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolē.*

Et Erythræa.

*Verbumque volauit in aluum*
*Idque suo factum atque animatum tēpore corpus*
*Mortali facilè creatum est. Puer indè creatus*
*Virgineo partu, mira est mortalibus hæc res?*
*Sed res nulla Deo Patri, natoq; stupenda.*

*Et discessit ab illa Angelus.* Discessit quidem relicto loco, vt ad cœlum vndè missus fuerat rediret. Angelus enim, ait Nicolaus de Nissa in Resolu. Theol. ex sententia Damas. S. Thom. Scholast. & cęterorum, potest moueri localiter, quia omne receptiuum multarum formarum eiusdem generis, quòd videlicet non est ex se determinatum ad aliquā illarum, nec illimitatum ad ipsas, est mobile de vna ad aliam: Sed Angelus est receptiuus diuersorum vbi, non enim est ex se determinatus ad aliquod vbi, nec etiam est illimitatus ad quodlibet vbi, cùm non sit immensus: Ergo potest moueri de vno vbi ad aliud. Nec mora (secundùm Aug. ser. 2. in fest. Annunc. Domini) reuertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus, efficitur subitò prægnans Beata Dei Genitrix, & cuncta per secula prædicatur Fœlix. Concepit mox Diuinitatem Verbi, virilis ignara consortij. Quare subdit S. Bonau. *ab ea discessit Angelus*, sed in ea remansit Filius Dei: *discessit* quidem quantum ad apparentiam, sed remanserunt multi quantum ad custodiā. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Isti sunt Angeli *Cant. 3.* beatissimi, qui custodiebant eam, tanquam locum diuinæ habitationis electissimum. Vndè inferius paulò, designata fuit per illam scalam, cui Dominus erat innixus, & Angeli per *Genes. 28.* illam ascendebant, & descendebant, quā vidit Iacob. Et post sequitur. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli, quia nullus potest iam in cœlum intrare, nisi per MARIAM transeat, tanquā per portam. Ergo Angelum, qui tam fœlicia Orbi tulit, sequamur ad æthera redeuntem; Virginem verò, quæ nobis Saluatorem conciliauit, & dedit, exoremus, & deprecemur continuò, vt per eam dignemur frui Christo, qui viuit, & regnat Deus, cuique soli honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

## CAPVT XXXVI.

*Exurgens autem MARIA in diebus illis, abijt in Montana cum festinatione in Ciuitatem Iuda.*

POstquam ergo, & beneficium omnium eximium in se ipsa prouniuersis suscepisset, & non indignum gratulatione communicatum Elisabethæ per Angelum audisset, in animo proposuit cognatam inuisere. Quamobrem *exurgens* è domo, & Ciuitate paterna, *MARIA* illa fœminarum splendor, & cunctorum admirabile speculum, paratis omnibus, quæ *in illis diebus* occurrere poterant; *abijt* cum sponso Ioseph, & reliquo comitatu honesto, *in Montana* loca, & quo nouerat habitare cognatam properauit *cum festinatione* omni, tandemque peruenit *in Ciuitatem Iuda*, quæ erat habitatio Sacerdotum, ac proprium eorundem domicilium.

*Exurgens autem MARIA.* Vt non minùs actiuam, cùm ratio postularet, quàm contemplatiuam se præberet, & in vtroque genere omnes excelleret, iuxta illud. Multæ filiæ *Prou. 31.* congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas. Vndè Ruper. Abb. lib. 4. in Can. ait ad eam. Tu virtutum operatrix, ac totius sanctæ magistra religionis, qualis nunquam oculus vidit, qualis ab initio, quando Eua facta est, non fuit, nec est, nec erit in cogi-

cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suauitatis, in omni flore & fructus honoris, & honestatis. Sola ergò illa, colligit Cus. Card. lib. 4. excitat. in illud, Optimam partem, &c. illuminatissimaturris MARIA Θεοτόκος, & Dei mater supergressa est vniuersas, vt meritò illi in excellẽtia conueniat illud, quod adepta est Maria Magdalena. MARIA optimã partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quando autem surrexerit ad hoc opus præclarum, & quibuscum, ex historia Euangelica non constat. Verùm quia post desponsationem, sub cura & custodia Ioseph in domo paterna, quæ erat Nazaret, volunt Patres fuisse: piè creditur cum sponso, & vna aut duabus comitibus sociatam iter arripuisse; nec multò post ab Angeli recessu; quin statim, ait Theophil. & S. Bon. summo diluculo, secundùm illud. Surge, propera, amica mea, formosa mea, & veni; vndè sibi competit illud Prob. quòd dicitur de muliere forti, quæ de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Surrexit enim, vt ministraret Elizabeth seni & debili. Gaudens, scribit Theophil. de bono cognatæ, & volens, vt prudentissima maiore certitudine certior redderetur; num vera dixisset, qui apparuerat ei, vt ex hoc nec de suo dubitaret; prudens enim cùm esset, timebat ne fortè deciperetur, & non incredula, sed vt diligens, rem explorare volebat. At inquit Ambr. non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio in Montana perrexit. Vtitur Euangelista participio, *Exurgens*, quòd est de quiete ad opus, vel à labore ad solatium, aut certè à pace ad pacem, vel contra, ab ærumna ad ærumnam, vt vniuersa in præsenti historia contemplemur. *Exurgit* quidem *MARIA* à quiete contemplationis, quàm in templo diu coluerat, & cum Angeli colloquijs paulò ante exercuerat, & ad cuius extaticos raptus post Verbi Dei conceptionem cœperat egregiè subleuari; ad opus externum pietatis, & charitatis in proximum, vt impleretur. Fecit lanam, & linum, & operata est consilio manuũ suarum; lanam dico contemplationem; linum, quòd profert ager, actionem. In his consilio manuum se exercuit, quia prudenter & vtiliter. A labore ad solatium *Exurgit* modo *MARIA*, quia dolorem, quem pro peccatoribus derelinquentibus legem: & angustiam, quam pro infantibus, qui in peccatis concipiuntur zelans vniuersorum salutem, passim capiebat, limite incipit, & exurgere ad optimam spem, quæ non fefellit eam, sed solatam reliquit Ioanne sanctificato, & parentibus eius consolatis. A pace ad pacem *exurgens* venit, nam sedens in pulchritudine pacis, sub vmbra illius quem desiderabat, facta est coram eo, quasi pacem reperiens quocunque proficisceretur. Denique *exurgens* modo, ab ærumna ad ærumnam venit, hoc est à Nazaræis, quorum mores dissimiles erant, ad Montanos, qui plus, minusue reputabantur deteriores, quando Princeps pacis sicut pluuia in vellus descẽdit ad sacrum vterum; quo cum pergit, vt bellantes tota die pacificaret. At præter Ioannem, & parentes eius non inuenit, quia omnes declinauerant, simulquè inutiles facti fuerant.

*In diebus illis.* Hoc est nondum transacto sexto mense Elizabeth, ait Arias Mont. vel secundùm alios in die illo, vt plurale stet pro singulari, vt, Cœli enarrãt gloriam Dei, hoc est Cœlum iuxta opinionem Chris. & aliorum, qui non plures, sed vnicum admittunt cœlum.

*Abijt in Montana.* Quæ hactenus clausa in templo, vel domi ab omni diuagatione remota solita erat quiescere, tantùm vel legens, vel orans, aut quippiam operans contra otium, quamprimùm concepit lapidem, qui creuit in monte montium, atque pinguem, *abijt in Montana*, altiora suscipit studia, ad montem myrrhæ, & collẽ turris, hoc est omnem, quæ in rationali creatura desiderari potest, perfectionem complectitur, quia fortis est vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio. Hinc illa: nuntiate dilecto, quia amore langueo. Et quis te quæ tenes dilectum melius nuntiabit eidem? Ego quidem dilecto, & dilectus meus mihi; propterea omnia possum in eo, qui me confortat, MARIAM igitur, infert Ambr. lib. 2. in Luc. quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico, Virginitatis pudor: nõ à studio, asperitas montium: non ab officio, prolixitas itineris retardauit. Zachariasitaque, ait Theophil. in Montanis habitat, & propterea illuc abijt. Etiam vt doceat vniuersos: Quorsum cõceptus quem portat? Ad quid Verbum caro factum est? & quid denique quem gestabat in vtero facturus esset? videlicet ad Mõtana abire, vnde venerat. Quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Matrem, in qua natus est homo ad Montana conducere, hoc est synagogam, & totam Ecclesiam ad cœlestem dirigere patriam, & inter montes Dei Angelicos staruere. Quia illuc ascenderũt Tribus Tribus Domini testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Denique vt discant, qui in seipsis Christum formatum portant, statim ad peregrinationem vocari, vt egrediantur de terra, & cognatione, ad ardua vocati exercitia, quia dixit vni eorum, Cùm eras iunior cingebas te, & ibas vbi volebas; nunc autem alius te cinget, ad difficultates soluendas assumi & bella. Docet enim, dixit ille, manus meas

*Gen.* 1. *Eccl.* 24. *Prob.* 31. *Luc.* 10. *Cant.* 2. *Prob.* 31. *Prob.* 31 *Isai.* 32. *Cant.* 2. *Psal.* 71. *Psal.* 13. *Psal.* 18. *Chris.* *Dan.* 2. *Cant.* 4. *Cant.* 8. *Cant.* 5. *Cant.* 2. *Phil.* 4. *Ioan.* 1. *Ioan.* 3. *Psal.* 112 *Gen.* 12. *Ioan.* 21. *Psal.* 143

meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.
*Iob.13.* Quia animam meam porto in manibus meis; vel vt exponit author: In patientia vestra
*Luc.31.* possidebitis animas vestras. Denique discãt, qui sunt Christi, Christumque induunt, minimè in planicie gressum figere, sed ad Mõtana seipsos transferre; hoc est delitias, quæ dissoluunt præterire, & complecti, quæ sunt sensibus odiosa, & ingrata, quia qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam
*Ioan.12.* custodit eam. Hæc est mons hæreditatis Iacob, ad quem Moyses ascendit, in quo rerum omnium monstratur verùm spectrum, & simulachrum verorum intuetur, Mons Sion,
*Psal.47.* in quo habitat Deus, & reperitur saluatio, ac
*Psal.23.* Ciuitas Regis magni; ad quam ascendit innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, sed gratia Dei plenus, ac Domino, abijt statim ad Montana cũ MARIA, vt perficiat quæcunque Dominus iusserit.

*Cum festinatione.* Tum inquit Cayetanus ad celeriter visitandã cognatam senem, tum vt in itinere non moraretur: instruens exemplo Virgines festinas esse in itinere, & non moroso gradu spectandas se exhibere. Hinc Ambr. discite Virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere Sermones, MARIA in domo sera, festina in publico. Ad hæc S. Bonauentura spiritualiter datur ex hoc nobis intelligi, quòd necessaria est ei festinatio, qui vult ad perfectionem attingere.
*Hebr.4.* Festinemus ingredi in illam requiem, vt ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Et ad Cor. Sic currite vt comprehendatis. Diuersum dicitur de fatuis Virgini-
*2.Cor.9.* bus. Denique habens in se, cuius nomen festina, & citò, qui poterat moræ vitium contrahere? an leuis aer velam adimplens, nauem reddit agilem? Volabo, dixit ille, & requiescam. Et quando? si sumpsero pennas diluculo. Pennæ sunt, Verbum Dei velox, & Spiri-
*Psal.54.* *Psal.128* tus donum, quod habitat in cordibus nostris. Hoc qui diluculo, qui in optima animæ adolescentia portat, assumit pennas, vt Aquilæ, volat festinus ad opera bona, & non deficit.
*Apocal.4* Quia semper volant Seraphim, nec requiem habent, qui stant coram Domino, sed sic semper sunt laborantes, nec vnquam deficientes.

*In Ciuitatem Iuda.* Hanc Agustinus Beda S. Bonauentura Hierosolymam faciunt, velut Metropolim totius Iudææ: Sed probabilius meo iudicio sentiunt, qui vt alibi diximus Cariatharbe, quæ & Hebron in monte
*Ios.14.* Iuda. Ios. 14. Ciuitatem Leuitarum opinantur. Potuit quidem Hierosolymis habere domum, vbi aliquamdiu post officij administrationem degeret Zacharias; at cum tota familia, præsertim cum vxore, quæ nomen A probrum sterilitatis acceperat, in propria Ciuitate, quæ erat Sacerdotum; continuò habiiasse Zachariam crediderim. Certiùs quidem erat isthuc inueniri Elizabetham, quàm Hierosolymis, aut alibi. Abijt itaque MARIA *in Ciuitatem Iuda*, quæ interpretatur confessio; quia sub eius pectore latens confiteri Deum in propatulo venerat, & glorificare; vnde dixit, Confiteor tibi pater. Ego glorifico patrem meum. Ego veni, vt testimoniũ perhibeam veritati. Et quid est Veritas? Ego, inquit sũ via, veritas, & vita. Ergo Deus in carne seipsum venit mundo declarare, quem ignorabant, & sui integram confessionem, ac fidem docere, vt nec stulti errarent. Sic quidem dictum erat ei. Super mon-
B tem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem; exalta noli timere, dic Ciuitatibus Iudæ. Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Hanc vocem de vtero matris emisit, & tanto Zelo *in Ciuitate Iuda* confessionem huiusmodi protulit, vt non tam adulti Elizabeth, & Zacharias; quàm in cauerna maceriæ latitans, confiteri Dominum fuerint compulsi: nam eò acta eius ordinabantur: Et nos quid aliud docet per suos, quàm secum *Ciuitate Iuda* esse, hoc est, in vera & optima fidei confessione permanere? Quienim confitetur me coram
C hominibus, confitebor, & ego illum coram Patre meo. Ergo sequamur catulum Leonis Iuda, qui properat, vt clamet, qui festinat, vt optimam confessionem fidei doceat tenere.

*Isa.40.* *Cant.2.* *Matt.10.* *Genes.49.*

## CAPVT XXXVII.

### *Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.*

BReui ergo in Ciuitatem Iudæ, perueniens, recto itinere ad eam, quam quærebat properauit; & ideò aduocatis seruis, habitaque licentia *intrauit* vna cùm comitatu religioso, qui eam sequebatur *in domum*
D venerabilis Sacerdotis *Zachariæ*, sed tunc muti, & surdi. Quapropter eò præterito ad vxorem illius venit, & *salutauit* omni cum debito honore ipsam *Elizabetham*, & congratulari eidem cœpit pro beneficio, quod in anili ætate Diuinitus supra naturam acceperat.

*Et intrauit in domum Zachariæ.* Hic erat maritus, & hæres domus, ac Dominus, Ideò tanc licet cunctis inferior, vt qui nec loqui valeret, nec audire Scriptura domum Zacha-
*Eph.5.* riæ nominat, non Elizabeth; quod vir, siue æger, siue sanus, siue mulctatus, siue honoratus, semper est caput mulieris, à quo, non tàm domus, quàm negotia appellationem, ac robur

robur habere debent. Huius domum Brochardus in descriptione terræ sanctæ, ad vallem Rephaim scribit sitam esse; minimè tamen ad quam ingressa est MARIA, sed aliam fortè, quæ ad animi gratiam in campis, & vallibus solet in multis locis haberi.

*Prob.7.* *Intrauit* igitur, ait S. Bonau. non stabat foras, sicut illa mulier vaga, quietis impatiens, nec valens domi cõsistere. Est enim hoc adulteræ vitium, non almæ Virginis; procacis mulieris, non eius quæ oblectat virum; & fœminæ peccatricis signum est, non diligentis,

*Eccl.26.* *Prob.12.* & optimæ, quæ est corona viri sui. Hæc quidem, vel ædificat domam suam, vel ad alienam intrans quiescit, quousque pietatem,

14. *Sap.8.* quæ ad ingressum impulerat, honestè, ac sedulò exercuerit; eò enim mulieres se mutuò visitare debere. Tertul. lib. adv xor. de Pœnit. *In domum Zachariæ*, qui est memoria Domini, *intrauit* MARIA cuius vterus portabat Dominum, vt adesse Dominum ijs, qui

*Phil.4.* recordantur eius agnoscamus Dominus enim propè est; immò ait. Ad eum veniemus, &

*Ioan.41.* mansionem apud eum faciemus; hic Psaltes: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & in iustitia tua exultabunt.

*Et salutauit Elizabeth.* Hæc fortè prænonita à Spiritu, qui secretum Virginis referauit, occurrit nouæ, & illustrissimæ hospitæ, à qua prius salutatur; non solùm, vt inquit Ambrosius, suæ humilitatis præberet exemplum; Nec, vt vult. S. Bonauẽtura quòd mandatis Euangelicis, quæ per viam salutare prohibet, pacem autem dare habitantibus domi præcipiunt, iuitium dare vellet; Nec itẽ, vt reliqui putant, salutauit Elizabethã MARIA, iuxta morem Sanctorum, qui in osculo sancto, & pacis, mutuoque se Verbis pacificis, ac nominatim salutant, persuasi, nõ tam

*Iud.6.* *Tob.6.* exemplo Angeli, qui Gedeoni, & Tobiæ benè præcatus est; quàm Christi, qui intromissus ad suos dixit. Pax vobis, sed salutem obtulit prior, quòd eam penes se retineret, &

*Luc.1.* *Ioan.20.* dare venerat ijs, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant. Eò enim conceperat Christum, & peperit. Quod ergo cum omnibus agendum erat, ordiri voluit Christus in priuata domo, & muliere, vt quæ mortem prior tulerat; salutem vitamque sentiret, & vt perditio à singulari persona ad communitatem processerat, ita saluatio in priuato dominari inciperet, deindẽ ad relinquos omnis conditionis & status, pergeret. Est enim ad iustitiam omni credenti, Iudæo tamen primùm,

*Rom.1.* & Græco, inquit Paulus; nos verò pro loci occasioni, Ioanne primùm priuato, quem ante omnes proponit scriptura, salutare Christi impertitũ; deinde reliquis, & orbi toti, ortus est Sol, veraque salus. Omnes vtique, scribit Cyryl. Alex. de recta, in Christ. fide ad Reginas, illius debitores effecti sumus, & sumus illi obnoxij, non tanquam homini nostri similis, sed tanquam Deo. Denique salutat Elizabetham MARIA, fidelis fidelem, quia inter hos tantùm salus vera reperitur; salutatio autem est quædam salutis optimæ imprecatio; vnde Paulus postquam iussisset Thes. Salo. alutari in osculo Sancto, subiungit, Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen. Ac si diceret. Eo salutari vos volo, si quomodo gratiam, quæ communicat salutare, dignemini recipere. Ergo quæ inter paganos solita est fieri salutatio, vel capite dimisso, vel manu ad os, vel pectus retracta, aut verborum circumloquio, à ratione integræ salutationis est alienа; necnon quàm peccatores, & Hæretici frequentant, mundi est potiùs linitio, quàm salutiferum Dei præceptum, seu sacra institutio: immò verò, vt clarè loquar, nihil vt plurimum habet sacri, sed profana est, & sæpiùs noxia. Lactat enim *Prob.16.* ore amicum, quem exanimat opere; seu inimicum reddit, improba mundanorum salutatio.

*1. Thes.5.*

## CAPVT XXXVIII.

*Et factum est; vt audiuit salutationem MARIÆ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.*

ET accidit in his miraculum hactenus inauditum: *factum est* enim *vt* cœpit noua & religiosissima hospita loqui, & *audiuit* auribus attentis *saluationem* optimam *MARIÆ* Domini matris, *Elizabeth*, non potuit, quem sub tegumento carnis gestabat tacere; quin præter consuetudinem omnium agnouit semestris, Æternum, adorauit Verbum. Qui fari non poterat, & *exultauit infans*, ad præsentiam Omnipotentis, & *in vtero* matris *eius* Elizabeth, lætitiæ signa dedit, quæ perferri solent foris. *Et* hoc, quia salutante MARIA, *repleta est* cœlitus *Spiritu Sancto* dignissima parens *Elizabeth*, quò fieret prophetissa mater, filius autem lætitia Israel.

*Et factum est.* Quidem miraculum præter consuetudinem natorum; nullus enim ignorat, inquit Maximus serm. 1. de Natiuit. Ioan. Bapt. omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem, inter ipsa lucis exordia mestis concrepare vagitibus. Solus Baptista Domini vltra legem nascentium, Natiuitatem suam lætitiæ exultatione præuenit. Vndè Chrysol. serm. 88. Beatus Ioannes, qui ante Dei spiritu intonaret, quàm hominis vagiret in fletu. Beatus qui ante diuina possidere meruit, quàm sortiretur humana. Beatus, qui ante meruit scire Cœlum, quàm terram. Beatus, qui antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare. Beatus, qui ante

Deum

Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore. Beatus, & singulariter est beatus, qui antequam saperet, quærere meritum conquisiuit. Talia ac tanta, vt in vno prodigia elucerent, *factum est* modo, inquit Euangelista. Includuntur autem ista omnia, & alia multa in *factum est* singulari, quòd Dei opera, vnum habeant fieri, & eundem ordinem, quem illis voluntas Opificis præscribit, retineant. Vnde in Genesi de vnoquoque legimus, fiat, & factum est: nam etsi distincta sint opera inter se, apud authorem, vnicum habent principium, & vnicum ordinem. Hunc autem, *Factum est* insinuat; illud autem fiat, si quidé, fiat, est voluntatis imperium: factum est, voluntatis Decretum.

*Genes.* 1.

*Vt audiuit salutationem MARIÆ Elizabeth.* Erat quidem vox Iacob, sed manus Esau, vox inquam MARIÆ, quæ supplantauit tyranum, & contriuit, vocis autem virtus, Esau, hoc est dilecti ex dilecto. Vndè Theophil. Vox Virginis, vox erat incarnati in illa Dei, & id circò præcursoré etiam in vtero gratia prosequutus est, & Prophetã fecit. Immó verò Dei filium, quia hoc est proprium eloquij Dei, quòd per os ministrorum ad aures cæterorum egredi tur. Dedit quippè eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex potestate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hi autem, qui, nisi qui ex semine verò, quod est Verbum Dei concipiuntur? Quod enim natum est ex carne, caro est; quòd autem est ex spiritu, spiritus est. Ergo, ait S. Bonau. salutauit non solùm optando, sed etiam salutem in Hierusalem apportando, vt impleatur illud, quod dictum est. Propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Hoc est, vt Paulus dicebat. Donec formetur Christus in vobis: nam qui Christum induit per baptismi fidem vt Luciferum, & accensam in seipso lampadem portat Christum. Igitur MARIA dum salutat Elizabetham, Christum prædicat, quia salus ipse est, atque splendor, iustus, & Saluator ipse, qui per MARIAM loquitur, & per eius os seipsum ad aures Elizabeth, & Ioannis animum se diffũdit. Quapropter Elizabeth attétè audit salutationem, & accipit auribus, non vt verbum hominum, sed vt verè erat Verbum Dei, quòd illuminat cœcos, quòd erigit elisos, quòd dirigit iustos, & perficit, auditu audiunt quid ad eos per ministros loquatur Dominus. Ergo surdi audite, & cœci intuemini ad videndum, audite insulæ, & attendite populi de longè; audite hoc senes, qui sapientes apud vosmetipsos; audite Principes, qui potentes estis ad sectandam ebrietatem. Audite Verbum Domini vaccæ pingues, quæ spoliatis pabulum. Audi denique populè stulte, & insipiens, qui velut aqua diffunderis, salutationem, quam tibi conciliat salutatio ministri Dei, qui concepit Verbum bonum in quo salus est, ait S. Bonau. secundùm illud. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quòd potest saluare animas vestras.

*Ioan.* 1. *Luc.* 8. *Ioan.* 3. *Is.* 62. *Gal.* 4. *Gal.* 3. *Matt.* 22 *Psal.* 145 *Is.* 42. *Is.* 42. *Ioel.* 1. *Nic.* 3. *Amos.* 4. *Deut.* 32.

*Exultauit infans in vtero eius.* En tria simul miracula, quæ vnius voce in orbe prodeunt. Exultatio sequitur in audiente; is autem est infans, non qui lactatur, sed qui recumbit in vtero. Fœlix Elisabeth, ait Bern. serm. de excel. S. Ioan. Bapt. ad quàm properat mater Saluatoris, quam salutaribus obsequijs cœlorum Imperatrix impertitur. Sed puer multò fœcilior, qui salutantis maiestatem agnoscens, intra viscerum tenebrosa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutionis attendit. Sexto mense, perorat Chrisost. serm. 18. in Nat. Ioan. Bap. suæ matris exultat in vtero, & in vtero Virginis venisse nuntiat Christum. Feruens nuntius, qui ante gestiuit nuntiare quàm viuere: Impatiens Dux, qui antequam peruenerit ad corpus, peruenit ad Regem, ante rapuit arma, quàm membra, ante aciem petijt, quàm lucem, & vt vinceret mundum, vincit ante naturam. Nec mirum, subdit Euthym. quia Christus locutus est per os suæ matris: Ioannes autem audiuit per *aures suæ* matris, & agnito supernaturaliter Domino suo, exultatione illum prædicauit; Tunc enim, notat Cayet. impletum est, quòd dixerat Angelus ad Zachariam de illo. Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ; IESVS enim, qui cõceptus, matris carnem statim sanctificauerat, extinguendo in ea fomitẽ, modo incipit exterius operari, sanctificando præcursorem suũ, hæc quidé sanctificatio causa fuit, quòd saliret. Pro *exultare*, in Græco ponitur, σκιρτησε, quod est propriè lætitiam conceptam exprimere saltibus: nam cuius animus, sicut adipe & pinguedine repletur spiritu principali, præueniturque benedictionibus dulcedinis, non solùm lætatur, nec gaudium vno saltu declarat, sed multis ac penè innumeris subsalit exultans. Vndè qui tam fœlici perfunditur rore dixit. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Gaudio gaudere, est perfectè gaudere; hoc autem consistit non in vna, aut altera hominis parte, aut semel, sed in toto, & iugiter gaudio affici. Sic inquit ad authorem. Sic memor fui tui super stratum, quia fuisti adiutor meus: Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. En tres perfecti gaudij & exultationis spiritualis causas, quia Deus adiutor, quia adhærens Deo, & quia eius dextera iugiter tractus: quas operatur vnus atque idem Spiritus, propter quod subditur.

*Luc.* 1. *Psal.* 62. *Psal.* 20. *Is.* 61. *Psal.* 62.

*Et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.* Quia prior infans exultauit præ gratiæ plenitu-

nitudine, quàm ad præsentiam summi boni receperat, de qua & mater accepit; Non enim est dubium, inquit Orig. hom. 7. in Luc. quin quæ tunc repleta est Spiritu Sancto, propter Filium sit repleta; neque enim mater primùm Spiritum Sanctum meruit: sed cùm Ioannes clausus adhuc in vtero Spiritum Sanctum accepisset, tunc & illa post sanctificationem filij repleta est Spiritu Sancto. Fuit ergo, colligit Bern. serm. 1. in Natiu. Ioan. Bap. iam tunc in vtero ardens lucerna, sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus, qui erant in domo Domini. In illo tempore solùm adhuc potuit illuminare modium suum, soli interim lucere matri, magnum ei pietatis sacramentum reuelans, ipso motu nouæ exultationis. Vocem, prior quidè Elizabeth audiuit, secundùm Ambr. lib. 2. in Luc. sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, ille exultauit ratione mysterij. Illa MARIÆ; iste Domini sensit aduentum. Quare subdit Euthym. Christo reuelato ei, qui in vtero Elizabeth impletus erat Spiritu Sancto, impletur, & ipsa. Quid ergo? per filium mater sanctificatur? aut certè Spiritu Sancto caruit Elizabeth, ante conceptū Ioannes? Minimè. Erant inquit Euangelista de vtroque Ioannis parente, iusti ante Deum. Tantùm igitur per filium Spiritus Sancti Donum prophetiæ accepit. Nisi enim puer exultasset, iuxta Theophil. non prophetasset illa. Itaque sicut dicunt, Prophetas primùm mente excedere, & Diuinum quid pati, ac tū denique Prophetizare; ita & Ioannes forte prius salutauit, vt Diuinum quiddam patiens, posteà per os matris prophetizauit. Quare, etsi dicatur Elizabeth repleta Spiritu Santo per filium, aut propter filium, illud per, aut propter, nullam dicunt efficientiam, sed decentiam. Decebat quidem tanti filij matrem, nati dignitatem ostendere, & vnà cùm filio authoris magnificentiam celebrare; id quod filius exultāte effecit; mater autem repleta Spiritu Sancto prophetizans; vt enim, *per*, ac, *propter*, connotant causam, per Christum solùm ac propter Christum sunt donationes gratiarū, & secundùm mensuram donationis eius, per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, dicebat Paulus. Præterea exultante filio, repletur Sancto Spiritu mater, quod gaudijs spiritualibus abundans iustus, Ecclesia superabundat charismatibus melioribus, exultat pariter Iacob, & lætatur Israel: quin & corpus Spiritu Sancto superueniente repletur, & obumbratur virtute Altissimi, quoties animam quæ est loco fœtus, contingit exultare in Deo suo. Vndè Psaltes. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, hoc est, anima, & corpus quod informat, æquè lætantur in bonis domus tuæ, quia torrente voluptatis tuæ potabis eos; videlicet spiritum animæ atque carnis, vt quæ communiter habitant, participent aliquatenus communiter, quæ sunt Spiritus Dei. Porrò Elizabeth anus repleta est Spiritu Sancto, nondum in lucem prodito infantulo, qui exultat, vt spem resumeret Synagoga veternosa in nouo recentequè paruulo, qui loqui adhuc nesciens per æ atem manum suam mittit ad cauernam reguli; Propter hoc enim exultauit vt Gigas ad currendam viam suam. Denique, inquit Ambr. exultante Ioanne repletur Elizabeth; MARIAM tamen non repleri Spiritu, sed spiritum eius exultare cognouimus; incomprehensibilis enim incō prehensibiliter operabatur in matre, & illa post conceptum repletur, ista ante conceptum.

*Matt. 5.* *Rom. 1.* *1. Cor. 12* *Psal. 83.* *Psal. 35.* *Is. 2.* *Psal. 18.*

## CAPVT XXXIX.

*Et exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

ET Ideò, quia Spiritu Sancto repleta, supra naturæ vires se eleuās & captum, *exclamauit* Prophetes, & *voce magna*, qua Deū & creaturam eius magnificaret, *dixit* cunctis audientibus. *Benedicta* quæ maledictionem Euæ omninò submouisti, attulisti autem de cœlo benedictionem; propterea *inter mulieres tu* sola es digna, quàm omnes procul nationes benedicant; teque benedictam acclament vniuersi cœlestes Spiritus; tum propter teipsam, quæ es à Deo benedicta, tum propter eum quem gestas in vtero. *Et* enim *benedictus* est omnifariam, & omnis benedictionis fons iste *fructus ventris tui* sacrati.

Et *exclamauit voce magna*. Exclamat, quia interius agitatur Spiritu: *voce magna* clamorem effert, vt se matrem prodat vocis quæ clamat in deserto, & super speculam Domini stans, haud cessat die, ac nocte clamare. Denique clamat *voce magna*, vt se Prophetæ indicitur: Clama: & quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Rursus. Vade & clama in auribus Hierusalem. Hæc dicit Dominus recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam. Ezechieli quoque dicitur, Clama & vlulla fili hominis. Quin & ijs qui loco Prophetarum in Ecclesia sunt instituti, vtpote Apostolis, demandatur dicere super tecta, quæ in aure audierunt, hoc est euulgare; id enim est clamor ministri, ab tubæ ductilis, quæ Deus reuelat & ædificant; igitur ex clamore, Propheta agnoscito Elizabetham. Verùm cùm legis, *voce magna*, intellige, secundùm Cayet. modestia seruata, quoniam Spiritus Sanctus nullius immoderami-

*Is. 21.* *Is. 46.* *Hebr. 2.* *Ezech. 21* *Matt. 10.* *Psal. 97.*

raminis causa est. Vel secundùm S. Bonauen. magnitudo vocis signum est (Arist. lib. 1. Per ier. cap. 1.) magnæ affectionis, quia voces
*s.2.* sunt notæ passionum. Adimplebit eum Spiritu sapientiæ, & intellectus. Et iterum: Ipse
*Ecc.39.* tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino. Ad hæc. Clamat *voce magna* Elizabeth, quia
*Is.12.* magnum in medio nostri annuntiat. Voce autem humana, non sono, qui erat tubarum vtitur; quia Verbum, quod olim latebat, tantumque per sonum, hoc est, obscuram nimis cognitionem proponebatur, hominem qui nobiscum conuersetur declaret, idque voce clamosa, quæ ad omnium aures perueniat,
*Luc.3.* vt omnes audiant auditum à Domino, & videat omnis caro pariter salutare Dei; nec excusationem habeant, quod non audierint, neque viderint. Et audierunt, & viderunt, & oderunt miseri. Clamauit enim voce magna Elizabeth, quæ gerit vicem Synagogæ Sanctæ. Clamauit denique Apostolus, quem ge-
*Apoc.12.* nuit Synagoga, & adhuc clamat parturiens.
*Isai.53.* Sed Domine quis credidit auditui nostro? obturauit aures Iudæus, & Hæreticus dicit, nõ audiã: prænaricator autem dicit, diffidi: Væ omnibus, qui *voce magna* clamantem non audiunt.

*Benedicta tu.* Quæ maledictum delesti; quia quod Eua, inquit Tertul. lib. de car. Christ. credendo deliquit, cùm nempè serpentem audiret, MARIA credendo Gabrieli deleuit. Quæ vitam reddidisti; quia facta est mater viuentium per gratiam, ait Pet. Chrys. serm. 140. quæ mater ante extitit morientiũ
*Eph.1.* per naturam. Quæ omni benedictione spirituali superabundas; quia scribit Rup. super Cant. lib. 6. nec inter Angelos, nec inter homines similem, vel primam habet, vel sequẽtem habitatura est. Tu, perorat Methodius oratione ob Hypapantem Domini, creatoris mater: Tu nutrix omnia nutrientis: Tu cuncta continentis & comprehendentibus comprehẽnsio: Tu illius gestatrix, qui Verbo suo
*Hebr.1.* portat vniuersa. Tu porta, per quam in car-
*Ezec.44.* nem ingressus est Deus. Tu purificantis car-
*Is.6.* bonis forceps. Tu præangustus illius sinus,
*Psal.88.* qui sinu suo omnia complectitur. Tu incom-
*Iud.6.* prehensibilis illius roris vellus. Tu Betle-
*2.Reg.23* emitica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum in mortales emanauit. Tu propitiatorium per quod Deus hu-
*Ex.25.* manam naturam indutus, mortalibus innotuit. Denique, secundùm S. Bonau. benedicit Elizubesh Virgini simul & proli, vt compleat Angelicam salutationem; benedictionem sibi optat, & iam benedictam annuntiat ea benedictione, quam Dominus Abrahæ promiserat. Benedicam tibi, & magnificabo se-
*Genes.12* men tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Quapropter, infer Cayet. non imprecatoriè, sed assertiuè dicuntur hæc verba; iam enim conceperat Filium Dei, & erat super omnes mulieres benedicta meritò, etsi non adhuc aliorum vocibus. Sequitur ergo.

*Inter mulieres.* Sed cur non inter omnes creaturas? Ecquid enim (secundùm Chrysol. hom. in hypapan. Domini) in rerum vniuersitate queat hac maius, & sublimius inueniri? sola hæc cœlum, & terram amplitudine superauit. Non denique, colligit Petr. Damian. serm. de Nauit. Virg. excellentissimus ille Patriarcharum Chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic Beatissimæ Virgini poterit comparari: quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Diuinæ gratiæ charismate plena fuit? An non, inquit Gregor. in lib. 1. Reg. mons sublimis MARIA, quæ vt conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis eregit? Ergo, non *inter mulieres* solùm benedicta est MARIA, sed supra omnes spirituales creaturas; nec hoc negat Prophetissa Elizabeth, sed alludere volens ad causam tantæ benedictionis, quæ fuit concipere Verbum Dei, *inter mulieres*, quarum est concipere, Beatam annuntiat. Erat quidem ei, vt Cypr. lib. de singul. cler. & ser. de Natiu. Christi, proprium priuilegiũ, quod nulla mulierem, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater, & Virgo singulis titulis insignita. Completum est itaque in MARIA, ait S. Bonau. illud. In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur. Benedicta fuit Iahel, Ruth, Abigail, Iudith: inter has mulieres, & super has mulieres benedicta est Virgo MARIA, quia illarum benedictiones impletæ sunt in hac. Siquidem MARIA in vterò *Benedicta*, vt per eam vteri fœminarum benedicerẽtur; *Benedicta* in ortu, vt nascentibus iter prosperum pararet; *Benedicta* in templo, vt ædituis exemplum foret; *Benedicta* in Virginitate, vt Virgines sacras consolaretur; *Benedicta* in coniugio, vt coniuges subleuaret: *Benedicta* in viduitate, vt viduas protegeret; *Benedicta* in agro, vt indigenis annonã cõgregaret *Benedicta* in prælio, quæ hostes prostrauit; *Benedicta* in pace, quæ vniuersos pacificat; & *Benedicta* in omnibus, & vbilibet, quæ Deum, qui est, inquit Theop. solus benedictus, scilicet à se, portauit. Idcirco subditur,

*Iud.5.* *Ruth.2.* *1.Reg.25* *Iud.13.*

Et

*Et benedictus fructus ventris tui.* Et quis
*Psal.16.* iste fructus, nisi de quo dictum est. Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris? Hoc est, subdit Ambr. lib. 2. in Luc. hæreditas domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de MARIÆ ventre processit. Ipse fructus ventris est flos radicis; radix est familia Iudæorum: Virga, MARIA, Flos MARIÆ, Christus. Is benedictus est, inquit Zachar. Chrysop lib. 1. in vnum ex
*Rom.9.* quat. Euang. sicut ait Apostolus, qui est super omnia benedictus in secula. Quare, infert
*Psal.20.* Bern. hom. 3. sup. Missus est. Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui, sed quia ille præuenit in benedictionibus dul-
*Genes.29* cedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim *benedictus fructus ventris*, in quo benedictæ sunt
*Ioan.1.* omnes gentes, de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius à cæteris. Et propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus; ille verò benedictus, non
*Rom.9.* in hominibus, non inter Angelos, sed qui est, vt ait Apostolus, super omnia benedictus Deus. Hanc benedictionem prædixit Isaac,
*Genes.27* ait S. Bonau. in figura agri: Ecce odor filij
*Genes.49* mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Hanc benedictionem confirmauit Iacob. Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ, benedictiones patruis tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniat desiderium collium æternorum. Hanc
*Dut.28.* desiderabat, & imprecabatur Moyses. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ
*Psal.84.* tuæ. Et ideò cantemus cum Dauid. Benedixisti Domine terram tuam. Terra est MARIA, quæ dedit fructum suum benedictũ, quia nomen maiestatis eius, quia solium glo-
*Is.63.* riæ eius, & quia thesaurus in quo est Omnipotens sermo Dei, sapientia, & scientia eius, in quoue habitat omnis plenitudo Diuini-
*Colos.2.* tatis. Itaque germen Domini, quod est in magnificentia, & gloria temporerna, sit *fructus* vteri materni, *benedictus* omni benedi-
*Is.4.* ctione spirituali, quia per eum Cœli, hoc est,
*Eph.1.* Angeli in cœlestibus: Abyssi, hoc est, homines mortui: Vbera & Vuluæ, hoc est modo
*1. Pet.2.* geniti infantes, patresque omnes, hoc est, vtriusque sexus adulti, benedicuntur, & sanctificantur, quousque omnis boni desiderium, & gloriæ, quod est collium æternorum, assequantur. Eo enim benedictio *fructus vẽtris*, in cœteros diffunditur, vt Oceanus in sinus, maria, fluuios, atque fontes, & vnguen-
*Psal.433* tum à capite in barbam vsque ad oram vestimentorum descendit, vt qui benedicti fue-
*Gal.4.* rint, æternitatem glorię obtineant, adoptionem filiorum recipiant, & hæreditatem. Etiã *fructus ventris benedictus* dicitur, vt redire antiquos annos, & quæ fuerunt prius mox renouari, primamque benedictionem, vtpote matrimonij (secundùm Epiph. in epithome Diuinit. Decret. v. Matrimonium) illustrari ac perfici credamus: fructus enim ventris, matrimonij est bonum. Hoc ergo benedictum cùm sit, & ad cœli benedictionem ordinatum, coniugium consecrat in sacramentum, & coniuges, qui non in passionibus ignominiæ, sed in sanctitate, & iustitiæ adunantur benedictos efficit, demumque fœlices, veteri maledictione deposita, & honoratos in fructu vteri, quem Christus sanctificat in vtero Ecclesiæ per Baptismũ. Sed nota, ait Theoph. quòd pueri alij fructus sunt patrum; Christus verò ventris MARIÆ fructus, ipsa enim sola hunc fructum protulit. Rursus nota, in Græco legi, in mulieribus, ἐν γυναιξὶ, pro, inter mulieres, vt, *in*, pro, *inter sumatur*; vel si, *in*, sit ablatiui præpositio. In mulieribus dicatur benedicta, quod sola in hoc sexu benedictionem, quæ ad reliquas descendat, acceperit. Si, *in*, pro, *inter*, legamus Benedicta inter mulieres, exponito. Inter benedictas tu MARIA es prima, & præcipua. In locum, *ventris*, habet quoque Græcus codex, *vterus*, κοιλίας, qua duplici lectione notatur perfectio grauiditatis MARIÆ, vt quæ nõ solùm in vtero, qui est intimus conceptionis locus: sed in ventre, qui ad omnia intestina se extendit, Christum conceperit: non solùm, quòd sanguines ex vniuersis intimis ministrauerit; verùm etiam quòd radijs & splendoribus tanti conceptus, & vterum ac ventrem, quin totum corpus, ac mentem, repleta habuerit.

## CAPVT XL.

### *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*

ET *Vnde*, ò MARIA *hoc* beneficium, quod nullis vix potest meritis comparari, *mihi* omnium infimæ, & indignissima accedit, *vt veniat* de longinquo Domina vniuersorum, & Regina, *Mater* inquam *Domini* cœli, & terræ, meique Creatoris, & Redemptoris, *ad me* miseram, & veniat, & accedat, & intromittatur?

*Et vndè hoc mihi?* Habet pronomen demõstratium, *hoc*, energiam quam Spiritus Prophetissæ, quæ hoc protulit, valet plenè explicare. *Hoc*, in primis totum MARIÆ aduentum, & eorum quæ includebantur in animo eius atque vtero insinuat. Porrò ad singula, quæ sub hoc toto latent mirabilia, extenditur. Quorum aduentum quis hominum dignus est recipere, aut intueri? aut quis humilium quem hisce Deus voluerit honorari, non dicet. *Vndè hoc mihi?* Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, dixit Centurio, & *Matt.8.* *Luc.5.* Petrus. Exi à me Domine, quia peccator *Matt.3.*

ego

ego sum. Sed & Ioannes. Tu venis ad me? Humiliat quidem valdè spiritum suum, qui humilis est; vnde dixit. Humiliata est in pulu. *Psal.* 43. ere anima mea, conglutinatus est in terra venter meus: quoniam minima de se sentit, magna non præsumit, & cùm exaltatur ad honores, qui denegantur superbis, velut somnians diuitias, qui mendicat: & inter Regis conuiuas assumptus, qui esurit, ait, *Vndè hoc mihi*? Egone pauper repentè ditescam? Egone famelicus abundabo epulis? Quid causæ est, vt veniat Dominus meus Rex ad seruum suum, qui nullum præstitit obsequium? Sic in bonis quæ cœlitus dantur, humiliatur, vt nullam in se dignitatis causam inueniat; sed vniuersa tribuat magnificentiæ, & largitati authoris, qui liberè egit in misericordia & miserationibus, in quem voluerit. *Psal.* 102 Sic Elizabetha, inquit Ambr. lib. 2. in Luc. quasi non humani hoc meriti, sed Diuinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit. *Vnde hoc mihi*? hoc est, quò tantum bonum mihi accidit, *vt mater Domini mei veniat ad me*? Non cognosco meum. *Vndè hoc mihi*? qua iustitia? quibus factis? pro quibus meritis? Non visitata hæc officia fœminarum sunt, *vt veniat mater Domini mei ad me*, miraculum sentio, agnosco mysterium, mater Domini, Verbo fœta, Deo plena est. Ex quo enim, subdit S. Bonau. facta est mater Dei, summa Domini omnium eluxit dignatio, vt qui suis pedibus alienum Hospitium visitare non abhorruit; de quo quidem Virgo gloriatur *Eccl.* 24. dicens. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Vbique ergo apparet secundùm Cayet. Spiritus Sanctus, Spiritus humilis cordis. In Beata Virgine apparuit. Ecce Ancilla: & posteà in submissione ad visitandam Elizabeth, & modò apparet in ipsa Elizabeth recognoscente se indignam, vt ad eam veniat beata Virgo. Vt veniat, cùm ego debuissem præuenire. Itaque certant inter se humiles, sed vincit qui abundantiori Spiritu Sancto, vndè humilitas, repletur.

*Vt veniat mater Domini mei ad me.* Hic Brentius hæreticus delirat, dicens, MARIA visitauit cognatam suam Elizabeth, vt verbo Angeli obediret, & Sacramentum, quod Angelus annuntiarat reipsa experiretur, & rursus Elizabeth confirmat fidem MARIÆ. Primùm quidem mentitur; non enim Angelus præcepit, sed charitas induxit MARIAM, vt fraternitatem cognatæ ostenderet. Feruebat, inquit Bernar. ser. de Natiu. Mar. in quærenda gratia charitas, splendebat in carne Virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Hinc quoque secundùm quod asserit hæreticus, eliditur; non enim experiri venerat, quod firmissimè credidit Angelo reuelante; neque enim decebat, inquit Beda in 1. Luc. electam generando Deo Virginē, diffidentia, sed prudētia cautam existere. Quarè turpiter multum errat, dum ait MARIÆ fidem cōfirmari per Elizabetham; non enim vocat matrem Domini, vt sic fore persuadeat eam, quæ ab instant conceptionis filium cum summa lætitia in seipsa senserat, sed vt laudet, & admiretur. Hoc enim, inquit S. Bonauent. est valdè laudabile, & etiam admirabile, quòd mulier sit mater Dei. Didicit autem hoc, secundùm Cayet. à Spiritu Sancto, quod erat mater Dei, & hominis. Propter naturam enim humanam, dixit, *fructus ventris tui*; propter Diuinam, *Domini mei*. Hinc habetur, quod in principio quo concepit beata Virgo, *Ioan.* 1. Verbum caro factum est; si enim imperfecta quædam inchoatio prolis fuisset, tunc in vtero Virginis, quemadmodum in alijs mulieribus est informis materia, non dixisset Elizabeth, immò Spiritus Sanctus per eam, *Mater Domini mei*, quia adhuc tunc non fuisset Mater Dei. Postrema Cayet. animaduersio facit contra Bucerum, qui negat Christum in instanti conceptum. Prior verò Nestorium, qui MARIAM tanto Christothocon, non Theothocon admittebat, expugnat. Et quidem in instanti conceptionis perfectus homo dictus, ac Deus, & eius mater MARIA eodem instanti habita, quapropter quasi in eius laudem ista protulit Elizabeth, ac si intonasset cū Acatio Sanazario lib. 2. de partu Virg.

*O decus, ò laudis mulier dux præuia nostræ!*
*Cœlitibus sola humanum quæ digna repertaes,*
*Conciliare genus: cœtusque attollere ad astra*
*Fœmineos: gremium cuius Diuinus obumbrat*
*Palmes, inexhaustis terras qui compleat vuis:*
*Quis me, quis tanto superum dignatur honore?*
*Tu ne procul visura humiles Regina Penates*
*Venisti? tunc illa mei pulcherrima Regis*
*Mater ades?*

## CAPVT XLI.

*Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*

ALioquin miraculum, quod ad tui præsentiam, & sermonem in memetipsa sum experta, qui factum fuisset? *Ecce enim* mirabile nouum, quòd mox præsensit. *Vt* quidem *facta est*, ac tuo dignissimo ore prolata *vox* huius *salutationis tui*; & completa

in

*in auribus meis*, protinus ac si quid Diuinum stillasset, & penetrasset interiora mea, *exultauit* haud segniter *infans* tenellus, & delicatus, qui *in vtero meo* fouetur, & sustentatur.

*Ecce enim.* Ait, vt ipso exordio miraculum, quod per *Ecce* solet in scripturis notari subindicet, & attentos reddat auditores, atque lectores, quasi de rebus magnis locutura. Annon magnum, describere nouum & admirabile genus sanctificandi? Quid quæso admirabilius, prius gratiam suscipere, quàm vitam? Pruis, inquit Euseb. Emis. serm. 1. de Ioan. Baptist. gratiam meruit habere, quam lucem.

*Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis.* Et hoc est signum, ait S. Bonau. *Ps.44.* quòd diffusa est gratia in labijs tuis, & propterea certum est, quòd benedixit te Deus in æternum. Quare ad eam frequenter dicere vtile erit. Sonet vox tua in auribus; Vox enim *Cant.2.* tua dulcis, & facies tua decora, siquidem hæc *Nest.15.* gratiarum est; illa autem in magnificentia, *Ps.38.118* quæ intellectum dat paruulis, lætificat cor *Eccl.40.* hominis, & iustificat impium, non pro mune- *Isai.5.* ribus, quoniam absque argento panem salutis *Isai.55.* administrat, & lac totius consolationis adfert ijs, qui auditu aurium obediunt Verbo veritatis, quòd tu ò MARIA concepisti, & *Isai.2.* prior obtulisti ignaris.

*Exultauit in gaudio infans.* Ac si apertè diceret, inquit Cayet. Non solùm ego ex aduentu tuo cognoui hæc Spiritu Sancto reuelante, sed etiã iufans in vtero meo hæc sensit; quoniam vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, antequam mihi reuelarentur hæc, *infans* in vtero meo *salutauit in gaudio.* Vndè certum est, deponit S. Bonau. ex quo *infans* sic supra naturam *exultauit*, quòd Dominus naturæ sibi occurrerit. Et ex quo infantulus respondet ex vtero, certum est te concupisse, illum, qui vocat ab vtero secun- *Isai.49.* dùm illud. Dominus ab vtero vocauit me, de vētre matris meę recordatus est nominis mei. Et rursus, ex quo puer exultauit tam mirabiliter, certum est iam consummatum esse ve- *Is.12.* raciter, quòd in Isaia dicitur. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Et illud. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator. Fœlix igitur Elizabeth, perorat Bernard. serm. de excel. Ioan. Bapt. ad quam properat mater Saluatoris, quàm salutaribus obsequijs cœlorum imperatrix impartitur: sed puer multò fœlicior, qui salutantis maiestatem agnoscens, intra viscerũ tenebrosa volumina, gaudio gaudet, quia vim tàm beatæ salutationis attendit. Ex his & aliorum Patrum sententijs, vt pote Dydimi Alexan. lib. 1. de Spir. Sanct. Hieron. lib. 1. commen. in Hier. Chrys. ho. 27. in cap. 11. Mat. S. Thom. 3 par. q. 27. art. 6. & aliorum, cõcluditur Ioannem ideò exultasse, & agnouisse, quòd vsum rationis habuerit acceleratum, tametsi id Augustin. in ep. ad Darda. videatur dubium.

*In vtero.* Quòd Ioannes *in vtero* plenus Spiritu Sancto exultauerit, Vrbanus Regius, Georgius maior, Hieronymus Vellerius, & alij Hæretici, idem filijs contingere fidelium volunt, vt eos absque baptismo esse posse persuadeant. At, inquit Augustin. epist. 59. ad Darda. nec quod factum est in Ioanne contemno, nec indè regulam quid sentiendum sit de paruulis figo; quinimmo illis, & prodesse, necessarium esse sacrum baptisma constanter Patres affirmant, vt Iustinian. Mar. ad Orthod. quæst. 56. Ambr. in epist. ad Heb. cap. 10. Augustin. lib. 3. de lib. arb. cap. 23. Beda in cap. 17. Mar. Bernard. serm. 66. in Dant. ac reliqui Orthodoxi. Quare non exultat in vtero Ioannes ob legem, quæ cum reliquis sit communis, sed priuilegium, quòd cum illo actum est; vt ex ijs quæ in vtero gessit, qualis post modum futurus esset præcursor innotescceret omnibus.

## CAPVT XLII.

*Et beata quid credidit * quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* *

ET verè vt res se habet compellor cunctis dicere, & aperire mysterium, quòd futurum est omnibus vtile; ***Beata*** quidem est & fœliciſsima, quam nunc cernitis tanta cum humilitate adesse, hæc quippè est *quæ credidit* credibilium summam, & complemẽtum; & quia credidit beata; *quoniam* absque dubio, & in veritate *perficientur ea* omnia, *quæ* per Angelum fuere proposita, & per Spiritus Sancti obumbrationem *dicta sunt ei*, atque completa *à Domino*, qui operatur omnia, quę sunt illi beneplacita.

*Et beata.* Beatam vocat MARIAM, nõ *1.Cor.12.* solùm quòd gratiam & dona Spiritus, quæ *Ephes.1.* sunt arrha gloriæ, pignus hæreditatis diade- *Is.62.* ma Regni, & sceptrum imperij futuri, cæteris abundantius possideret. Verùm etiã quòd beatitudinis perfectæ authorem, & consummatorem IESVM Christum intra seipsam portaret. Vndè Aug. lib. de Symb. ad Catec. cap. 1. Mulierem, quæ in Apocal. describitur *Apoc.12.* grauida, sed amicta sole, stellis duodecim coronata, & superior luna, interpretatur. Etenim ferens splendorem lucis, solẽque æternæ iustitiæ Christũ nube carnis tectũ, iure stellis, quæ perfectiones cœlestes designant, coronatur, & subest illius pedibus luna, per quam temporalia omnia, & inferiora signantur. Et quòd his præstat. Sole induitur. Soli enim com-

comparatur beatitudinis claritas, quam formaliter in vtero conceperat, & in toto animo, ac spiritu secundùm spem, & meritum, & abundantius cæteris, atque firmius gerebat. Quapropter, & nos *Beatam* iugiter acclamemus MARIAM, quæ vt inquit Petr. Damasc. serm. 3. de Nat. Mar. est parēs parentis, fons fontis viui, origo principij, quia ille ex ea prodijt per materiam carnis, qui caput est, & initium omnium rerum per essentiam Deitatis.

*Quæ credidit.* In Græco est, ἡ πιστεύσασα, id est credens participium, quod ad tertiam personam atque secundam verti potest, quomodo antiquorum plerique legunt, & S. Bonauent. sic exponit literam. Beata quæ credidisti, quia credendo concepisti, & concipiendo, beatitudinem omnibus quantum ad sufficientiam protulisti. Huius figura habetur in Gen. vbi dixit Lia. Hoc pro beatitudine mea, Beatam quippè me dicent omnes mulieres. Iuxta eandem lectionem Arnobius dixit quoque, Beata quę credidisti. Credunt multi, tametsi non sint Beati; non enim omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum. Sed mater Domini Beata est fide Euangelica, siue perfecta, quòd scilicet crediderit se parituram Filium Dei, & credendo Diuinis iussis parurit: Quod si spe bona dicta sit Beata, quòd scilicet crediderit se parituram conditorem mundi; infœlix itaque erit, & miser Zacharias, quòd non crediderit se generaturum Præcursorem Domini, tametsi ad prolem illam suscitandam plus satis fuisset ab Angelo edoctus. Aliam lectionem tertiæ personæ complectitur vulgata, iuxta quam vult Cayetan. dicendum, Elizabetham, non ad MARIAM, sed ad circumstantes sermonem conuertisse, quod etsi Gannæius reprehendat, & ratio & lectio persuadent, solemus enim incognitum, personarum quæ nos visitant honorem, post salutationem & mutuos complexus circumstantibus exponere, ne mirentur facti, quin honorem deferre illi personæ studeant parem, atque maiorem, quomodo absque dubio factum reor, vt habet nostra paraphrasis. Beata igitur quæ credidit, exponit Arias Montanus, non dubitans, neque hæsitans, an secundùm naturam, an præter naturam fiat quid; sed certissimè tenens Deum posse, & velle facere, quæ dixerit. Vndè Augustin. lib. 3. de S. Virg. cap. 3. & S. MARIAM plenam fide dicit, vt plenam gratiæ. Quod autem Beatam à fide celebret Elizabeth MARIAM, non á gratia, signum est, iuxta Trident. Synod. fidem iustificationis nostræ initium esse; vnde & credenti, & habenti fidem, salus, vita, redemptio, & beatitudo, frequenter in Scripturis repromittitur. Huic ergo tam stabili fundamento (ait Præses Concil. Basil. oratione ad Bohemos, quæ in appendice Cōcilij fertur) si quis corde puro, & conscientia non ficta innæserit, primùm ab immunditijs, si quas habet purificabitur, vt in Actibus Apostolorum scriptum est. Act. 15. Iustificabitur. Rom. 3. Desponsabitur Domino. Ose. 2. Roborabitur. 1. Petr. 2. Victor euadet. 1. Io. 5. Benedicetur, Gal. 3. Habitauit in eo Christus. Eph. 5. Filius Dei efficietur Gal. 3. Exaudietur. Mar. 8. Matt. 15. Mar. 4 Luc. 17. Matt. 2. Promissionem assequetur. Tob. 2. Viuet. 2. Cor. 5. Placebit Deo. Rom. 1. Liberabitur ab omni incommodo. Hebr. 11. Quid ergo, concluditur ibi, illa pretiosius est? Rectè, inquit Petrus, probatio fidei pretiosior est auro, quòd per ignem probatur.

*Quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei.* Præcognouit enim Elizabeth, annotat Euth. etiam ea, quæ dicta erant ei, & quòd Virgo crediderat. Verùm cùm Deus homo factus esset in Virgine, & Redemptio in instanti conceptionis facta, vt Doctores ex Scripturis colligunt, quid perficiendum erat? Imprimis Deum conuersari, & habitare nobiscum nostri similem, Virgine intacta nasciturum; & vt salutem in genere ab vtero operatam, in particulari quisque volentium, & credentium adipisceretur: Per Christum dari legem oportebat, elegi Præsides, instituì Sacramenta, ordinari Ecclesiam, & morti tradi Redemptorem, atque Pōtificem, qui per proprium sanguinem introiet ad tabernaculū, & redemptionem æternam inueniret ijs, quos Deus ante mundi constitutionem elegit sanctos. Hæc quippè omnia, & plura alia dicta sunt MARIÆ, in nomine, & in Solio, ac Regno Dauid, quòd super humeros deportaret iuxta oracula.

*A Domino.* Nam quę dixit, inquit Arnabius, & reuelauit Angelus, per Dominum reuelauit, nec nisi á Deo inspiritus, tantæ rei mysteria, & sacramenta detexisset. Huic expositioni cœteri consentiunt, necnon ego; tametsi libeat superaddere aliam, minimè á textu & ratione alienam, immò consonam penitus. Nam cùm, *A Domino*, distinguatur virgula, á verbis præcedentibus, aliquid per se indicat, videlicet á Domino inspiratam, vt crederet, quæ Angelus proposuerat. Habet enim fides, & proponentem, siue Angelum, siue hominem, quia ex auditu. Habet & interius Dominum suggerentem, iuxta illud Pauli. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?

*Genes. 12*

*Matt. 7.*

*Luc. 1.*

*Actor. 15* *Rom. 3.* *Os. 2.* *1. Pet. 2.* *1. Ioan. 5* *Gal. 3.* *Eph. 5.* *Gal. 3.* *Mar. 8.* *Matt. 15.* *Mar. 4.* *Luc. 17.* *Matt. 2.* *Tob. 2.* *2. Cor. 5.* *Rom. 1.* *Hebr. 2.* *1. Pet. 2.* *Ioan. 1.* *Ioan. 14* *Heb. 9.* *Eph. 1.* *Iaiſ. 22.*

CA-

## CAPVT XLIII.

*Et ait MARIA. Magnificat anima mea Dominum.*

ET ideò, quia à Domino interius ad vniuersa fidei mysteria instigabatur, *ait* afflata Diuini Spiritu *MARIA* illa Prophetarum lumen, & lux cunctorum viuentiũ, superque omnes gratissima eorum, qui recipiunt, receptumque agnoscunt, & grati sunt. *Magnificat*, inquit, & gratias immensas reddit omnium largitori, non os laudans, non oculus admirans, non auris attendens, non manus offerens, non pes deuouens, non mens contemplans, non voluntas amans, non recogitans solùm memoria, sed tota *anima mea* iamiam, & continuò magnificat *Dominum*, qui me condidit creaturam, qui me elegit immaculatam, qui me fecit sanctam, & qui me constituit Matrem Filij, Sponsam Patris, & Spiritus Sancti electissimum Sacrarium fabricauit, vt eructarem oracula, quæ tenebrosus orbis ignorat, admiratur tamen Angelorum sacratus ordo, & venerantur pij.

*Et ait MARIA.* Vt scilicet probaret oraculum Prophetissæ, & se illam declararet, quám prædicarat Elizabeth, vtpote fidelissimam, quæ plenè crediderat. Credentis autem est munus, continuò agere gratias authori vniuersorum, quæ credit, non ab Angelo solùm, aut homine fluere; sed ab eo, cui est cura de omnibus; neque aliquid esse fortunam, aut casum, sed vnius Dei prouidentiam in singulis, & quibusuis minutissimis admittit, æquè atque in magnis. Propterea, ait MARIA. Et propterea gratiarũ actio, & vox laudis resonat in ore & corde fidelis, qui dixit. Credidi propter quod loquutus sum.

*Sap.12.*

*Psal.115.*

*Magnificat.* Est enim vox ista lætitiæ, vt & vocis compositio, quæ ex *magno*, & *facere* conflatur, ostendit. Vnde, inquit, S. Bonau. Post testimonium Prophetæ, sequitur cantus lætitiæ, in quo Beatissima Virgo MARIA laudat Diuinam clementiam propter excellentissimam gratiam sibi collatam. In hoc autem Cantico tria notantur. Primùm est laudantis affectio, ibi: *Magnificat anima, &c.* Secundùm laudandi ratio, ibi: *Quia respexit, &c.* Tertium Diuinæ laudis ampliatio, ibi: *Et misericordia eius, &c.* Quale autem, & quantum sit hoc MARIÆ Canticum, vox prima *Magnificat*, insinuat μεγαλως quod est sublimè, & altè prædicare, & restituere debitori, non more liberalis, qui pecunias distribuit, sed instar magnifici, & magnanimi, qui nihil penè sibi reseruat, vt satisfaciat dignis, & debitoribus morem gerat. Quare secundùm Gerson in 12. tract. hoc Cantico. Nouum illud dicit, quod Psaltes insinuat, dicens, Deus canticum nouum cantabo tibi, in Psalterio decem chordarum psallam tibi; decem enim versus continet MARIÆ *Magnificat*. Et nouum est, tum introitu, tum sequentijs, tum maximè mysterijs, quæ singulis in verbis insinuantur. Nemo hactenus intonuit, *Magnificat*, sed vel, Cantemus Domino; Audite cœli quæ loquor, vt Moyses Exod. 15. Deuter. 32. vel, Audite Reges, Auribus percipite Principes; vt Delbora, & Barac. Iud. 3. vel. Exultauit cor meum in Domino, vt Anna Samuelis mater, 1. Reg. 2. vel. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es nobis, vt Isaias, cap. 12. vel. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vt Ezechias Isai. 38. vel, Domine audiui auditionem tuam, & timui, vt Abac. 3. vel, Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, vt tres pueri, Dan. 3. vel aliter, vt Dauid in 150. Psalmis, & Salomon in decem, quos in Canticis Canticorum decantauit. Sola MARIA duxit initium à *Magnificat*, quod non priuatas intonaret victorias, sed communem: non corporum libertatem narraret, sed animorum, non gentis vnius beneficium proponeret, sed vniuersarum; non vnum, aut alterum Dei fauorem eructaret, sed supremum, quòd excedit singula, ob quæ olim decantata sunt Cantica, & Psalmi in Organis, quinimò ad hoc & verba, & facta læta, quæ precesserunt, vt symbola ad veritatem ordinantur, vt prius annotauit Iacobus de Valentia Crisopolita, initio huius Cantici expositione; Vnde à *Magnificat* ordiri, est dicere, Ego quæ pro salute vniuersorum recepi Redemptorem, quæ pro reparatione Angelorum Deo carnem administrauí; quæ pro innouatione cœlestis, terrestrisque creaturæ, nouum consensi in me, & ex me formari hominem Deum, qui debellaret tyrannos, iudicaret pro mansuetis, & eos Dei filios formaret, & hæredes Regni, quod non habet finem. Ego demum quæ ad dignitatem nulli concessam, nec concedendam ascendi, vt simul Virgo, & Mater, atque Dei para sim, cupio magnificare benefactorem, hoc est vniuersa, quæ rationem magni, tum in cœlo, tum in terra habere possunt, atque formari, iam nunc in lucem produci, & vna mecum glorificare authorem: quæ enim in me conspicio, aut in his, quæ circumstant, siue homines sint, siue astra, siue elementa, & cœli, & quæ in ipsis creata sunt, non mihi videntur æquare posse laudibus donum, quod à Patre luminum ipsa pro omnibus suscepi; hoc enim immensum est, & propter nimiam charitatem donatum: at creata omnia quid? Ergò *Magnificat*, & fieri magna adhuc opto, si au-

*Psal.143.* *Exod.15.* *Deut.31.* *Iudit.3.* *1.Reg.2.* *Isai.12.* *Isai.48.* *Abac.3.* *Dan.3.* *Isai.2.* *Iac.1.* *Eph.6.*

thor ordinauerit, vt non solùm in his, quæ
*Isai.* 1. sunt, sed in vniuersis, quæ esse possunt com-
*Ioan.* 3. mendetur magnificentia nostri Dei. Quid
*Col.* 1. enim vltra potuit facere, & non fecit? Vni-
1. *Par.* 29 genitum dedit, Premogenitum omnis crea-
turæ communicauit, & vniuersam gloriam
regni sui ad nos transtulit, vt non solum ho-
mo sit Altissimo similis, sed prædicetur
Deus, & adoretur. Ergo iterum, atque iterum
*Magnificat.*

*Anima mea.* Hæc est tota perfectio homi-
nis, quæ non tam compositum perficit ad ope
ra naturæ, quàm quæ composito, & singu-
lis suis partibus fluunt, ornat, illustrat, &
subleuat, ad ordinem diuinorum fulta simi-
libus habitibus. His enim supra omnes crea-
*Psal.* 119 B turas rationales subleuata MARIA, plus
*Psal.* 38. cæteris *anima* sua magnificat, benedicit, exal-
tat, & laudat eum, qui se fecit, & mirabilia,
*Isai.* 29. quorum non est numerus supra modum cæ-
*Ps.* 150. terorum commendat. Alij enim vel ore
canant Deo laudes, vt populus, qui labijs
tantùm honorat; alij labijs, vt qui canunt
*Tren.* 3. in organis, & tibijs benè sonantibus; alij
mente, vt qui sedentes se eleuant super se;
*Psal.* 75. alij pedibus, vt qui vota vouent Domino,
& reddunt suscepta peregrinatione; alij ma-
*Prob.* 31. nibus, qui extendunt manus ad pauperem;
alij auribus, qui audiunt verbum Dei, & cu-
stodiunt illud; alij corpore, qui carnem suam
*Luc.* 11. crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs;
alij spiritu, vt astra matutina, quæ in cœ- C
lis requiem nec finem laudandi faciunt:
*Gal.* 5. MARIA verò *anima* tota ad Deum fer-
tur. Ec quid est anima MARIÆ? Spiritus,
*Iob.* 38. qui est in toto corpore: Vita, quæ viuificat
singula eius membra; Spiraculum Dei, quo
tota ipsa animatur, & per splédores cœlestes,
possidet, quos dignam omni exceptione ma-
iorem effecit suam laudem, & cantum Domi-
no. Quare laudans *anima sua*. Dominum est
*Ps.* 145. omnibus tum corporis, tum spiritus faculta-
tibus commendare, & excellentius cæteris,
quod à radice nobiliori, vt potè anima vir-
*Ps.* 101. tuti omni ornata præ cæteris procedat laus
eius; vnde non solùm dicit: Benedic anima
mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt D
*Ps.* 305. nomini sancto eius: sed super omnia opera
eius, laudet anima mea Dominum: Lauda-
bo Dominum in vita mea, psallam Deo meo,
quandiu sum, & quidquid sum. Itaque ab *ani-*
*ma* laudem inchoat, quòd propter animam
*Ps.* 49. venit, quem laudat; nec is accipit laudes, ni-
si ab anima sint, & intendantur, dignèque
procedant. Alioquin dicet: Quare tu enar-
ras iustitias meas, & assumis testamentum
meum per os tuum? Propterea tunc anima
nostra, ait S. Bonauent. verè Dominum mag-
*Eccles.* 30 nificat, quando sub ipso verè seipsam capti-
uat, & humiliat. Quoniam magna potentia
Dei solius, & ab humilibus honoratur. Vn-

de Virgo MARIA, quia præ cæteris se A
humiliauit, ideò cæteris altiùs Dominum
magnificauit.

*Dominum.* Non seipsam, inquit Cayetan.
non me, sed Deum, qui est vniuersorum Do-
minus, hac enim appellatione consueuerant
nominare Hebræi Deum. Sed fallitur, quia
Deum vocant אל, id est fortis Deus, ab אל, *Psal.* 7.
quod fortitudo interpretatur, vel secundum
alios ab אלה, hoc est iurare, qui & ipsum
Dei nomen יהוה absolutè potentem exponũt,
cuius potentia se tàm latè exerat, vt om-
nia ei suam quamcunque habeant virtutem,
& potentiam acceptam ferant, velut iureiu-
rando obstricta sint: *Dominum* verò appel-
lant אדון adon, ab אדן, & sunt, qui ad B
אדן dun, quod est iudicare referant, sicut &
nomen sequens עדן eden, quòd est basis.
Volunt autem אדון adon, quod est sustenta-
torem, columen familiæ, aut Reipublicæ, &
basim appellari. Quare Dominum hic ma-
gnificat, velut columen, & sustentatorem,
qui per incarnatum Verbum dignatus est
sustentare Orbem, ne funditus corrueret, &
abirent omnia in exterminium. Quia nisi *Isai.* 1.
Dominus reliquisset nobis semen quasi So-
doma fuissemus. Et quòd semen? Christus, *Gal.* 3.
ait Apostolus. Is venit vt alter Moyses su-
stinens verbo eos qui lapsi sunt; & vt verus
Sacerdos, tabernaculum quod ceciderat su- *Exod.* 15.
bleuauit, & sanctificauit. Denique annum Iu- *Amos.* 9.
bilæi desideratissimum, in quo confractum *Leuit.* 25
solidatur, captiuum redimitur, alligatum
soluitur, & vniuersis prædicatur indulgen-
tia, columen, & sustentatio, annuntiauit.
Quoniam Dominus excelsus, terribilis; *Ps.* 46.
Terribilis Dominus & magnus. Dominus *Is.* 55.
nominatus in signum, & portentum vniuer-
sis. Vnde Angeli propter hæc, non Deum,
sed *Dominum* inaugurant. Dominus fortis *Psal.* 23.
& potens, Dominus potens in prælio. Simi-
liter Sancti sic acclamant. Domine Domi- *Pal.* 8.
nus noster, quàm admirabile est nomen
tuum in vniuersa terra! Nisi quia Dominus
erat in nobis, dicat nunc Israel. Quinimò *Psal.* 123
ob factum, omnes nomen hoc vocabunt, Do- *Hier.* 23.
minus iustus noster. Ad Redemptionem igi-
tur alludens MARIA, appositè *Domi-*
*num* magnificat, non Deum pro Domino,
vt Cayetan. arbitratur; Domini enim est Re-
demptio nostra, salus, illuminatio, firma-
mentum, refugium, liberatio, & adiuto- 1. *Cor.* 1.
rium, vt à malis eruamur, & sustentemur in *Psal.* 26.
bonis, tum naturæ, tum gratiæ, quæ vt Deus *Psal.* 17.
fortis, largitur. Ergo quoties Redempto, oc- *Psal.* 123
currit, & redemptionis opera nobiscum acta
contemplamur, recordemur Domini; Confi-
temini omnes Domino Dominorum, quia
magnificè fecit, quando Verbum Caro fa- *Psal.* 135
ctum est, & habitauit in nobis. Laudate *Isai.* 12.
Dominum, quoniam bonus, quando for- *Ioan.* 15.

ma-

matur in nobis. Magnificate iterum Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum, quia gratia per Christum facta est, & gloriæ locum ipse nobis præparat. Hæc quidem sunt *Domini*, & quæ ab ijs pendent, & ordinantur ad eundem gratiæ ordinem Dominus ipse fecit. Atque hæc, vt ad MARIAM redeam, mox magnificantur; non quòd Domino, vt ait Ambros. lib. 2. in Luc. aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est, & ideò si quid iustum, religiosumque fecerit anima, illa imaginem Dei, ad cuius similitudinem est creata, magnificat. Et ideò dum magnificat eam, magnitudinis eius quadam participatione, sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere.

*Isai.* 135. *Psal.* 33.

## CAPVT XLIV.

### *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

ETenim magnificentia Domini sic ad laudem prouocat animam, vt defatigari in continua gratiarum actione non valeam, quin compellar lætari: *Exultauit* siquidem *spiritus* vitalis *meus* supra seipsum, in cunctis quæ *in Deo* omnipotente continuò contemplor, vt in *salutari meo* vnico, atque vero, vltra quod spes nulla restat, quandoquidem fœlicitas tota ipse est, & completum gaudium.

*Et exultauit.* Parum est magnificare Dominum, nisi magnificantes exultemus in eo. Hilarem enim datorem diligit Deus, & non accipit munus de manu eius, qui in oblationibus omnibus voluntarium sacrificium, & spontaneum holocaustum facere lætus, & exultans oleo lætitiæ negligit: sed tristis quasi in terra aliena cantat, mœstus quasi seruus venundatur, facit quæ præcepta sunt ei; & claudicans quasi veteranus in ascensu arenoso, opus Dei implet. Hunc detestatur Deus, velut superbiam Iacob, & abominatur velut virum sanguinum & dolosum. Vt quid, inquit, mihi thus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua? Holocaustomata vestra, non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. Sunt autem hæc nobis, quæ in gratiarum actionem eructamus cantica, & sacra omnia, quæ exoluimus consuetudine potius, quàm allecti deuotione, coacti timore humano, non sancto, qui permanet vsque in seculum; spe lucri magis, quàm Dei amore, & pleni tædio ad ea accedimus, non lætitia perfusi spirituali, vt oporteret, suaderetque passim oraculum. Lætamini in Domino, & exultate iusti, &

1. *Cor.* 9. *Psal.* 35. *Psal.* 44. *Psal.* 136 *Exod.* 15 *Psal.* 1. *Psal.* 18. *Psal.* 31.

A gloriamini omnes recti corde. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: & sæpè aliàs, lætitia, & exultatio spiritualis in memoriam reducitur, vt eam in omnibus, quæ Domino offerimus, curremus exemplo MARIÆ, retinere. Est quidem de ratione optimæ laudis, & ipse, qui est vniuersorum gaudium, nihilque efflagitat, nisi vt nos hilariores efficiat, postulat, vultque nos gaudere in laudibus, & exultare in cunctis, quæ illi dicamus. Id quod tum corpori, ne defatigetur: tum animæ, vt prouentus vberes faciat esse vtilissimũ, tum honestum homini libero, quis non concedet? Ergo, ait nostra Cantatrix. *Et exultauit*, vt quotusquisque exultet.

*Isai.* 9.

B *Spiritus meus. Spiritum* rursus animam intellige, ait Euthym. & S. Bonau. Hic *spiritus* sumitur pro anima, secundùm suum supremum. Supremum dicit portionem animæ superiorem, quæ secundùm Augst. 12. de Ciu. Dei; respicit æterna, circa quæ propriè gaudium & exultatio esse debet, iuxta illud. In hoc potiùs gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Videbitis me, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, quia vt inquit Baruch. Venit mihi gaudium à Sancto. Et quis iste? qui dixit, Sancti estote, quia ego Sanctus sum. Huius aspectu. Eccè gaudium & lætitia? Huius præsentia. Hauritis aquas omnis delectamenti de fontibus Saluatoris. Eò super solium sedente præ gaudio vniuersi cantabunt; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. At cùm hæc, non anima vt corpus informat, & eius singulas partes viuificat, & animat membra: sed vt ab ijs abstracta, facta spiritualior; finem spiritualium, & æternorum perfectionem considerat, amat, vult, atque appetit, dicitur vt *spiritus* exultare; dilectio enim, & gaudium à simili est. Ergo spiritus est, vel anima ab inferioribus abstracta officijs, ad suprema se accomodans spiritualior, quę exultat in Domino, cui seruire, regnare est, quæ gaudet gaudio magno, valdè, in Verbo Dei, quod est speculum sine macula, & imago bonitatis immensæ; & quæ tripudiat in Deo, atque dilecto, in quo solo, & per quem est honor, potestas, gaudium, atque diuinitas. Itaque anima quæ ratione supremi eiusdem officij *spiritus* dicitur etiam à Philosophis, exultat in ijs, quæ magnificat; magnificat enim eas vt in se, exultat autem in ijsdem ratione finis, ob quem cognoscit communicari, atque appetit. Apponitur *Spiritus meus*, secundùm Cayetan. ne intelligeres exultationem corporalem; anima enim spiritus rationem habet, vt corpus supergreditur: vnde & sta-

*Luc.* 10. *Ioan.* 14. *Ioan.* 16. *Baruch.* 4 *Luc.* 11. *Psal.* 50. *Isai.* 12. *Is.* 6. *Matt.* 2. *Sap.* 7.

tũ ſpiritus ſeparata à corpore ſortitur. Et diſcerne quòd anima magnificat, & ſpiritus exultat, eò quòd, inquit Ambr. lib. 2. in Luc. & anima, & Spiritu patri filioque deuota, vnum Deum, ex quo omnia, & vnum Dominum, per quem omnia, pio veneretur affectu. Verùm, ſubdit S. Bonau. quia ſpiritus interius exultauerat, ideò anima in voce magnificabat, & ideò exultationem de præterito, & magnificationem de præſenti ponit, quia exultatio eſt natura prior.

*In Deo.* Quid apud Hebræos Deus, dictum eſt, quorſum autem in eo exultet, proſequamur. Eſt enim Deus, idem quòd fortis, & omnipotens, iuxta Hebræorum ſignificatum; quàm autem fortiter, & omnipotẽter in myſterio Incarnationis, quòd magnificatur, & totius exultationis præbet occaſionem, ſe geſſerit, quid opus eſt referre? Propter hoc enim, prædixit Iſaias. Vocabitur Deus fortis, Rex fortis dominabitur eorum; & *Iſai. 9.* Dauid. Exultauit vt Gigas, &: Tu adiu- *Iſai. 19.* tor fortis. Quia fortis vltor Dominus, di- *Pſal. 18.* cebat Ieremias. Vltus eſt enim ſe ad nos *Pſal. 70.* veniens de inimicis ſuis, Dœmonibus, qui *Hier. 51.* electi de ſedibus ſuis didicerunt fortiſſi- *Iſ. 53.* mam manum Domini, quàm olim Iob abeſſe precabatur. Fortiũ diuiſit ſpolia, vide in horreum Domini electi reponantur: re- *Hier. 32.* probi autem ad gladium, ad famem, & peſtem, quæ in æternum ſæuit, mittantur. Tan- *Eph 6.* dem fortis & omnipotens, ſeorum quemque *Iſ. 27.* fortiſſimum effecit contra Principes & Po- *Matt. 11* teſtates tenebrarum, vt valida manu, etſi na- *Matt. 20* tura debiles, ad vrbem fortitudinis noſtræ *Ioſ. 22.* Sion aſcendamus, & vt ipſe dixit: vi regnum cœlorum capiamus; quia Dominus mecum eſt, tanquam bellator fortis. Ergo quia fortiſſimus Deus Iſrael, me Virginem fecit Matrem, me fœminam in Deiparam exaltauit, me ancillam conſtituit Reginam & Dominam, & me cunctis humiliorem mulierem fortem, quæ de vltimis fi- *Prob. 31.* nibus, & ſuper mortalium precia aperia- *Ex. 15.* tur, exaltetur omnipotens nomen eius, & in eo iugiter exultet ſpiritus meus. Per te enim præſtiti in meo vtero, quòd nequiens vniuerſa natura admiratur, & per te hominum & Angelorum nedum mulierum fortitudinem ſuperaui, caput ſerpentis, qui inſidiabatur contriui; & in me non habet, nec habuit quicquam draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Annon ipſa per te facta ſum omnis armatura fortium? Abſque me non eſt formatus Deus, qui diceretur *Iſ. 43.* homo; & abſque me non eſt homo, qui narret victorias. Siquidem per me Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt inſtitiam, & Sancti patiuntur tormenta, vt ſerui perueniant ad coronam iuſtitiæ. Ergo, quia fortis mecum eſt, & per *Prob. 8.*

A me fortis eſt reliquis mei generis, vt in Principe fortitudinis noſtræ, exultet ſpiritus meus in Deo.

*Salutari meo.* Hinc manifeſtiùs liquet exultationis ratio: nam ſalutare in Scripturis, pro fine in quo tota conſiſtit fœlicitas ſumi ſolet, vt; Quis dabit ex Sion ſalutare Iſ- *Pſ. 52.* rael? Ab ipſo enim ſcilicet Deo, ſalutare meum, hoc eſt, gloria & fœlicitas integra. Hanc igitur adeſſe in vno Chriſto, quem geſtabat, ſentiens lætatur MARIA, & exultat, vt poſſit illud dicere, ſecundum S. Bonau. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Et rurſus. Cor meum *Pſ. 34.* & caro mea exultauerunt in Deum viuum. *Pſ. 83.*

B Verè iam dicere poterat illud. Introduxit me Rex in cellaria ſua, exultabimus & læ- *Cant. 1.* tabimur in te memores vberum tuorum ſuper vinum, recti diligunt te. Iam verificatum eſt in MARIA, quòd optabat. Exultent *Pſ. 34.* & lætentur in te omnes quærentes te, & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum, hoc eſt, Deum pro ſalute omnium incarnatum. Quamuis enim, ſubdit Cayetan. ex quo mundum condidit, ſemper fuerit Saluator, officium tamen ſaluandi perſonaliter tunc aſſumpſit, cùm caro factus eſt, & propterea hoc ſpeciali modo Saluator ſignificatur. Et vere in Deo ſpiri- *Ioan. 1.* tus B. Virginis exultauit, quia exultauit in Deo Incarnato. Ego tamen exultari, in Deo

C Trino: Magnificare autem Dominum Chriſtum, dicerem MARIAM; liquidem no- *Eccl. 24.* men, Domini Chriſto appropriari deponunt oracula, vt. Dixit Dominus Domino meo, *Pſ. 109.* Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Apoc. 19.* Deum autem pro Tribus Perſonis ſupponere notiſſimum eſt, tum ex Scripturis, tum ex Patribus, qui Dei nomen, velut individuum Deitatis, ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum referunt, vt illud: Quoniam ego Deus, & non homo. Curuabo genu Deo excelſo. Creator omnium Deus terribilis, & his ſimile teſtimonium, quòd Dei nomen continet de Sanctiſſima Trini- *1. Timot. 2*

D tate ſolet à Sacris Doctoribus interpretari. Sed quid *meum* dicit, qui vult omnes homines ſaluos fieri? Verè enim *meus*, ait MARIA, ſecundùm Cayetan. quoniam totum corpus eius, mediante quo ſaluat mundum, meum eſt, nullam in eo partem habet vir aliquis. *Meum* quoque dicit, quod præſtantiori modo, & peculiari eam ſaluauerit, videlicet ante lapſum redimens, ne vt cæteri ad labem peccati originis corrueret, & ordinans ad maiorem ſalutis effectum, quàm nec Angelis, nedum hominibus dare ordinauerit; quia exaltata eſt ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia Regna.

CAP.

## CAPVT XLV.

*Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

ETsi commune sit hoc beneficium, quo cuncti deuinciantur ad perpetuam gratiarum actionem; verùm *quia* in me completum, præ cæteris compellor magnificare authorem, tum maximè quia cùm essent multæ in orbe, quæ ad tantùm honorem poterant assumi, *respexit* me Deus solam, & *humilitatem* considerans *ancillæ suæ*, complacuit sibi me ex omnibus Matrem eligere. Et *ecce* mysterium mecum operari omnium admirabile, honestum, atque vtile vniuersis; vnde *ex hoc*, quia me tanti beneficij fontem, & parentem agnoscent, *Beatam* verè *me dicent*, & acclamabunt *omnes generationes*, quæ sub cœlo sunt, regnantque in cœlis.

*Quia respexit.* Subditur laudandi ratio, secundùm S. Bonauent. quæ sumitur ex duplici causa. Prima est beneficium gratiæ, quæ fecit ipsam amabilem Dei, ibi. Quia respexit, &c. Secunda ratio laudandi, est miraculum potentiæ, ibi. Quia fecit mihi magna, &c. *Respexit* igitur, hoc est, secundùm Cayetan. aspexit; vel potiùs complacuit; respicere enim plus, quàm aspicere dicit, vt potè valdè aspicere, quòd facit, qui in visibile, seu intelligibili sibi complacet, vt qui ad pulcherrimæ imaginis intuitum, gressum, & oculum figit. Quomodo. Respexit Dominus ad Abel, & ad filios Israel, quibus in complacentiæ signum dixit: Respiciam vos, & crescere vos faciam. Sed & MARIAM sic de cœlo respexisse, quis dubitat? Hæc enim est (secundùm Idiotam lib. contemplat. De Virgin. Mari. cap. 2. ad quam Sponsus in Canticis ait. Tota pulchra es amica mea, columba mea, & macula non est in te. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Venit quidem ad eam Deus, quia se dignam inuenit. Quia tu, inquit Damas. orat. 1. de Natiuit. Virgin. tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus tota pulchra, tota Deo propinqua. Quapropter respexit eam de sanctuario suo, & vt Sol vniuersa, quæ illius erant, perlustrauit, ac fœcundauit, ne quid in ea, nisi sanctum, & perfectum conspiceretur, vt Filium Dei, inquit Riccar. de Sancto Victo. lib. 2. de Emanue. cap. 31. posset generare; verùm enim verò cùm ob humilitatem id secum actum fuerit, subditur.

*Cant. 4.*

*Humilitatem ancillæ suæ.* Hanc qui infundit respicit, quòd in ea sibi plus, quàm in cæteris complaceat; humilia enim respicit in cœlo & in terra. Siquidem numisma est quo tributum illi dependimus omnes, seu

*Psal. 112*

*Matt. 22*

A potiùs imago numismatis, quæ tributum Cæsaris à vectigali Dei distinguit. Hoc quidem, siue offeratur ab Angelis in continuis laudibus & ministerijs, siue illud pendant in terris homines, dum vota vouent & soluunt, atque sacrificant, nisi sculptam ferat humilitatis imaginem, nec acceptum est, nec suum reputat Dominus, dicens: quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Ergo ante omnia humiliemus illi animas nostras: nam vt aliorum, ac nostra interim omittam, Virginis nullam virtutem magis Deus respexit, inquit Hildelphonsus serm. 2. de Assump. Virg. quàm humilitatem. Facta est certè humilitas MARIÆ, secundùm auth. hom. quæ legitur in

*Is. 29.*

*Iud. 8.*

B Ecclesia, scala cœlestis per quam Deus descendit ad terras; vt sicut per superbiam primę nostræ parentis (annotat Beda in Luc.) mors in mundum intrauit, ita denuò per humilitatem MARIÆ vitæ introitus panderetur. Superbam enim Deus despexit, inquit Aug. serm. Magnificat, & humilem respexit; id quòd superba perdidit, humilis recepit; ideò ait: *Respexit humilitatem Ancil æ suæ.* Et quid est dicere. Respexit (quærit *Iuthor* hom. quæ legitur in Ecclesia.) nisi comprobauit, & placuit ei humilitas mea? Vnde per Prophetam Dominus dicit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & humilem & trementem sermones meos? Hinc Dauid Domino dicit. Quia respexisti humilitatem

*Is. 66.*

C meam; saluasti de necessitatibus animam meã. Multi siquidem videntur in conspectu hominum humiles esse, vt ab eis beatificentur, sed eorum humilitas à Domino non respicitur, quia falsò, & non verè de humilitate gloriantur. Quare *humilitatem* exponere vilitatem cum Euthymio, hoc tempore non probarem: nam etsi doctor alioquin pius, & Catholicus vtilitatem intelligat humilitatis virtutem, Hæretici, vt Brentius, Bucerus, Caluinus, Lutherus, Sarcerius, & alij abutuntur vocabulo, volentes MARIAM hoc loco à seipsa describi abiectissimam mulierem, nullius conditionis, ignobilem, atque miserrimam, & contemptissimam, & infimi ordi-

*Psal. 30.*

D nis. Vnde Brentius hom. 8. in Luc sic loquentem introducit. Ducebam quidem genus à prosapia Dauidis Regis clarissimi & sanctissimi; sed tãto miserior, & calamitosior facta sum, quantòmaiores mei celebriores fuerant. O scelestè Annon Virgo cunctis antecessoribus clarior, misera quidem peccatis (vt dogmatizatis hæretici) nõ fuit, cùm Beatam omnes cognationis cæli, & terræ acclament; nèque calamitosior Patribus fuit, nec infimi ordinis; habuit enim parentes, vt dictum est, locupletes, & honoratos, & in paupertate, quam spontè elegit, distributa in pauperes hæreditate, honoratior Dauid apud homines sui temporis fuit, quin & antequam

mundo oriretur, vt habent Hebræi, celebrabatur nomen eius; Et modo quæ gens, ò Hæretici, vobis exceptis, vtpote indignis, MARIAM õn acclamat honoratam supra omnes, & non miseram, sed sanctissimam prædicat, & omni ex parte fœlicem, minimè autem calamitosam, vt vos somniatis? Contra hos faciunt vniuersa, quę superius de MARIA nostra retulimus. Scripsit plura, & compilauit sapientissimè R. P. Canisius, quinque libris, ex quibus, quartus potissimùm insaniam hominum elidit, & deturbat. Ergo per *humilitatem* intelligi semper, virtutem, ταπεινόν, à Græcis dictã, quę in magnis, vt in MARIA, laudẽ habet magnã, quòd eã virtutũ pelagus consequatur. Vnde Origen. hom. 8. in Luc. In quam humilitatem MARIÆ respexit Dominus? Quid habet Mater Saluatoris humile, atque dejectum, quæ Dei Filium gestabat in vtero? Quod ergo dixit. Respexit humilitatẽ ancillę suę, tale est, quasi diceret. Respexit in iustitiã ancillæ suæ, respexit in tẽperantiam, respexit in fortitudinẽ, atque sapientiam. Dignum quippe est, vt virtutem respiciat. Solius autem humilitatis fit mentio, quòd Dei Filium, inquit Ambr. Ansber. lib. 2. in Apocalyps. ad habitaculum carnis inuitauerit.

*Ancillæ suæ.* Ancillam se dicit, non pestilentes Nouatores hæresum sugillant præsertim Lutherus in lib. sup. Magnificat, quòd ancillaret cunctis: Boues, inquit, mulgeret, coqueret, patellas mundaret, & paropsidas, pauimentum verreret & similia, quæ sunt ancillæ subditæ heræ. Etsi ista nõ abhorruisset, cùm occasio postulasset; ab ijs tamen dici ancillam, nullus Patrum vnquam somniauit: sed id facit secundùm Euthym. ob humanæ naturæ exiguitatem. Si ad altitudinem & sublimitatem Diuinæ naturæ comparetur. Quoniam, inquit Cayet. considerabat se ex parte; sui non ex parte donorum Dei in ipsa; hæc enim consideratio mater est humilis cordis, cùm anima radicata est. Subinde Ambros. in Luc. Vide humilitatem, vide deuotionem; ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est: simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret, quòd iuberetur. Meritò ergo, concludit Ber. serm. de ver. Apoc. Signum: Magna facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset, omnium se nouissimam faciebat: meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Præcesit huius figura in Lia, secundùm S. Bonau. quæ in conceptu prolis dixit. Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. *Genes.* 29

*Ecce enim ex hoc.* Videlicet quia humilitatem respexit, & reliqua, quæ humili ob humilitatis excellentissimũ gradum sunt diuinitus collata v.g. sanctitatis culmum, & conceptũ Filij Dei. Quam obrem, *ex hoc*, dicit emphasim, haud facilè intelligendam, nec explicandam vulgari sermone; alludit enim ad Incarnationis mysterium, cuius inquit Ioannes, nõ sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, hoc est vnionis, & vnitorum penetrare arcanum; tametsi carbo ignitus tangat, mundetque labia; irruit enim somnus etiam super Abraham speculatorum & vigilum clarissimum, transeunte Domino super diuisiones illas, seu potiùs quiescente Verbo in humana, diuinaque natura simul, non potest vllius mens attendere ad tantam Solis Ecclypsim, quin præ somno, hoc est, mentis tenuitate, & mysterij sublimitate cadat, vt Photinus Nestorius, & Hæretici alij. Vndè Catholici, illud, *Ex hoc*, non perscrutantur curiosè, sed cũ Nicephoro Episcopo Constant. ad Leonem, illud venerantur, dicentes. Veneror & odoro Incarnationis mysterium ante omnia secula prædefinitum; in nouissimis verò temporibus ad totius humani generis salutem patefactum, & per magnũ illum, admirabilemque vnius sanctæ, viuificæque Trinitatis personæ, Christi nimirum veri Dei nostri descensum, ineffabilemque eiusdem dispensationẽ consummatum; vt vndè per inexplicabilem ipsius bonitatẽ esse eramus sortiti, indè etiã ipsum benè esse, acciperemus. In Græco legimus, ταπεινοσιν, Ex hoc nunc, vel posthac, vt habet Euthymius, vel ex hoc tempore, secundùm Theophilact. Et isto enim. Nunc, ait Cayetanus demonstratur. Nunc, quo concepit Filium Dei. Quapropter Gannæius, sic exponit literam. Ex nunc, & in posterum non tam humilis, & abiecta habebor, sed beatã me prædicabit omnis ætas. Ergòne abiecta, ò Gannæe reputabatur, qua nulla vnquã celebrior? Absit. Mouetur ob ἀπὸ τὸ νῦν, quo vtitur Lucas, soletque à Græcis accipi pro abiectione; virtutem enim humilitatis vocant, ταπεινοφροσύνη. Verùm tapionosim pro humilitatis virtute nonnunquam vsurpari constant ex illo 1. Petr. 5. Iac. 4. ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσεται ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam. Quod contra tapinophrisin pro vitio abiectionis sumatur, docet Hieron. ep. ad Algasiam, quæst. 10. ex Paul. ad Col. testimonio. Nemo vos superet volens in humilitate mentis, & religione Angelorum; vbi pro humilitate est ταπεινοφροσύνη. Nemo ergo abiectionem, ne assentiri hæreticis videamur, sed virtutem humilitatis interpretetur; ex qua Virgo parens ex hoc, & vsque in seculum Beata prædicabitur, & propter quam respiciet eam Dominus, qui in humilibus honoratur, & exaltat humiles, sic vt veram humilitatis virtutem conseruent in cœlis quanto maiores sunt: Vndè quæ habebatur humilis apud nos, *Ioan.* 1. *Isa.* 6. *Genes.* 15. 1. *Petr.* 5 *Iac.* 4.

nunc

nunc sedens super Choros Angelorum celebratur humilis, vt quæ nihil sibi, sed authori vniuersa tribuat, nec se alijs præfert, sed præeminentiam omnem, Dei, non suam, reputat. Consonat his Orig. hom. 8. in Luc. qui MARIAM ea humilitate laudat, ad quam Christus inuitat: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Igitur, *Ecce enim ex hoc*, interpretato, vt in Paraphrasi. Quia me Deus humilem fecit, & innumeris dignatus est humilitatem meam decorare, vsquequò ad me Filium suum mitteret, qui ex me carnem assumeret, vniuersi laudibus efferent, & *Beatam me dicent omnes generationes.* In plurali, ait Generationes, non in singulari, quæ praua, atque peruersa est, quæ patri suo maledixit, quæ pro dentibus habet gladios, quæ demum quasi Leo vastatur, quia carnis, & sanguinis, & de terra Chanaan: Sed generationes quas vocat ab exordio, Generationes, in quam cœli, & terræ, vt potè Angelorũ cœtus, & piorum hominum, qui norunt dignitatem MARIÆ, quibus proficit humilitas sua, & qui fruuntur fructus ventris sui, vel sperant. Vndè Theophil. Non sola Elisabeth, sed eorum generatio, qui crediderint, Beatã dicent MARIAM. Quia ipsa est, inquit, Damas. orat. 2. de Assump. benedictionis fons, ac bonorum omnium scaturigo. Quia in ea sunt, secundùm Sophronium de Assump. Magisteria probitatis expressa, quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Quia hæc vna, & perfecta illa columba, scribit Ruper. lib. 6. in Cãt. electa Genitrici suæ, antiquæ videlicet Ecclesiæ, ac matri, etiam Ierusalem quæ sursum est. Denique vt vnanimiter Patres dicunt, quia Deipara, per quam misit Deus Redemptionem populo suo; ob quam Filius dimisit hæreditatem suam, vt ad eam reuocaret spoliatos; propter quam maledictum euanuit, & ad omnes gentes cœli benedictio venit, & multiplicata sunt genimina gratiarum in hominibus, vt potestatem accipiant filiorum Dei aduersus Dæmonia, & noxia, quæ à Dei Regno auocare possunt, Beatã acclamant omnes generationes. Ergo, colligit S. Bonau. tàm viri, quàm mulieres surrexerunt filij eius, & Beatissimam prædicauerunt. Fuit quidem Beata ob castitatis meritum. Psalm. 118. Beati immaculati, &c. Apocal. 16. Beatus qui vigilat, &c. Sap. 3. Fœlix est sterilis, &c. Fuit beatior propter consilium Virginitatis 1. Cor. 7. 9. Beatior autem erit si sic permanserit. Fuit & Beatissima propter priuilegium fœcunditatis, ob quod cęteræ mulieres, Beatissimam eam prædicant. Cantic. 6. cap. Vt secundùm Ambros. libr. 2. in Luc. fœminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient: & anima quæ nõ habet sexũ, vt MARIA, quæ nescit errorem, religioso imitetur studio

*Matt.* 11.

*Deut.* 3. *Prou.* 30. *Hier.* 2. *Eccles.* 14 *Ezec.* 16. *Isai.* 41. *Genes.* 2.

*Galat.* 4.

1. *Tim.* 2. *Hier.* 12. *Luc.* 10. *Apoc.* 22.

*Psal.* 64.

*Mar.* 3.

*Prob.* 31. *Psal* 118 *Apoc.* 16. *Sap.* 3. 1. *Cor.* 7. 9.

*Cant.* 6.

castitatem. Sed quibus omnes generationes Beatam efferunt MARIAM? Imprimis Cantici Ecclesiasticis, quæ ad eam laudandã composita sunt; præterea inuocationibus, quas Iacobus, Basilius, & alij in liturgijs, & priuatis conuentibus, atque locis fieri à fidelibus docent. Porrò in festorum solemnitatibus, quæ ad illius honorem vniuersalis Ecclesia, tàm in Oriente, quàm in Occidente celebrat. Postremò in Templis, quæ ab exordio nascentis Ecclesiæ, & vt Patres Carmeli in suis habent Chronicis, à tempore Heliæ, illi dedicari cęperunt; necnon in imaginibus, quibus depingendis S. Lucas initium dedit. In his omnis generatio beatificat MARIAM per Sinecdochen, quia non fuit vlla nationũ orbis, in qua aliquis non agnouerit Beatam MARIAM, & prædicauerit. Quid? etiam *omnes*, nullo neque genere, neque specie, neque indiuiduo excepto, tàm boni, quàm mali prædicabunt *Beatam* in iudicio, vt Christum confitebuntur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris; Boni quidem exultantes in Deo; mali autem timore Dei compulsi matrem reuerebuntur *Beatam*. Hic Philosophatur Lutherus cum alijs Antidico marianitis, quod non ipsa, sed quæ in ipsa Deus est operatus benedicantur. Sed quid, ò impostor, littera, *Me*, inquit. Ergo quia ad eam sunt accepta dona, propter dona commendabitur, honor enim, reuerentia, & laus ad personam est, & substantiam rationalem, ad quam sunt accidentia, propter quæ hominem, Angelumue laudamus; propter quod enim vnumquodque tale, deponit locus topicus, & illud magis. Tu Hæreticus cùm sis, es generatio Belial, quæ nescit laudem, sed blasphemiam Deo, Sanctisque inferre: nos autem qui generationis iustæ esse per Dei gratiam confidimus, benedicimus Deum cœli, qui talem elegit matrem, quam beatificamus; quia, vt inquit Damasc. orthod. 1. de Dorm. Mar. solium regium, cui astiterunt Angeli, Isai. 6. & quia per illã beatificari speramus: est enim cunctorum aduocatrix, & tutissimum asylum ijs, qui ad eam confugiunt, & dignas præcationes laudesque offerunt.

*Phil.* 2.

*Sap.* 7.

2. *Reg.* 2. *Psal.* 111.

*Tob.* 2.

*Isai.* 6.

## CAPVT XLVI.

### *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.*

ID autem erit, *quia* qui facit mirabilia magna solus, *fecit* quoque *mihi*, etsi paruulæ, & indignæ, & communicauit tam *magna* mysteria, qualia nemo vnquam comprehendit; *qui* enim *potens est*, atque omnipotens eiusmodi potest, & fecit mecum. *Et hoc sanctum nomen eius*, quod sanctificat, & reparat omnia postulabat ita fieri.

*Quia*

*Quia fecit mihi magna.* Pro magnalia, inquit Cayet. hoc est ingentia, & admiratione digna, tanquam inexplicabilia, sigillatim hoc nomine cuncta comprehendit. Siquidem secundùm Bedæ Glos. ad Incarnationis mysterium refertur, quod est, ait S. Bon. magnū, & imperscrutabile, & ideò admirabile. Explicatur singulare per plurale, quod penè innumera vnico mysterio fuerint cōpleta, & cōpleantur de die in diē. Primùm quidē voluntas Dei, quam neque Patres, neque Prophetę sacrificijs, & oblationibus, tum Naturæ, tum Legis, implere potuere, nunc perfecta est, quia dixit Christus, Ecce venio: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem
*Psal. 39.* tuam Deus: Prætereà innouata omnia, quia
*Rom. 5.* in ipso cōdita sunt vniuersa. Damnauit quòd
*Rom. 8.* ab Adam regnauit in mortē vniuersorū peccatū in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundū carnē ambulamus, sed secundū Spiritū, quem in omnes diffundi promeruit. Transit enim ad nos quoque (ait Cyril. Alex. in Schol. de Vnigeniti Incar. quod est Christus) gratia collecta à Christo, qui est in nobis primogenitus, idque nos docet beatus Dauid psallens ad filiū. Dilexisti
*Psal. 49.* iustitiā, & odisti iniquitatem; ideò vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Et hoc, subdit infra, in ipso natura hominis illustrata, & facta est digna iam sortiri Spiritum Sanctū non discessurum sicut antea, sed mansurum magis
*Luc. 3.* in ipsa. Ideoque scriptum est, quòd descendit quidem in eum Spiritus: mansit autem super ipsum. Hinc pendent cętera magnalia, quæ cum vniuerso electorum cœtu ob Incarnationis mysterium nobiscum facta sunt; quin, & singula beneficia, quæ cum MARIA facta enumerant Patres, tum maximè Clithoneus c. 8. de Visit. Mar. Eudoxius, & Bern. sup. Magnificat. Andræas Hieros. in Annunc. & alij, à Spiritu quem Christus diffundit, ortum habent. Hic est qui fecit immaculatam eius conceptionem, ortum eius illustrem, præsentationem admirabilem, conuersationem amabilem, exemplar sanctitatis, & gloriosam præ creaturis omnibus, quæ beantur.

*Qui potens est.* Hoc est omnipotens, vt enim aliàs *Potēs* antonomasticè sumitur pro eo qui potest omnia, nihilque est illi impossibile, vt, Posui adiutorium in Potente. Tu
*Psal. 88.* solus Bonus, & potens, Dominus fortis, &
*Iud. 11.* Potens. Quem suis temporibus ostendit beatus, &
*Psal. 23.* solus potens, Rex Regum, & Dominus
*1. Tim. 6.* Dominantium. Hunc itaque nominat à potentia, inquit, Cayet. tanquam excellentissimè, seu solus potens; reliqua enim omnia mendicant posse ab eo. Præsertim hoc loco appellat Deum Potentem, secundùm S. Bon.
*Eccles. 8.* quia in rebus mirabilibus, vt dixit Aug. ep. 3. ad Volusianum, tota ratio facti, est potentia facientis. Omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis? Etiam vt per Potentem, qui creauit omnia intelligeremus mysterio Incarnationis eadem recreari, vt enim creatio est effectus vniuersalissimus, qui secundùm S. Thom. ad causam reducitur vniuersalissimam, & potentissimā omnium, ita & recreatio, quam Omnipotens Dei sermo de regalibus veniens sedibus potenter fecit, & mirabiliter. Quid super his Culmanus Hæreticus somniet, perscrutemur. Ait enim, istud *Potens*, dicitur contra liberum arbitrium, & contra vires humanas. Vtrumque falsum, & hæreticum: nam etsi præter, ac supra libertatem hominisque virtutem Deus magna faciat hominibus, vt Paulum fieri Apostolum, Virginem parere, & sanctificari blasphemum, nihil contra libertatem facit ac vires: sed suauiter disponit repugnantes, vt velint bonum, vireque debiles eleuat, vt capaces sint donorum cœlestium, vt multis tum Aug. tum Domin Soto lib. de Natura, & Gratia, prosequuntur. Et Pater Vega lib. de Iustific. impij. S. Thom. 1. p. q. 62. ar. 2. ad 3. q 95 ar. 1. ad. 5. Libertatē enim non tollit Deus, sed perficit, & vires adauget ad bonum, & nihil contrarium viribus operatur in hominibus, sed supra; vndè Eudoxius in hoc Cāt. sic loquentem introducit MARIAM. Quæ enim sum ad tantum officium? ipse respexit, non ego expectaui. Et Theophil. Quare autem Beatam me dicent? non propter meam virtutem, sed quia fecit mecum magnalia, qui *Potens* est. Prima magnalia, quæ *Potens* operatur in nobis, sunt libertatem ad optimum dirigere, & vires ad ea quę communicat, perficere, & augere.

*Et sanctum nomen eius.* Quid per *sanctum nomen* intelligatur, non omnes æquè sentiūt. Quidam Deum ipsum, cuius nomen est eximium, magnū, inquit, Euthym. Alij Christū, quòd non inquinetur, ait Theophil. mundissimus ille in vtero conceptus, sed sanctus maneat. Ego per *sanctum nomen.* Verbum, quod est Patris notitia, velut & nomē rei, exponere, vt & Verra. * li. de Incar. Verbi to. 2. *Isai. 30.*
cap. 4. fecit: nā & ita accipi in Scripturis per- *Isai. 40.*
spicimus. Ecce nomen Domini venit de longinquo. Vtinam descenderes, & notum fieret nobis nomen tuum. Ad hoc igitur alludens MARIA ait, *qui potens* est, Trinus, & vnus Deus, nihil fecit magna; Et inter tres Diuinitatis personas. Verbum, quod est *sanctū Dei nomen*, & notitia per quam declaratur; multum mihi præstitit honoris, dignitatis, & excellentiæ, quòd in vtero meo, & ex me caro factum sit, matremque ex omnibus elegerit, feceritque Deiparam. Consonat S. Bon. scribens. Magnum quippè ratione Diuinitatis *sanctum*, ratione assumptæ Humanitatis.

Im-

Immò verò ratione Diuinitatis est illi proprius *sanctum* dici, & proprium est Deo, inquit Caiet. habere nomen *sanctum*; & propterea Beata Virgo à Spiritu Sancto edocta
*Leuit. 2.* describit Deum ex eo, quòd *sanctum est nomen eius*. Cui enim ab eo licet dicere, Sancti estote, quia ego sanctus sum? Etenim scribit Cyril. Alexan. ad Ægypti Monacos, tom. 1. Concil. Ephes. cap. 1. homousia Trias suapte natura sancta est. Sanctus est Pater, Sanctus per essentiam est Filius, Sanctus eodem denique modo Spiritus Sanctus. Ad propriam proindè naturam quod attinet, Dei Patris Verbum seorsum per se non est sanctificatū. Sed in Humanitate per Spiritū Sanctū Pater
*Ioan. 10.* sanctificauit, & misit in mundū, vt de plenitu
*Ioan. 1.* dine eius nos acciperemus, & essemus sancti per participationem, vt & Humanitas assumpta: nam Diuinitas ex se, & à se, ac per essentiam Sancta est. *Sanctum* igitur absolutè de Diuinitate dicitur, per Analogiam de rationali substantia, quæ aliundè mendicat.

## CAPVT XLVII.

### *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.*

ET quidem Dominus vniuersorum cùm sit, hoc vnico beneficio, quod mecum est operatus, non mihi tantùm, sed omni rationali substantiæ per omne æuum statuit cōsulere; *misericordia* quippè *eius*, quæ ædificatur in cœlis, & est super omnia opera eius; propter hoc admirabile Sacramentum extendetur iugiter *à progenie* præsenti, *in progenies* futuras; ita haud secùs quàm primi fruantur bonis suis nouissimi, qui vsque in seculorum finem præstolantur iusti: nam, etsi omnes saluare desideret, *timentibus eum*
*Isai. 55.* communicabit tantùm misericordias Dauid fideles, vt vocatis electis, & ijs qui non contradicunt verbo veritatis.

*Et misericordia eius.* Hæc est, inquit, Iacobus de Valentia sup. Magnif. secunda pars huius Cantici, qua Virgo MARIA magnificat Deum in persona totius Ecclesiæ, propter bona, quæ tota Ecclesia in Aduentu Christi recepit. Quare subditur hic tertiò, secundùm S. Bonau. Diuinæ laudis ampliatio, quæ consistit in cōmendatione Diuinæ misericordiæ quātum ad opus Redemptionis humanæ, iam in conceptione Virginis inchoatæ. Redemptionis enim initium, vt & exercitus, est Caput Ducemque habere dignum; huius autem dignitas consistit primò in stemmatis nobilitate, vt plures ad bellum sequantur Ducem, deinfortem, & expertum atque locupletem esse oportet. Ecquis vnquam nostro Christo valuit, nec valebit comparari adhuc in vtero sedenti? In primo instanti per vnionem Deus A factus est; vndè illi gratiarum omnium atque diuitiarum sine mensura, vt sequaces diuites efficeret, accessio facta est plenissima, velut *Ioan. 1.* vnigeniti: quodque est adhuc mirabile, vidit eodem instanti, & hostium, & suorum castra, *Apoc. 6.* & exijt ex hoc spectaculo vincens, vt vinceret: quinimo se Patri totum ad militiam, & Redemptionem offerens, iam tum Redēptoris, Victoris, & Saluatoris nomen est assecutus, & Propugnatoris. Hęc fusiusapud Schol. in 3. d. 2. tractantur, dilucidiùs tamen alijs S. Thom. 3. p. q. 34. per totum digessit, affirmatque in art. 3. in instanti conceptionis per proprium actum liberi arbitrij, ditatum gratijs, quæ ex vnione Verbi defluxerant, meruisse; & ad obiectionem: Ergo sequitur, B quod posteà nihil meruerit? Respondet: Nihil prohibet idem esse alicuius ex diuersis causis, & secundùm hoc Christus, gloriam immortalitatis, & salutem omnium, quam meruit in primo instanti suæ conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus, & passionibus mereri, non quidem, vt esset sibi magis debita; sed vt sibi ex pluribus causis deberetur. Scio hæc non placere omnibus, vtpote Alexand. Alex. part. 3. quæst. 16. m. 2. art. 1. Albert. Mag. in 3. d. 18. art. 6. S. Bonau. part. 1. eiusd. dist. quæst. 1. Dur. q. 2. & alijs, qui licet Christum ab instanti conceptionis gratię plenū credant, vsum tamen gratiæ admittunt C minimè habuisse, nec meritum; id quod arbitror durum, posita libertate, & gratia, vnde meritum in illo instanti; tum maximè cùm per meritum, nouum gratiæ accrescat augmentum. At hoc nemo Catholicorum admittet? Nec illud quidem absque periculo; quod præsentiens Magister in 3. d. 18. vt dictum est, sentit: & cum eo Greg. hom. 6. in Ezech. Nazianz. ep. 1. ad Clido. & Damasc. lib. 3. or. fi. cap. 22. ait sentire cum Nestorio eos, qui dicunt Christum profeciſſe in merito. Ergo optimè cæpit MARIA quàm primum gestauit Christum in vtero decantare. *Et misericordia eius*, vt dictum est; Quòd ibi nos in miserationibus magnis cæperit oues D perditas congregare, ostendere nobis lucem miserationum, quæ illuminat orbem mirabiliter, & coronat in misericordia, vt sit *Psal. 102* iam misericors Dominus Deus, qui olim *Exod. 20.* Zelotes, vindicans vsque ad tertiam, & quartam generationem, & expectatur similis, *Psal. 74.* quando accepto tempore iustitias iudicabit. Hoc quidem in secundo aduentu accidet: in primo autem nihil, nisi de misericordia agitur, vt Rabbi Samuel Marrochianus lib. de aduent. Messiæ cap. 9. 10. & 11. multis Scripturæ locis, & Iul. Pomerius Archiepisc. Toletan. lib. trib. aduer. Iudæ, atque alij plures persuadent. Itaque misericordiam, quam, vt Iacobus de Valentia aduertit, adesse precabantur Patres Psal. 79. 84. Tob. 3. Exod. 20.

Sap.

Sap.15. Isai.16.54. Hier.9. Mich.7. Abac.3. & ad futuram. Deus pollicitus fuerat.

*A progenie in progenies.* Græca hoc loco variant, inquit, Gannæ. Quædam enim habent εἰς γενεὰς γενεῶν, ideſt in ſecula ſeculorũ, ſiue generationes generationum ; quædam habent εἰς γενεὰν καὶ γενεάν, quæ geminatio auxeſis eſt Hebraica, id eſt, omnibus ſeculorũ ætatibus, vel in progeniem, & progeniem. Laurentius Valla legit in generationes generationum. Vulgata noſtra legit, *A progenie in progenies*, quæ lectio cum alijs præmiſsis, ſecundùm Euthym. idem ſignificant, quod ſemper apud Hebræos. Vel ſecundùm Theophil. oſtendit hæc lectio, quòd miſericordiam aſſequentur, & in præſenti ſeculo, & in æterno: nam hic centuplum accipiunt, & illic longè amplius. Hinc Pſaltes ; Miſericordias Domini in æternum cantabo, in generatione, & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo; quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis. Hoc eſt, ſtatuiſti veritatem tuæ miſericordiæ impleri, & perenniter frui in cœlis tecum ; propter hoc in æternum cantabo cum omni generatione, quæ ventura eſt in finem vſque. Miſericordiæ autem Chriſti, actio tribuitur potius quàm potentiæ, & ſapiẽtiæ; cùm nihil abſque his actum ſit, quòd miſeriam peccati, mortis ſæuitiam, & ſeruitutem Diaboli, quæ nos miſerrimos, & miſerabiles conſtituebant abſtulerit, vitamque, & honorem cœleſtis imaginis contulerit, vt Cyril. ad Theodoſ. ſcribens, & Reginas de recta in Chriſtum fide, diffusè ex Scripturis perſuadet ; necnon Tertul. de Incarn. Verb. & Athanaſ. ſimili in lib. Iuſtinus Mar. pro Chriſtia. ad Adria. & S. Theoph. ad Autolycum contra Chriſtianæ Religionis calumniatores, & alij Patres. Ex quibus, tum maximè ex littera, infer Lector, à nobis poſt Incarnationem Verbi, potius quàm vnquam requiri miſericordiam in noſipſos, qui pauperes ſumus, niſi Deus aperiat manum ſuam : in proximos, qui paſsim claudicant, niſi Deus teneat dexteram. Dicam ne? etiam ſui vult nos ab hoc tempore miſereri. * Conſolantem, inquit, me quæſiui Sitio : rurſus dixit. Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis. Denique in Sacrificium iubet offerri, non agnum, non vitulum, neque terræ fruges, ſed Crucifixum, qui ad omnem excitat miſericordiam, & planctum, ſed modo incruento ; quem vt ſub eodem miſericordiæ intuitu retineamus, quod proximo præſtamus opus, ſuum reputat, & ſuo intuitu dari iubet, vt ſic tam in Eccleſia, quàm domi, nihil dulcius frequentemus, quàm miſericordiam ; nec iam in potentia, aut ſapientia, ſed in operibus miſericordiæ perdiſcamus, vſque in ſeculum, gloriari ; eſt enim pietas ad omnia, & magnam habet remunerationem apud Deum ; qui autem eius participes fiant, ſubditur.

*Timentibus eum.* Eſt quidem miſericordia Dei ſuper omnem carnem ; miſericordia tamen liberans, & ſaluans, ſecundùm S. Bonauent. ad ſolos timentes ſe extendit, ſicut ſcriptum eſt ; Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Quomodo (enim, ait alibi Vates) miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrorum. Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum, vt ſuper Adam, quem eduxit à deliẽto ſuo, ſuper Noe, cuius recordatus eſt; ſuper Abraham, quem de Vr Chaldæorum vocauit; ſuper Loth, cuius bona duplicauit; ſuper Moyſem, cui apparuit in rubo; ſuper Dauid, cuius thronum firmauit in ſeculum; ſuper Thobiam, cui viſum reſtituit, & ſolamen; ſuper Manaſſem, cuius pœnitentiam acceptauit; ſuper Machabæum, quem fecit victorem; ſuper Ioſeph, cui non tàm matrem, quàm ſeipſum commiſit; ſuper denique omnes antiquitatis Patres, quibus multifariam, multiſque modis locutus eſt: ſed abundantior facta eſt ſuper nos filios miſericordia eius, quos elegit Apoſtolus, vt portemus nomen ſuum ; quos fecit martyres, vt ſimus illi teſtes vſque ad fines terræ; quos ad Cathedras honoris exaltauit, vt regneremus Eccleſiam eius; quos conſtituit Virgines, vt Regnum Dei aſſequeremur; & quos tandem diuitiarum ſuarum, & theſaurorum ordinauit, non ſolùm cuſtodes, & diſpenſatores, verum etiam poſſeſſores: habebimus enim multa bona, ſi timuerimus Deum. Eſt quidem timor principium ſapientiæ, non gehennæ, vt Lutherus fingit. Eſt fons vitæ, non mali ſignũ, vt prædicat Hæreticus. Eſt ad vitam, non ad mortem, vt blaſphemus affirmat. Niſi bonũ eſſet timor, perorat Chryſ. hom. 15. ad pop. Antioch. filijs parentes pædagogos non præponerent, nec legislatores ciuitatibus vllos magiſtratus. Quare, inquit, Gregor. Nazianzenus orat. in laud Cæſarij: Timor eſt magiſter ſalutis; vnde Paſtor ad Hermetem lib. 2. mand. 7. dixit. Timens Dominum omnia bona operaberis. Hic eſt Timor, quo timere oportet, vt ſaluus eſſe poſsis : Diabolum autem ne timeas; timens enim Dominum domi naberis illius: & infra. Duplex timor eſt, quorum optimum nos filialem dicimus, de quo hactenus: alterum non æquè bonum, vtpotè ſeruilem, quo timemus malum, & timendo vitamus, vt Hilari. in Pſal. 126. præclarè docet. Et Nicetas in Schol. ſuper orat. 2. de Paſchate. Greg. Nazian. præſertim Synod. Triden. contra Hæreticos, qui ob timorem infernì, & pœnæ, quippiam vel ommittere, vel impiere,

Matt.19.
Pſal. 88.
Pſal.144.
Matt.25
1.Tim.4.
Pſal. 30.
Actor. 9.
Luc. 19.

plere, damnabile, & impium esse affimant, contra oracula, & Patres, & rationem, qua planè conuincuntur audaciſsimi, & perſuademur bonum esse non peccare formidine pœnæ, quemadmodum ſeptuaginta Scripturarum interpretes apud Ariſteum in hiſtoria ſua ad Philocratem Fratrem, Ptolomeum Philadelphum Ægypti Regem, quæſt. 1. & ſequen. docuerunt, vt Regnum incolume vſque in finem conſeruari poſſet.

## CAPVT XLVIII.

*Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*

VT autem largita miſericordia timentes eum frui plenius poſſent, ac tutius in illa proficere, *fecit* omnipotens Deus, & oſtendit *potentiam*, quæ diu latuerat, *in brachio*, ac Verbo *ſuo*, quod noſtri miſerans mox carnem, totamque hominis ſingularis naturam aſſumpſit. Veniens ergo omnipotens ſermo
*Sap.* 18. Dei, *diſperſit* quam primum *ſuperbos* Dæmones, & Ducum ſuperborum ſedes euertit, quinimò omnes, qui *mente cordis ſui* extolluntur, vel ſupra ſe, vel ſupra omne quod Deus eſt, humiliauit, protriuitque.

*Fecit potentiam.* Secundò, inquit S. Bonau. laudat eum in hoc opere, ſecundùm quod eſt manifeſtatiuum potentiæ. Magna quidem eſt potentia in omnibus, ſed hoc in myſterio mirabilis potentia ipſius, vt Eccleſiaſti
*Eccl.* 43. ci verbis vtar. Siquidem vas confractum, & vt melius dicam, in nihilum penè redactum, fecit admirabile opus excelſi, portans omnia Verbo virtutis ſuæ: nec quidquam eſt, quòd in ſua non ſit poteſtate; Oportebat eum, ſcribit Epiphan. aduerſ. Origen. qui verus eſſet artifex, ad inſtar figuli curam proprij, quod ſuis ipſe fingit manibus, figmenti, & vaſis gerentem id ipſum poſtea per inobedientiam in diminutionem dilapſum, & quod, vt ita dicam, adhuc lutum eſſet, & tanquam ſciſſura, rimaque ducta vas effluens, non ita in eo ſtatu relinquere, ſed in veterē, priſtināq; redigere maſſam, vt rurſus vas huiuſmodi per regenerationem præſentem, & futuram in Chriſto, reparet, reſtituatque in reſurrectione in priſtinam claritatem, atque etiam in præſtabilius quidquam. Id autem potentiſsimè inter alia factum hoc myſterio per Verbum Dei vnitum humanitati firmiſsimè credimus, dixerunt vnanimiter Patres Concilij Epheſini, vt & Vincentius Lirinenſis cont. Hæreſes cap. 42. deponit, ideò ſubditur.

*In brachio ſuo.* Brachium hoc in loco, ſecundùm Euthy. ſignificat fortitudinem; qui enim in certaminibus pugnant, in brachio fortitudinem habent. Simile deponit Hier. lib. 1. cap. 2. in Lament. idemque Scripturæ locutione videntur inſinuare, vt: Secundùm magnitudinem brachij tui poſside filios mortificatorum. *Pſal.* 78. In brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. *Pſ.* 88. Qui eduxit Iſrael de medio Ægypti in manu forti, & brachio extento; necnon Hieronym. libr. 17. com. in Iſai. 62. atq; ab alijs Verbum iucarnatum, brachium diuinum appellatur, iuxta illud Iſai. 52. Et brachium Domini, cui reuelatum eſt? Eſt enim velut brachium, quo operatur Deus. Vtcumque, inquit Cyril. lib. 8. in Ioan. cap. 10. ſatis conſtat, brachium Domini ipſum Dei Filium nuncupari, qui Virtus eſt ipſius Patris, quomodo, & in Cantico Sacroſanctæ Virginis dicitur: *Fecit potentiam* in brachio ſuo, & crebro apud Prophetas hoc pacto ſumitur, vt Iſai. 53. Brachium Domini, cui reuelatum eſt? *Iſai.* 53. In brachio ſuo congregabit agnos, &c. Iurauit Dominus per dexterā ſuam, & per fortitudinem brachij ſui: quem locum *Iſai.* 40. expreſsè Hieron. lib. 17. com. in Iſai. 62. de Chriſto interpretatur. Fecit igitur, concludit *Iſai.* 62. Theophil. robur, & virtutem, ac potentiam contra naturam Deus in Filio ſuo: Incarnato enim Filio, victa eſt natura: Virgine pariente verum hominem, Deificata eſt, & humanitas Chriſti, ſecundùm Arbore. in Luc. nam Deus humanitate Chriſti tanquam organo ſibi coniuncto operatur, quandoquidem Dominus imponendo ſuas manus ſuper infirmos eos ſanabat. Eſt enim, ſubdit Cayet. organum iunctum in perſona, ad differentiam or- *Luc.* 4. gani ſeparati, quale eſt quodcunque inſtrumentum artificiale, puta ſerra, malleus, &c. *Fecit*, itaque Deus in homine aſſumpto robur, tum fortitudinis, meritorie: tum potentiæ, opere, & ſermone: ſed præcipuè robur vniuerſalis dominij, robur efficiendi omne opus, tam iuſtitiæ, quàm gratiæ. Ad hæc dicito, *brachio* interpretari opus Dei, in quo ſe omnipotentem declarat, ſiue illud ſit ſcriptum, ſiue productum, in omni verbo, & opere Deus potenter agit pro bonis, quos recreat, & contra malos, quos deijcit; hinc Pſal *Pſal.* 118 tes. Mirabilia opera tua. Omnium tamen mirabilius eſt opus Incarnationis, cuius virtute in cœlo, terra, & in omnibus abyſsis potentiam omnem manifeſtat: tum maximè contra ſublimes oculos, & ſuperbos, ideò ſequitur.

*Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Duplicem locus hic ſenſum patitur, vel quod Deus à mente cordis ſui diſperſerit, velut nos paleas, quæ turbine agitante oculos infeſtant; vel quod ſuperbos mente, & altitudine cordis ſui, Deus deiecerit: quem ſenſum, vt proprium litteræ, Patres recipiunt; Vnde Euthy. Superbos in cogitatione cordis ſui, ſuperbos apud ſeipſos diſperſit, ſcilicet, Dæmones ſecundùm Theoph. eiectis illis ex humanis animabus, & alijs quidem in abyſ-

ſum

sum missis, alijs autem in porcos. (Poterit autem, & de Iudæis intelligi, quos dispersit in omnem regionem, & nunc dispersi sunt: hos tamen aliquando congregabit, cùm plenitudo Gentium intrauerit) illos autem in æternum proijciet. Subinde S. Bonau. Dæmones superbientes deffinitiuè eiecit, sed nõ sic homines; Vnde Tren. 3. Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum. Id autem esse opus Dei omnipotentis, idem apud Iob expressit. Si habes, inquit, brachium, sicut Deus, & si voce simili tonas? circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus: disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia: respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo: abscondeos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam: & ego confitebor, quod saluare te possit dextera tua, hoc est, quòd sis Deus. Ecce ergo, ait Cayetan. opus robusti brachij ad corporei brachij similitudinem dispergentis conantes ipsum superare; cùm enim cætera vitia fugiant, sola superbia se opponit Deo, & propterea actio IESV Christi in totũ genus perseuerantium in iniquitate describitur à capitibus eorum superbis, quos dispergit in æternos cruciatus. Est itaque sensus, subdit paulòpost, quòd dispersit superbos merito cogitationis cordis eorum; quamuis possit etiam significari vnde dispersi sunt, scilicet, à cogitatione cordis eorum; dispersi sunt enim à celsitudine, & gloria cogitata, & affectata corde eorum. Vel aliter, ait S. Bonau. *dispersit superbos mente cordis sui*, secundùm quod dicit, quia superbi iusto Dei iudicio habent cor dispersum, dum putant se latere in peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, vel: *Dispersit superbos mente cordis sui*, id est, deffinitione consilij sui. Ista omnia consonant postremæ expositioni, quam diximus litteræ consonare: Verum, cùm neminem Deus dispergat, conterat, tribulet, & angustiet, quin à mente cordis sui diuini, quod est, vt innuit Scriptura, à facie sua proijcere, auertere oculos ab impijs, abscondere faciem, non respicere, & delere de libro vitæ, priorem expositionẽ minimè à textu alienam reputo, sed probo vt consonantissimam; tum quòd, *mens, cor, & suum*, singularia, facilius cùm, dispersit, verbo singulari coniungantur, quàm cum *superbos*, plurali; tum quòd dispergere sit reprobare, sicut prædestinare est congregare: quos autem congregat, & prædestinat Deus, dicitur ferre in mente, portare in corde, & in sinu suo reponere. Psalm. 88. Isai. 46. Ose. 11. & alibi. Ergo quos ob peccatorum pondus, & malitiam, ad infernales tortores destinat, à mente à corde suo dispergi, quid inconuenit dicere? Hinc Cyprian. de Corne. & Nouatia. superbis hæreticis ad Antenia. scripsit. Iactet se licet, & Philosophiam, vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem, nec Ecclesiasticam vnitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit: videlicet esse in mente, & corde Dei, atque oculis in bonum, in malum enim peccatores omnes, tum maximè superbos, & arrogantes aspicit Deus, mente retinet, & corde considerat nouissima eorum, atque supplicia, qualia Tyro, Ægypto. Damasco, Babyloni, Samariæ, Ierusalem, ac Principibus eorum altissimi cordis, vt ferũt oracula demandauit; & gladio vibrato, & arcu extento comminatur nostris, nisi deponant fastum, & superbiam. Hæc enim est, ait Calixtus Pap. Ep. Decreta. ad Bened. Episc. prima labes integritatis, & initium trãsgressionis, & origo peccati; quoniam mens sponte auida, nec abstinere nouit, nec pietati adhibere consensum. Ergo, quia ad impietatem properant superbi, ijs Deus resistit, & dispersionem, ô Præsules parat, nisi humiliamini.

Tren. 3.

Iob. 4.

Isai. 84.

## CAPVT XLIX.

### *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

EOS præsertim, qui ad fastigiorum celsitudinem ambitione ac malis artibus peruenere summè auersatur; qua propter *deposuit* huiusmodi *Potentes* in angustijs suis, atque studijs malignis, *de sede*, quam indignè ac quisierant, & contra *exaltauit*, ad sedem, & cathedram honoris, *humiles*, qui neque in meritis spem vnquam reposuerunt, neque præsumpserunt aliquid supra se.

*Deposuit Potentes.* Per Ironiam vocat Potentes, qui præsumunt alijs dominari, & potestatem exercent in subditos superbè, & arroganter; de quibus Christus ad Discipulos. Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Quantô enim Potentes se iactant, & Sublimes, nihilo proximi sunt, vt qui in fauillam, & cinerem velut statua Nabuchodonosor redigantur ad modicum, in momento; Quia, Transiui, dixit ille, & ecce non erant; Vndè Chrys. hom. 20. contra arrogantes perorat. Quid attollis supercilia? quid pectus tumidum geris? capillo tibi albescenti non licet tibi nigredinem inducere, vel nigro candorem: & tamen veluti rerum potitus aerem volitando oberras, cupidior fortè, vel alas tibi adnasci, ne terram pedibus incedas; forsan etiam, vel demutari in monstrum desideras, cùm volatum tentes, & corde sublatus omni ex parte intumescis: quo ergo te nomine appellauerim, vt hac te arrogantia eximam?

Matt. 20

Dan. 2.

Psal. 36.

Hier. 7.
Isai.
Isai.
Amos. 5.
Psal. 68.
Psal. 88.
Isai. 46.
Ose. 11.

mam? si cinerem te, aut fumum, aut puluerem dixerim, tenuitatem exprimam; figuram tamen, & similitudinem (quod equidem maluissem) haud satis attingerim; vellem enim inanem illum tumorem omnem deponere: quam igitur excogitauerim, quæ his congrue re possit imaginem? Mihi certè posse videtur horum hominum tumiditatem cum stuppa aliqua flammescenti conferri, quando post incendium mox illa conflatur, & surgit, postmodum leuiori quodam manuum tactu dissoluitur omnis in cineres tenuissimos. Hem. *Potentes* à seculo, quos Potentissimus omnium *deponit*.

*De sede.* In Græco est, ἀπὸ θρόνων, de sedibus, aut thronis. Vulgata vtitur singulari pro plurali, nam maiores, quos Ἀρχάσας, vndè Principatus Dinastarũ apud Euseb. appellat Euangelista, super vnam sedentes sedem reliquas ambiunt, si fortè vt Lucyfer exclamauit, super astra cœli exaltent solium. Ea propter Theophil. Dœmones de sedibus ejectos interpretatur, qui contra homines præualuerant, & sedes in humanis habebant pectoribus in illis requiescentes. Sunt & Pharisæi Potentes, nimirum ea quæ pauperum deripientes, & cathedras habent, vt Doctores, à quibus depositi sunt. Potest nihilominus vniuersalius intelligi, subdit Cayetde eisdem superbis, vt nõ solum sint dispersi à cogitatis, & affectatis celsitudinibus: sed etiam detracti à sedibus quas habent, omnibus enim bonis priuati sunt. Laudatur ergo, colligit S. Bonau. Potentia in deiectione superborum Dœmonum, & etiam Tyrannorũ Potentium, vt Nabuchodonosor, Dan. 5. & similium, quorũ Regna ob peccata de gẽte in gentem transfert. Aduerte tamen Lector, nõ deijci hoc loco *sedem*, vt ibi. Sedes Ducum superborum destruxit Dominus. Sed sedentes, vt ibi: Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Ergo sedem aliquando probat, reprobato sedente; & nonnunquam insimul sedem reprobat, & sedentẽ. Is est qui sedet in cathedra pestilentiæ Hæreticus, qui Hæresim profitetur, & qui dicit bonum malum, & malum bonum; qui denique enutritus in vitijs adolescentiæ, docet linguam suam loqui mendacium, gloriatur in rebus pessimis, nec aliquid sequitur, nec sectari docet, quàm noxium. Huius *sedem*, quæ est peruersitas ipsa, & malitia, cum sessore abominatur Deus, & proterit. Igitur abominatus est Deus Christum, & sedem eius, cùm legamus. Allisisti in terrã sedem eius, &c? Absit. Quin honorabile nomen eius coram ipso, & thronus eius manet in seculum seculi, sicut dies cœli. Allisit autem *sedem*, hoc est, corpus mori, & sepelliri voluit ad maiorem gloriam; vel si *sedem* intelligas Potestatem, dicito, allisam iudicio impiorum, qui derelictum omnino putabant à Deo, videntes humiliari. Itaque *sedes* Christi, sicut nec Christus, non dejicitur, tantum qui superbè in ea sedet, & indignè regnat, deponitur. Hanc ergo *sedem* quæ hoc loco conseruatur, interpretato Potestatem Ecclesiasticam, quæ ex se bona est, & orbi necessaria: quia qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, & qui in eo benè præsunt, duplici honore digni sunt. Eandem facito Potestatem Secularem, quia omnis Potestas à Domino Deo est, per quem Reges regnant, & gladium portant ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Scripturam quoque sacram, exponito stantem thronum; quia omnis Scriptura est diuinitus inspirata, ignitum eloquiũ vtile ad docendum. Denique *sedem* permanentem depositis indignis, facito veritatem, & pacem, quæ non habent finem: qui verò indignè contractant alterutram, deturbantur, velut à sedibus, quæ omnem honorem, & quietem conciliant.

*Et exaltauit humiles.* Humiles erant Iudæis, Gentes, quæ sine lege erant, sanctitate, & cultu vero, deditæ superstitionibus numinum, quæ pro libito finxerant. Exaltatæ tamen sunt ab humilitate ista ad celsitudinem agnitionis Dei, fidei in Christum, & religionis integritatem: Propterea Paulus dixit, Gentes super omnia honorare Deum, sicut scriptum est. Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Deinceps ergo, ait Euthy. vaticinamur, & de misericordia erga Christianos. Ex ijs Apostolos præcipuè vocauit *humiles*, qui veram à se humilitatem didicerant; & qui propter Christũ stultos, ignobiles, & infirmos haberi, haud ducebant probro. Iure tamen subleuati sunt, ac Principatum Regni, ad Orbis Regimen, & oraculorum regulam, custodiãque secretorum Dei, quia vobis, inquit, datum est nosse mysterium Regni Dei: cæteris autem in parabolis. Denique *humiles* habeto omnes, qui altitudinem omnem deponentes se humiliant, sicut paruuli; & sicut pauperes spiritu ab omnibus se expoliant; & renuntiant singulis quæ possident propter Christum, quem optant lucrifacere. Ijs quidem maior præparatur exaltatio, iuxta illud. Sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Itaque effudit Dominus dispersionem super Principes; & eos, qui oppressi fuerant releuauit. Quiescere facit superbiam, potentiam, & exaltat lignum humile. Humilem populum saluum facit, & oculos superborum humiliat. Domum superborum demolitur, & firmos facit termi nos viduæ Super humilem, & contritum Spiritu respicit: auertit autem oculos ab ijs, qui sapientes sunt in oculis suis. Sacrificium cordis contriti, & humiliati acceptum fert: superbi

*Isai.* 14.
*Luc.* 1.
*Dan.* 5.
*Eccl.* 10.
*Psal.* 1.
*Isai.* 5.
*Tob.* 20.
*Hier.* 9.
*Prou.* 16.
*Psal.* 88.
*Psal.* 71.
*Psal.* 88.
*Sap.* 5.
1. *Tim.* 3.
1. *Tim.* 5.
*Rom.* 13.
*Prou.* 3.
1. *Petr.* 2.
*Prou.* 18.
*Rom.* 15.
1. *Cor.* 4.
*Matt.* 15.
*Mor.* 4.
*Luc.* 8.
*Matt.* 18
*Matt.* 5.
*Luc.* 14.
*Luc.* 21.
*Iob.* 12.
*Ezec.* 17.
*Psal.* 15.
*Prou.* 51.
*Isai.* 57.
*Isai.* 5.
*Psal.* 50.
*Isai.* 1.
1. *Reg.* 2.

perbi autem oblatio, abominatio, inquit, est mihi. Dominus pauperem facit, & dicat, humiliat, & subleuat; non casus neque fortuna, vt finxit quorundam fatuitas. Vndè apud Laert. de vitis Philos. cecinit Diogenes Cynicus.

*Facilè enim eleuat, facilè etiam elatum deprimit,*
*Facilè illustrem minuit, & ignotum ad auget,*
*Facilè etiam erigit incuruum, & superbum desiccat*
*Iupiter Altitonans, &c.*

Exc. 15. Seu potius, cuius Omnipotens nomen eius,
Psal. 71. quod permanet ante Solem, & pro nutu ve-
Dan. 5. lut cœli cardines omnia mouet, & quem voluerit, deprimit, & exaltat eum, qui in oculis sibi placet, nec absque ratione, vt solent Principes mundi, in æquitate enim cuncta agit, vt
Psal. 10. nemo illi possit obijcere, Cur ita facis? Iustus est Dominus, & iustitias dilexit, & æquitatem videt vultus eius.

## CAPVT L.

### *Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.*

EST quidem in omnes, qui inuocant illum magnificus, & munificum se exhibet cunctis qui adhærent illi, non enim solum humiles exaltat: sed etiam *esurientes* sua frui præsentia, & diuinis tantùm mancipari obsequijs gaudentes, *impleuit* ille cœlestis dator *bonis* omnibus, quæ ad vitam, victumque sufficiant,
Iac. 1. & superabundant demum ad gloriam, quam præparauit diligentibus se: *At diuites* secundum proprium sensum, qui in diuitijs, siue
1. Tim. 6. animæ, siue corporis fuerint, gloriantur, & non in eo, in quo, & cui est omnis honor, & gloria, vt vanos, & ex cordes *dimisit* à se *inanes*, vt non tam illis quæ sperabant, quàm ijs quæ videbantur habere meritò iureque priuentur.

Tren. 4. *Esurientes* non sunt qui carent suo cibo,
Tren. 2. vtpote Dei Verbo, sicut mũdus, qui ad Ægyp-
Tren. 4. ti similitudinẽ, secundùm Orig. hom. 16. in Genes. extremam patitur inediam, vt dicant pueri matribus, Vbi est triticum, & vinum? & non est, qui eis panem frangat. Nec *esurientes* vocat ignaros, & à fide Apostatas, qui secundũ Arnob. in Psal. 106. obliti sunt Deũ,
1. Cor. 10. qui saluauit eos. Neque etiam *esurientes* interpretatos concupiscentes malorum, quæ administrant sensualia, propter quæ, vt olim
Genes. 20. Abraham in Ægyptum descendit; sic miseri præ fame, quæ in illorum animis prævalet compelluntur, vt inquit Ambros. lib. 2. de Abraham c. & Bernard. lib. De affectio. Ad vi
Luc. 15. tiorum cœnum se dare, & vt prodigus porcos pascere, & pasci porcorum siliquis, quæ sunt carnalia, quibus caro nutritur, spiritus autem attenuatur. Sed *esurientes* dicit, secundùm Theophil. Gentes, quæ non habentes Scripturam, quæ illis veritatem annunciaret; neque Legem, quæ eos iustificationum viam doceret; neque Mandata, quibus sanctificarentur, cupiebant nihilominus alloqui Chri- *Luc. 19.*
stum, & videre, quis esset; vndè, quia præstatura pusilli erant, quia solis fulti naturalibus, ascenderunt cum Zachæo ad arborem Sicomorum, hoc est, inuocare maiores cœperunt, vtpote Philippũ, & cæteros Apostolos in magistros ascisere, si quomodo illum viderent, & dignarentur eius fieri, sicut & factum est; quia salus (dixit Christus) do- *Ioan. 12.*
mui huic facta est, quod & ipse sit filius Abra- *Luc. 19.*
hæ, videlicet per repromissionem, secundùm *Gal. 4.*
Apostolum. *Esurientes* quoque vocat, secundùm Cayet. non eos qui cibum corporis: *Matt. 5.*
sed qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Qui inquam, secundùm Hier. supr. 1. Isai. iustitiæ augmentum quærunt, & iustificari adhuc volunt quousque iustitiæ coronam accipiant; Vndè quodcunque possunt, instanter operantur, nec procrastinantur opus, quod norunt *Eccles. 9.*
Deo acceptum, & animæ fore vtile credunt, ac proximo. Denique *Esurientes* dixit, qui à gratiæ annona, & spirituali pinguedine prolapsi, norunt tenuitatem, & per pœnitentiam optant iterũ saturari, refici pane Christi, ac verbo salutis iterum instrui. Hi, secundùm Bedam in Pro. 27. amarum pro dulci accipiunt, quia nullum recusant laborem, neque vllis franguntur molestijs, aut iniurijs, dummodo desideriorum finem consequantur, quo non frustrari, euentus comprobat; siquidem eos.

*Impleuit bonis.* Subinde, ait S. Benauent. tertiò laudat Dominum in prædicto opere, scilicet, Incarnationis, secundùm quod est manifestatiuum largitatis, quia vera largitas est dare pauperibus, non diuitibus. Nec omni pauperi, sed bono, secundùm Tob. qui abs- *Tob. 4.*
condit eleemosynam in sinu suo, sæpeque re- *Eccles. 19.*
cogitat beneficium, quod accepit, vt gratus sit imprimis Deo, dein proximo illud orationibus exoluat. Quibus autem *bonis* impleat Deus esurientes, nõ exprimitur; verum cùm bonũ simpliciter sit, quo nihil melius, quodque integrã boni rationem, quod sit omninò perfectum, induit; bona ista necesse est interpretari spiritualia, vtpote, Regni cœlorum, secundùm Cayetan. quæ sola sunt vera bona. Quæ vt Damas. ait adu. Manichæ. vt lumen à Sole, sunt à Deo. Vtpote bona voluntas, qua voluntariè seipsos Deo sacrificent; bona mens, quæ apud Deum sit veluti ingens conui- *Psal. 55.*
uium; bonus intellectus, quo iugiter instruatur in via hac, qua gradiatur; bonus spiri- *Psal. 15.*
tus, quo ducatur in terram rectam; bona *Psal. 32.*
gratia, qua cor stabiliatur; & omnis virtus, *Psal. 142.*
& ha- *Hebr. 13.*
*2. Cor. 3.*

& habitus spiritualia, quibus in imaginem Filij transformetur. His quidem est bonus Dominus sperãtibus in eum; secus autem ijs qui confidunt in nihilo, & spem ponunt brachium suum; vndè sequitur.

*Tre.3.* *Psal.59.*

*Et diuites dimisit inanes.* Dicere licet, secundum Theophil. Iudæos diuites, & in lege ac mandatis, quos etiam emisit foras terrenam & cœlestem Hierusalem, inanes; nihil enim habent Iudæi etiamsi quid habere videantur. Vt diffusè Iustinian. Mar. col. cum Apio. & Tertulliano. adu. Iudæ. præsertim Galat. in lib. Archano. fid. atque alij probant ex oraculis, & ijs quæ sub hac diuturna captiuitate patiuntur, sine Ephot, absque Sacerdotio, & intelligentia oraculorum, quæ translata est ad Gentes, quæ faciunt fructus eius. *Diuites* quoque intelligito quosque qui suomet iudicio videntur, vel spiritualibus, vel temporalibus abundare, qui dicunt, Dines sum & locupletatus, & nullius egeo, cum sit quotusque miser, miserabilis, cœcus, claudus, & nudus; dormierunt enim somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. Nunc quidem *diuites* sunt animo, & mente, inquit Cayetan. se non recognoscunt indigentes Diuina gratia, Euangelica doctrina, existimantes se abundare diuitijs ingenij, sapientiæ, prudentiæ, sagacitatis, cognitione, & acquisitione fœlicitatis absque Christo. Velut Philosophi, qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, & Paganorum multitudo, quæ vel in Mahometo, vel in Idolo, quod nihil est, spem collocat. Demũ *diuites* interpretatur S. Bon. mundi Principes, & Maiores, quos prætermisit Christus, electis pauperibus. Quia sicut dicitur, inquit, non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius Et; Non saluatur Rex per multam virtutem, & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Magnos ergo secundum mundum nominatos, *diuites* concludit Cayetan. non elegit: sed emisit vacuos, pro quanto nec electi sunt ad Apostolatum, & rari sunt, qui saluantur, iuxta verbum Domini. Facilius est camelum transire per foramen acus, quam diuites intrare in Regnum Cœlorum. Apprehendet enim eos quasi aqua inopia, & nocte opprimet eos, tempestas: esurientes autem, qui inquirunt Dominum, non minuentur omni bono, vt impleatur. Ecce serui mei comedunt, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Quia enim meditati sunt inania dum viuerent, & ventum pasti

*Matt.21.* *Apoc.3.* *Psal.75.* *Roma.2.* *1.Cor.1.* *Psal.32.* *Matt.19.* *Marc.10.* *Luc.18.* *Iob.27.* *Psal.33.* *Isai.55.* *Psalm.1.* *Hiere.14.*

A sunt, vt onagri in solitudine, & in mare dracones, quasi nihilum, & inane reputabitur, quod eos modo oblectat: sed & ipsi quasi vas inane erunt in terra deserta, & invia, quæ tota est inanis & vacuâ, & desuper, velut super abyssum tenebræ palpabiles, vt nemo se de loco suo mouere queat, sed cum epulone illo egere vsque ad guttam aquæ, quam nemo miseris æstuantibus administrat. Beati ergo, qui esuriunt; & qui superabundant vanitatibus infœlices, quia mors depascet eos.

*Psal.62.* *Genes.14.* *Luc.19.* *Mat.5.* *Psal.48.*

## CAPVT LI.

### *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.*

B

QVotquot denique ambulauerunt in vijs suis, & toto corde diligunt Saluator *suscepit* eos Deus in brachijs suis, & fouit velut olim *Israel* dilectum, quem elegit *puerum suum* in adoptionem filiorum, quibus hæreditas repromittitur. Non iam ex operibus iustitiæ, quia antequam quicquam boni, vel mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, ait Dominus: sed quia *recordatus* est amplissimę *misericordia suæ*, quam nemo promeruit: sed secundum propositum voluntatis, in quem sibi complacuit, diffundit, vocatque eundem atque magnificat; Vel aliter, id factum est, quia suscepit Deus in vnitatem hypostasis suæ hominem, quem velut olim Israel valdè dilexit, & elegit vnicum puerum suum, atque filium, in quem sibi complacuit, & super quem posuit spiritum suum; non quidem ex cuiusquam merito aut iustitia, cum velut pannus menstratę sint cœterorum iustitiæ, si ab eo, quem suscepit, discernantur: sed secundum multitudinem miserationum suarum recordatus est amplissimæ misericordiæ suæ, quã ex hoc fæcit nunc, & vsque in seculum.

*Bar.3.* *Isai.43.* *Galat.4.* *Tit.3.* *Roma.9.* *Ephes.1.* *1.Pet.2.* *Matt.17.* *Esa.44.* & 64. *Psal.50* & 112.

*Suscepit.* Suscipere est ad se capere, id quod nobiscum fecit Deus dupliciter; primùm quidem, quando naturam assumpsit humanam in vnitate hipostasis Verbi, dicens: Suscipiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Ipse autem inuocauit me, Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ. Secundò *suscepit*, ac suscipit omnem hominem, quem per gratiam ad se trahit, vnitque perpetuò per gloriam, quam communicat, vt dicat susceptus. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Salus tua Deus suscepit me, & tenebit me dextera tua, iuxta hanc duplicem verbi, *suscepit*, intelligentiam potest benè, vt factum est, littera prosequi.

*Psal.90* *Psal.88.* *Psal.72.* *Psal.138*

*Israel puerum suum.* Hoc est Christum, quem elegit & sanctificauit, vt sit sanctus Domino, virga & regimen hæreditatis eius in testamentum æternum, & potestas eius cui conueniat quod scriptum est. Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit
*Psal.67.* virtutem & fortitudinem plebi suæ: Benedictus Deus. Dictus est Christus *Israel*, idest
*Gen.32.* videns Deum, quia comprehensor ab instanti conceptionis, inquit Magister in 3. sent. d.14.& 26. Accepit enim, secundùm S. Tho. 3. part. quæst. 34. art. 4. non solum tantam gratiam quantam comprehensores habent: sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu, consequens est, quòd actu fuit sine actu, consequens est, quod actu fuerit comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius cæteris creaturis. His consentiunt omnes Scholastici Doctores, qui ex illis Ioan.1. Vidimus glo
*Ioan.1.* riam eius, &c. Habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis. De plenitudine cuius nos omnes accepimus. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse
*Ioan.3.* enarrauit, & Ioan.3. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: atque alijs tum Scripturis, tum rationibus, colligunt veritatem hanc infallibilem esse, cui nullus sanctorum vnquam contradixit: sed velut traditionem Apostolicam, vt inquit Canus lib 22. de Locis Theolog. cap. 14. vniuersa Ecclesia recepit. *Puerum* autem dici Christum, apud
*Isai.33.* Prophetas reperimus, vt: Ecce puer meus.
*Psal.85.* quem elegi. Da imperium tuum puero tuo.
*Isai.11.* Puer paruulus minabit eos. Quia puer Is-
*Ose.11.* rael est, & dilexi eum. De Christo autem hoc intelligi declarat idem Oseas subdens. Ex Aegypto vocaui Filium meum. Is ergo Filius in humanitate assumpta, qui aliàs Gigas & admirabilis ob Diuinitatem, propter humanitatē: quæ velut pueri, & multò amplius, celebratur innocentissima, purissima, & humilissima, nūc *puer* vocatur, qua voce solent Angeli, & sancti viri appellari in Scripturis, vt eorum sanctitatem, quæ ab humilitate inchoatur, & augmentatur simplicitate, quæ in pueris locum habent, & veneremur, & sectemur,

*Recordatus misericordiæ suæ.* Quartò ergo, secundùm S. Bonau. MARIA laudat Deum in prædicto opere, secundùm quod est manifestatiuum veritatis promissæ. Vbi primò præmittitur promissionis impletio, quā promissionē fecit Diuina Benignitas, & impleuit Diuina Veritas; Vnde: Misericordia,
*Heb.2.* & Veritas obuiarunt sibi, Iustitia & Pax osculatæ sunt. Et hoc factum est, quando carnem nostram suscepit. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit;
*Psal 76.* & hoc, *recordatus misericordiæ suæ,*
*Isai.49.* cuius non potest obliuisci. Psal. 76. Isai. 49.

A *Misericordia* verò dicitur Incarnatio Diuina, vtpote, ait Euthym. per misericordiam, qua misertus est Deus hominibus. Sed dubitabit aliquis (subdit idem paulò post) quomodo auxiliatus sit Deus Israelitico populo, vt memor esset dictæ misericordiæ? Hac dubitatione auspicatur alteram, quam in priori parte litteræ auspicati sumus, videlicet, quòd susceperit omnem populum, atque hominem sibi cohærentem. Ait ergo: Christianis namque potius auxiliatus est quàm Iudæis; Cui respondemus, quòd verus Israel antiquus est populus: nouus autem Israel nouus populus pro illo inductus, hoc est Christianus, qui ex omni Gente consistit: hunc ergo, Israel
B intellige: Quod si etiam veterem intellexeris, ita quoq; sermo constabit; propter illum enim potissimum Incarnatus est: deindè & ab eis matrem elegit, ac cognatus illorum nuncupatus est, & apud illos docuit, & miracula operatus est; ideoque dicebat. Non sum
*Matt.15.* missus, nisi ad oues perditas domus Israel: quia verò in sua venit, & sui eum non receperunt, ideò Gentes misericordia dignæ habitæ sunt: Ad hæc Theophylact. Suscepit Israel
*Ioan.1.* puerum suum, vel carnales Israelitas dicit,
*Act.13.* multa enim millia ex illis crediderunt, & impleta est promisio facta Abrahæ, ad quem dixerat Deus. In semine tuo benedicentur omnes Tribus terræ: Vel etiam de spirituali Israel dicit; omnis enim qui videt Deum, Israel dicitur, iuxta nominis interpretationem. Suscepit itaque eos, qui vident
C Deum in cœlestem hæreditatem adducens.
*Genes.23.* Postremam expositionem de Israel spirituali, probant Theodoret. in Dialog. 1. qui dicitur ἀπαθὴς, & Iustin. Mart. in Dialog. cum Tryphone de Verit. Christian. Relig. & ante omnes Irenæus lib. 4. cap. 16. & alij, qui Christianos volunt Abrahæ filios, in quibus promissiones impletæ sunt, vt in populo Dei, quem sibi formauit.

## CAPVT LII.

*Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini eius in*
D *secula.*

ID Autem totum factum est, vt fidelis & absque vlla iniquitate apud omnes, vt erat, & erit semper, inueniretur, *Sicut* enim à principio *locutus est* per Angelos *ad Patres* illos antiquitate, & sanctitate celebres, & quidem *nostros*, vtpote *Abraham*, quem primò vocauit & fecit de promissis certum; *Genes.17.*
dein *semini eius* videlicet Isaac, Iacob, & Dauid locutus est, quibus Filium *in secula* hęredem regni repromisit, in quo vniuersę pro-
*Psal.131.* cul Gentes benedicerentur.

*Sicut locutus est.* Per se, an per Angelos:

cla-

clarè, an tantùm per ænigmata, non exprimitur hoc in loco. Paulus tamen ait, Multifariam, multisque modis Deus olim locutus
*Hebr.* 1. est Patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Vnde secundum Oecum. in hunc locum, intimioris amicitiæ signum, & beneficentiæ accepimus nos, qui Filium per seipsum loquentem nobis, accepimus: quàm Patres, qui interpretem & ænigmata Deum audierunt. Interpres quidem erat illis, Propheta, & Angelus, quorum ministerio Deus tunc maximè vtebatur: ænigma autem signum sensibile, vel imaginaria visio, quam in rubo Moyses vidit; in curru Ezechiel: in ficorum calathis Hieremias,
*Ezec.* 3. & alij in alijs viderunt, per quæ Deus insi-
*Ezec.* 25. B nuabat mysteria, quæ volebat innotescieri:
*Hier.* 24. Semper, vt inquit Damasc. lib. 1. de Orth. Fid. cap. 1. quod cuique conducebat procurans, id quod nostra scire intererat, aperuit: quod autem eiusmodi erat, vt vires nostras, & captum excederet, reticuit. Id autem tunc etat Deum videre loquentem; vndè dixit
*Ioan.* 1. Ioan. Deum nemo vidit vnquam: nam &
*Ex.* 33. Moysi quærenti faciem videre, responsum est, videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Quid ergò scribitur, facie ad faciem cum Deo vt amico locutum Moysem? Quod cæteris perfectiora, & clariora signa, & visiones apertiores de Dei mysterijs acceperit. Per huiusmodi autem, & non per os ad os, & facie ad faciem Deum C locutum, aut visum, deponit Dionys. de Cœlest. Hierar. cap. 4. quem aliter forte quàm patiatur eius littera interpretantur qui volunt Moysem vidisse oculis Deum per modum raptus, & audisse loquentem. Sed de his satis.

*Ad Patres nostros.* Pluribus Deum olim loquutum Patribus, tum ad fidem eorum roborandam, tum in testimonium plenum eorum quæ suis temporibus fieri oporterent credendum est: nam in figuram illis contin-
1. *Cor.* 10. gebant omnia, & pariter locutiones: figura autem ædificandæ domus, quale & quantum sit futurum quod paratur ædificium, & expectatur, demonstrat. Acceperunt quoque D Patres futurorum reuelationes, vt docerent filios post se, essentque vitæ spiritualis magistri filiorum, quorum corporibus initium dederant; propterea Moyses remittit filios
*Deut.* 31. ad patrum doctrinam, dicens. Interroga patres tuos, & dicent tibi; &, interroga maiores tuos, & annuntiabunt tibi. Itaque Patres docentur, vt per eos filij erudiantur. Ergo qui filij locum in Ecclesia habemus, audiamus
*Act.* 20. Patres Episcopos, quos posuit Dominus re-
*Eph.* 4. gere Ecclesiam Dei, & non circumferamur
*Iac.* 3. omni vento doctrinæ; neque multos magi-
2. *Tim.* 4. stros, qui ad errorem inducunt, prurientes
*Ezec.* 13. auribus, admittamus. Hæreticos dico, qui

A dicunt. Hæc dicit Dominus, & Dominus nō est locutus ad eos. Habet enim Patres, quibus voluntatem suam exponat, & secretum, quod ad salutem reliquorum facit; quæ enim participatio lucis ad tenebras? aut quæ communicatio Christi ad Beli il? filij quidem Belial 2. *Cor.* 6.
sunt, & tenebrosi, qui sapiunt, non ad sobrie- *Rom.* 12.
tatem, præsumentes loqui, quæ non oportet; neque ædificant: sed dissentionem, & schisma faciunt in Ecclesia, & illaqueant animas erroribus, & Hæresibus ad interitum; maiorem tamen hi damnationem ex suo præsumptuoso magisterio asciscent.

*Abraham.* Ad hunc factæ sunt duæ promissiones, priorem accepit Genes. 12. Bene-
B dicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Alteram sibi Deus pollicitus est, Genes. 22. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes Tribus terræ; quia obedisti voci meæ. Pacta autem ista, inquit Theodoretus Dial. 1. ἄτρεπτος per interpretationem de- *Gal.* 3.
clarauit Apostolus, cùm dixit, Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius; non dixit, & seminibus eius, tanquam de multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus, apertissimè ostendens humanitatem Christi
C ex semine Abrahæ effloruisse, & Abrahæ factam promissionem impleuisse. Iacob autem Patriarcha sibi, & parenti, auoque donatam benedictionem, soli dedit filio Iudæ, dicens. Non deficiet Princeps ex Iuda, & Dux ex fœ- *Genes.* 49.
more eius, donec veniat repositū, & ipse erit expectatio gētium, quod de Saluatore Christo est promulgatum, sicut per Apostolica verba declaratur. Abrahæ factæ sunt promis-
siones, quod iuxta nomen, Pater multarum *Gal.* 3.
Gentium, fidei, disipator Idolorum, & te- *Gal.* 17.
stis veritatis appellaretur in typum Christi, qui est omnium conditor, fidei author, & cōsummator, & qui vsque ad sanguinem testimonium veritatati perhibuit: vendentes fa-
D cto de funiculis flagello eiecit de tēplo, quin & simulachra Ægypti commouit. Etiam factam promissionem *Abrahæ* nunc legimus, vt *Ioan.* 19.
in communem vtilitatem fieri reuelationes *Is.* 19.
credamus, & ijs qui per eas possunt cœtèros iuuare: erat enim Abraham Pater iuxta nomenclationem, multorum quibus repromissio profuit: Ideò subiecit.

*Et semini eius.* Abrahæ semen sunt fideles, & credentes, ait S. Bonau. non qui filij carnis, hi Filij Dei: sed quia filij sunt promis- *Rom.* 9.
sionis æstimantur in semine; vndè infra. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quare secundùm Augustin. *Matt.* 3.
lib. 16. de Ciuit. cap. 16. aduertendum est,

duas res promissas Abrahæ ; vnam, quòd terram Chanaam possessurum fuerat semen eius. Vade in terram, quam tibi demonstrauero, & faciam te in gentem magnam. Gen. 12. Aliam longè præstantiorem, non de carnali, sed de spirituali semine, per quod Pater est, non vnius Gentis Israeliticæ : sed omnium Gentium, quæ fidei eius vestigia consequuntur. Et benedicentur in te omnes Tri-
*Genes.* 22 bus terræ, Genes. 22. Exiuimus ergo iam (infert Iustinus Mart. de verit. Christol. Relig. Dial. cum Triph.) ex ea vitæ conuersatione, in qua viximus communibus aliorum terræ habitatorum moribus, malè vitam agentes, & vna cùm Abrahã iure hæreditario accipiemus terram sanctam, hæreditatem cernences in æuum infinitum ; quippè qui liberi Abrahæ propter parem fidem sumus ; quo namque modo ille voci Dei credidit, & reputatum est illi ad iustitiam : eodem & nos modo voci Dei, quæ per Apostolos Christi denuò est promulgata, quæ per Prophetas olim nobis
*Genes.* 15 annunciata est credẽtes, ad mortem vsque rebus mundanis renunciauimus. Itaque illi promissum est eiusdem fidei erga Deum, religionis, & iustitiæ, gentem lætitia affecturam esse patrem, & non vos, in quibus non est fides in ipsis. Quod autem sit semen Abrahæ, cui pariter locutus est Deus, etsi Prophetas, vt Esai. 7. & 11 Hier. 23. Zachar. 9. Malach. 3. & ipsum Dauid, & alios intelligere debeamus, illud potissimum Iust. arbitratur Patriarchas, Isaacum, & Iacob. Videte sanè, inquit, quomodo Isaac, & Iacob eadẽ sint pro-
*Genes.* 26 missa : ita enim dicit ad Isaac. Et benedicẽtur in semine tuo omnes gentes terræ : Ad Iacob
*Genes.* 28 autem. Et benedicentur in te omnes Tribus terræ, & in semine tuo. Nõ hoc, vel Esau, vel Ruben, vel alij cuipiam dicit : sed illis tãtum, qui iuxta œconomiam, & dispositionem, quæ diuinitus est ordinata in Virginem MA-
*Hebr.* 13. RIAM nasciturus erat Christus. Qui cùm æternus sit, quia Christus, heri & hodie, & vsque in seculum ; promissio, quæ in eo completur, siue de Regno, siue de filiorum permanentia & benedictione, æternitatem habet ; Propter quod concluditur.

*In secula.* Seculum, siue seclum, per syncopen, etsi pro tẽpore in quo aliquid fit, & pro ætatæ quam percurrimus sumi soleat proprius certum annotum spatium, tãm apud Festum, Circeronem, Varronem, & alios authores profanos, quàm apud Hieron. Aug. Euseb. & reliquos sacros authores, significat quod autem ? incertum. Quidam mille, alij triginta : sed communius centum annos inuolui seculo vno creditur ; vndè Cicer. lib. 2. de Orat. ait, Numam Pompilium duobus seculis Pythagoram præcessisse, quem Liuij testimonio constat ducentis annis subsequutũ. In oraculis nulla harum sententia locum habet, quandoquidem æternum, nunc per seculum, vt, Misericordia in seculum permanet. *Eccl.* 40. A seculo nomen tuum ; nonnunquam per secula legimur insinuari, vt, A seculo, & vsque in seculum. Ipsi gloria in secula seculorum, & modo, *in secula*, idest, in æternum, ait S. Bon. Vndè Virgo MARIA Canticum incipit à magnitudine summi principij, & Cãticum finit in æternitate finis ; laudat enim eum, qui est α, & ω, principium & finis ; & qui dem satis recte, quia in hoc Cantico ostendit consummationem esse factam omnium beneficiorum promissorum, & ideò consummatiuum est omnium Laudum, & Canticorum, & Scripturarum.

*Is.* 63. *Psal.* 105 *Apoc.* 1. *Apocal.* 1.

## CAPVT LIII.

### *Mansit autem MARIA cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.*

ERgo quia Dei in omnes magnificentiam exaltauerat laudibus, quam & in seipsa fuerat experta ; postulabat ratio, se quoque magnificam erga cognatam declarare. Quare post ingressum in Zachariæ domum *mansit* læta, & officiosa MARIA Deipara, *cum illa* Elizabetha, *quasi mensibus tribus* ; & ita dimittens consolatam nimis cognatam, *reuersa est* sedulò, *in domum suam*, quæ sita erat Nazareth.

*Mansit autem MARIA cum illa.* Sequitur MARIÆ obsequium, quod manens apud cognatã exhibuit vetulæ cognatæ, & grauidæ, pœnèque solitariæ ob viri taciturnitatem. In hoc autem, secundùm S. Bon. cõmendatur à tribus, scilicet á sedulitate obsequij, à longanimitate propositi, ab honestate contubernij. Propter sedulitatem obsequij mansit MARIA cum illa, non statim abscessit : sed fecit secundũ quod Dominus Discipulis suis præcepit : in eadem domo manete, donec exeatis. Manebat autem MARIA in domo, *Luc.* 10. & non egrediebatur sicut Dina, quæ egressa est, vt videret mulieres regionis illius, & sequitur postea, quòd oppressa fuit. Manebat autem sicut sedula obsecutrix, non circuibat si- *Genes.* 34 cut sedula inuestigatrix domos : sed potiùs otiosa, quæ nõ pietatis intuitu, sed curiositate allecta visitat sanctuaria, quæ vel in Italia, vel Gallia, vel Hispania, aut alibi ad gloriam Dei, & bonorum peregrinorum profectũ, & meritum diuinitus ibidem conseruantur, venerantur, & demonstrantur visitãtibus. Ergo cum quis, vt S. Brigita Romam venire disponit, ibidemque manere ob Sãctorum reuerentiam : maneat cum Sanctis, non egrediatur è sanctuarijs, non vagus in secularium palatijs videatur : sed deuotus in Basilicis Apostolorũ, & Martyrum, qui Vrbem, Orbemque ab interitu ob peccata conseruant ; nec fiat négo-

ciator curiæ, qui venit contemplator mysteriorum fidei, quæ per Vrbem, & in omni penè templo passim inuisuntur. Hæc quidem manens MARIA cum cognata tractauit, quia fidei magistra, & quia vt Melchiadis deponit, & Albertus Magn. lib. de Laud. Virg. Mar. non tam ornatu corporis, quàm animi gratijs natos superauit, eloquio, conuersatione, ministerio, & ijs omnibus, quæ lætificare possunt animum pium, & oblectare oculos rectos; Elisabetham MARIA exhilarauit, docuit, & ad maiorem quam vnquam deuotionem in Deum, & contemplationis exercitium, atque sanctitatem vitæ sublleuauit, is enim est finis, quem Religiosi dum visitant deuotos seculares; quem Prædicatores quando cum fidelibus manent; & quem omnes fideles sibi semper proponere debent quando conueniunt; vel ad cibum, vel ad colloquium, vt omnia, quæ faciunt, glorificent Deum, & proximum ædificent; quia spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & Hominibus.

*Quasi mensibus tribus.* Vnde apparet, secundum Cayet. quòd non interfuit B. Virgo natiuitati Ioannis Baptistæ nam cum Octauo Kalendis Aprilis audierit ab Angelo; Ecce cognata tua, &c. Et in illis diebus surrexerit, & venerit ad Elisabeth, si fuisset cũ Elisabeth in natiuitate Ioannis, proculdubio perstitisset per aliquot dies, saltem donec Elisabeth conualuisset ex partu, & sic fuisset cum ea tribus mensibus, & amplius, cuius oppositum Euangelista dicit, qui videtur ex industria hoc dixisse, vt significaret, MARIAM non interfuisse partui Elisabet. Vnde Theophil. Quia paritura erat Elisabeth abscedit Virgo propter multitudinem eorum, qui ad partum conuenturi erant: indecens autem Virgini in talibus versari. Beda, Euthym. atque alij cum S. Bonauent. contra sentiunt, MARIAM, scilicet, expectasse partum Elisabeth, vt propter quam, inquit, S. Bonauent. maximè venerat natiuitatem videret. Et hoc signatum est libro Regum, vbi dicitur, quod
1. *Reg.* 6. Arca Domini mansit in Domo Obededon Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius. Mistícè verò *tribus mensibus* designatur profectus trium virtutum, secundùm quod in

A Gloss. dicitur. Anima casta, quæ spiritualis Verbi desiderium concipit, nec esse est, vt alta cœlestis exercitus iuga subeat, & quasi trium mensium dies ibidem demoretur, & quousque fidei, spei, & charitatis luce radiet, perseuerare non desistat. Hunc tamen profectum in Elisabeth, & Ioanne ponit Zachar. Chrysopol. non in MARIA: nam si, inquit, in primo aduẽtu MARIÆ, Spiritu sancto sunt repleti, multum est illis superadditum tanta mora mansionis. Vngebatur itaque, pro sequitur Ambros. lib. 2. in Luc. & quasi bonus Athleta exercebatur in vtero matris Pro
B pheta; amplissimo enim virtus eius certamini parabatur. Denique tamdiù mansit MARIA, quamdiù Elisabeth pariendi tempus impleret.

*Et reuersa est in domum suam.* Propter honestatem contubernij, ait S. Bonauent. vt habitaret cum Sponso Virginitatis suæ Custode; vnde dicere poterat illud. Benedixit tibi Deus ad introitum meum. Iustum est igitur, vt aliquando prouideam etiam domui meæ; Sponsus enim, & familia reditum eius desiderabant, secundùm illud: Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te. Sic ergo MARIA dat exem-
C plum omnibus imitandum, sicut dicit Ambros. Discite, inquam, à MARIA religiositatem, longanimitatem, & honestatem. Etsi enim religiosum sit sanctos inuisere, & cum proximo pietatem exercere, longanimitatem designet, nisi honestatem affectet homo, nihil faciet. Est autem honestum intrare in domum suam, claudere ostium post se, & ibi in abscondito orare patrem suum, aut certè longè fugere, sedere solitarium, & ibi in pulchritudine pacis quiescens leuare se super se, annos æternos in mente habere, opera manuum
D Dei speculari, aut gladium venientem, seque coram Deo prosternere, & clamare. Parce Domine, parce populo tuo, & similia speculatoris, quem Dominus super muros Ierusalem posuit, officia agere. Quod est dicere, post actionem cum proximo habitam, contemplationem cum Deo exerce, & ora iugiter, vt tibi, & alijs abundantius proficiat.

*Genes.* 30

*Cant.* 6.

*Matt.* 6. *Tren.* 3.

*Isai.* 32. *Psal.* 76.

*Ezec.*

*Isai.* 62.

# F. ARMANDVS DE BELLOVISV.

## NOTA.

*INTER eximios Doctores, & Scriptores sacros, à gloriosa, & nunquam satis laudata Prædicatorum S.P.N. Dominici Familia, vt pulcherrima, atque fœcunda virgulta pullulantes, vnus non infimæ classis. R.P.F. Armandus de Bellouisu, siue Beluisus, qui ab anno Virginei partus. M.CCXCVI. vsq; ad annũ M.CCCXXIII. floruit, patria Bononiensis, Doctissimus sacri Palatij Magister extitit. Plura scripsit, quæ numerant Doctissimi PP. Antonius Possemn. in suo Appara. fol. 117. Sixtus Senensis in Biblioth. Sanct. lib. 4. fol. 201. & Alphonsus Placentinus in Bibliot. Domin. fol. 328. sed nullus istorum recenset celebre opus à N. Armando elaboratum, appellatum* Collationes in Psalmos, *siue* Sermones ex Psalterio Dauidico compilatos, *dum Curia Romana esset Auinione tempore Summi Pontificis Ioannis XXII. inuentos in Conuentu Beluacensi, & Typis mandatos anno M. D. XXV. adeo incognitos, & obliteratos; puluere, & tinea obtectos, vt nec tenuis quidem memoria extaret apud suæ Religionis, neque exteros diligentes Nomenclatores; dignos tamen, vt omni veneratione, attentioneq; legantur, inquit R. P. Ioannes de Vero, vocans librum, politum, formatum mundum, tersum, concinnum, vt nihil insulsum, in ornatum, insipidum imbellè; nec quid omnino in eo extet, quod modum ipsum, ipsam decoris lineam excedat. Ex hoc ergo antiquato opere de B. Dei Genitrice MARIA absque omni originalis peccati labe concepta (quidquid Armandus in oppositum dicat) Collationes sequentes dulciter graues, & grauiter amabiles correctas, & omnibus numeris absolutas in hac nostra Biblotheca ad omnium vtilitatem grato animo damus.*

## COLLATIO II. DE NATALI DOMINI, VEL de Annunciatione. Ex Psalm. 2.

*Psalm. 2.* *Filius meus es tu*, in Psal. 2. Thema, conueniens, & in Annunciatione Dominica, & in Natiuitate Domini tamen quantùm ad collationem præsentem potest sic exponi. Aduocatus non potest meliùs finem bonum reportare de causa sicut bonum ius, bonam rationem, legem non solùm scriptam, sed naturæ allegãdo. In figuram cuius legimus, quòd filiæ Salphaat obtinuerunt in causa cum Moyse de hæreditate paterna: quia allegauerunt iustam rationem, & legem naturalem. Vnde dictum est à Domino: *Iustam rem postulant* *Num. 37.* *filiæ Salphaat: da eis hæreditatem.* Num. 37. Virgo Beata est in cœlesti Curia, vt sit peccatorum aduocata, Vnde cantamus ei: Eia ergo aduocata nostra: Vt ergo nobis obtineat hæreditatem æternam à filio, non potest aliquid A meliùs allegare, quàm legem non scriptam solùm, sed etiam naturæ. *Pete mater mi, neq; fas est vt auertam faciem meam.* Certè hæc 3 *Reg. 2.* sunt verba veri Salomonis, id est, Christi ad matrem: Vt ego ipse imploranti Virgini hæreditatem illam peccatoribus negare nõ possit, Psalmista eius allegationẽ, & legẽ naturalem quã ipsa proponit, hic interserit, dicens: *Filius meus es tu.* Vbi de dilectione, & lege naturali matris ad filium notantur tria. Nam B ostẽditur, quòd dilectio matris ad filiũ est lex naturæ, 1. est Cõnaturalior, 2. Permanẽtior. 3. Singularior; namque ibi est, sine paternitate maternitas. Cũ tẽporalitate æternitas. Cũ humanitate diuina personalitas, *Filius, es, tu*

Quantùm ad primum dico, quòd lex naturalis, siuè dilectio matris ad filium est connatura-

turalior. Nam quia sibi est sine paternitate maternitas, ideo dicitur *filius meus*, non filius noster. Nota, Miles naturaliùs, & intimiùs diligit castrum quando habet vnum, quàm quando habet plura. Amor enim diuiditur in plura, in vnum adunatur, & similiter intimiùs, & naturaliùs diligit castrum, in quo nullum habet parem, quàm vbi habet alium condominum. Sic Beata Virgo Christum diligit naturaliùs omni alia creatura. Alterius creaturæ Christus est Dominus, non filius: Beatæ MARIÆ Virginis, & Dominus, & filius, Ad hoc tamen potest esse duplex ratio, quia aliæ mulieres habent aliquando non vnicum filium, sed plures filios in quos amor diuiditur matris. Sed Beata Virgo non habuit nisi vnicum, in quo totus suus amor vnitur,

2. *Reg.* 1. 2. Regum 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* Secundò. Quia aliæ mulieres etsi aliquando habent vnicum filium, tamen nunquam solè, quia semper habent comparem. Vnde numquam fuit sola maternitas sine paternitate, nisi in Virgine Benedicta: Vnde nulla sic propriè potest dicere *filius meus*, sed filius noster. In figuram

*Deut.* 21 huius Deut. 21. Preceptum fuit, vt cùm filius adduceretur contumax ad seniores, non diceretur: filius meus: sed, filius noster: Vnde ibi sic dicitur: *Dicent ad eos, filius noster iste.* Sed Beata Virgo sola dicere potest: *filius meus*: ideo amor connaturalior: quia ibi sine

*Matt.* 17. paternitate sola maternitas. Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Hæc de primo.

Quantùm ad secundum dico, quòd lex naturalis, siue dilectio virginalis ad filium est permanentior. Nam ibi est cum temporalitate æternitas: ideo dicitur *Es*: hoc Verbo substantiuo, & permanentiam significante Sacra

*Ioan.* 1. Scriptura propriè vtitur Ioan. 1. *In principio erat Verbum, &c.* Et infra *Verbum caro factum est.* Hoc autem ratione subsistentiæ, &

*Psal.* 36. permanentiæ. Et nota ligare, vel appodiare se regi fragili, flexibili, instabili fatuum est: quia secundùm Gregorium. Qui labenti innititur, necesse est, vt cum labente labatur: sed res fragilis, & flexibilis rei permanenti appodiata, vel ligata securitatem habet. Spiritualiter nulla res temporalis habet firmitatem, durationem, aut stabilitatem, sed omnia transeunt in momento. In Psalm. *Transiui, & ecce non erat.* Vnde de illis non potest dici propriè quòd sint, & ideo nullus debet se ligare per amorem, vel appodiare, id est, confidere in temporalibus: quia qui eis innitur, cum eis. labitur: sicut figuratur in Sampsone,

*Iudi.* 15. qui innitebatur fragilibus *columnis.* Iudic. 15. Sed filius Dei quantumcumque humanitatem temporalem assumpserit; tamen ipse Deus permanens semper, & existens ipse permansit. Et ideo qui Deo ligat se per amorem,

A non oportet timere de casu, quia *Ego Deus, & non mutor.* Malach. 3. & hæc est causa, quare Philosophus 8. Ethic dicit, quòd amor delectabilis, & vtilis nō perseuerat, sed amor virtutis. Christo ergo propriè conuenit, vt sit, quantumcumque humanitatem fragilem assumpsit: & ideo amor Virginis ad filium est permanentior: quia ibi cum temporalitate Virginis æternitas diuinitatis. In Psal. *Tu autem idem ipse es: & anni tui non deficient.* Hæc de secundo.

*Mala.* 3. *Psal.* 101.

Quantùm ad tertium dico, quòd amor Virginis ad filium est singularior; ibi namque est cum humanitate diuina personalitas. Tunc singularius dicitur à matre diligi filius: quia non solùm hæreditatem susceptam

B benè disponit, sed etiam est tantæ virtutis, quòd perditam restituit: sic fecit Christus: quia non solùm hæreditatem terrenam benè disposuit, quod fecit ex parte humanitatis, sed etiam hæreditatem cœlestem restituit, quod fecit ex parte diuinitatis; quæ in suppositio filij cum humanitate assumpta est, secundùm Psalm. *Operatus est salutem nostram in medio terræ.* Ideo dicitur singulariter: *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Ad quam hæreditatem, &c.

*Psal.* 73. *Psal.* 15.

## *COLLATIO IV. De Festo Conceptionis, seu Sanctificationis Beatæ MARIÆ ex Psalm.* 3.

C EXsurrexi, *quia Dominus suscepit me.* Psalm. 3. Domus quam debet Rex habitare, non solùm debet purgari, sed ruina, & cassura domus reparari; Figurat. 2, Paralip. 24. vbi dicitur, quòd templum quod Deus erat habitaturus, *Ioas Rex purgauit*, quod violauerat Athalia, & ruinosa reparauit. Vnde dicitur ibi: *Operabantur industriæ, & obducebatur parietum cicatrix, & suscitauerunt domum Domini.* Spiritualiter Virgo Beata fuit habitaculum filij Dei in Psalm. *Hæc requies mea in seculum seculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam.* Debuit ergo priùs purgari, & quod ruerat, reparari. Athalia enim Eua per peccatum violauerat corporis templum cuiuslibet nascentis, per habitualem

D concupiscentiam, & fecerat ruere animam cuiuslibet per peccati originalis maculam, quam, & naturaliter Virgo contraxit. Et ideo necessarium fuit, ipsam purgari per Regem Ioas, id est, Dei filium, Regem omnium, & à ruina culpæ originalis releuari. Quod factum est immediatè in primo instanti, postquam concepta est; & hoc ipsa confitetur in verbis assumptis, *Exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Vbi nota tria: Ipsa namque Virgo Beata fuit, Purgata, Præseruata, Prælata; Ab originali, Ab actuali, Inæternali; Secretiori prodigio, Potentiori mysterio, & Altiori solio, quia, *Exsurrexi: Dñs: Suscepit me.*

*Psal.* 3. 1. *Par.* 24. Ps. 1

Quantùm ad primum Nota; Surgere non est nisi cadentis, & quia ipsa in peccatum originale verisimè naturaliter cecidisset (omni priuilegio secluso) sicut, & cæteri; ideo dicit *Exsurrexit*: quia hoc fuit necessarium. Ratio est: vinitores volentes habere vbas mundas, & vinum defæcatum, ac mundum, vites quæ ceciderunt ad terram, erigunt. Vnde pro tempore ne * puluis, vel lutum terræ vbas reddat immundas, aut lutosas. Beata Virgo comparat se viti. Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificaui.* Ad hoc ergo vt bonus ille pretiosus Dei filius à quo vinum sumimus in Sacramento Altaris ex præssum in torcular passionis, nihil contraheret impuritatis necesse fuit pro tempore, id est, statim in puncto Conceptionis vitem, id est Virginem erigi à peccato originali in Psalm. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo*, id est, ante ortum. Iob 3. de peccato originali loquens: *Expectet lucem*, id est, Christum, *& non videat nec ortum surgentis auroræ*, scilicet, Virginis MARIÆ. Hæc de primo.

* Eccl. 24. Psal. 56. Iob. 3.

Quantùm ad secundùm Nota, quamdiù Tyriaca seruatur in crystallo, non est timendum de veneno, quia tyriaca crystallum, vel locum etiam vbi est, præseruat à veneno, & ab animali venenoso. Sic cor quod habet tyriacam, id est, diuinã præsentiam non oportet timere de criminali veneno, id est, Diabolo, nec illud quod habet eam, oportet timere de peccato. Beata Virgo non solùm secum, sed plenissimè habuit tyriacam spiritualem, quia in crystallo vteri Virginalis gestauit diuinam personam, & in anima plenissimam, & abundantissimam Dei gratiam, ideo fuit ab omni peccato actuali præseruata. Augustin. De Virgine. Cùm de peccatis agitur, nullam volo prorsus habere quæstionem. Ideo dixit ei Angelus: *Aue gratia plena Dominus tecum.* Luc. 1.

Luc. 1.

Quantùm ad tertium Nota, quòd res quantò est maioris leuitatis, & puritatis, tantò in altiori loco susci pitur, & situatur, sicut patet de elementis respectu elementatorum, & de igne respectu elementorum. Beata Virgo secundùm Anselmum fuit tantæ puritatis, qua sub Deo nequit maior intelligi, & ideo debuit suscipi altiori solio, & maiore sub Deo; in Psalm. 72. *In voluntate tua deduxisti me, & cum gloria iterum suscepisti me.* Et cum gloria iterum, quantum ad corpus. Ad illam, &c.

Psal. 72.

## COLLATIO VI. De Annunciatione Dominica ex Psalm. 5.

Psal. 5.

*Introibo in domum tuã* in Psal. 5. Aliter, & alibi habitant homines tempore belli, & guerræ; alibi, & aliter tempore pacis, & treguæ. Nam tempore belli habitant in exercitu in campestribus, super faciem, terræ in tentorijs, & papilionibus, sed tempore treguæ habitant in ciuitatibus, villas, & domibus; Figur. 2. Reg. 11. Tempore velli Vrias noluit ire in domum suam; vnde cùm Dauid peteret, quare non descenderit in domum suam? respondit: *Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manẽt, & habitãt in papilionibus: & ego ingrediar domum meam?* ideo signum guerræ est, homines non habitare in domibus: & signum pacis est habitare in eis, & introire. Ab Adam vsque ad Virginem MARIAM durauit guerra inter Deum, & hominem; & ideo filius Dei nunquam aliquam domum humanam intrauit, sed habitauit in tentorio æternitatis, in papilionibus cœlestibus, Eccles. 24. *Ego in altissimis habitaui.* Sed quando missus est Angelus Gabriel: facta est pax, & tregua inter Deum, & hominem: Vnde *qui habitat in cœlis misertus est nostri: & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. Ideo cantant Angeli: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. Signum enim est veræ pacis quando Rex venit inermis, & pedes ad domum inimici. Ita fecit Dei filius, quia venit sine armis potentiæ, solùm habens secum sceptrum misericordiæ, & venit in humanitate nostræ fragilitatis, non ostendens arma diuinitatis. Item inter omnes domos humanas Virginis MARIÆ, virginalem aulam elegit in habitationem sibi: Vnde pacem factam denunciat, & in signum pacis in ea se habitaturum prænuntiauerat, dicens: *Introibo, &c.* Ibi nota hæc tria. Primò, Inclinatur immensa sublimitas fraterno amore. Secundò, Sublimatur humilitas intensa materno honore. Tertiò, Donatur ostensa vtilitas superno valore. Quia *Introibo, In domum, Tuam.*

Eccles. 24. Ioan. 1. Luc. 2.

Quantùm ad primum Nota, quòd immensa sublimitas diuinæ bonitatis inclinari tantùm voluit, vt nostrum genus introiret, & frater noster fieret; noluit enim solùm esse amator diuinitate, sed etiam fraternitate. Est autem sciendum, quòd non potest fieri vt sint fratres qui non communicant eodem sanguine, vnde ad hoc quòd aliqui duo fratres dici possint, oportet, quòd sint vnius, & eiusdem sanguinis, vel ex parte matris, vel ex parte patris, vel vtriusque. Filius Dei in diuinitate nihil nobiscum habebat commune, & ideo non erat frater, sed creator, & Dominus: sed voluit assumere carnem nostram, & sanguinem, vt eiusdem sanguinis existentes, fratres essemus, quod fecit introiens in Sancta Sanctorum, id est, in vterum Virginalem, Sanctum Sanctorum cum sanguine ipsum, scilicet, assumendo. Et figurabat illa figuram, quam recitat Apostolus ad

He-

*Heb. 9.* Hebræos. Summus enim Sacerdos, scilicet, Christus semel introuit in Sancta Sanctorum, ideſt, vterum Virginalem cum ſanguine ipſum aſſumens pro noſtrorum expiatione peccatorum. Vnde ibi dicitur: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex, &c. Non per ſanguinem hyrcorum, aut vitulorum*; quia tunc non fuiſſet de genere noſtro, *ſed per proprium ſanguinem noſtrum*, humanum ſcilicet, aſſumendo, *introibit ſemel in Sancta* Sanctorum, ſcilicet, Virginem, *æterna redemptione inuenta*: ibi enim præcurſor. Pro nobis introiuit IESVS, *ſecundùm ordinem Melchiſedech* Hebræo. 6. Melchiſedech figurat Chriſtum; qui *ſine Patre*, ſcilicet in terris, & *ſine matre*, ſcilicet in cœlis: quod deſcribitur Hebræo. 10. de hoc poteſt exponi illud Ioannis, &c. *Poteſt homo* ſcilicet, Filius Dei *in ventrem matris ſuæ*, Virginis *iterato introire*: quia primò fuit per creationem, iterato per conceptionem, & *renaſci*: quia primò natus de patre æternaliter, vltimò de matre temporaliter. Hæc de primo,

*Heb. 6.* *Hebr. 10.* *Ioan. 3.*

Quantũ ad 2. Nota, quòd Chriſtus aſſumens carnẽ in domo Virginis hoſpitatus, immenſam humilitatem: quæ in ea fuit, mirabiliter ſublimauit. Ratio huius eſt. Potentes huius mundi non libenter hoſpitãtur in domo pauperũ, quia ibi non poſſunt recepi, nec ibi inueniunt neceſſaria, nec vtenſilia, nec ſupellectilia, ſed in domo diuitũ, vbi omnia neceſſaria inueniuntur, libenter veniunt, & domum recipiunt, ſic conſueuit obſeruari in via Gallica. Principes autem benè receptus ſicut Rex, vel Papa, conſueuit retributionem dare hoſpiti, vel aliquos redditus, vel aliquod ſpeciale iocale. De hoc eſt figura, Luc. 19. Cùm Chriſtus voluit hoſpitari cum aliquo, voluit ad domum Publicani venire, ad domum cuiuſdam Principis, vel diuitis: cui dixit, *Zacheæ feſtinans deſcende; quia hodie in domo tua oportet me manere*, cùmque fuiſſet bene receptus, optimè remunerauit eum; vnde ſubditur: *At illi IESVS: Hodie ſalus huic domui facta eſt*, Spiritualiter, Chriſtus Dei filius voluit hoſpitari nobiſcum, veniens in hunc mundum, & ſimiliter petens hoſpitium: & mittens Angelum ſuum forarium, Angelum ſuum Gabrielem Archangelem, non inuenit domum ſufficientem, neceſſaria vtenſilia pro eo habentẽ; * omnes enim erãt pauperes, de pauperati in mercatione pomi Adæ, & Euæ. Vnde quilibet ſe excuſabat, ſecundùm illud Pſal. *Pauper ſum ego, & in laboribus a iuuentute mea.* Finaliter tamen inuenit Angelus vnam domum abundantem diuitijs, plenam omnibus bonis, & omni dono cœleſtis gratiæ, quia Spiritu Sancto abundantiſsimè repleta fuerat; ideo pro Chriſto domum illam ſignificauit, * recepit, dicẽs: *Aue gratia plena, Dominus tecum*, Luc. 1. De hac enim domo dictum erat in Pſal. *Gloria, & diuitiæ in domo eius*: & ideo finaliter Chriſtus ibi hoſpitatus fuit; ſed dedit ei iocale mirabile fœcunditatem cum Virginitate, maternitatem cum Virginitatis honore. Beneficium cum redditibus, Anullum cum lapide, Burſam cum auro, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, & ideo, hic fuit ſublimata in cenſa humilitas cum materno honore: & ipſa facta eſt domus Dei, Geneſ. 28. *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli.* Vnde peccatores debent ad eam eſſe deuoti. Poteſt in perſona Chriſti ad eam dici illud Verbum Canticorum 3. &c. *Apprehendam te, & ducam in domo matris meæ, & cubiculum genitricis meæ, & dabo tibi poculum ex vino conditum*, ſcilicet deuotionis, quòd eſt conditum, ex ſpeciebus Diuinitatis, & humanitis: & hæc eſt domus domini, de qua in Pſal. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, ſcilicet per confidentiam, & deuotionem *in ſecula ſeculorum laudabunt te*, expone ad placitum, ſicut vis proſequi. Hæc de ſecundo.

*Luc. 19.* *Pſal. 87.* *Luc. 19.* *Pſal. 83.* *Cant. 3.*

Quantùm ad tertiùm Nota, quòd quamuis embrio in ventre matris organizetur, & diſponatur ad vitam rationalem: non tamen viuit vita rationali, donec rationalis anima infundatur; ſed vita plantæ, vel vita animalis; ſed aduenientè anima rationali, vita rationalis ei donatur. Sic in vtero Eccleſiæ, & Sinagogæ, quantùmcumque per figuras teſtamenti veteris diſponeremur, tamen vitam gratiæ non haberemus, ſed ſolùm animalem, & naturæ; aduenientè autem forma vltima, ſcilicet Chriſto, collata eſt nobis vita gratiæ; vnde ſecundùm illum Act. 9. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Deut. 30. *diligas Dominum Deum tuum, & voci eius obedias, & illi adhæreas; ipſe enim eſt vita tua, & longitudo tua, & dierum tuorum*: eſt enim vita noſtra in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam. Ad Coloſ. *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto; cùm autem Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cùm Chriſto in gloria.* Adquam, &c.

*Act. 9.* *Deut. 30* *Coloſ. 3.*

## COLLATIO VIII. De Beata Virgine in Sabbatis, ex Pſalm. 7.

PRopter hanc in altum regredere, ex Pſal. 7. homines piſcantes circa terram in ripa maris paruum lucrum recipiunt. Parum de fructu reportãt; ſed quando terram, & ripam dimittentes altum mare piſcantur, & aſcendunt, ibi multum fructum inueniunt: lucrum magnum reportant, Lucæ 5. Figura: Petrus, & alij Apoſtoli piſcati fuerunt circa terram, & ideo dixerunt ei. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus*, ideo di-

*Pſalm. 7.* *Luc. 5.*

dixit Christus: *Duc in altum.* Tunc cõcluserunt multitudinem copiosam, quia traxerunt rete *plenum magnis piscibus.* Sic spiritualiter homines negociantes circa terrena, parum inde de lucro reportant: & qui in terrenis ponunt fiduciam, nihil capiunt: *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.* Hierem. 4. MARIA autem interpretatione dicitur mare; vnde qui in altum deuotionis istud mare per fiduciam ascendunt rete, id est orationem plenam fructu magno reportant: propter hoc dicitur in Psal. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus:* ideo vt in ipsa spem ponamus, & fiduciam, excitamur, sicut fecerunt tres Reges Magi qui circa Herodẽ negociantes nihil inuenerũt: sed in altum ascendentes, ad MARIAM venientes inuenerunt puerum cum MARIA. Ideò in verbo assumpto: ad simile excitamur. *Propter hanc in altum regredere:* vbi notantur tria: primò animamur, secundò subleuamur, tertiò reformamur, ad singularis deuotionis affectũ, ad singularis operationis effectum, ad singularis correctionis profectũ, propter hanc, in altum, regredere.

Luc. 5. Hier. 4. Psal. 92.

Quantùm ad primùm Nota, homines quãuis timeant dominos suos ratione iustitiæ, tamen habent singularem dilectionem, & deuotionem ad dominas ratione misericordiæ; quia dominæ consueuerunt esse piæ, & misericordes, & ita in Curijs vbi nõ sunt dominæ, non inuenitur certa misericordia, quamuis inueniatur iustitia, Eccl. 26. *vbi non est mulier, ibi ingemiscit æger.* In Curia Dei est iustitia, & per filium Virginis iustitia exercetur: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Hieremiæ 23. Quandiu ergo illa Curia fuit sine domina, inueniebatur iustitia, sed non misericordia. Sed postquam ibi fuit hæc Domina, fuit ibi pro peccatoribus aduocata, fuit in illa Curia misericordia; vnde & vocatur mater misericordiæ, & ideo ad eam debemus habere singularis deuotionis affectum, Sapientiæ 8. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea: hæc me consolata est in humilitate mea.*

Eccl. 26. Hier. 23. Sap. 8. Psal. 118

Quantùm ad secundum nota, quòd fructus arboris medicinales sunt meliores, & efficaciores in summo, quàm in immo, ratione maioris digestionis, & virtutis solaris: & ideo qui vult habere tales fructus, oportet quòd in altum ascendat: Christus est fructus nobis medicinalis natus in summo arboris pœnitentiæ: quia in summo paupertatis, vt patet in pannis: & in summo puritatis, vt patet in MARIA: in summo obedientiæ, &c. In Psalmo: *Quis sicut Deus noster qui in altis habitat?* Et ideo volenti habere, & sumere istum fructum, oportet in altitudinem bonarum operationum ascendere per pœnitentiam: & sic habebit fructus optimos in Psalmo: *Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus,* quia cum illo *omnia nobis donauit*, ad Romanos 2. Hæc de secundo.

Psal. 112 Psal. 67 Rom. 2.

Quantùm ad tertium Nota: venatores à via amæna, & hærbosa ad viam spinosam, & petrosam libenter regrediuntur etiam peditando, & etiam baculum in manu tenendo, & portando, sperantes prædam perditam inuenire, & capere posse, & potissimè vbi sperarent duplicem prædam inuenire: matrem cum filio, auem cum pullo, spiritualiter: Peccatores perdunt Christum in via herbosa delitiarum, & diuitiarum: quia ibi Christus nõ est natus, non conuersatus: sed introibit nemus spinosum, & petrosum pœnitentiæ: & ideo qui illuc voluerit regredi, cum baculo Crucis inueniet prædam; auem cum pullo, matrem cum filio, patrem cum filia, prædam duplicatam, scilicet, matrem cum filio, Virginem cum Christo: patrem cum filia, diuinitatem cum humanitate, sic venatus est Iacob Genes. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior,* scilicet, ad patriam. Ad quam, &c.

Gen. 32.

## COLLATIO. X. De Purificatione Beatæ MARIÆ ex Psalm. 9.

Psal. 9.

EXultabo in salutari tuo Psal. 9. Aues quæ sole occidente cantũ perdunt, sole oriente cãtũ recuperant, & exultãt propter virtutẽ quãa sole recipiunt, etiam si sol oriatur in nubilo, vel sereno; sic auis spiritualis anima fidelis sole Christo sibi occumbente propter peccatum perdit, & ideo exultare non potest: sed sole sibi oriente per pœnitentiam, & gratiam, iubilat & exultat. Figuratur Luc. 1. MARIA salutauit Elizabeth, in qua erat sol sub nubilo Christus in vtero, & statim illa auicula Ioannes Baptista cantauit in vtero Matris: *Ecce,* inquit, *exultauit infans in vtero meo* præ gaudio, Spiritualiter aues paradisi homines per peccatum perdiderunt, Deum in Paradyso terrestri: & ideo de terra lætitiæ proiecti sunt in terram exulatus, incolatus, & fletus, vbi tristitia est, & non gaudium, neque cantus, *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* In Psalmo, nõ gaudere poterant, quia Thobiæ 5. *quale gaudium mihi est qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Sed tandem MARIA ascendit in Tẽplum, sicut aurora cum Christo filio sole, & sine nubibus in sereno, & tunc illa auis antiqua deplumata Symeon sentiens radium solis cœlestis cantare cœpit, & exultare, dicens: *Exultabo in salutari tuo:* vbi tria: nam aduentum solis, scilicet Christi, sereni hoc est de Virgine iam nati in Templũ inuenies gaudiosum, virtuosum, fructuosum in occursu, sucursu, recursu, ex Spirituali lætitia; causali in-

Luc. 1. Tob. 5. Psal. 136

influentia; speciali efficacia; *exultabo, insalutari, tuo.*

Quantùm ad primũ nota, quòd infirmo admortẽ aduentus salutaris medici nũciatus ipsum gaudere facit: sed dilatus ipsũ molestat; præsentia autẽ dilati, & nũciati ipsũ exultat; genus autem humanum per peccatum in tantam ægritudinem incidit, vt apud homines non inueniatur Medicus salutaris. In Psal. *infirmati sunt, nec fuit quis adiuuaret*, ideo consuluit: *num euadere potero de hac infirmitate* 4. *Regum* 8. dixit Deus illud Psalm. *Eripiam illum, & ostendam illi salutare meum*, tunc genus humanum gauisum est: sed aduentus huius medici in tantùm est dilatus, vt Psal. diceret: *Defecit in salutare tuum anima mea*; ideo Deus tandem hodie hoc salutare misit in Templum; & tunc Symeon in persona omnium non solùm gauisus est; sed etiam exultauit, dicens illud Abacuc 3. *Ego autẽ in Domino gaudebo.* (Supplemodo per Prophetas promisso, & denunciato.) *& exultabo in Deo Iesu meo*, per Deum misso, & per Virginem in Templo præsentato: *Ergo exultate iusti in Domino, quia rectos decet collaudatio*, in Psal. Hæc de primo.

Quantùm ad secundum Nota quòd in ciuitatibus, vbi est portus maris, consueuit poni luminare vulgariter loquendo falos, vt nauigantes de nocte, & existentes in periculo illud respicientes ad portum salutis veniant, & illuc dirigant gressus suos, ita in proposito genus humanum est in vita præsenti vadens sicut in mari, *in mari via tua*, in Psal. & fuit nox vsque ad Christi solis veri ortum, & erat in tot tentationibus quòd nunquam ante vna nauis, vna persona potuit ad portum paradysi peruenire, sed omnes descendebant ad infernum, Exod. 25. *Submersi sunt in mari rubro, descenderunt in profundum quasi lapis*: Et ideo Beata Virgo, posuit illud magnum luminare hodie in templo, vt nos omnes illud lumen respicientes, iter nostrum ad eum dirigamus, & sic ad portum paradysi, & salutis veniamus, in Psalm. *Illic iter quo ostendam illi salutare meum.* Hoc videns ille naufragus Symeon qui ad portum venire volebat, dixit: *Nunc dimittis seruum tuum*, &c. *Quia viderunt oculi mei*, &c. *Quod parasti, &c. Lumen ad reuelationem, &c.* Luc. 2.

Quantùm ad tertium Nota, quia nulla medicina quãtuncumque benè præparata, & dispositа, efficiatur salutaris ægroto, nisi ab ægroto sumatur, & sibi incorporetur, & sua efficiatur, Dei filius fuit medicina parata pro nobis in toto veteri testamento, sed non fuit incorporata, & ideo non erat salutaris; ideo petebat Psal. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, sed aduenientе tempore gratiæ hæc medicina, A est nobis incorporata cùm carnem nostram assumpsit, & intrauit, & nobis tunc facta est salutaris; ideo Deut. 30. *Illi adhæreas, ab ipso enim est vita tua.* in Psal. *Memento nostri domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo*, ad videndum, &c. Ad lutandum in lætitia. Ad quam, &c.

Deu. 30. Psal. 105.

## COLLATIO XI. De Beata Virgine in Sabbatis, vel in Processionibus Generalibus, vt orationes exaudiantur ex Psal. 9.

D *Esiderium pauperum exaudiuit* in Psal. 9. Quando pauperes in Curijs magnorum non possunt habere aditum ad Regem, & suas petitiones expedire, sæpe per personam intermediam suas petitiones expediunt Figur. Num. 11. Populus desiderauit carnes desiderio magno, & petierunt à Deo tandem per Moysem tanquam per personam mediam, & obtinuerunt; vnde in Psal. *Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo*, peccatores sunt pauperes, qui longè sunt à Deo: *Longè à peccatoribus salus*, & ideo eorum petitionem non expedit, sed persona intermedia Virgo Beata desiderantibus carnes agni immaculati, *dat escam in tempore opportuno sicut dicitur* in Psal. Vnde ipsa tanquam persona media petitiones, & desideria peccatorum iusta expedit, & exaudit, & hoc est: *Desiderium pauperum exaudiuit*, vbi ponit tria primò: patentem indigentiam humanæ calamitatis. Secundò, diligentem instantiam humanæ voluntatis. Tertiò, tribuentem clementiam supernæ pietatis, quia *pauperum, desiderium, exaudiuit.*

Psal. 9. Num. 11. Psalm. 77 Psal. 118. Psalm.

Quantùm ad primum Nota, quòd ille est propriè pauper qui nihil habet, nisi ab alio; talis est peccator, quia omnia habemus, & bona naturæ, & bona fortunæ, & bona gratiæ à Deo: *Quid habes quòd non accepisti?* Ideo Psalm. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*, & tunc Beata Virgo *adiuuit pauperes de inopia* in Psalm. & sicut dicitur Iacob 2. *elegit pauperes*, nota, quòd electio ad dignitatem valet per consensum electi, aliàs non sic. Sic spiritualiter pauperes mundus abijcit, sed Beata Virgo recipit: *Tibi derelictus est pauper*, in Psal. & ad dignitatem gloriæ cœlestis elegit; sed electio nihil valet, nisi electioni cõsentiat, quod est cùm sunt pauperes Spiritu, tunc adipiscuntur dignitatem æternam Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum*, ipsa autem *astitit à dextris*, vt saluam faceret animam meam in Psalmo. Hac de primo.

1. Cor. 4. Psal. 87. Psal. 106 Iacob. 2. Psal. 10. Matt. 5. Psal. 44

Quantùm ad secundum Nota, quòd Cer-

uus in secutus à venatoribus summè desiderat fontem, vel fluuium: quia per aquam refocillatur, & per fluuium à canibus, & venatoribus sæpe liberatur. Ceruus est quælibet persona habens duo cornua intellectus, & appetitus; istum ceruum insequitur mundus, caro, Diabolus, quia mũdus, caro, Dœmonia, diuersa mouent prælia, ideo si volumus eripi, desideremus aquam, vel fluuiũ, scilicet, Virginem MARIAM: ad ipsam deuotione, & desiderio curramus; nam ipsa est fluuius; qui de terra Paradisi nobis attulit, merces, gratiæ & gloriæ in Psalm. *Fluuinis impetus lætificat ciuitatem Dei.* In isto autem flumine refocillantur deuoti, & eripiuntur tentati, & tribulati: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et certè meritò, *quia desiderium suum iustis dabitur.* Prouerb. 10. Nota hoc modo expertũ est, quòd à terra vapor siccus eleuatur, vadens ad mare, aquam haurit de mari in maxima quantitate, & postea cadens in terram, ipsam infundit, & germinare facit. Sic deuotio & desiderium pauperum subintrans mare, id est, MARIAM eleuat inde, & reportat plenitudinem, & copiam gratiarum, quæ facit in hac vita hominem fructificare. In Psalm. *Replet in bonis desiderium suum,* & alibi: *Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorum, &c.*

Psal. 45. Psal. 41. Prob. 10. Psal. 102. Psal. 20.

Quantùm ad tertium Nota, quòd ad petitionis exauditionem, multùm facit locus debitus, & ideo locus debitus in quo Deo porriguntur orationes, est templum. In Psalm. *Adorabo ad templum Sanctum, tuum.* Sic certè non est locus in quo ita citò exaudiamur, sicut si vadamus ad illam, quæ facta fuit templum Dei, scilicet, Virginem MARIAM; ideò cùm ibi Deus semper habitet, ibi nos semper audiet, & exaudiet, quòd ibi sit, In Psalm. *Dominus in templo Sancto suo.* Quòd ibi audiat, & exaudiat ibidem: *Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus introibit in aures eius.* Ad illum introitum, &c.

Psal. 5. Psal. 10. & 17.

## COLLATIO. XV. de Beata MARIA Virgine, ex Psal. 15.

A *Dextris est mihi* in Psal. 15. Regula est Mathematicis quòd duæ lineæ ex opposito concurrentes, & intersecantes in puncto: quæ priùs fuit ad dexteram, postea est ad sinistram, & è cõuerso. Ad propositum. In mundo est duplex linea, duplex scilicet, via vna iustorum, & alia impiorum. In Psal. *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum.* Per dexteram intelligitur prosperitas, & per sinistram aduersitas; aliqui deficiunt in aduersitate, sed plures peccant in prosperitate. In Psal. *cadent à latere tuo millia, & decem millia à dextris tuis.* Ideo via iustorum est

Psal. 15. Psal. 1. Psal. 90.

A via aduersitatis; & sinistra in isto mundo, & via malorum, prosperitatis, & dexteræ, sed istæ duæ viæ se intersecant in puncto, idest in morte, & tunc illi qui fuerunt in mundo isto ad dexteram prosperitatis, vadunt ad sinistram pœnæ, & aduersitatis, & è conuerso, iusti qui in ista via fuerunt ad sinistram aduersitatis; vadunt ad dexteram gloriæ, & prosperitatis, de quibus Prouerb. 4. *Vias, quæ à dextris sunt nouit Dominus; quæ autem à sinistris, peruersæ sunt,* Ideo dictum est in Psal. *Nouit Dominus viam iustorum,* scilicet, notitia approbationis, quia ad dexterã; *& iter impiorum,* quia ad sinistram, * peruersæ sunt enim. Horum pulchra figura, Genes. 48. Ioseph obtulit filios suos Iacob benedicens, * Manassem primogenitum suum ad dexteram & Effraim secundogenitum ad sinistram. Iacob autem, vt dicitur ibidem, *Extendens manum suam ad dexteram posuit super caput Effraim minoris,* Sinistram autem posuit super caput Manassem, qui maior natus erat, commutans manum. Per Iacob intelligitur Deus; per Ioseph mundus: Ioseph interpretatur crescens, & horum primogenitum Manassem, id est, obliuionem, quia accrescentia temporalium facit obliuisci Deum; interpretatur etiam iustus: & habet secundo genitum Effraim, idest frugiferam, iste frugifer per mũdum in vita ista ponitur ad sinistram, & ad paupertatem, &c. Sed obliuiosus Manasses ponitur ad dexteram prosperitatis: sed in morte Deus manum commutat, quia iustum ponit sub manu dextra gloriæ; obliuiosum autem, & maiorem natu, ponit sub sinistra pœnæ: & quia Beata Virgo in tota vita ista fuit ad sinistram aduersitatis, & pœnæ, necesse fuit, vt in morte poneretur ad dexteram prosperitatis, & gloriæ, quòd se testatur fecisse Filius Dei: *A dextris est mihi,* ergo Regina cœli lætare, quia quem meruisti portare, &c. In his verbis tripliciter describit. Primò, vt regnantem in perpetuis. Secundò, vt lætantem in præcipuis. Tertio, vt participantem in bonis mutuis, *à dextris, est, mihi,* Regnans in perpetuis; exultans in præcipuis; participans in bonis mutuis, quia homo consequitur supernum solium, Æternum præmium, Maternum gaudium.

Prob. 4. * fortè deficit; peribit, Gen. 48. * benedicendos. 3. Reg. 2.

Quantum ad primum Nota, quòd personæ honorabiliori, digniori, & immediatori Regi in Regno, post Regem debetur locus honorabilior, dignior, & immediator. Et ideo matri Reginæ debetur locus honorabilior, & immediator; talis autem persona est Regina mater Regis. Locus autem est à dextris. Figura 3. Reg. 2. *Venit Bersabæe Regina ad Regem Salomonẽ: & surrexit Rex in occursum eius, & adorauit eã, sedit que supra thronũ suum; positusq; est thronus matris Regis, quæ sedet ad dexterã eius.* Beata Virgo est dignior post filium inter, creaturas in paradiso: & ei coniun-

iunctior; & immediatior: quia est à dextris. Vnde in morte ea veniente ad Filium, Filius, qui est alter; imo plùs quàm Salomon ad litteram occurrit ipsi, & positus est thronus matri, & sedit ad dexteram. In Psalmo: *Astitit Regina à dextris, in vestitu deurato*, id est, in corpore glorificato: quia in vtroque. Est tamen aduertendum, quòd quædam personæ sunt ambi dextræ, id est, vtraque manu, vt dextra vtentes; & isti quocumque se vertant, sunt semper ad dexteram: talis erat Aioth; Iudith. 3. Quia vtraque manu, vt dextera vtebatur: alij sunt habentes vnam manum solam dexteram, & isti non sunt semper ad dexterã, sed in determinato situ, loco, & distantia, & tempore; sic duæ personæ spiritualiter fuerũt ambi dextræ; quia tota vita fuit spiritualis, & absque omni peccato; sed alij omnes habẽt sinistram aliquid pertinens ad corpus, scilicet peccatum; Vnde Bernard, * excepta inquam Virgine, de qua propter honorem Domini cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo quæstionem habere. Si omnes Sancti, & Sanctæ, cùm hic viuerent, interrogati fuissent, Vtrùm sine peccato essent? omnes vna voce clamassent: Si dixerimus, quòd peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: quia ipsa ergo cum filio fuerat sine sinistra, decebat, vt ex omni parte, scilicet, animæ, & corporis esset ad dexteram gloriæ; in alijs autem Sanctis, quia fuit, sinistra alicuius peccati, non est sic: vnde non fuit ex parte corporis in dexteram; sed erunt post determinatam temporis distantiam, id est, in resurrectione; ideo dicit Mater Filio illud Psalm. *Tenuisti manum dexteram tuam*, scilicet, animam, & corpus: *Et cum voluntate tua deduxisti me* in Paradysum: me scilicet in anima, & cùm iterum per corporis resurrectionem *suscepisti me*, dicendo illud Psalm. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: dextera tua namque Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem*; ideo *non mortar*, sed viuam, quia habetur Proverb. 3. *In dextera eius longitudo dierum, & in sinistra illius diuitiæ & gloria*. Hæc de primo.

Psal. 44. Iudit. 3. * August. Psal. 72. Psal. 9. Ps. 111. Prou. 3.

Quantum ad secundum nota, quòd est differentia inter possidentem Regnum ad tempus, & vsurpatiuè, & possidentem in perpetuum, & collatiuè; qui enim habet regnum ad tempus, & vsurpatiuè numquam perfectè gaudet, & lætatur in ipso, quia ipsũ timet perdere, scilicet, semper est in dubio, timore, & anxietate; sed habens regnum in perpetuum, & ex alterius collatione gaudet, & lætatur in eo securè, & sine anxietate. Hæc autem differentia inter Regnum temporale, & cœleste ponitur. Regnum enim temporale est per vsurpationem, vt Augustinus recitat in lib. de

A Ciuitate Dei: Regna magna, magna sunt latrocinia; ille autem vsurpat, qui non debitè, sed vltra quam debet, vel regna, vel alia temporalia amat, & ista non habemus, nisi ad tempus; & ideo in nulla re temporali debemus esse sine timore, quia oportet ea perdere, nec est igitur perfectum gaudium; quia Iob 21. *Gaudent ad sonitum tympani, & in punctо ad inferna descendunt*. & ideo: *Beati omnes, qui timent Dominum*. in Psalm. Ideo Regnũ huius mundi est simile illi regno, vbi quolibet anno vnus eligitur, & quolibet anno deponitur, & in fine anni de regno expellitur, & cogitur exulare; sed regnum Dei non est de hoc mundo, & ideo est perpetuum, & confertur liberaliter à Deo, & ideò ibi homo potest lætari, & exultare securè, quia est inamissibile: *Exultabo, & lætabor in te*. in Psalm. vbi describit matrem Filius, vt lætantem in bonis perpetuis, quia habet cum eo æternum præmium, quod notatur, cùm dicitur, *Est*, quod verbum est substantiæ permanentis: *Dominus regnauit, decorem indutus est*. Ecce quantum ad se. *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*. Ecce perpetuitatem regni. Et subiungit mater, in amissibilitatem præmij. *Parata sedes tua ex tunc à seculo tu es*. Hæc de secundo.

B

Iob 21. Ps. 127. Psal. 9. Psal. 92.

Quantum ad tertium nota, quòd bonorum peregrinorũ est, vt vnus, recepta curialitate, & seruitio ab alio in patria illius, ipsi recompenset in terra sua: cùm Christus peregrinus fuit in hoc mundo cum matre. Luc. 24. *Tu, solus peregrinus?* quasi diceret non * In Psal. *Incola ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei*. Beata autem Virgo in terra sua, id est, in corpore suo, & in mundo isto, Christo contulit beneficia, & seruitia; nam cùm in hospitio, id est, in vtero suo recepit, vestem de panno proprio contulit, scilicet, de corpore suo, & ipsi ministrauit, & parauit, &c. Et quidquid potuit, curialiter fecit, & ideo Christus in terra sua in cœlesti patria matrem compensare debuit, eam in hospitio paradisi collocando, & veste corporalis resurrectionis inducendo, & cibum Angelorum ei conferendo, omnia bona mutuò communicando, & participem efficiendo; quod fecit, ideo dicitur: *A dextris est mihi*. In quo ostenditur, quòd fecit cõparticipem in bonis mutuis, quia habet cum eo paternum gaudium. In Psalm. *Quid* (id est, aliquid) *mihi est in cœlo*, quod tibi conferant *, *A te quid* (id est aliquid) *voluit super terram*, sed ibi non est simile, quia ibi *defecit caro mea, & cor meũ*. Sed tu quidem habes ipsam, &c. *Deus cordis & pars mea Deus in æternum*; Et merito, quia *Dominus pars hæreditatis meæ mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi*: ergo rogemus cœlorum Reginam, vt nos bonorum suorum faciat participes, & secum,

C

Luc. 42. Ps. 118.

D

* conferã

Psal. 15.

cum esse lætantes, etiam in illo æterno regno regnantes: quare cùm dies illa venerit, de qua scribitur Matth. 25. in qua quidem eius filius *statuet agnos à dextris, hædos autem à sinistris*, cùm illis dixerit: *Ite maledicti in ignē æternum.* Nos illud mereamur audire: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*: quia ibunt illi ad supplicium æternum; isti autem ad vitam æternam. Ad quam, &c.

Matt. 25

## *COLLATIO XVI. De Annuntiatione Dominica, vel Natali Domini, ex Psalm. 16.*

*Psal. 16.* *DE abscónditis tuis repletus est venter.* in Psalm. 16. Principis Rempublicam gubernantis est thesaurum tempore necessitatis, & indigentiæ subditorum distribuere à diuersis partibus, vbi eis eueniet necessitas, mittere, & dispensare; hoc autem fit, vt pretiosior, & magis dilecta in loco pretiosiori, & magis dilecto portetur, & ponatur. Figura horum Genes. 44. Ioseph factus publicè gubernator vniuersalitatis, imminente fame aperuit horrea Ægypti, & dispensauat *frumentum*, non solùm in Ægypto, sed etiam in alijs regionibus, vnde cùm impleuisset saccos fratrum suorum, tacitè mittēs in terram Canaam, fecit poni suum schyphum sibi charum *in ore sacci* fratris sui Beniamin sibi chari, & prædilecti. Ad propositum Deus est vtilitatis publicæ totius vniuersi gubernator, cuius prouidentia in sua dispositione non fallitur; quia ergo in tempore naturæ ipse thesaurum temporarium dederat humano generi, & non sufficiebat ad humanam salutem, postquam ipse thesaurum legis Mosaycæ aperuerat tempore legis scriptæ: nec sufficiebat tandem secretiùs, & nobiliùs nobis misit tēpore gratiæ Christum, *in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientia Dei abscónditi sunt*, secundùm Apostolum ad Colossen. 2. & quia iste thesaurus à seculis erat absconditus, tamē charus, secretum vas, & Deo charissimum vterum, scilicet, Virginalem Deus pater elegit, in quo vase ille syphus argenteus clarus veritate doctrinæ, & sonosus prædicationem via lætificans, quia calix inebrians, in quo auguratur, id est, cuncta operatur Deus Pater, nobis est aportans. Et hæc verba, Psal. Super hoc dirigit Deo Patri, dicens: *De abscónditis tuis adimpletus est venter*, vbi nota tria: Nam homini aliquid reuelatur, receptatur, fecundatur: quia *De abscónditis suis adimpletus*: Est *venter*. Hìc namque reuelatur diuinitas occulta: receptatur infirmitas mensurata; fecundatur virginitas impræg nata. Ideo dixit: *De abscónditis tuis, Adimpletus Est venter.*

Gene. 44. Coloss. 2.

Quantum ad primum nota, quòd cū Christus esset thesaurus pretiosus, & absconditus, non fuit totaliter, & publicè paratus, & reuelatus, quia denudari desiderat, qui talem thesaurum per viam portat; sed fuit nobis absconditus, & velatus sola fide reuelatus; fuit autem abscondita, & sua diuinitas in matris vtero, in Crucis patibulo, & lapideo sepulchro. In matris vtero fuit abscondita, sicut thesaurus in agro. Nota, quòd homines volentes thesaurum suum seruare à latronibus, ponunt in loco excogitato, & de quo nullus suspicetur: vnde aliquando ponunt in agro, ita fecit Deus, volens hunc thesaurum filium suum Dæmonibus cælare in loco inexcogitato, in agro florido, vtero Virginali ipsum abscondit, nō solùm *tribus mensibus*, sicut fuit absconditus Moyses, Exod. 7. sed nouem mensibus, sicut cæteri hominum: & quis hoc vnquam cogitasset? certè hoc factū est, quatenus hoc Sacramentum Diabolo cælaretur. De hoc Matth. 13. *Simile est regnū cælorum thesauro abscondito in agro, &c.* Secundò, fuit absconditus in patibulo crucis, sicut absconditur lux in nubilo; veniente enim nube terrestri, & grossa, lux in nube, tempore tempestatis absconditur, & sol niger redditur, & eius claritas obumbratur: ita fuit in tempestate passionis, quia tunc claritas diuturnitatis non videbatur: quinimo ipse sol, factus est niger, quia *vidimus eum nō habentem speciem, neque decorem.* Habac. 3. *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius*: hoc fuit in Cruce: *Ibi abscóndita est fortitudo eius ante faciem eius ibit mors.* Tertiò fuit absconditus in lapideo sepulchro, sicut absconditur leo in antro. Catulus leonis in antro positus, & mortuus tertia die ad vocem patris resurgit: ita Christus, positus mortuus in sepulchro, Deo patre clamante illud Psalm. *Exurge gloria mea: exurge psalterium, & cithara, &c.* Statim resurrexit, dicens: *Exurgam diluculo*, ideo & cōpetit sibi illud Psalm. *In abscōdito quasi leo in spelunca sua.* Isai. 4. *Tu es Deus abscónditus, & Saluator Israel.* De his tamen omnibus est reuelatus per fidem Lucæ 7. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: id est fidelibus Christianis. Hæc de primo principali.

Isai. 53. Abac. 3. Psal. 56. Psal. 10. Isai. 4. Luc. 7.

Quantum ad secundum nota, quòd in vita ista sola Virgo fuit adimpleta, quia Deum recepit, temporalibus enim non repletur: ratio hæc est. Sic est de receptione bonorum temporalium in mundo, sicut de receptione aquæ in puteo; in puteo enim duæ situlæ nunquam sunt plenæ simul, sed dum vna impletur, alia euecuatur. Sic in homine sunt duæ situlæ anima, & corpus, quando enim corpus impletur temporalibus, anima euacuatur spiritualibus, & è conuerso: ideo homo nūquam est plenus, *anima eius non impletur bonis.* Eccles. 6. Sola enim Beata Virgo ex speciali

Eccl. 6.

ma-

munere habuit plenitudinem in mente per gratiam collatam; & in ventre per diuinitatem incarnatam, ideo Luc. 1. Angelus eam
*Luc.* 1. plenam vocauit, dicens: *Aue gratia plena Dominus tecum*, &c. In psalm. *Adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Et hæc de se-
*Psal.* 90. cundo.

Quantum ad tertium nota: De nulla arbore per florem fructum ferentem visum est, vt flos simul staret cum fructu, sed veniente fructu, flos marcescit, & cadit, vnde numquam stant simul, sed si inueniretur talis arbor, vbi flos simul staret cum fructu, & fructus cum flore non corrupto, illa arbor, & fructus eius posset dici benedicta; hoc autem inuenitur in arbore, vbi fructus & flos idem sunt, sicut in ficulnea proferente ficus præcoquas vulgariter figas, flos; nam ibi simul stant flos & fructus, quia idem sunt. In nulla muliere nũquam fuit simul flos & fructus, virginitas, & fœcunditas, neque vnquam simul steterunt, sed adueniente fructu, cecidit flos virginitatis. In fructu autem Beatæ MARIÆ Virginis simul steterunt flos & fructus, Virginitas, & fœcunditas: ratio autem
*Isai.* 11. fuit, quia ille fructus fuit flos, Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, vnde cantamus: Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius: ideo quia idẽ erat flos & fructus, fructum genuit filium cõcipiendo, & pariendo: & flos non emarcuit, virginitatem perdendo, vel mouendo: ideo venter ille cum fructu solus benedici debuit,
*Luc.* 1. sic fecit illa Elisabeth, Luc. 1. *Benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Illud fecit Luc. 11. quæ extollens vocem
*Luc.* 11. dixit Christo: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quinimo ille dixit: *Beati qui audiunt*, &c. Ad quam beatitudinem.

## COLLATIO XVII. *De Annuntiatione Dominica, vel Natali Domini, ex psalm.* 18.

*Psal.* 18. IN *sole posuit tabernaculum*, ex Psal. 18. Ad bonum domus ordinatorem pertinet vnicum locum secundùm conditionem conferre, vt primis, & maioribus, & nobilibus; locus prior, & honorabilior, & nobilior conferatur, & minoribus minor, & mediocribus
*Gene.* 43. mediocris dirigatur. Figura Genes. 43. Ioseph dispensator, & ordinator domus suæ, & Pharaonis in conuiuio fecit, sedere fratres suos secundùm conditionem cuiuslibet, vt primus esset in primo loco, & sic de alijs, vnde dicitur, ibi: *Sederunt coram eo primogeniti, secundùm primogenita sua, & iuxta ætatem suam.* Hoc similiter est in naturalibus. Deus enim, qui fecit omnia in ordine, & mensura nobilibus auibus dedit locum altiorem,
*Iob* 34. vt Aquilæ, Iob 34. *Ad præceptum tuum ele-*

A *uabitur Aquila, & in arduis ponit nidum suum.* Ignobilibus dedit locum inferiorem, vt passeribus, *Passer* enim *solitarius in tecto,* *Psal.* 101
*illic passeres nidificabunt.* Ibi enim *passer* *Psal.* 103
*inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi* *Psal.* 83.
*reponat pullos suos.* in Psalm. Ad propositũ Deus Pater voluit mittere Filium in mundum, & quia ipse sicut nobilissima Aquila, *quæ prouocat ad volandum pullos suos.* Deu-
*Deu.* 32. ter. 32. Non debuit sibi dare nidum, & tectũ vteri cuiuslibet mulieris, vbi est nidus communis hominum; sed oportuit, vt eligeret sibi tanquam Aquilæ Regiæ nidum in arduis in loco alto, & in præruptis salicibus, hoc est, in Virginis almæ visceribus, in quo loco al-
B tissimo per merita, & virtutes Deus Pater tabernaculum, & nidum filio suo fecit, sicut ipse filius promiserat, Leuit. 26. *Ponam ta-*
*Leui.* 26. *bernaculum meum in medio vestri, ambulabo inter vos, & ero vester Deus.* Et hoc factum est, & completum in Annuntiatione, de quo dicitur hic: *In sole posuit tabernaculum suũ* vbi tria describuntur: nam hanc filij humanitatem, Psalm. describit tanquam curiosiùs fabricatam, copiosius prædicatam, eminentius sublimatam. Nam hæc continet plenitudinẽ sanctitatis, Magnitudinem diuinitatis, Originem claritatis, *Tabernaculum, posuit, in sole.* Sãctitas hæc adfuit in mente spirituali: Diuinitas hæc latuit in ventre Virginali; Cla-
C ritas hæc patuit in dote spirituali. Ideo dicitur: *Tabernaculum, posuit, in sole.*

Quantum ad primum nota, quòd Beata Virgo comparatur tabernaculo, propter tria quæ Deus in tabernaculo veteris testamenti operatus est ad Iudæorum salutem, quæ spiritualiter est in Virgine ad Christianorum salutem operatus: nam illud tabernaculum Dei fuit per descensum Dei sanctificatum, nube lucidatum, in facto fœderatum. Sic habitatio Virginis fuit per descensum Spiritus sancti sanctificata, & etiam in vtero, & cæteris copiosiùs, secundùm Bernardum, vnde de hoc
*Psal.* 45. in Psalm. *Sanctificauit tabernaculum suum* *Altissimus.* Sic secundò cùm Deus descendit
D in illud tabernaculum, non descendit nisi in nube, quam in ea assumpsit nostræ humanitatis, Exod. 33. *Ingresso primo tabernaculum* *Exod.* 33
*fœderis descendebat*, id est, suo descẽsu se præbebat *columna nubis*, Apoc. 21. *Ecce taber-* *Apoc.* 21
*naculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Sic secundò sicut in tabernaculo fœderis Deus locutus est Moysi facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum, & pepigit pactum fœderis cum populo, dicens: *Præcedet te facies mea, & ego ostendam tibi* *Exod.* 33
*omne bonum.* Exod. 33. Et ipse præcessit eos cum tabernaculo per columnam nubis per diem, & per columnam ignis per noctem, vs-
*Exod.* 13 que ad terram promissionis. Exod. 13. Ita in tabernaculo humanitatis assumptæ in tabernaculo

naculo Virginis Deus nouissimè locutus est nobis in illo facie ad faciem, & pepigit pactum fœderis, & dilectionis nobiscum, dicens, quòd præcederet nos facies sua, & ostenderet omne bonum, quia gloriam paradysi, & ipse præcessit nos per columnam nubis, quãtum ad fidem, & ignis quantùm ad charitatem, donec veniamus ad bona Domini in terra viuentium, ideo hoc est tabernaculum, de quo in Psalmo, *Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei*: Hoc enim est tabernaculum suum, vbi solùm habitabit in hominibus, quod solùm filium Dei ingredienti, solit sine peccati macula debebatur: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet: *Qui ingreditur sine macula* in Psalm. ille est Christus, quia de alijs Psal. *In peccatis concepit me mater mea*. Hæc de primo.

Psal. 41. Psal. 14. Psal. 50.

Quantum ad secundum nota, quòd Deus fecit incarnationem, sicut sapiens piscator, qui talis volens capere pisces in hamo nõ proijcit, nec ostendit ferrum nudum piscibus, sed coopertum carnibus prosequuntur, & capiuntur, sic fecit Deus, volens capere homines, & ad se trahere, misit filium nõ nudum vtique, quia diuinitatis potentiam horruissemus, & fugissemus; sed vestitum carne nostra, vt ei similes ipsum prosequeremur, & ab ipso traheremur; & ideo antequàm ipsum ad mundũ, & ad mundanos proijceret, posuit eũ in camera vteri Virginalis, vbi eum in carne nostra posuit, & vestiuit, quod factum fuit in Dominica Annuntiatione. Ideo dicitur: *Posuit*, in Psalm. *Posuit in mari manum eius*, id est in MARIA, quæ interpretatur amarum mare filium suum, qui est manus dextera, per quam Pater operatur *in fluminibus*, id est, Virginis visceribus *dexteram eius. Ipse inuocabit me: pater*, &c. *Ego primogenitum ponã illum*, scilicet, Patris ab æterno, & Matris in tempore, *excelsum præ Regibus terræ*. Nota etiam, quòd dicit signanter, *posuit manum in mari*, id est, in MARIA manum; quia modus est Magnorum per terram euntium, vt à præcursore faciant domum singularem sibi signari, & ad manum suam poni sibi, & extũc nullus illuc ingreditur, vel habitat, nisi ipse solus, & est ab omnibus alijs secura; ita fecit Dei filius, quia in hunc mundum veniens, præmisit Præcursorem suum. Luc. 1. quia *missus est Angelus Gabriel à Deo*, &c. & iste signauit hospitium gratum singulariter *ad MARIAM Virginem, & ingressus dixit: Aue gratia plena*, & posuit ad manum Curiæ, ad manum Dei: *Dominus tecum*: & ideo ex tunc, nullus habuit potestatem in domum illam, quia nec Diabolus, nec peccatum, nec Ioseph, nec mundus, sed solus Dominus ibi habitauit, solus Dominus est ingressus Ezechiæ 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, quia solus Dominus ingredietur per eã*. Hoc etiam ipsa petebat Canticorum 8 *Pone me vt signaculum super cor tuum*. In Psalm. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam*. Hæc de secundo.

Psal. 88 Luc. 1. Ezeq 44. Cant. 8. Psal. 138.

Quantum ad tertium nota, quòd Beata Virgo soli comparatur propter tria; nam Sol est omni luce creata in quantitate maior, claritate lucidior, fœcunditate virtuosior. Ita Beata Virgo est omni Sancto paradysi maior quantitate meritorum; lucidior claritate præmiorum; virtuosior fœcunditate prolis, & morum, vel fœcunditate donorum, vel miraculorum. Sicut enim Sol est fons lucis, & caloris, & in cuius virtute inferiora germinãt, ita Beata Virgo MARIA fuit fons illius qui est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioann. 1. Et illius, de quo in Psalm. *Non est qui se abscondat à calore eius*: eo dicente: *Veni mittere ignem in terram*. Luc. 2. Et cuius virtute, & gratia nos inferiores in bonis operibus germinamus. Vnde potest dici de ea illud Psal. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum*. Ad terram enim *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo* Habac. 3. vnde Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius*, &c. Dic quare comparatur Soli, & Lunæ? Ergo est illa, de qua dicitur, Isai. 19. *Ciuitas solis vocabitur vna; sicut autem diximus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum in ciuitate Dei nostri*, &c. Ad cuius visionem, &c.

B C D

Ioan. 1. Psal. 18. Luce 2. Psal. 85. Abac. 3. Apoc. 12. Isai. 19. Psalm. 47

## COLLATIO XX. De Assumptione Beatæ MARIÆ Virginis, ex Psalm. 20.

*POsuisti in capite eius coronam*, ex Psal. 20. In Regno temporali obseruatur, quia regnandum coronato: Coronatur, & Regina, vt sicut illi datur decus regale ad regnandum principaliter; ita ipsi ad conregnandum accessoriè, sicut sunt participes laboris, ita sunt participes honoris. Figura, Esther 2. postquam Rex Assuerus diadema susceperat regni, similiter dedit Esther postea ad regnandum, vnde dicitur ibi: *Adamauit eam Rex super omnes mulieres; habuitque gratiam, & misericordiam coram eo, & posuit diadema in capite eius, fecitque eam regnare*. Ad propositum Dei filius per sceptrum Crucis, & coronam factus est Rex in æternum. In Psalm. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, &c. quia *regnabit in Iacob in æternum*. Quia ergo ipse coronatus erat in regno, decebat, vt Regina coronaretur ab eo, & cõregnaret cum eo potissimè, quia & ipsa ipsũ coronauit in regno suo, Cant. 3. *Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eũ mater sua*. Ideo

Psal. 20. Esther. 2. Psal. 2. Luce 1. Cant. 3.

ipse

Ideo ipse sicut alter. Assuerus *Adamauit eam super omnes mulieres:* Ita factum. Lucæ 1. Angelus protestatur: *Benedicta tu in mulieribus.* Habuitque gratiam, & misericordiam coram eo; sicut dixerat ibidem Angelus: *Inuenisti gratiam apud Dominum.* Posuit diadema Regni in capite eius, & fecit eam regnare sicut dixerat ei Angelus: *Regnabit in domo Iacob.* Hæc est ergo Regina misericordiæ, sponsa Dei electa, altera Esther, quæ salutem populi apud Regem feliciùs procurauit, quam, & filius coronauit, vt ei Psalmus loquitur, dicens, *Posuisti, &c.* Vbi circa Virginem tria describit, inuenies, scilicet, aliquid Depositum, Propositum, Appositum. Et hoc fuit Patris sapientia æqualis, Matris excellentia virginalis, lumi nis gloria æternalis: *Posuisti, in capite, Coronam.* Primò deposuit sapientiam coæqualem. Secundò proposuit excellentiam virginalem. Tertiò apposuit gloriam æternalem, quia intrauit secretiùs, exultauit sublimiùs, ministrauit præcelsiùs; Ideo dicit *Posuisti, in capite, Coronam.*

Quantùm ad primum Nota, quòd nobile pretiosum, & charum depositum non nisi in loco pretioso, & nobili debet poni; sic filius Dei cùm esset nobilissimum depositum, non nisi in loco nobilissimo à Deo debuit poni in Virginis thalamo; quod figuratum est Genes. 2. cùm enim Deus creasset homi nem, noluit eum ponere nisi in loco nobilissimo, scilicet, terrestri Paradiso; vnde ibidem dicitur: *Plantauerat enim Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio in quo posuit hominem, &c.* Certè hæc Paradisus voluptatis fuit Virgo Beatissima propter tria, quæ illa Paradisus habuit: nota primò habuit lignum vitæ in medio, primò hoc lignum fuit Christus: *Ego sum via, veritas, & vita,* Ioan. 14. Nota hoc lignum habuit, quòd erat lignum vitæ, & scientiæ boni, & mali. Applica hæc quomodo Christo conueniunt Iob 38. posuit in visceribus hominis, & Virginis: quia Christus se vocat filium hominis, sapientiam increatam, scilicet, boni, & mali scientiam. Secundò habuit fontem cum fluuio, Genes. 1. *Qui diuidebatur in quatuor capita.* Iste fons fuit Dei filius, Eccles. 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei.* Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Qui diuiditur in quatuor capita: & in quatuor Euangelia ipsum prædicantia. Nota autem, quòd fluuius egrediens de Paradiso in hoc differt ab hominibus alijs, quia alij montes, & aliæ terræ fontem, & aquam non habent à se, sed ab alio, vt dicit Aristoteles lib. Meteor, scilicet à mari: *Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur,* Eccles. 1. *Omnia flumina intrant mare.* Sed Paradisus non habet fontem, & aquam ab alio, nisi à se: & à Deo, sic fuit in Virgine; nam omnes aliæ mulieres prolem habent ab alio, quia à viro, sed hæc non nisi à se, & à Deo; ideo ipsi propriè competit illud Psalm. *Posuit desertum,* id est, Virginem Beatam desertam ab omni virili consortio: *In stagna aquarum,* parientem Christum stagnum, & abundantiam omnium cœlestium gratiarum: *Et terram sine aqua,* id est, Virginem sine aqua virilis seminis, sed cum aqua mystici spiraminis: *In exitus aquarum,* id est, in partu Christi à quo exit omnis aqua gratiæ Sacramentalis. Tertiò, in Paradiso voluptatis fuit homo absque quocunque vitio; sine enim peccato, & peccati cuiuslibet macula ibi positus fuit homo Adam, scilicet, primus terrestris, qui à solo Deo de terra fuit sine homine generate productus, ita in Beata Virgine fuit Christus, homo positus absque omni peccati originalis, & actualis macula: *Innocens manibus, & mundo corde,* in Psal. factus Adam cœlestis, qui sine humano patre genitus de terra nostræ carnis assumpto corpore formatus in Paradiso voluptatis fuit positus in vtero virginali. Vnde hoc optimè verificatur hic: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis,* in quo *posuit hominem,* id est, Christum. Dico autem quòd hoc depositum Deus incarnauit secretiùs, fecit enim, sicut aquila, quæ ad fœcundandum in nido suo, ponit lapidem pretiosum Ethitem. Sic Deus Pater: *Aquila prouocans ad volandum pullos suos.* Deut. 34. *Et sic in Sion firmata sum.* Lapidem summum, id est, Christum, qui tenet summum humanitatis, & summum diuinitatis, in Psal. *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Angularem, electum, pretiosum, quia in Psal. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,* scilicet, caput Ecclesiæ, vbi connectit duos parietes, Deum, & hominem: si vis plus de hoc vocabulo ponere, quære in illa collatione: *In sole posuit tabernaculũ suum.*

Quantùm ad secundùm nota, quia per caput intelligitur eminentia, & celsitudo. Est autem sciendum, quòd arbores profundiùs radices figentes, celsiùs caput eleuant, & sumitatem; sic personæ profundiùs figentes radicem humilitatis quoad Deum, altiùs eleuantur. Figura 1. Regum 2. de Saul, cui dictum est: *Cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Sic quia Beata Virgo inferiùs fixit radices; & omnibus se amplius humiliauit, dicens: *Ecce ancilla Domini,* Luc. 2. ideo Deus *respexit humilitatem ancillæ suæ,* faciens ei, *magna, qui potens est;* exaltans eam su-

Lucæ 1. — Psal. 106 — Psal. 23. — Genes. 2. — Deut. 34. — Eccl. 24. Psal. 8 — Psal. 117. — 1. Reg. 2. — Lucæ 2.

per omnes choros Angelorum ad cœleſtia Regna, eam ponens caput fidelium, & in caput cœleſtium platearum, vt dicat illud Pſalm. *Conſtitues me in caput gentium. Sapientia enim humiliati exaltabit caput illius.* Eccleſ. 11. Verùm ſicut caput influit membris cæteris virtutem, ita Virgo eſt poſita nobis caput, vt influat rorem cœleſtis gratiæ, qua ipſa plena eſt iuxta Angelicum dictum Lucæ 1. *Aue gratia plena*, ideo debemus ad eam recurrere cum deuotione. *In rore cœli* deſuper ab iſto capite *deſcendens* erit benedictio noſtra, Geneſ. 27. de ipſa autem dicitur Cantic. 11. *Caput meum plenum eſt rore.* Et hæc de ſecundo Nota quòd corona datur Regnantibus, Bellantibus, Virginibus, Datur autem in ſignum Regni, Triumphi, Caſti Conſilij, Regibus, dum in ſolio, collocantur, Bellantibus, dum in campo Dominantur, Virginibus, dum in velo conſecrantur.

Quantùm ad tertium nota, quòd Beata Virgo debuit coronari, quia regnans cum filio: *Aſtitit Regina à dextris tuis*, in Pſal. Apocalip. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Quia triumphans de Diabolo: Vnde contriuit draconem pede caſto: *Ipſa conteret caput tuum*, Gen. 3. ideo Sapien. 4. *In perpetuum coronata triumphat coinquinatorum certaminum præmium, habens.* Quia ſe Deo conſecrans ſub virginitatis velo. Vnde virginitas eſt per fœcunditatem conſecrata, non violata, ſed velata, Iſai. 11. *Induit me Dominus veſtimento ſalutis, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam coronatam monilibus ſuis.* Ideo Beata Virgo regnans, pugnans, virginitatem ſeruans, poteſt dicere illud ad Timoth. 5. cap. *Fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona.* Ergo & nos cum Chriſto ei ſentiendo regnemus, contra ſuos inimicos triumphemus, puritatem ſeruemus, quia ſecundùm Iacobum. Canonic. ſua 1 *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Ad quam nos perducat, &c.

Pſal. 17. Eccleſ. 11 Lucæ 1. Gen. 27. Cant. 11. Pſal. 44. Apoc. 12. Gen. 3. Sap. 4. Iſai. 11. Tim. 5. Iacob. 1.

## *COLLATIO XXI. De Aſſumptione Beatæ MARIÆ Virgnis, ex Pſalm. 26.*

Pſal. 26. Geneſ. 45

*Dominus autem aſſumpſit me*, in Pſalm. 26. Mundus habet quòd vnius perſonæ promotio, exaltatio, & ad altiorem gradum aſſumptio eſt totius generis ſublimatio, promotio, ſalus, & liberatio. Figura Gen. 45. Exaltatio enim, & promotio Ioſeph, qui fa-

A

ctus eſt Dominus Ægypti, ſublimatio totius, ſui generis patris, & fratrum, * & fame releuatio, & ſalus, & inopiæ liberatio. Vnde dixit ipſe fratribus ſuis: *Nolite timere: pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos.* Hoc idem figuratũ eſt Eſther 4. Eſther enim ad Regnum aſſumpta, fuit totius populi Iſraelitici ſublimatio, ſalus, & à morte liberatio, vnde mandauit ei Mardochæus. Eſther 15. *Memento dierum humilitatis tuæ, & inuoca Dominum, & loquere pro nobis, & libera nos à morte.* Et ſic factũ fuit Aman hoſte Iudæorum ſuſpenſo. Sic applicando ſpiritualiter, Beata Virgo eſt illa, cui cantamus, & ſi reos ſancta ſpernis: vt quid

B

ſis prælata cernis Hierarchijs, reſpice. Vnde ipſius prælatio: & ad Regnum cœleſte aſſumptio, eſt totius generis humani ſalus, promotio, & liberatio, vnde ipſa nobis loquitur cum Ioſeph illud: *Pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos.* Et nos deuotè ad illam debemus dicere illud Mardochæi: *Memento dierum humilitatis tuæ*, quando, ſcilicet, dixiſti: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, Lucæ 1. *Et inuoca Dominum, & loquere pro nobis, & libera nos à morte.* Quia media vita, in morte ſumus, quòd igitur ipſa pro nobis præſtet: *Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium, qui oderunt nos.*

C

Aman hoſte Iudæorum per ipſam pede caſto calcato, per ſui ad cœleſte: Regnum aſſumptionem nos lætificat, de ſe dicens: *Dominus autem aſſumpſit me.* Vbi commendatur per Pſalmiſtam de tribus. Primò à ſummis honoribus, & reuerentijs, quòd ſemper fuit cum ea Deus: ideo dicitur *Dominus.* Lucæ 1. *Aue gratia plena Dominus tecum.* Secundò à ſummis præmiorum eminentijs, ideo dicitur: *Aſſumpſit.* 3. Regum: *Te Aſſumam, & regnabis ſuper omnia quæ deſiderat anima tua.* Tertiò à ſummis meritorum ſufficientijs; ideo dicitur *me* Eccleſ. 24. *In me gratia omnis vitæ, & virtutis.* Hæc igitur Regina præ cæteris habuit. Aſſiſtentem potentiam veræ Diuinitatis: Col-

D

latricem clementiam gloriæ cum beatis: Suſceptricem gratiam propriæ ſanctitatis; Ideo dicitur *Dominus, Aſſumpſit, me.* Igitur aſſumpta eſt MARIA in cœlum, gaudent Angeli. Perſonaliter eam in ſuo, namque filius Obitu viſitauit, Accubitu collocauit, habitu coronauit: *Dominus, Aſſumpſit, me.*

Quantùm ad primum. Nota hiſtoriam, quomodo eam filius in fine perſonaliter viſitauit, & ad Regnum proprium inuitauit, & ſpiritum eius in vlnis proprijs deportauit. In floribus Sanctorum, vide hiſtoriam. Vnde ſicut Dominus cùm ea fuerat in ventre corporaliter, in mente ſpiritua-

* è fame

Eſther 4. Eſther 15 Lucæ 1. Pſal. 26. Lucæ 1. 3. Reg. 11 Eccl. 24.

liter:

liter: ita fuit cum ea in morte præsentialiter, in Psalm. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Vtique mirabile, sed non irrationabile; si enim mulier Regina bellare nō debeat, si tamē arma Regi tribuat, arma Regis induat, quibus Regnum acquiritur, non est irrationabile, si Regina particeps sit in Regno, quod illis armis acquiritur. Sic spiritualiter arma, quibus sibi, & nobis Regnum cœlorum acquisiuit Virgo Beatissima, Christo tribuit, & eis ipsum induit in thalamo vteri virginalis. Vnde exiuit: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo: vt Gigas,* exultans ad præliandum; & ideo fuit rationabile, vt esset particeps conregnando. Hæc autem arma fuerunt nostræ humanitatis, corporis, & spiritus. A Domino ergo factum est istud. Quamuis ergo secundùm Psalm. verum sit, quòd *Domini est Regnum* tamen hoc die post mortem, hæc *astitit Regina à dextris eius in vestitu deaurato.* In vestitu mortis; vnde in Psalm. *Deus noster, Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.* Nota quare geminatur ly *Domini* Docet Philosophus, quòd in processu Sillogistico. Si altera præmissarum habeat defectum aliquem, statim in conclusione patebit; vnde si aliqua præmissarum fuerit particularis conclusio erit, & particularis, & si aliqua præmissarum fuerit negatiua, & conclusio erit negatiua. Ad conclusionem mortis debitam duæ concurrunt præmissæ, quæ sunt duæ partes iustitiæ quas ponit Psal. dicens: *Declina à malo, & fac bonum.* Si aliqua istarum, vt per peccatum commissionis, non declinetur malum, vel per peccatum omissionis non fiat bonum, in processu nostræ vitæ fuerit negatiua, & conclusio in morte de cœlesti patria erit negatiua: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. Quia igitur Beata Virgo vtramque præmissarum habuit, malum omnino peccati actualis declinando, immo causans, in alijs declinationem ex suæ sanctitatis splendore, & omne bonum opus operando, id circo cōclusionem gloriosam à Domino in mortis exitu reportauit; ideo dicitur hìc *Domini Domini exitus mortis.* Ergo oremus pro nobis cum Psal. *Dominus custodit te ab omni malo* quantùm ad illud: *Declina à malo custodiat animam tuam Dominus,* quantùm ad illud: *Fac bonum. Dominus custodit introitum tuum* quantùm ad vtramque præmissarum, *& exitum tuum* quantùm ad conclusionem affirmatiuam. In Psalm. alibi *Domini est assumptio nostra.* De qua sequitur.

Quantùm ad secundùm sciendum est, quòd quamuis sponsus, & sponsa de die non ad paria iudicentur: tamen de nocte ad paria assumuntur: nam à sponso sponsa, & ad secretum cubiculi ad delitiarum thalamum: ad vbera consolationis: ad dulcedines fruitionis assumitur, & vocatur. Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur.* Spiritualiter quamuis immediatè ab instanti Conceptionis fuerit in mente Beatus, & post resurrectionem glorificatus in corpore; tamen Virgo Beata quandiu fuit in die vitæ præsentis, hoc non habuit: immo fuit multis persecutionibus, & tribulationibus subiecta, sed veniente nocte mortis eam Dei filius ad secreta cubiculi cœlestis, ad dulcedinem diuinæ visionis, & fruitionis eam assumpsit, & introduxit, Sapien. 8. *Quæsiui illam: sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Ex hoc nota, quòd inter omnia quæ sunt causa attractionis, est similitudo; & quia secundum Augustinum similitudo est causa dilectionis, inde est, quòd amor maximè habet vim attractiuam. Eccles. 13. *Omne animal diligit sibi simile: & omnis caro ad sibi similem adiungetur.* Vnde videmus, quòd quamuis magnes, sit superius, ferrum inferius, ferrum supra suam naturam ratione similitudinis trahitur superiùs, ad magnetem, Christus quamuis debuerit super omnia *fratribus assimilari.* Hebr. 2. Tamen fuit similior omnibus suæ matri, tanquam filius quòd est imago parentis; ideoque ratione, similitudinis in natura in innocentia, & in gratia, omnibus alijs plùs eam dilexit, & plùs eam sibi vniuit, & ad se sumpsit, tanquam magnes lapis pretiosus sursum trahens Virginem, quæ fuit firma sicut ferrum in fide filij, & charitate. Ideo dicitur in Psalmo: *Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me.* De quo sequitur.

Quantùm ad tertium nota, quòd in festo coronationis Reginæ, Rex, & Regina non debent indui alijs, & alijs indumentis, sed vestibus eiusdem odoris, eiusdem naturæ, & eiusdem speciei: Christus in festo Assumptionis, & Coronationis Reginæ apparuit vestitus vestibus humanitatis nostræ sumptis de operatorio, de petia vteri virginalis; quia igitur ipsa promeruit, vt Dei filij esset Mater, decuit, vt ipsa vestibus eiusdem naturæ, eiusdem speciei appareret induta; vt scilicet, in anima non solùm esset Beata, sed in corpore glorificata; in Psalm. *Tenuisti manum dexteram meam,* id est, animam *in voluntate tua deduxisti me,* eam ad Paradisum portando, *& cum gloria iterum suscepisti me,* eam in corpore vniendo, & glorificando. Nota, quòd quandoque ponuntur pulchri flores cum propria terra suæ natiuitatis in altari; sic flos, id est; sponsus virginis cum terra proprij corporis in altari cœlesti fuit positus isto die: & ideo ratione duplicis stolæ acceptæ, duplicatur ly *me, deduxisti me.* Quantū ad stolā animæ: *Et cum gloria*

*iterum suscepisti me.* Quantùm ad stolam corporis, in Psalmo, *Domine probasti me*, in toto cursu præsentis vitæ, & *cognouisti me*, in morte: *Tu cognouisti sessionem meam*, per corporis diuisionem, & *resurrectionem meam*, per eius resumptionem. Alibi in ipso: *Tu autem Domine miserere nostri* spiritum meum recipiendo, & *resuscita me corpus meum* glorificando; & *retribuam eis:* meis, scilicet: Apostolis, & deuotis pro eis orando: *In hoc cognoui, quia voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Teterrimos spiritus repellendo: *Me autem propter innocentiam suscepisti:* Animam beatificando, & *confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Corpus reunitum glorificando. Ad quam gloriam nos perducat, &c.

*Psal.* 138.

*Psal.* 40.

## *COLLATIO XXIII. De Annuntiatione Dominica, vel Natali Domini, ex Psalm. 29.*

*Psal.* 29. *Prouerb.* 22. PRæstitisti decori meo virtutem, in Psal. 29. Prouerb. 22. Dicitur, quòd, *qui diligit cordis munditiam habebit Regem amicum.* Ratio est. Vnum enim inter cætera plùs attrahens plùs allicions, est pulchritudo, decor, & munditia, quod patet in natura; quamuis enim sint multi Flores fructiferi, tamen nunquam apis trahitur ad aliquem, nisi pulcher sit, & decorus. Quantùm ad placitum cœlorum cœlicum rorem, terrestri pulchritudine, & cœlesti decore. Figura Esther 11. Quæsitæ fuerunt Regi Assuero per vniuersas Prouincias puellæ virgines pulchræ, & speciò se inter quas fuit Esther, de qua ibidē dicitur: *Quòd erat pulchra nimis, & decoru facie.* Huius solius decor, & pulchritudo Regem ad se traxit; vnde dicitur ibidem, quòd *adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitquè gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres: posuitque diadema Regni in capite eius, fecitque eam regnare.* Ad propositum, Beata Virgo tantùm dilexit cordis munditiam, & habuit per omnia tantum decorem, quòd ei cantat Ecclesia. Cant. 4. cap. *Pulchra es, & decora filia Ierusalem. Tota enim pulchra es, & macula non est in te.* Et sumitur de Canticis Cant. 4. cap. Tanta enim erat eius pulchritudo, quòd Christum de alueario paternæ gloriæ traxit, in aluum maternæ aulæ; dicitur enim Christus apis, quia secundùm Ambrosium in Exameron sine commistione sexuum, & corruptione gignitur, ita Dei filius in Virgine sine virili semine, Dei solius spiramine Verbum factum est caro. Ergo istius pulchritudo Christum Assuerum ad se sola attraxit in tantùm, quòd Rex adamauit eam, plùs quàm omnes mulieres; ita enim promisit ipsi Angelum. Luc. 1. *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Et modò facit eam regnare: igitur, ipsa, sciens, quòd habuit pulchritudinem, coloris terrestris in corpore, & decorem roris cœlestis in mente, quæ Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam attraxerunt, Deo Patri hæc loquitur, cum Psal. *Præstitisti, &c.* Vbi describitur Paternæ maiestatis dignatio: Maternæ virginitatis conditio: Supernæ vtilitatis receptio. *Præstitisti, Decori meo, virtutem.* O ergo quàm pulchra, quàm serena, quàm benigna, quàm amæna esse Virgo creditur! Quia est ex Paterna dignatione, vterus purior fœcundatus; ex Materna conditione, ornatus pulchrior informatus; ex superna receptione, infirmus debilior restauratus. Ideo *Præstitisti, Decori meo virtutem.*

*Cant.* 4.

*Psal.*

Quantùm ad primum. Nota, quòd non in propriè, & non sine mysterio Scriptura filij Dei incarnationem vocat Præstationem. Ratio est; quandoque enim seminatur semen in terra sterili; & hoc est perdere, quia nec semen recuperatur; quandoque in terra fertili, & hoc est lucrari, & crescere: mutuare, & præstare, quia in terra fructifera duplicatur. Hæc est Christi Parabola Lucæ 8. *Semen est verbum Dei*, vnde Deus quandoque seminat in terra sterili: peccatorum *terra deserta inuia, & inaquosa*, & hoc est perdere, quia hoc est semen, quod cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud, sed Beata Virgo est terra fertilis, de qua Psal. *Terra nostra dabit fructum suum*; Ideo Verbum Dei a Spiritu Sancto in terra vteri virginalis non fuit perditum, sed præstatum, quia fuit in ea seminatum Verbum Dei, & reddidit duplicatum, quòd *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Seminauit ibi Spiritus Sanctus Deum, & ipsa benedicta in æternum protulit nobis Deum, & hominem: ideo dicitur Præstitisti, non dedisti, vel perdidisti, 1. Cor. 9 *Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum, &c.* Expone auctoritatem quomodo est semen illud, de quo dictum est Abrahæ, Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes Gentes: panem, &c.* Iste est ille de quo Psal. *Panem Angelorum manducauit homo, &c. Augebit incrementa frugum.* Nota, granum purum sine palea seminatur in terra, sed exit cum spica vestitum palea: ita granum frumenti diuinitatis seminatum in vtero virginali, exiuit non solū, sed indutū spica; & palea nostræ humanitatis; ideo dicitur: *Augebit incrementa frugum.* Ergo est benè Præstare, Filium Dei humanare, Sapient. 8. *Solem sine læsura boni hospitij præstitisti.* Nota: Terra quædā corporalis producit per agri-

*Lucæ* 1.

*Psal.*

*Lucæ* 8.

*Psal.* 66.

*Ioan.* 1.

1. *Cor.* 9.

*Gen.* 22.

*Psal.* 77.

*Sap.* 8.

agriculturam humano artificio; quædam per superiorem naturam cœlesti beneficio: igitur in his quæ producuntur humano artificio, terra læditur, foditur, teritur, & cõculcatur, vt patet in agrorum cultura, vnde segetes expetuntur, in his quæ producuntur cœlesti beneficio terra non læditur, non frangitur, sed illęsa conseruatur, vt patet in lapidum pretiosorum, minera, * vnde pretiosi lapides extolluntur. Sic spiritualiter quædam generantur in terra nostræ humanitatis, per communem agriculturam humanæ propaginis, & tunc semper hæc terra læditur, & destruitur: quia cum corruptione mulieres concipiunt, cum grauamine gestant, & cum dolore parturiunt, franguntur claustra pudoris, læduntur hospitia decoris; sed in Virgine Beata non fuit huiusmodi prolis generatio per humanam agriculturam; sed per superiorem naturam; non humano artificio, sed cœlesti beneficio, non modo communis propagationis, sed modo speciali Sancti Spiritus imprægnationis; & ideo non fuit corruptio in concipiendo, grauamen in portando, dolor in parturiendo, sed sine læsura, sine fractura hospitij virginalis Virgo peperit, Virgo post partũ quem genuit, adorauit; ideo dicitur *Solem*, id est, Christum solius Solis cœlestis virtute generatum, *sine læsura boni hospitij*, virginalis vteri, *præstitisti*. Dilata de bonitate istius hospitij quo modo inhospitantur omnes ægroti, omnes deuoti, &c. Et propter hoc potest ipsa dicere illud Iudith 19. *Hoc & hoc præstitisti mihi: Hoc*, scilicet, virginitatem cum fœcunditate, *& hoc* fœcunditatem cum virginitate, vel genus humanum potest dicere: *Hoc & hoc: Hoc* id est, diuinitatem *& hoc*, id est, humanitatem *præstitisti mihi*. Et hæc de primo.

Iudit. 19

Quantùm ad secundùm sciendum, quòd quidam Doctores ex ponentes illud Leuit. 23. *Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ* dicunt, quòd arbor illa pulcherrima erat quæ producit, ista poma citrina, quæ dicuntur Arangia: quæ pro tanto non solùm pulchra, vel pulchriora, immo pulcherrima nuncupantur, quia quamuis aliquæ dicantur arbores pulchræ, quæ aliquo tempore florent, fructificant, & folia seruant; tamen, illa dicitur pulcherrima, quæ semper seruat folia, flores, & fructus simul semper producit, & seruat, talis est arbor ista arangiorum, in qua semper fructus, & flores simul reperiuntur. Sic spiritualiter pulcherrima est arbor, quæ cum folijs honestæ conuersationis floret aliquando per virginitatem, & postea fructificat per fœcunditatem. Nunquam tamen visum est in aliqua alia muliere à Virgine gloriosa, quòd esset tantus decor in aliqua vt flos virginitatis simul maneret cum fructu fœcunditatis, immo semper cum eis, cadit iste flos, aduenientę fructu, *manè floreat: &c. Et arescat* in Psalm. sed in Beata Virgine fuit decor completissimus; nam in ea semper manserunt folia pulcherrimæ conuersationis, semper fuit flos virginitatis producens fructum fœcunditatis: ideo pulcherrima appellatur. Iudith. 5. *Pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Isai. 35. *Gloria Libani data est ei, & decor Carmeli, & Saron.* Nota quomodo gloria Libani constitit in perpetuo candore, & decor Carmeli in fructuum valore, quæ duo habuit: Beata Virgo. Potest autem, & aliter applicari, quia Beata Virgo semper habuit florem propositi interioris, & fructum facti exterioris Cantic. 2. *Flores fructus parturiunt.* Contra quosdam, qui benè florent per bonum propositum, & intentionem, sed non fructificant per fructum, & executionem; *Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, &c.* Si vis dilatare, dic totam authoritatem Isai. 40. cap. quia igitur Beata Virgo habuit hanc pulchritudinem, loquitur ei Psalm. *Audi filia, & vide, &c. Et concupiscet Rex decorem tuum.* Tantùm enim istum decorem concupiuit Rex, quòd matre isto decore induta, & filius eodem indui voluit, Prouer. 31. *Fortitudo enim, & decor indumentum eius.* Et Psalm. *Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem*, de qua sequitur.

Psal. 89. Iudit. 5. Isai. 35. Cant. 2. Prou. 31. Psal. 92. Isai. 40. Psal. 44.

Quantùm ad tertium notandum, quòd sine quibuscumque humanis labore, vel arte, in amari maris visceribus sola cœlesti virtute lapis pretiosus generatur, qui dicitur Corallus secundùm Doctores naturales. Istius conditionis, quòd infra mollis, & albus inuenitur, sed extra positus induratur, & rubicundus efficitur; hic quamuis multas virtutes habeat, tamen, hanc, habet specialiter, quòd confortat cor, & virtutem naturalem roborat, & restaurat: vnde infirmis, deficientibus in virtute, fit ex eo restauramentum, & electuarium, vnde restaurantur, & sanantur ad vitam. Spiritualiter primi parentes nostri tantùm comederunt de fructibus in primo prandio, quòd ferè se suffocauerunt; vnde fuit tam excessiuus cibus, & tam acerbus, quòd tam ipsi quàm posteri infirmitatem incurabilem incurrerunt: vnde nulla mulier fuit postea sine ventris dolore, nec homo sine frontis sudore; Genes. 3. dictum est viro: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* & mulieri: *In dolore paries.* Ideo dicebat Psalm. infirmato: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Igitur Deus in ira

Genes. 3. Psal. 118.

suanon continens misericordias suas, fuit istius infirmi sollicitus, qui non habebat vnde solueret medicum, vel medecinam, in Psalmo: *Ego autem infirmus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Hac sollicitudine in amaris maris visceribus, id est, de Virginis MARIÆ, sanguinibus (quæ à marum mare interpretatur) sola, scilicet, virtute corallum produxit, scilicet, Christum benedictum, qui albus extitit, & lacteus, mollis, & tenellus, virginea carne existens in vtero virginali, sed statim exiens fuit contra peccatores pessimos induratus; vnde in hora suæ natiuitatis duram mortis subitæ sententiam Sodomitæ, omnes receperunt cum corporum, & animarum damnatione. Cœpit autem immediatè pro peccatoribus rubescere per sanguinis effusionem in Circuncisione, Cant. 2. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Ex isto lapide pretioso factum est electuarium restauratiuum, quo virtus debilitata, & perdita in infirmo homine restauratur; & hoc factum est in Sacramento Eucharistiæ; ideo dicebat Psalm. *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.* Nota quomodo infirmus clamat nocte, & die ad medicum, ita humanum genus nocte, & die ad Deum, veteris, & nouæ legis: quia ipsi dictum erat: *Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.* Ideo hoc ipse Psalm. recognoscebat: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo dispposuit, in valle lachrimarum, in loco quem posuit: etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Ad illam visionem, &c.

Psal. 6. Cant. 2. Psal. 87. Psal. 28.

## COLLATIO XXV. *De Annunciatione Dominica, vel Natali Domini.*

Psal. 30. FActus sum tanquam vas. In Psalm. 30. Docet experientia, quòd vas artificis dissipatum, & fractum non potest melius, & citius quàm per eundem artificem reparari; idem enim artifex, nouit materiam, de qua fecit, formam secundùm quam fecit, finem, ad quem fecit; & ideo hæc destructa possunt melius per eúdem artificem, quàm per alium reparari. Sap. 15. *Vasorum iudex est figulus.* Figura Ierem. 18. Vbi dicit Propheta: *Descendi in domum figuli, & ipse faciebat opus super rotam; & dissipatum est vas quod ipse faciebat ex luto manibus suis; conuersus fecitque vas alterum, sicut placuerat in oculis eius.* Spiritualiter Scriptura vocat Deum figulum, & homines vasa figuli; quia sicut figulus ex luto, vas formar, ita Deus hominem ex luto terræ formauit, vnde de vtroque in Psalm. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos, &c.* Et alibi: *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Vnde & Greg. in homil. super illo verbo: *Ipse se finxit longiùs ire.* Compositores luti figulos vocamus; iste igitur figulus Dominus Deus à principio quando construxit mundi rotam, fecit ex manibus ex luto vnum vas, scilicet, hominem, in quo posuit pretiosa secreta, quia suam imaginem, scientiam, & gratiam, Gen. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, ad imaginem suam creauit illum.* Sed quia istud vas erat luteum, ad modicum flatum venti, cecidit in peccatum, & confractum est, & dissipatum; vnde non solùm apertum fuit, & perforatum, vt bona spiritualia perderet, sed etiam vt bona naturalia non in tanta excellentia haberet; quinimo in duas partes sibi fractum est; quia per mortem (carne ab anima separata) corpus cecidit in sepulchrum, & anima in infernum; per tentationem enim *peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Et hæc optimè vidit Ieremias, quoniam vidit vas dissipatum, quod figulus fecerat manibus suis, Eccles. 23. *Cor fatui, quasi vas confractum.* Sed iste figulus opera sua nolens dimittere imperfecta, quia Dei perfecta sunt opera, sicut & ipse perfectus, & absque vlla iniquitate peruersus, oculo misericordiæ suæ in Dominica Annunciatione, in Filij Dei Incarnatione, istud vas ipsemet formauit, Christi humanitatem ipsemet formando in vtero virginali, sicut placuit in oculis eius; in quo vase non solùm inuenietur ille, qui esset ad imaginem, sed ille qui esset imago Dei Patris omnipotentis, Dei Filius, scilicet, benedictus; vnde istud vas repleuit bonis, thesauris, & secretis cœlestibus, quia placuerat in oculis eius. Luc. 9. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Igitur Christi humanitas in conceptione sua ad diuinitatem recipiendam, Patris filium per eundem excelsum opificem est formata; & tunc partes vasis confracti repertæ sunt, quando manibus artificis, Dei filio, in vnitatem, non artis, sed suppositi sunt coniunctæ, & hoc ipse confitetur in verbis assumptis: *factus sum, &c.* In qua fractione omnibus mirabiliora tria mirabilia concurrunt, & in verbis illis ordine debito describuntur. Hic enim transit æternitas in nouitatē: Immobilitas * in nobilitatem Humana fraternitas in nobilem dignitatem. Ideo dicitur: *Factus sum, tanquam vas.*

Psal. 32. Luc. 24. Genes. 2. Eccles. 24 Luc. 9. * innobilitas

Quantùm ad primum Nota, quòd Deus fecit, sicut faciunt periti, & astuti bellatores qui habentes quandoque habitum proprium, & cognitum, superinduunt dissimulatum, vt illo minùs cognito hostis minùs aduertat; & tamen sub paupere habitu virtutem geren-

gerentis fortitudinis, cùm venitur ad factum, vires referant fortitudinem sub paupere latentem habitu manifestant; & sic trium
Psal. 23. phum de hoste reportant. Sic Dei filius *fortis, & potens in prælio*, omnium aliorum *manus docens ad prælium, & digitos ad vellum* secundùm Psalm. Veniens ergo ad de-
Psal. 143 bellandum hostem antiquum, habitum superinduit pauperem nostræ humanitatis, quem accepit à paupere operatorio vteri virginalis, suam diuinitatem operiens; quatenus hoc Sacramentum Diabolo celaretur,
4. Reg. 22 4. Regum 22. Figuratum, vbi dicitur, quòd mutauit Rex Israel habitum suum, *& ingressus est bellum*. Hic Rex Israel est Dei filius benedictus, qui mutauit habitum, quando vestiuit humanitatem nostram intra Virginis vterum; sub hoc igitur habitu virtutem Dei, & sapientiam latitantem ostendit, quando in bello passionis vexillum Crucis eleuans, de hoste tam impijssimo
Philip. 2. triumphauit: ad Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum: factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.* In similitudinem hominum factus. Nota, quòd quædam fecit Deus immediatè, vt mundum, & primum hominem; & hæc fecit sine alterius adiutorio; quædam mediatè, vt istos effectus, & alios quotidianos, & ista fuit cum aliorum agentium adiutorio: sicut ergo in prima formatione humani generis primum hominem ratione suæ primitatis fecit sine quocumque adiutorio cuiuslibet agentis: ita debuit facere in reformatione secundùm hominem Christum ratione suæ dignitatis immediatè sine auxilio cuiuscumque hominis generantis; & sicut de terra inculta humano vomere primum, ita de terra intacta humano semine fe-
Psal. 87. cit secundum. Hoc ipse confitetur in Psalm. *Factus sum, sicut homo sine adiutorio*. Hic nota, si vis, quomodo per semetipsum Regis filius habitum induit militarem sine alterius adiutorio: sicut dixi in illo sermone: *Homo natus est in ea*. Hic ergo æternitas
**fortè Nouitatem* transit in natiuitatem *: Diuinitas ad pauperem humanitatem: Factor ad sensibilitatem: Ille, de quo Ioannes 1. *Omnia per ipsum facta sunt, Verbum caro factum est.*
Ioan. 1. Hæc de primo.

Quantùm ad secundum Nota, quòd quamuis ipse habitum mutauerit; quod enim non erat, assumpsit, & quod erat, permansit: non tamen diuisionem passus, nequè mutationem. Exemplum in natura. Fluuius de Paradiso terrestri egrediens, viscera terræ subintrans, & postea egrediens, de terra Oriens (ipse idem manens) intra viscera terræ, &
A extra, idem in sua origine irrigat vniuersæ terræ Ægypti superficiem, & fœcundat. Sic spiritualiter, Dei Filius, est ille fluuius, de quo in Psalmo: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei:* Hic enim fluuius egressus per æternam generationem de Paradiso, sinum intellectus paterni, ingressus est terræ viscera, id est, virginis aluum, qui inde per natiuitatem egressus totam terram Ecclesiæ militantis humore gratiæ, & doctrinæ irrigans mirabiliter fœcundauit. Vnde Ec-
Eccles. 24. clef. 24. *Ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui de Paradiso; dixi: rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructus*, sequitur: *Penetrabo omnes*
B *partes inferiores terræ*. Sicut autem fluuius idem manet in Paradiso, & sub terreno habitaculo, & extra in terræ superficie, ita Dei Filius idem manet in intellectu paterno, & in sinu materno, & in mundo externo; in
Psal. 101 Psalm. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ad istam entitatem assumptæ nostræ humanitatis fluxibilitatem, quod satis ostendit Apocal. 1. Vbi vtrumque con-
Apoc. 1. fitetur, dicens: *Ego sum Alpha, & Omega: Principium, & Finis: Primus, & Nouissimus. Vt Alpha, Principium, & Primus* Diuinitatis respiciant. *Omega, Finis, & Nouissimus* humanitatem, in qua sunt omnia, quæ de ipsa scripta fuerunt consummata.
C Exod. 3. postquam dixit: *Qui est misit me ad vos*: per quod diuinitatem ostendit, subiun-
Exod. 3. xit: *Ego sum qui sum.* Ego sum Deus per meam Diuinitatem. *Qui sum* homo per assumptam humanitatem; in Psalm. *Audi populus meus, & loquar Israel, & testificabor*
Psal. 49. *tibi: Deus, Deus tuus ego sum.* Hæc de secundo.

Quantùm ad tertium Nota, quòd vas, in quo debent poni pretiosæ reliquiæ, consueuit de massa argentea priùs amota rubigine, per doctum artificem confici, & formari? Humanitas Christi debebat pretiosissimas reliquias conseruare, non vtique ossa Beati Petri, aut Pauli, non, &c. Sed Filij Dei: ideo
D Spiritus Sanctus artifex doctus de Matre Virgine in eius Conceptione peccati originalis præpulit rubiginem, post quod de purissimis sanguinibus eius ipsi Dei Filio vas corporeum tam pulchrum formauit; tam decorum, quòd fuit præ omnibus alijs purissimum. Prouerb. 24. *Aufer rubiginem de ar-*
Prou. 24. *gento, & egredietur vas purissimum.* Igitur Virgo Beata est de qua assumpta est illa massa nostræ humanitatis, ex qua fabricatum est illud vas pretiosissimum omni lapide pretioso ornatum, scilicet, corpus Christi solo Spiritu Sancto artifice, in quo fuit verissimè Filij Dei persona, de quo vase scribitur. Eccles.
Eccles. 1. 1. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Ergo iuxta doctrinam Apostoli

1. ad Thes. 4. *Cùm hæc sit voluntas Dei sanctificatio vestra sciat vnusquisque vestrum: vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij sicut & Gentes quæ ignorant Deum.* Hic dilata, si vis, & tale vas sanctificatum, non immundum, erit illud, de quo Eccles. 43. *Vas castorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens species cœli gloria stellarum.* Ad quam gloriam, &c.

Thes. 4.

Eccles. 43

## COLLATIO XXVII. De Conceptione, seu Sanctificatione Beatæ MARIÆ Virginis ex Psalm. 31. de qua nunc melius sentit Ecclesia.

*TV remisisti impietatem peccati mei:* In Psalm. 31. Secundùm Philosophum 8. Ethic. principium omnis liberalis collationis est amor. Vnde secundùm quod maior est amor, est maior donorum collatio, bonum autem confertur dupliciter alicui, & per bonorum collationem, & per debitorum remissionem; & ideo vbi amor est collationis, & remissionis principium, quàtò maior est amor, tàtò maiora bona conferuntur, & maiora debita remittuntur. Figura ponitur Lucæ 7 in Parabola posita per Christũ Pharisæo: *Duo*, inquit, *debitores erant cuidam, & non habentibus illis vnde redderent; donauit vtriusq; quos ergo plùs diligit?* respõdit: *Æstimo quòd is qui plus donauit. Cui ergo minùs dimittitur, minùs diligit; propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa; quoniã dilexit multùm, & conuersus ad mulierem, dixit: remittuntur tibi peccata tua.* Ad propositum peccatũ originale nõ est, nisi priuatio originalis iustitiæ cum debito habendi eam; Vnde peccatum originale est quoddam debitum quod remittitur, cum culpa diluitur, inter cęteras autem creaturas Virgo Beata filium plùs dilexit, 2. Reg. 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebã;* Ergo filius plus doni debuit ei conferre, & debitum quodcumque remittere; & ideo ipse ipsi remisit debitum peccati originalis, & contulit dona gratiæ spiritualis. Et hoc dicit Scriptura. *Conuersus ad mulierem dixit: Remittuntur tibi peccata tua.* Ad litteram enim, Deus se à muliere auertit, postquam ipsa à Deo fuit auersa, in Psal. *Auerterunt se, & non seruauerunt pactum.* Quia autem priùs Beata Virgo ad Deum inter omnes mulieres erat conuersa per votum virginitatis, priùs Deus ad eam se conuerti debuit: quod & fecit peccatum originale tanquam debitum remittendo, & sanctificationem conferendo; & hoc ipsa in verbis propositis confitetur *tu remisisti*, &c. Vbi tria notatur. Primò eminentia remittẽtis. Secundò, singularis gratia prouidentis. Tertiò, Indigentia capientis, ideo dicitur. Tu Remisisti, Impietatem, &c.

A

Psal. 31.

B

Luc. 7.

2. Reg. 1.

C

Psal. 77.

D

Quantùm ad primum Nota, quòd Templi, & Ecclesiæ corporalis quæ ad diuinum cultum ordinatur dedicatio, & consecratio, est tãtæ excellẽtię, quòd nõ nisi ad personam excellẽtẽ, & emittẽtẽ spectare potuit, scilicet, Pontificem. Vnde solus Episcopus potest consecrare Ecclesiam. In consecratione autem materialis, & corporalis Ecclesiæ sunt hæc quatuor; quia primò parietes eius perficiuntur; secundò morticina expelluntur; tertiò parietes inunguntur; quarto luminaria accenduntur. Beata Virgo erat futura domus Dei, tabernaculum, templum, & Ecclesia; & ipsa tota ad diuinum cultum ordinabatur, propter quod sanctificatione, & consecratione Pontificis excellentis carere non poterat, ideo sanctificata fuit per illum, de quo Apostolus. Ad Hebræor. 9. dicit: quòd est *Pontifex futurorum bonorum.* Vnde Psalm. *Sãctificauit tabernaculum suum altissimus;* Et fuerunt ibi illa quatuor obseruata. Nam priùs fuit ipsa concepta, quàm sanctificata, quia secundùm Bernardum in Epistola ad Lugdu: quod non est, sanctificari non potest. Secundò, fuit expulsa originalis morticina culpa. Tertiò *fuit* oleo cœlestis gratiæ abundantissimè inunta. Quartò, fuerunt in ea luminaria accensa, quia septem dona Spiritus Sancti fuerunt ipsi plenissimè largita, quæ intellectum illuminant, & decorant: hæc autem omnia in ea facta fuerunt per diuinæ potestatis eminentiam, & excellentiam. Vnde si tu vis scire, quod in huius templi sanctificatione, & dedicatione Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus fuerunt operati, docet Iob 17. dicens: *Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem.* Sequitur *Præstolatio mea, & patientia mea tu es Domine Deus meus.* Nota: Nox præcedit diem, ita culpa originalis sanctificationem; noctem ergo peccati originalis: *Verterunt in die* gratiæ spiritualis. *Et rursum post tenebras* culpæ *spero* lumen gratiæ, siquis ita fecit. *Tu es Domine Deus meus*, in Psalm. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutem Iacob.* Nota: magni viri mittentes litteras, scribunt in eis salutes, & consueuerunt ponere in pixyde picta, & proprio signo signata. Deus Pater misit vnam litteram toti mũdo, in qua erat scripta nostra Salus, hæc littera erat: *Verbum caro factum est.* Verbum enim Patris scriptus erat in pergameno nostræ humanitatis; hanc litteram posuerunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus in pixyde vteri virginali, & ideo hæc pixys fuit picta pulchritudine, omnium virtutum varietate. In Psalmo: *In fimbrijs aureis circundata varietate.* Quinimo ibi fuit sigillum mittentis depictum, ideo dicit: *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Iste, qui mandat salutes Iacob, est ille, qui *operatus*

Heb. 9.

Psal. 45.

Iob 17.

Psal. 43.

Psal. 44.

Psalm. 3.

*tus est salutem in medio terræ* : Si vis salutare, dic quòd sic est apud Deum (in hoc tempore) sicut apud mundum ; quia olim in litteris consueuit poni salus, sed modò scribentes litteras abbreuiantur, quòd nec verbum fit de salute, ita Deus olim hominibus deuotis, & sanctis mandabat salutem, modò ita homines abbreuiauerunt deuotionem, & sanctitatem in Psal. *Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus*, ideo *longè à peccatoribus salus: & mors peccatorũ pessima*, ideo: *veniat mors super illos, & descendant in infernum viuẽtes.* Non sic de Beata Virgine, quia ipsi missa est ista, & ipsam humano generi apportauit ; detinuerat enim cũ Psal. *Et tu Domine fac mecum propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua; tu es enim Deus qui facis mirabilia.*

Psal. 105 Psal. 118 Psal. 33. Psal. 54. Psal. 108

Quantùm ad secundum nota, quòd Sol oriturus circa auroram in terra facit duo: remittit enim terræ ariditatem, & emittit roris cœlestis humiditatem. De Beata Virgine diu ante Prophetarum fuit: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Genes. 27. Igitur Dei Filius ex ea mundo huic oriturus, huius terræ remisit ariditatem per subtractionem originalis culpæ: & immisit roris cœlestis humiditatem per collationem gratiæ spiritualis. Hoc fuit figuratum Iudic. 6. quando ros cecidit *in terram*, & in vellus Gedeonis: Per terram intelligitur in Psal. *anima mea, sicut terra sine aqua tibi.* Per vellus corpus, in Psalm. *Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob, remisisti iniquitatem*, de qua sequitur tertiùm.

Gen. 27. Iudi. 6. Psal. 142 Psal. 84.

Quantùm ad tertium Nota, quòd terra, in qua debet bonum semen electum, vt triticum seminari, debet cum magna diligentia excoli, & cum magno studio præparari ; ita vt non solùm extirpentur spinæ, & tribuli, sed zizania eradicetur. Ita fuit circa humanum genus, sicut Christus posuit in Parabola Matth. 13. Deus enim à mundi principio bonum semen originalis iustitiæ in agro suo humanæ naturæ seminauit ; sed cùm dormirent homines per negligentiam Adam, & Euæ, venit *inimicus*, & peccati zizaniam seminauit; vnde postea sic creuit in posteros omnes eorum, qui ex eis per concubitum prodierunt, quòd ab ista zizania nullus nisi Christus solus excipitur. Secundùm Aug. de fide ad Petrum. In huius autem terræ vna petra debebat semen nobilissimum seminari, vtique illud *Semen est verbum Dei*, Matth. 13. in Virgine scilicet Beata; & ideo summo Spiritus Sancti studio fuit culta, non solùm enim spinæ peccatorum mortalium, & tribuli peccatorum venialium fuerunt extirpati, sed zizania originalis peccati totaliter eradicata; in tantum vt

Math. 13 Ibid.

A in ea, vel innato ab eo nullo modo sic cresceret. Non hoc in alijs ab vtero sanctificatis. Dilata sanctificationis eius, & aliorum dissimilitudinem sic ei fuerat promissum per Isai. 6. *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Iniquitas quantùm ad omne peccatum actuale : & peccatum tuum mundabitur., quantùm ad originale, de quo in Psalm. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.* Vtinam de quolibet nostrum posset dici: *Quæretur peccatum, & non inuenietur*, quia credo, quòd si multorum peccata quærerentur, faciliter inuenirentur, iuxta illud Genes. 4. *Si benè egeris, recipies: si autem malè, statim peccatum tuum in foribus aderit.* Ergo recurramus ad pœnitentiam, per illam Deus dissimulat hominum peccata, vt dicitur Sapientiæ 11. de recurrentibus enim ad pœnitentiam dixit Psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Ad quam Beatitudinem, &c.

Isai. 6. Psal. 10. Gen. 4. Sap. 11. Psal. 31.

## COLLATIO. XXVIII. De Anuntiatione Dominica, vel Natali Domini, ex Psal 30.

DE cœlo respexit Dominus, & vidit omnes filios, ex Psalm. 32. Bellatorum sapientum, & peritorũ est, cùm volunt de inimicis habere victoriam, & triumphum, quòd priùs præmissa, & directa acie Princeps exercitus insidijs se abscondat in locum occultum, in vallem aliquam, vbi minimè videatur, & minimè esse credatur ; & demum primo exercitu fatigato de valle exeat, de insidijs in hostes irruat, & omnes percutiens de hostibus habet victoriam, & triumphum. Ita Iosue vrbem cœpit Hay, & Regem eius, Iosue 8. cap. vbi dicitur, quòd cùm Iosue, *leuasset clypeum ex aduerso ciuitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt, & pergentes ceperunt ciuitatem, & regem eius.* Spiritualiter Deus est bellator peritissimus ; ipse namque fortis in prælio, secundùm Psal. *docet* cuiuslibet *manus ad prælium, & digitos ad bellum*, vnde, & *Dominus exercituum* nomen illi. Ipse igitur de hostibus dæmonibus, qui terram suam, & homines suos inuaserant, & hostiliter captiuauerant volens habere victoriam, præmisit acies varias Patriarcharum, Prophetarum, & Sanctorum præcendentium, qui tandiu in bello fuerunt fatigati, vt Dauid, vnus ex illis bellator fortissimus clamaret: *Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.* Tandem videns hoc non sufficere, posuit á tergo hostibus insidias; & in loco credito, & occulto, in valle humili Virginali vtero ocultauit ; vnde subito in hostes irruens, & eos ex insperato

Psal. 32. Iosu. 8. Psal. 143 Psal. 118

per-

percutiens victoriam habuit, & á dæmonum seruitute suos homines liberauit, quod fuit
*Exod.14.* pulchrè figuratum, Exod.14. cùm enim filijs Israel fugientibus Pharaonem, & Egyptiacam seruitutem, Ægyptij per medium maris persequerentur crudeliter filios Israel fugientes, Deus ipse qui erat dux exercitus populi Israelitici, non palam; sed de loco abscondito volens eos totaliter prostrare, prospiciens in nubibus columna, se occultans eos totaliter dissipauit; vnde dicitur, ibi: *Ingressi sunt filij Israel per medium maris, persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos; tamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis: interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruũ; ferebantur enim in profundum; ita quòd nec vnus superfuit ex eis.* Per Pharaonem ergo, & eius exercitum intelligitur Diabolus, qui filios Israel, ideſt, genus humanum persequebatur in mare huius mundi; sed Deus in columna nubis, & ignis, ideſt, in Virgine MARIA, quæ fuit columna nubis, rorida per gratiam, pura per Virginitatem, ignis, per charitatem, se occultauit, & in hac columna absconditus, & celatus, & de hac contra hostes respiciens, & in suos filios, illos quidem prostrauit, & istos saluauit. Et hoc dicunt verba proposita: *De cœlo respexit*, &c. *De cœlo*, ideſt, de Virgine Deum celante, quia cœlum dicitur à celando: *Respexit Dominus, & vidit omnes filios hominum*: Vidit inquam oculo misericordiæ compatientis, &
*Psal.32.* saluantis, in quibus verbis Psalm. deuotis insinuat tria. Nam eis à longè demonstrat Diuinum Tabernaculum, Oculum, Populum; Inuenies autem. In tabernaculo Diuinam Sapientiam latitantem; In oculo Diuinam misericordiam subleuantem: In populo humanam diligentiam acclamantem: *De cœlo, respexit Dominus, vidit omnes filios.* Est igitur. Sapientia latitans secretiori consilio. *De cœlo* Clementia, subleuans altiori beneficio: *Respexit* Dominus indigentia prouocans patientiori mysterio: *Vidit omnes filios.*

Quantùm ad primum Nota, quòd Beata Virgo cœlum dicitur duplici ratione. Primò ratione interpretationis. Secundò ratione conditionis. Ratione interpretationis: quia cœlum dicitur á celando. Scriptura dicit mirabiliter tria celari. Celatur enim via serpentis in lapide, via nauis in æquore, via auis in
*Ioan.3.* aere; Christus enim comparatur serpenti Ioã. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Sicut enim ad illius serpentis aspectum filij Israel
*Num.21.* saluauãtur Num. 21. Ita ad Christi aspectum
*Prou.31.* saluantur fideles, per fidem. Comparatur etiã naui, Prob. 31. *Quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Comparatur etiam
*Deut.32.* aui Deut. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*, &c. Hæc ergo tria fuerunt celata in Virgine MARIA per Christum, qui modo exposito dicitur serpens, nauis, & auis, quia sicut serpens non relinquit vestigiũ in lapide, nec in æquore nauis, nec in aere, auis, ita nec Christi conceptio, nec Natiuitas in Virgine Prouer. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro,*
*Prou.30.* *viam Aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio maris. Viam Viri in adolescentia.* Alia Littera habet: In adolescentula. Applica ad Christum. Dicitur ergo Virgo Beata cœlum à celando à nominis scilicet interpretatione. Secundò ab eius conditione: est enim cœlum, duobus polis firmiùs, planetis speciosius, multis stellis virtuosiùs. Sic Beata Virgo fuit in duobus polis firma superiori, & inferiori, Artico, & Antartico Dei charitate, & sui humilitate; vnde Genes. 1. *Vocauitque Deus firma-*
*Gen.1.* *mentum cœlum, factumque est vespere, & mane dies secundus.* Nota: dies ille durauerat vsque ad Virginem: sed tunc incepit secũdus scilicet gratiæ. Sic etiã B. Virgo fuit cœlum, fuit duobus planetis decorata: sole, scilicet, Diuinitatis, & Luna humanitatis: quæ fuerunt in Christo per Christum in ea, vnde Habacuc 3. *Sol & Luna steterũt in habitaculo suo*, Genes. 1 *fiant luminaria in firmamento*
*Habac.3.* *Gen.1.* *cœli: & diuidant diem ac noctem:* diem gratiæ nouæ legis, á nocte iræ veteris legis. Sic ergo fuit Beata Virgo cœlum multis virtutibus, velut stellis omnibus vigorata virtutum multiplicitate, & operum pluralitate: vnde tot virtutes, & virtutum opera fuerunt in ea: vnde Genes. 15. *Suspice cœlum*
*Gen.15.* *& numera stellas, si potes*, Genes. 1. *Fecit-*
*Gen.1,* *que Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram.* De hoc scriptum est Deut. 28. *Aperiat*
*Deut.28.* *te faciet Dominus omnibus bonis fructu vteri tui: & fructu terræ tuæ quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi. Aperiat Dominus thesaurum suum optimum cœlum, vt pluuiam tribuat terræ suæ.* Nota modum loquendi Scripturæ: quæcumque mulier fœtum producens. Terra etiam fructum emittens realiter frangitur, & aperitur: sed cœlum immittens pluuiam in nullo frangitur, vel aperitur, nisi in effectu. Loquẽs ergo Scriptura de Natiuitate filij Dei ex Virgine, cùm prius vocasset fœtum vteri, secundò fructum terræ, quia iste fructus natus est sine Virginis fractione, nontacuit Scriptura, donec adiunxit: *Aperiat Dominus thesaurum suum optimum, cœlumque*, a pertio non est per fractionem: sed solùm per effectus largi-

Psal. 113 gitionē, ideo Psal. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filius hominū*, ideſt, Domino conueuit naſci ex Virgine ſicut pluuiæ egredi de cœlo; ſed alijs filijs hominum terram dedit, ideſt, naſci ad modum eorum, quæ terra gignit per ſui fractionē. Dicit autem: *Cœlum cœli* ratione excellentiæ: vnde, & ſi eſt bonum hoc cœlū corporale optimum tamen Beata Virgo cœlum ſpirituale. Vnde ſicut priùs dictum eſt: *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cœlum.* Ita dicit Psal. 18. Pſalm. *Cœlum cœli Domino*, & alibi in Pſal. *A ſummo cœlo egreſſio eius.* Et hæc de primo.

Quantùm ad ſecundum Nota, quòd aliter aſpicit ſol, aliter Baſiliſcus. Nam ſolis aſpectus res viuificat, vt patet in arboribus, & alijs viuentibus: ſed aſpectus Baſiliſci interficit & mortificat; vnde res viuentes circa locum vbi Baſiliſcus moratur, mortificantur & marceſcunt. Diabolus Baſiliſcus iſte ſemel oculo ſuæ malignitatis hominē viuentem aſpexit: & quamuis vitam mentiendo promitteret dicens. *N. quaquam moriemini*, Gen. 3. Gen. 3. tamen viuentem hominem interfecit, & in tantum quòd totum humanum genus mortificauit: & in nullo homine eſſet viror vitæ; vnde Habac. 3. *Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt colles ſeculi.* Habac. 3. Sed Chriſti veri ſolis aſpectus genus humanum mortificum oculo ſuę benignitatis ad vitam reduxit, & hoc factum eſt, quando de Virgine carnem trahens, oculum ſuæ miſericordiæ ad nos direxit, vnde dicebat Beata Virgo Lucæ 1. Luc. 1. *Exultauit Spiritus meus in Deo*, &c. In Psal. 112 Pſal. *Quis ſicut Dominus Deus noſter*, &c. Nota: Sol ſpeculum aſpiciens aliud operatur in cōcabo: & aliud in conuexo. In conuexo enim calorem, ſeu ignem nō gignit, ſed in concauo. Sic Deus Pater videns concauitatem, ideſt, humilitatem in ſpeculo Virginali ibi filium incarnauit: Ideo dicitur, *humilia reſpicit.* De hoc ſole homines reſpiciente Eccl. 42. dicitur Eccleſ. 42. *Sol illuminans ſuper omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.* Hunc aſpectum ſummè deſiderare debemus: quia ſicut ad ſolis aſpectum gelu liqueſcit, ita ad Dei reſpectum cor induratum peccato liquiſcet; vnde Petrus induratus peccato infidelitatis, & infrigidatus, ad aſpectum eſt vſque ad lachrymas reſolutus, Chriſti, vnde dicitur, Luc. 22. *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei IESVS, & egreſſus foras fleuit amare.* Luc. 22. Dicamus ergo cū Pſalmo: *Reſpice Domine in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, &c.* Psal. 89. Et hæc de ſecundo.

Quantùm ad tertium Nota, quòd patre excludente natos, non ſolum ab hæreditate tota: ſed etiam à parte, vt non ſolùm non ſint hæredes, ſed nec legatarij. Signum eſt, quòd nec reputat eos, nec habet pro filijs: ſed quando eos dimittit non ſolùm ad partem, ſed ad totam hæreditatem, ſignum eſt, quòd eos habet pro veris filijs, Deus Pater ab Adam vſquead Chriſtum, ſic ſe habebat ad omnes homines, quòd non ſolum eis Regnum cœleſte non largiebatur: immo longè à Regno excludebat; vnde omnes precipitabat in infernum: qua propter dicebat Iob 17. *Scio enim, quòd infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum.* Iob. 17. Et hoc erat, quia non eramus eius filij: ſed Diaboli per peccatum, vnde dicebat Chriſtus Iudæis Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & facitis opera patris veſtri.* Ioan. 8. Et ideo Apoſtolus Epheſ. 2. *Eramus enim filij iræ.* Eph. 2. Vt hereditatis ergo eſſemus participes: Deus pater nos in filios adoptauit in ſui filij benedicta Incarnatione nos faciens fratres eius. Vnde dicitur Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ioan. 1. Hoc autem factum eſt ſpiritualiter, ſicut fit in mundo temporaliter. In matrimonio enim corporali hoc accidit, vt ſponſa efficiatur filia patris ſponſi: ita fecit Deus: vt enim humana natura iræ filia Dei patris conſtitueretur filia; inter eam, & ſuum filium matrimonium celebrauit. Sapien. 8. *Hanc quæſiui, & amauí à iuuentute mea: quæſiui mihi ſponſam aſſumere.* Sap. 8. Ex illo ergo matrimonio in Capella mentis virginalis inchoato in thalamo vteri virginalis conſummato factum eſt, vt noſtra natura ſit facta Dei filia, vt nos omnes filij Dei facti hæreditatem filiorum reciperemus, ad Gal. 4. Gal. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus* Ioan. 4. 1. Ioan. 4. *Vnde qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Roman. 8. Rom. 8. *Ipſe ſpiritus dedit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Ad illata hæreditatem, &c.

## COLLATIO. XXXI. De Feſto Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, ex Pſalm. 34.

*QVaſi proximum: quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam*, in Pſalm. 34. Inter cætera quæ reddunt hominis animum gaudioſum, & faciunt exultationem, & tubilum, eſt aduentus fratris deſiderati: & potiſsimè quando eſt vterinus, quando aliàs non eſt viſus: & quando eſt vnicus: & quādo eſt vnicus vterinus. Super tali enim viſcera commouentur. In cuius ſignum, Luc. 15. pater duorum filiorum, quorum alter prodigus (diſsipata ſubſtantia) ad patrem fuerat reuerſus. Cùmque frater reuerſus indignaretur ſuper patris gaudio dixit pater: *Fili epulari, & gaudere oportebat; quia hic frater tuus qui perie-* Psal. 34. Luc. 15.

*Gen. 43.* *rierat, inuentus est.* De hoc est Figura Genes. 43. Ioseph habebat fratrem vterinum, & vnicum scilicet Benjamin, quem nunquam viderat; & desiderans eum videre, dixit alijs fratribus: *Non videbitis faciem meam, nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum.* Quem cùm adduxissent in tãtum lætatus est, & exultauit, quòd fecit institui conuiuium, & attollens oculos, cùm vidisset fratrem suũ vterinum, festinauit, commotaque sunt viscera eius super fratre suo, & erumpebant lachrymæ. Per Benjamin intelligitur Christus: Ratio est, Sirutatis saccis omnium filiorum Iacob per dispensatorem domus Ioseph: in nullius sacco inuẽtus est *Scyphus argẽteus*: nisi in sacco Benjamin, Gen. 43. Ita perscrutatis saccis, ideſt, humanitate omniõ hominum, in nullo inuentus est Scyphus argenteus, ideſt, diuinitas: nisi in solo sacco Beniamin, ideſt humanitate Christi: de quo sacco scripsit
*Psal. 29.* Psal. *Concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Iste Scyphus autem erat in quo augurari solet Dominus Deus meus, scilicet Pater: quia ille Scyphus est verbum, & sapientia Dei Patris. Ergo ille est Beniamin frater minimus, scilicet, per humanitatem. Cùm autem homines per creationem, & ipse Dei filius per generationem haberent Deum patrem pro patre, & sic perconsequens essent fratres non tamen erant germani, & vterini: quia si ex eodem patre, non tamen ex eadem matre: sed tamen factus est frater germanus, & vterinus, cùm fuit in humana matre conceptus, & de humana matre natus; vnde, & Beatæ Virgini cantamus: vterum tuum de Spiritu Sancto credimus imprægnatum; hunc ergo fratrem vterinum factum, & natum ex eadem matre humanitatis. Simeon Sanctus velut alter Ioseph summo affectu, & desiderio videre cupiebat, dicens: Putas, videbo? Putas, hic me inueniet? Putas, isti oculi videbunt; & in tantum clamauit, quòd *responsum acceperat à Spiritu Sancto*, scilicet, *non visurum se mortem, donec videret Christum,*
*Luc. 2.* Lucæ 2. Fratrem suum, scilicet vterinum. Cũ igitur parentes eius in Templum introducerent, Simeon Sanctus noluit esse vltimus. Sed eleuans palmas, vnà cum mente, isti suo fratri vterino occurrit, & in vlnas, sicut vterinum fraterculum suscepit cantans: *Nunc dimittis, &c.* Summè in corde gauisus est, & exterius iubilans, & exultans, istum enim solùm videre desiderauerat istum solùm de omnibus personis paradysi vterinum habuerat; istum nunquam viderat, quia ipsemet dixerat:
*Exod. 33.* *Non videbit me homo, & viuet.* Exod. 33. & ideo eo viso tanquam fratrem suum suscepit charissimum exultando. Et hoc confite-
*Psal. 34.* tur, Psal. loquens in Symeonis persona, dicens: *Quasi proximum*, &c. In quibus verbis describit aduentus istius fratris nostri, A vtilitatem: Quasi proximum propinquitatem: Quasi fratrem nostrum; Iucunditatem: *Sic complacebam*; Ostenditur autem venientis, Vtilitas, Propinquitas, Iucunditas, in Approximationis aspectu *quasi proximum.* In cognationis effectu: *Quasi fratrem nostrum*: In congratulationis affectu: *Sic complacebam.*

Quantùm ad primum. Notãdum est, quòd accessus Solis ad nos est valde vtilis, & virtuosus ratione immissionis radiorum: recessus autem damnosus ratione retractionis eorum. Motus enim solis secundùm philosophum est causa generationis, & corruptionis; sed generationis per accessum, corruptionis per recessum; videmus enim ex solis recessu B tria contingere in corporibus: Sole enim recedente, accipit infirmus in actu grauitatem, terra in fructu sterilitatem, auis in cantu tarditatem: E contrario autem ex solis accessu infirmi curantur citiùs, terræ fructificant vberiùs; aues cantant suauiùs. Hæc tria patent in cursu naturali hyemis, & æstatis, diei, & noctis. Applica dilatando. Spiritualiter sic est de Dei filio iustitiæ sole. Ipse enim est ille sol de quo Malach. 4. *Vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ orietur.* *Mal. 4.* Iste sol fuit á nobis elongatus ratione peccati primorum parentum, de quo dicit Augustinus, quòd tunc nobis sol incepit occumbere, cùm homo per C peccatũ cœpit á Deo discedere. Ex hoc autẽ cœpit genus humanũ pro sanitate languescere; fecunditate, sterilescere iucunditate, ingemiscere; in Psalm. *Ego autem infirmus sum,* *Psal. 39.* *& pauper terram fructiferam in salsuginem, &c. Laboraui in gemitu meo, &c.* Et *Psal. 106* iterum. *Quomodo cantabimus canticum Do-* *Psal. 6.* *mini in terra, &c.* Hoc ergo fecit peccatum, *Psal. 136* & iniquitas secundùm illud Isaiæ 59. *Iniqui-* *Isai. 59.* *tates nostræ diuiserunt inter nos, & Deum nostrum.* Psal. In Psal. 47. quantùm ad infir- *Psal. 47.* mitatem dixit: *Sicut vulnerati dormientes,* *Psal. 87.* *&c. Nunquid medici suscitabunt, &c.* Quãtùm ad sterilitatem dixit ibidem: *Nunquid cognoscentur mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis.* Quantùm ad sterilitatem B simul, & flebilitatem subiunxit ibidem: *Pauper sum ego: & in laboribus, &c. humiliatus sum, & conturbatus.* Tunc reddit omnium rationem: *Elongasti à me amicum, & proximum:* Sed vbi venit temporis plenitudo, misit Deus filium suum, & fecit ad nos pater misericordiarum solem istum approximare, & accedere. Ex eius approximatione facta sunt ista tria; homo namque infirmus suscepit sanitatem: iuxta illud Psal. *Ad vesperum de-* *Psal. 29* *morabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* *Luc. 2.* Quod pulchrè figuratum est Lucæ 10. Vbi Christus de se ipso posuit parabolam: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Ierico, qui incidit in Latrones, qui etiam dispolia-*

*ne-*

*uerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Samaritanus autem iter faciens curam illius egit, infundens oleum, & vinum,* & pro eius sanitate *altera die protulit duos denarios, & dedit proco.* Tunc petiuit Christus: *Quis tibi videtur fuisse proximus illi?* Responderunt: ille, *qui fecit misericordiam,* cum illo. Ita in proposito: homo sic vulneratus est genus humanum finaliter, cùm multi eo semiuiuo relicto, pertransirent, accessit iste Sol, qui dicitur Samaritanus: quia
*Apoc.6.* tunc Christus Sol, vt dicitur Apocalyps. 6. *Factus est sol niger sicut Saccus cilicinus:* cœpit appropinquare, & humanum genus vulneratum curauit per vini, & olei infusionem, vini quidem in Sacramenti Eucharistiæ, sumptione olei in aliorum Sacramentorum
*Psal.4.* exhibitione: *A fructu* quidem *frumenti vini, & olei sui multiplicati sunt,* in Psal. Sed, & altera die pro omnibus expensis obtulit duos denarios Deo Patri corpus, scilicet, & animam in Cruce, & sic ex approximatione istius solis potest dici: *Quis tibi videtur fuisse proximus hominis?* Vtique ille *qui fecit nobiscum misericordiam suam;* quia suo accessu hominem sic vulneratum curauit, Sanctus ergo Symeon dolore illorum vulnerum
*Psal. 87.* pressus clamabat cum Psalm. *Sicut vulnerati dormientes, &c. Numquid mortui facient mirabilia, aut medici suscitabunt? Numquid aliquis narrabit misericordiam tuam?* Tunc
*Tob.4.* accepit illud responsum, Tob 4. *Forti animo esto: in proximo est, vt à Deo cureris.* Secundò approximatione istius solis terra nostra suscepit fecunditatem. Primò enim erat sterilis, sicut arbores in hyeme, vnde dictum fue
*Gen.3.* rat, Gen. 3 *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi.* Sed approximatione istius Solis ad terrã Virginẽ MARIAM, tunc terra nostræ humanitatis cœpit
*Psal. 84.* fructus producere, vnde Psal. *Terra nostra dabit fructum suum,* ideo dixit ei Eli-
*Lucæ 1.* sabeth Luc. 1. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Terra enim nostræ humanitatis, quæ ad recessum istius solis fuerat sterilis, & maledicta, ad accessum facta est fructificans, & benedicta, iux-
*Gen.30.* ta illud Gen 30. *Ad ingressum tuum benedixit mihi Deus.* Ergo hæc est illa parabola,
*Luc.21.* quam Christus de hoc posuit, Lucæ 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum scitote quoniam prope est æstas, ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote, quòd prope est regnum Dei,* &
*Mar.13.* Marci 13. *A ficu discite parabolam; cùm ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscetis, quia in proximo est æstas,* æstatem facit solis approximatio. *Sic & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quia in proximo sit.* Hæc est ergo causa, quare Symeon ipsum recipit vt proximum. Tertiò approxi-

A mationeistius solis aues nostræ susceperunt iucunditatẽ; illa enim auicula antiquia in templi cauea nutrita; scilicet Sanctus Symeõ, quæ ex istius solis absentia dicebat: *Domine ante te omne desiderium meũ, & gemitus meus à te non est absconditus,* statim dixit: *Conuerte planctum meum in gaudium mihi.* Et ideo cantauit illam cãtionem: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace:* Sciebat enim illud Eccl. 5. *Si est tibi intellectus, responde proximo tuo.* Est autem sciendum, quod Christus fuit Symeoni Sancto singulariter proximus; ratio est, quamuis enim Sol de nocte suum cursum ad orientem inchoet: tamen nunquam tota nocte est no-
B bis, ita proximus, sicut in aurora; sic Christus quamuis in tota nocte veteris legis cursum inchoasset ad nos veniendum figurans multifariè, & prædicens suum aduentum; tamen nunquam fuit ita proximus, sicut cùm fuit in aurora, idest in Virgine MARIA: quæ fuit aurora, aura Christum solem producens: fuit autem in ea tempore Symeonis; & ideo singulariter eum hic proximum appellauit: iste est enim ille proximus, de quo Eccl. 27. *Dilige proximum tuum, & coniunge fidem cum illo.* Hæc de primo principali.

Quantum ad secundum Notandum: Sic mihi circa Christũ fuisse videtur factum spiritualiter, sicut fit in mundo temporaliter; in
C istis enim Religionibus Mendicantiũ, & paupertatis, quãdo desiderãt à debitis, & indigẽtijs subleuari, & in litteratura, & in scientia honorari, vbi vident iuuenem grandis parentelæ, grandium diuitiarum, grandium litteratum; consueuerunt Religiosi, parentes rogare, ipsi prædicare, vtrique inducere multis modis, vt efficiatur frater Prædicator, Minor, vel Monachus, & huiusmodi. Cùm autem habent optatum in Capitulo inuitur: & per susceptionem habitus frater efficitur, quo suscepto ad Ecclesiam per Nouitiorum Magistrum senem aliquem deducitur, & per cantorem Deo gratiæ altissimæ personantur.
D Genus humanum in nundinis Diaboli denudatum fuerat; quia Diabolus per pomum vẽdidit ei diuinitatem, & quia mercatio erat Sophistica; vnde credidit habere diuinitatem, habuit pœnalitatem; vnde gloriam, habuit contumeliam; vnde diuitias, habuit miserias; ex quo humanum genus factum est de *Psal. 32.* ordine paupertatis, & mẽdicantium, in Psal. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Viderunt ergo antiqui Patres Dei filium diuitijs *Prou.8.* præpotentem, Prouer. 8. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, & opes superbæ, & iustitia:* & scientijs præpollentẽ, quia *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abs-* *Col.1.* conditi, Col. 1. & ideo rogauerunt sæpius Deum Patrem, vt istum suum filium ordini isti darent, & facerent eum fratrem nostrum,

vt

*Exod.* 4. vt Moyses dicebat, Exod. 4. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*, deinde Psalmus: *Ostende faciem tuam, & veni, & saluos fac nos.* Tandem orauit tota Ecclesia, tota religio illud, Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* Tandem tot precibus inclinatus in Capitulo veteri Virginalis factus est frater noster de voluntate Patris: quia *misit Deus filium suum*, ad Galat. 4. dic quia nutriuit ordinem Prædicatorum per documenta veritatis, Minorum per documenta humilitatis; Monachorum per documéta pœnitentiæ, & asperitatis. Dic vlterius, si vis quia sicut in scapulari, vel cuculla sunt duæ partes, ita in huminitate fuerunt duæ partes, corpus, & anima. Dic si vis de Fratrum Minorum habitu, quia est in modum Crucis; ita Christus habitum assumptum in Cruce extendit, ideo ad Philip. 2. *Insimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*, vt ergo videns * ille antiquus Nouitiorum magister, & cantor simul Sanctus Symeon istum nouitium cum parentibus, introduxit in Templum, Deo cantans gratias, & clamans super recepto nouitio: super fratre Monacho facto nouo, ideo si quæreretur ab eo, quare ita fortiter cantaret? Responderet illud Genes. 37. *Caro enim nostra, & frater noster est*, de isto loquitur, Eccl. 33. ipse Sapiens: *Sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem tuum sic tractato eum quoniam in sanguine animæ comparasti eum.* Hanc figuram ponit Apostolus ad Hebræos 2. vbi concludit quamobrem non confunditur fratres eos vocare dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis:* Sed vtinam non posit dicere illud Iob. 3. *frater fui draconum, & socius struthionum.* Dilata, si vis contra vitia. Hæc de secundo.

*Phil.* 2. * *vidit* *Gen.* 37. *Eccl.* 33. *Hebr.* 2.

Quantùm ad tertium Nota, quia inter cætera, quæ maiorem iucunditatem afferunt nauigantibus de nocte, quando sunt in profundum maris, in fluctibus tenebrosis, est lumina re magnum (vel Falos) visum ab eis, quia in loco alto; in locis eminentibus consueuit collocari; tunc enim sciunt se esse prope portum, & eius ductu dirigunt gressus suos, omnes sumus in mũdo isto, sicut in mari, in Psalmo *in mari via tua, &c.* Sancti Patres autem in toto veteri testamento fuerunt in tenebris, & vmbra mortis respectu nostrum qui sumus in luce, & in die, Rom. 13. *Nox præcessit; dies autẽ appropinquauit.* In Psal. *Posuerunt me in tenebrosis, & vmbra mortis.* Isti ergo fuerunt in mari, iuxta illud ad Chorinth. 10. *Omnes mare transierunt*; vbi habuerunt plurimas tempestates, & pericula; inter ceteros iste Symeon, quia diu nauigauerat ita, quòd nullus ad portum salutis poterat peruenisse; vnde Psalm. dicebat: *Omnes fluctus tuos induxisti super me: æstimatus sum cum descendentibus in lacum;* ipse autem Symeon clamabat: *Domine Deus salutis meæ in die clamaui, & nocte coram te, quia repleta est malis anima mea*, in Psal. &c. Igitur Deus illud magnum luminare lumen diuinitatis intra humanitatem positum in templo collocatum Deus hodie illi ostendit: ex quo cognouit se esse prope portum salutis; & se posse dirigi vsque ad portum paradysi: vnde quòd prius clamauerat illud Psal. *Complaceat tibi Domine, vt eripias me, &c.* Eo viso clamauit: *Nunc dimittis, &c.* Quia *viderũt oculi mei salutare tuum, quod parasti, &c.* Lucæ 2. Vnde poterat dicere illud Psal. *Misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.* Ad quam nos perducat, &c.

*Psal.* 77. *Rom.* 13. *Psal.* 87. 1. *Cor.* 10 *Psal.* 87. *Psal.* 49. *Luc.* 2. *Psal.* 18.

## COLLATIO. XXXII. *De Festo Purificationis, ex Psal.* 35.

*Audte est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen*, in Psal. 35. Ex duobus redditur via in terra aliqua formidanda, scilicet quando est arida, & æstuosa, & quando est horrida, & tenebrosa. Nam in terra æstuosa, & arida homo sitiendo potest deficere: in terra horrida, & tenebrosa cadendo potest offendere, immo offendendo sibi collum frangere, sed cùm in tali via fons apparet, luce resplendet, efficitur consolatoria: & redditur gratiosa. In huius figuram filijs, Israel de Ægypto exeuntibus cùm per terram desertam inuiam, & inaquosam terram horroris, & vastæ solitudinis deducerentur vsque ad terram promissionis, Deus volens contra vtrisque malum de oportuno remedio prouidere: cõtra terram tenebrosam lucẽ obtulit: cõtra terrã tenebrosam lucem extulit: contra terram æstuosam fontem aperuit. De luce quidem dicitur. Exod. 13. *Dominus autem præcedebat ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, vbi dux esset itineris vtroque tempore nunquam defuit columna ignis per noctem, nec columna nubis per diem coram populo. Sed quia in terra arida, & æstuosa parum valeret videre, nisi homo posset æstum compescere, & aquam saltem bibere; ideo cum toto beneficio luminis in terra cœperunt murmurare de carentia aquæ, & fontis. Vnde. Num. 20. clamauit Moyses pro isto Beneficio: *Domine Deus audi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*, vt satiati, cesset murmuratio eorũ: Deus ergo beneficium contulit fontis, cùm enim Moyses percussisset, *virga bis silicem, egressæ* sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta, & hæc duo recitat Psal. dicens: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem: diruperat pe-*

*Exod.* 13 *Num.* 20 *Psal.* 104.

*petram, & fluxerunt aquæ*, & ita contra illa duo mala peregrinis illis de duplici remedio sic prouidit. Ad propositum terra huius præsentis vitæ per quam de Ægypto peccatorum vadimus ad terram promissionis, est
*Psal.*142 terra horrida, & tenebrosa. In Psal. *Collocauit me in obscuris, &c.* Est etiã æstuosa; vnde
*Apoc.*3. Apocalips. 3. *æstuauerunt omnes æstu magno:* & ob hoc nullus vnquam ante Christum hanc viam perambulauit quiin ea nõ caderet, immo qui sibi collum vsquè ad inferũ descendendo nõ frangeret; vnde Ps. cùm dixit. *Col-*
*Psal.*142 *locauit me in obscuris*, subiũxit *sicut mortuos seculi, &c.* Nullus etiam fuit, qui præsiti non deficeret, non siti aquæ corporalis, sed aquæ
*Psal.*106 spirituales, vnde Psal. *Esurientes, & sitientes,*
*Isai.*5. *anima eorum in ipsis deficiet*, & Isaias 5. *Multitudo eorum siti exaruit*, ideo sciens ille Sanctus Symeon multum vltra procedere, formidabat, & quia Dei filius est *lux vera,*
*Ioan.*1. *quæ illuminat, &c.* Ioan. 1. est fons, & aqua
*Eccl.*1. clara, quia *Fons sapientiæ verbum Dei*, Ecclesia 1. ideo summè desiderabat videre istam lucem, inuenire istum fontem; vnde dicebat
*Psal.*41. cum Psalmo: *Quemadmodum desiderat cerus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*; quapropter dicebat sic: Putas, hic me inueniet? Putas videbo, &c. Quia igitur istũ fontem inuenit, istud lumen vidit; quasi posset, ex nũc tutè mori, ad terrã viuentium procedere, cantat, & denunciat sibi Ecclesia dicens: *Apud te est fons vitæ, &c.* Vbi de isto fonte pariter, & lumine tria præconia magna describit, scilicet, in eo esse. Fœcunditatem miræ propaginis: *Apud te est fons vitæ.* Claritatem miræ imaginis: *& in nomine tuo.* Fœlicitatem miræ dulcedinis: *Videmus lumen.* Est namque Propago virginitatis irriguæ: *Apud te est fons vitæ.* Imago claritatis perspicuæ: *Et in lumine tuo.* Dulcedo fœlicitatis perpetuæ: *Videbimus lumen.* Iam quippe Fœcunditas irrigua est viuificantis honoris: *Fons vitæ.* Claritas perspicua Coruscantis splendoris: *In lumine tuo.* Fœlicitas melliflua Exuberantis dulzoris: *Videbimus lumen.*

Quantùm ad primum, Nota, quia Dei filius hodie in templo præsentatus est, & dicitur Fons viuus, fons quidem dicitur hac ratione; quia fons nihil aliud est, quàm aqua, quám haurit terra, quæ spongiosa est, á mari, & haustam postea extra mittit. Sed notandum est, quòd haurit amaram, & emittit dulcem. Spiritualiter diuinitas est mare infinitæ bonitatis; terra fuit Virgo Beata, quæ virtute Virginitatis, & humanitatis de mari diuinitatis hausit mediam de Trinitate personam. Hæ duæ virtutes fuerunt spongia in Virgine MARIA. Hanc ergo aquam, quã hausit in conceptione, emisit in Natiuitate, & parturitione: & ideo dicitur Fons, sicut aqua
*Gen.*2. egrediens de terra, vnde Genes. 2. *Fons ascẽ-*

A *debat de terra*, Sed notandum est, quòd hæc aqua, sicut hæc aqua maris, priùs erat amara, rigorem iustitiæ omnibus infligens: sed egrediens de hac terra, facta est dulcis per fauorem misericordiæ, salutem omnibus conferens; ideo iste fons vocatus est IESVS, quod idẽ est, quòd Saluator, ideo Cant. 4. *Fons hor-* *Cant.*4.
*torũ, Puteus aquarum viuẽtium.* Secũdò dicitur: *Fõs viuus* triplici ratione: primo ratione emanationis: aqua enim, quæ semper emanat, & scaturit á sua origine, dicitur fons viuus; aqua enim manens, nõ scaturiẽs, & ebulliẽs dicitur *Stagnũ*, vel Puteus. Sic Dei filius quamuis secũdùm fidem temporaliter sit natus de matre quantùm ad humanitatem; tamen
B semper æbullit, semper scaturit, & procedit æternaliter à Patre quantùm ad Diuinitatem: vnde ex parte Patris potest dici Fõs viuus; ex parte Matris *Puteus*, vnde postquã Scriptura Christum vocauit Fontem ratione emanationis à Patre; eum vocat Puteum ratione emanationis à Matre, vnde Cant. *Fons* *Cant.*4.
*hortorum Puteus aquarum viuentium, &c.* A patre enim semper natus est, & semper oritur, genitus est, & gignitur, sicut in fonte semper est oriri, & ortũ esse, gigni, & genitũ esse, ideo dicitur: *Fons viuus*; ideo in persona Sãcti Symeonis dicebat, Psal. *Sitiuit anima* *Psal.*41.
*mea ad Deum fontem viuum.* Hæc autem sitis Symeonis fuit plenè satiata hodie in Tẽplo,
C quando fons scilicet ipse Christus, fuit ibi præsentatus: ad quem fontem ipse Symeon manus, & os apposuit, manus ad portandum, & os ad laudandum. In hoc etiam fonte totũ desiderium Sanctorum fuit satiatum, ideo dicitur Sap. 11. *Data est eis aqua de petra al-* *Sap.*11.
*tissima, & requies sitis de lapide duro*; benè cum illis actum est, nam per fontem sempiterni fluminis sanguinem, humanum dedisti: & hoc conuenienter hodie in templo in domo Domini factum est, quia Ioel. 3. dicitur: *Ioel.*3.
*Fons de domo Domini egreditur.* Secundò dicitur: *Fons viuus*, ratione conditionis scribitur, & expertum est esse Dya fontem prope
B Grationopolim, qui est tãi çviuacitatis, quòd faces extinctas accendit, & accensas extinguit, accendit quidem per caliditatem, & extinguit per humiditatem. Hac ratione Dei filius dicitur fons viuus; quippe corda accensa, & inflammata in amorem terrenorum, & temporalium per timorem filialem extinguit; patet in Paulo, Magdalena, &c. Extincta autem ab amore spiritualium, infernorum, supernorum, & æternalium per amorem accendit; hoc autem facit per caliditatem, & humiditatem, idest, per diuinitatem, in qua consideratur rigor ad malos, vt inferat supplicia, & per humiditatem, in qua consideratur humor, & fauor quantùm ad bonos, quantùm ad præmia; ideo dicebat Isai. 12. *Haurietis aquas* *Isai.*12.
*in gaudio de fontibus Saluatoris.* Rationem

ipse-

Ioan.8. ipsemet Christus reddit, Ioan.8. *Quicumque biberit ex aqua hac quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hæc est causa secunda, quare dicitur Fons viuus. Tertiò dicitur Fons viuus ratione originationis; quidam enim fontes oriuntur à terra, quidam à petra, inter quos est hæc differentia; quòd fontes egredientes à terra, terram aperiunt, & frangunt; sed egredientes à petra sine lapidum apertione, fractione, & violatione, per quãdam resolutionẽ exeunt, & ebulliunt; fontes autem â saxis, & rupibus egredientes sunt sine comparatione magis viui, quàm de terra scaturientes. Sic spiritualiter Sanctus quisque dicitur fons, vnde verùm est, quòd omnes Sancti alij à Christo, dicuntur fontes egressi de terra: quia nati sunt cum suarum matrum fractione, dolore, & clausturorum violationis pudore. Vnde possunt dici fontes mortui, quia cum morte peccati originaliæ nati; sed solus Christus natus est de petra Virgine MARIA sine læsione, fractione, sine dolore, & violatione: vnde sola Angeli Annuntiatione, & Spiritus Sancti operatione concepit, & Spiritus Sancti virtute, sine corruptione clausturum peperit; ideo *viuus*, sine peccato originali cum vita gratiæ, gloriæ, & sine matris aliqua læsione, quod fuit pulchrè figuratum quando iubente Domino: ad tactum virgæ loquente Moyse petra largissimas dedit aquas *bis petra percussa*, quæ

Prou.30. fuerunt aquæ *contradictionis*, Prouer.30. Petra Virgo MARIA, virga virtus Diuina, quæ bis percussit petram, scilicet, in Conceptione, & Parturitione, & illa dedit aquas, Christum, in quo erat aqua diuinitatis, & humanitatis; hæ sunt aquæ contradictionis, quia istis aquis contradixerunt Iudæi in eum non credentes, & eius fidei contradicentes; ideo hoc præuidens iste Sanctus Symeon de isto fonte dixit, cùm ipsum tenebat: *Ecce positus est hic in ruinam multorum, & in resurrectionẽ in Israel, & in signum cui contradicetur*, Luc.2. Luc.1. ideo aquæ contradictionis; Intãtum autem Iudæi isti fonti contradixerunt, quòd totaliter fontem obturare voluerunt, fodientes circumquaque; vnde Psalmus: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Psal.21. Sed tamen in hoc fuit factum; sicut in fonte, qui dicitur Hydra: in quo vno fonte amputato septem oriuntur. Ita Christum volentes obturare, & amputare, orti sunt septem fontes, scilicet, septem fossionis vulnera; duo in pedibus; duo in manibus, vnum in capite, vnum in latere, vltimum in toto corpore; ex istis septem vulneribus, & fossuris fluxerunt septem Ecclesiæ Sacramenta; in quibus dantur fidelibus septem Sancti Spiritus dona: ideo Isaias supra

Isai.12. dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Non de fonte. Ob hoc etiam dixit Symeon *cui contradicetur.* Ob hoc etiam dicitur *viuus*, quia sic de petra natus; vnde est ille fons, de quo Psalmus: *Conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Psal.113 Hæc de primo principali.

Quantùm ad secundum Notandum, quòd posset aliquis quærere, quare hodie Ecclesia tantopere cantat de lumine? Quare Christus lumen vocatur? Quære luminis nomen hodie toties commendatur? Adhoc dicendum, quòd non sine mysterio narrant Philosophi esse lapidem prætiosum dictum. Abeston huius conditionis quòd semel accensus, & illuminatus numquã postea potest extingui; & ideo antiquitus sic accẽsus ponebatur in Templo deorum, vt inde lumen in alijs accenderetur: & vt ambulantibus per Templum per ipsum Lux, & claritas præstaretur, ita spiritualiter in Baptismo: cunctis fidelibus lux, & lumen Diuinæ gratiæ à Deo donantur, & omnes illuminantur. Verum est, quòd illud lumen, quãdiu sumus in mũdo, est extinguibile, vnde in quibusdam miseris extinguitur aduentum honoris, & superbiæ; in quibusdam ad proiectionem luti aquæ actuum immundorum, & luxuriæ. Dilata; vnde semel accensi postea extinguuntur. Sed Dei filius dicitur Abestos, quia sicut inter omnes gemmas, hæc sola immediatè habet duas primas litteras Alphabeti, scilicet, A. & B. simul vnitas. Ita Christus gẽma speciosissima nata in minera vteri Virginalis, habet duas naturas: quarũ quælibet est prima in graduillorum entium immediatè, scilicet, vnitas. In natura enim entium spiritualium Deus est primus, & ideo prima littera, scilicet A. Apocalipsis vlt. *Ego sum Alpha, & omega, principium, &c.* Ap.vlt. In natura autem corporalium est prima natura humana, quæ dicitur B. quia hæc est non solùm bona, sed optima; vnde in Psalmo: *Bonitatem fecisti cum seruo tuo:* Psal.118. istæ ergo duæ litteræ, ideſt, naturæ fuerunt in Christo immediatè vnitæ, sed ista gemma pretiosissima fuit Dei gratia simul, & gloria plenè illuminata super omnes creaturas in primo instãti suæ creationis, & sic numquam nec vento superbiæ, nec humore auaritiæ, nec luto luxuriæ, nec modo quocumque extingui potuit; ideo hodie hæc gemma sic illuminata fuit ad Templum per Virginem approbata, vt omnes reaccendantur, quia in Psalmo: *Dominus illuminatio mea, & salus* Psal.26. *mea*, & omnes accensi per fidem dirigantur, quòd in Psalmo: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Psal.118 Ergo petit huius doctrinæ accendi gemmam inextinguibilem, loquens illud Sapientiæ 7. vbi quia Sap.7. sæpe Deum pro hac gemma habenda rogauerat, vt haberet responsum, responsum accepit: *Inuocaui, & venit in me Sapientiæ Spiritus, & præposui illam Regnis, & sedibus, &c.* Vsque in: *Super salutem, & speciem: di-*

*lexi*

*lexi eam, & proposui pro luce habere eam, quoniam inextinguibile est lumen eius.* Ergo, & tu peccator, qui stas in peccatorum tuorum tenebris, sequere Dominum Isaiæ 40. *Surge, & illuminare Ierusalem; quia venit lumen tuum, &c.* Sed dices, Frater surrexi, quia confessus tum, illuminatus sum: ergo fac iuxta Christi consilium, Matthæi 6. *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Hic dicit de tribus perdicibus, & falcone, si vis. Hæc de secundo.

*Isai.40.*

*Matth.6*

Quantùm ad tertium, Nota modum mirabilem loquendi Scripturæ, dicens: *In lumine tuo videbimus lumen.* Hoc enim non videtur. Lumen enim, per lumen nō videtur, quia per lumen solis non videtur lumen lunæ; immo absconditur, per lumen solis non videtur lumen candelę; immo absconditur, nec è conuerso; ergo malè dictum est: *In lumine tuo videbimus lumen.* Sed dicendum, Prophetam proprijssimè locutum fuisse, dic superius: non sine mysterio Ecclesiam hodie Christum multipliciter laudare sub lumine. Sed quæro, quæ est differentia inter lucem, & lumen? Quare non vocat Christum lucem, sicut Lumen? Dicendum, quòd sic differunt; quia lumen est lux incorporata; vnde lux propriè sumitur in se, sed lumen est lux incorporata, & recepta in aliquo corpore: est autem hæc oculi natura, quia numquam potest videre nisi lux sit sibi incorporata, & lumē oculus habeat, quòd autē oculi animalium vidētium lumen habeant, patet in piscibus, quorum oculi videntur radiare de nocte, vt patet de allecibus; idem in boue patet, in cato, & auibus, quorum oculi de nocte radios luminosos emittunt. Idem patet de homine, quia de nocte fricans oculum, vel in tenebris, videt quasi flammam inde micantem oculo clauso; vnde manifestè patet, quia lux exterior videri non potest sine luce interiori incorporata: quæ propriè lumen dicitur, Spiritualiter Dei Filius ante incarnationem erat lux; vnde Ioan. 1. Dum dixit eum solum esse apud Patrem, dixit: *Erat lux vera, &c.* Ideo vt ibi existebat, vocabat eum lumen * vnde Psalmus: *Emitte lucem tuam, &c.* Quia igitur ista lux nondum erat incorporata, & incarnata, & nos ista luce, isto lumine carebamus, nullus vnquam lumen gloriæ, diuinam essentiam videre poterat; vnde dixit Moysi: *Non videbit me homo, & viuet,* ideo Tob. 5. *Quale gaudium mihi est: in tenebris sedeo, & lumen cœli non video;* vnde Psalmus, dicens: *Non potui vt viderē,* ne quæreretur ab eo ratio impotentiæ istius, respondit tacitæ quæstioni: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* Sed tandem. *Verbum caro factum est:* hæc lux in nostra natura incorporata est, & de luce lumen factum est; & ideo per hanc lumen diuinam nobis incorporatam, in nostra natura incarnatam, diuinam essentiam lumen gloriæ possumus videre; hæc est causa, quare hodie vocatur lumen, & non lux, quia hodie lux incorporata, & incarnata fuit, in templo sicut lumen præsentatur. Hæc est causa, quare Psalmus dixit: *In lumine tuo videbimus lumen.* Qui ante lumen gloriæ non videbamus, per ipsum amodò videbimus, 1. Petri 2. *Virtutes eius annuntietis, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum.* Ita fecit Sanctus Symeon, videns hanc lucem incorporatam, vnde & Deum laudauit; & ipsum lumen incorporatum prædicauit, & amodò lumen gloriæ per ipsum se, & alios posse videre denuntiatum, dicens: *Nunc dimittis Domine, &c. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tui Israel.* Ad quam, &c.

A

B

C

B

*Ioan. 1.*

** Lucem. Psal.42.*

*Exod. 33*

*Tob.5.*

*Psal. 37.*

*1. Petr.2.*

*Luc.2.*

Si velles, posses aliter procedere de lumine in secundo, vel tertio membro duplici moralitate. Primò sic; Nota, proprietas luminis est, quòd dormienti, & clausos oculos habenti si oppenatur lumen; statim excitatur, etiam sine aliquo sonu, vel strepitu facto; habet enim poros palpebrarum penetrare, & à somno excitare. Status veteris egis erat Status Somni, quia non habebant opera perfectę vitæ; non enim habebant rem, sed nubem, nec ad vitam æternam pertingebant, sed ad figuram. Iterum oculi eorum, erant cooperti palpebris, quia legis nubibus, & figuris; quod recognoscebat Psalm. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.* Sed Christus veniens verum lumen, dormientes excitauit; opera veræ vitæ conferens; palpebras aperuit, scripturarum nubes aperiens, & figuras finiens; & ideo appositus hodie Symeoni in templo, qui priùs dicebat; Putas, videbo, statim eum excitauit, oculos eius aperuit, palpebras reuelauit; vnde clamauit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c. Quia viderunt oculi, &c. Quod parasti, &c. Lumen ad reuelationem, &c.* Secundò sic volentes pisces capere, retibusque concludere, lumen adhibent de nocte, quod videntes pisces ipsum sequuntur, & se in rete proijcientes capiuntur, & concludun-tur, Habacuc 1. scriptum est: *Facies hominis quasi pisces maris.* Istos pisces Deus volens in rete, fidei Catholicæ concludere, & in suo seruatorio reponere; misit Petrum piscatorem cum magna societate; vnde dictum est ei Lucæ 5. *Ex hoc homines eris capiens.* Sed quia status legis Mosaycæ erat status noctis, & tenebrarum, status absconditus, secundùm Psalmum: *Collocauit me in obscuris.* Ad

*Psal.131*

*Luc.2.*

*Habac. 1.*

*Luc.5.*

*Psal.141*

*Eph.10.*

Ephesios 10. *Vmbram habet lex*, ideo misit lumen suum Dei filius * incarnatum : quod factum est, quãdo *exortum est in tenebris lumen rectis corde misericors, & miserator, & iustus Dominus*, vt pisces Christi homines saltarent in suum rete infra fidem suæ Ecclesiæ, & tandem in seruatorio, scilicet, paradisi ponerentur, hoc die igitur primo hoc lumine ad piscandum in templo primitus præsentato, vna truta vetustæ, grossa, & antiqua quandiu in templo * gurgite fuerat nutrita lumen istud videns statim de sua spelunca exiuit, & in rete saltauit, & statim capta fuit; & in seruatorio poni petijt, & lumen cognouisse, & se vidisse dixit : *Nunc dimittis &c. Quia viderunt lumen . &c.* Dic quæ magis grata tibi fuerint.

**filium.*

** Templi*

## *COLLATIO XXXIIII. De Conceptione, seu Sanctificatione Beatæ MARIÆ, ex Psalmo 45.*

*Pſal. 45.* S *Anctificauit tabernaculum suum Altissimus.* In Psalmo 45. Regi, & cuique magno Principi debet domus condigna solicitè quæri, & quæsita sollicita, & singulari præparatione disponi: ita fecit Moyses, quia ei qui est regum, domino suo solicitè domum quæsiuit, & singulari præparatione disposuit, Numer. 7. *Factum est in die qua compleuit Moyses tabernaculum, erexit illud, vnxitquè & sanctificauit cum omnibus vasis suis*, quod enim Psalmo scribitur : *quia Sanctus Deus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*, necesse erat, vt ipsius tabernaculi præparatio esset sanctificatio; ideo Moyses sanctificauit illud; Dei filius est Princeps, *omnium regum terræ*. Apocalipsis 1. Quia igitur Christum in hunc mundum venturum Psalmista præuiderat, fuit sollicitus de tabernaculo cõdigno ipsi inueniendo: vnde iurauit, & nouit se requiem non habiturum, donec ei dignum habitaculum inueniret : *Memento Domine Dauid*, vsque ibi: *Donec inueniã locum Domino tabernaculum Deo Iacob, &c.* Tandem in eodẽ Psal. repetit, dicens: *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in seculum, &c.* Decuit ergo Syon speculum, idest, Virginem MARIAM Dei tabernaculum electam singulari sanctificationis, pręparatione disponi; quia ipse est de quo Psalmus: *Tu autem in Sancto habitas, Laus Israel.* Igitur hoc tabernaculum, velut illud per Moysem figuratum in die qua completum est, idest, in die suæ sanctificationis rectum est scilicet, à peccato originali, cui, vt ceteri, subiacebat, & vnctum fuit oleo, scilicet, gratiæ diuinæ præ participibus suis, & sanctificauit cum omnibus vasis, idest, potentijs, in quibus somnis * totaliter est represus. Sicut ergo Dauid sollicitus de eius tabernaculi inuentione: ita fuit sollicitus de præparatione, seu sanctificatione : sicut enim inuentionem demõstrat tabernaculi, ita sanctificationem dicens? *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, vel aliter *sanctificauit tabernaculum altissimus*, vulgariter dicitur Achascum, Oyscan, ton nid est beau. Cuilibet aui pulcher est nidus proprius, hoc autem quamuis sit verum generaliter; tamen illæ aues volant singularibus * nidum mundum, quæ volant altiùs, nidificant pretiosiùs, quatinus se ab immunditia præseruent; vt patet in Aquila, quæ ceteris altiùs volat, & pretiosè nidificat; vnde nihil immunditiæ potest ibi substineri propter lapidẽ pretiosum quem ibi ponit, qui vocatur : Ethites, Deus Pater Comparat se Aquilæ; vnde Deut. 32. *Sicut aquila prouocans, &c.* Huius Aquilæ nidus proprius fuit Virginis vterus, in quo sicut in loco alto, & arduo ratione Virginalis perfectionis posuit nidum suum, Iob 39. *In arduis ponet nidum suum.* Quia igitur ipse est ipsa medicina, & sanctitas, quia in Psalmo dicitur : *Sanctus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*, conueniens fuit, vt haberet nidum mundum, & Sanctum, quia in Psalmo scribitur : *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum*, & potissimè quia altè volat, in Psalmo : *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit, &c.* Et pretiosè nidificat, quia semper in nido suo posuit lapidem pretiosum, scilicet, Dei filiun : *Lapidem quẽ reprobauerũt ædificantes: qui factus est in caput anguli.* In Psalmo; id circo tabernaculum suum nidum suum, scilicet, Virginem Beatam sanctificare debuit; vbi tandem Ethitem pretiosum lapidem Christũ posuit, Ethites enim alium lapidem in se continet, & humanitas continebat Diuinitatem; Sicut ergo Psalmista fuerat valde sollicitus inuenire nidum, & nunciare inuentum, ita fuit sollicitus nuntiare sanctificatum, quia fuerat solicitus de Inuentione. Patet: *Memento Domine Dauid, &c. Iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob*, tunc sanctificauit inuentum : *Elegit Dominus Syon, elegit, & sanctificauit in habitationem sibi. hæc requies mea, in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Sicut ergo denuntiauit inuentionem; ita denuntiauit Sanctificationem, dicens : *Sanctificauit tabernaculum suum.* In quibus verbis circa Purificationem Domini, & sanctificationem tabernaculi describit Psalmista Deletiuum, & est Remissio culpæ præcedentis : *Sanctificauit*. Contentiuum, & est Habitatio gratiæ subsequentis : *Tabernaculum* suum Effectiuum, & est expressio potentiæ transcendentis *Altissimus.*

** Fomes.*

** Singularis ad*

*Deut. 32.*

*Iob 39.*

*Pſal. 91.*

*Pſal. 92.*

*Pſal. 112*

*Pſal. 117*

*Pſal. 131*

*simus*. Hic namque mittitur noxa originalis Promptiori Auxilio: *Sanctificauit*. Infunditur gratia, specialis Digniori Mysterio: *Tabernaculum suum*. Ingreditur eam Dominus vniuersalis Altiori Prodigio: *Altissimus*.

Quantùm ad primum sciendum, quòd non est digna habitatio Sancti, cum profano, nec profani, cum Sancto: sed Sancti, cum Sancto. In Psalm. dicitur: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum, &c.* Quia igitur Dei filius est Sanctus, Sanctorum: eius tabernaculum debuit esse sanctissimum, ideo in Psalmo dicitur: *Tu autem in Sancto habitas laus Israel*. Simile: nam secundum Augustinum. Oculis egris odiosa est lux; quæ puris est amabilis. Verum est quòd ad hoc quòd oculus radium, & lucem exteriorem recipiat; indiget duobus; primum est luminis interioris connaturalitas; Ad hoc enim quòd oculus lumen recipiat, necesse est ipsum habere lucem innatam. Quòd istam habeat, patet in fricatione oculi clausi, in quo percipitur lux radiorum, & nisi istam haberet, exterior radius intrare non posset: Item secundò sequitur omnis humorum puritas; quia si esset lipposus, vel turbidus, non posset recipere exteriorem radium; quia oculis ægris, &c. Vnde oportet oculum mundare ad hoc, quòd exteriùs venientem radium recipiat ab omni puritate, Dei filius est radius veri solis, idest, Dei Patris, *& lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. vterus autem Virginalis oculo comparatur, quia sicut lux corporalis exterior sine aliqua oculi fractione oculum ingreditur; sic Dei filius absque quacumque fractione, & violatione Virginitatis clausum vterum est ingressus; oportuit ergo Virginem gloriosam lumen habere quasi innatum sibi à principio creationis: & hoc fuit gratia sibi infusa statim à principio suæ creationis: mediante enim lumine gratiæ intrauit lumen æternæ gloriæ, sicut in Psal. dicitur. *In lumine tuo videbimus lumen*. Oportuit etiam, quòd quia omnes ab Adam nascentes lippositatem, & impuritatem originalis peccati contrahunt ab ea primitùs purgaretur, & sanctificaretur; & hoc factum est statim post suam conceptionem; ideo scribitur de Bersabee matre Salomonis, 2. Regum 11. *Statim sanctificata est mulier ab immunditia sua*. Ecce autem *plùs quàm Salomon hic*, Matth. 12. vnde plus hoc debuit fieri in Matre veri nostri pacifici Salomonis, 2. Paralypome. 7. *Elegi locum istum, & sanctificaui eum: vt sit ibi nomen meum in sempiternum, &c.* Sicut in consecratione Ecclesiæ corporalis, cùm debet consecrari; Priùs omne mortum expellitur: & deinde inunctis parietibus, consecratur; sic factum est in Beata Virgine, vt enim dicit Apostolus, Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: ita omnes homines mors pertransijt*. Vnde & ipsa Virgo Beata originale contraxit: Priùs ergo non tempore, sed natura in sui sanctificatione morticinium originalis peccati expulsum fuit, & inde per vnctionem gratiæ Spiritus Sancti sanctificata fuit: vnde eius sanctificatio figurata fuit in sanctificatione tabernaculi, Num. 7. *Sequitur: vnxitque, & sanctificauit*. Vtique *oleo lætitiæ præ participibus suis*. Sed dicitur cum omnibus vasis: quia sic fuit sanctificata; quòd in ea fuit fomes, vel extinctus, totaliter, vel ligatus, & repressus sufficienter. Ideo in Psalmo: *Pulchritudo in conspectu eius, Sanctimonia, & magnificentia eius*. Propter hoc dicit Dei filius, Ecclesiastici 24. *In ciuitate sanctificata similiter requieui*. Hæc de primo principali.

Quantùm ad secundum Nota, quòd in Psalmo de hoc tabernaculo mouebat quæstionem, dicens: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis, &c.* Et ipsemet respondit: *Qui ingreditur sine macula*. Solus ergo Christus istum mundum est ingressus, sine macula cuiuscumque peccati, & ideo iste habitauit in sanctificato tabernaculo. Dicitur autem Beata Virgo Tabernaculum, duplici ratione, scilicet, Reuerentiæ, & Continentiæ, Reuerentiæ quidem, quia, vt recitat Apostolus ad Hebræos 1. duplex pars erat in templo: vna quæ dicebatur *Sancta*: & hæc est communis; alia quæ dicebatur Sancta Sanctorum, & hanc partem, tãtæ erat sanctitatis, & reuerentiæ, non intrauit nisi solus Summus Sacerdos semel in anno: & tunc cum sanguine: Sic Ecclesia habet duas partes, vnam communem, quæ dicitur Sancta; & hæc est communis omnibus Sanctis, alia, quæ dicitur Sãcta Sanctorum: & hæc est sola Virgo Beata, quam solus Summus Sacerdos ingressus est, ille, scilicet, qui est: *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, & tunc cum sanguine, quia nostrum sanguinem: in nostram humanitatem de purissimis Virginis sanguinibus ibi assumpsit; ideo hæc est porta, de qua dicitur Ezech. 44 *Vidi portam in domo Domini clausam: porta hæc clausa erit, & non aperietur; quia solus Deus ingredietur, & egredietur per eum*. Hunc ingressum, & cum sanguine Apostolus, Heb. 9. sic describit: *Christus assistens Pontifex, &c. Tabernaculum non manu factum, &c. Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, &c.* Hunc tabernaculi ingressum describit Psalmus: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Dicitur etiam tabernaculum ratione continentiæ; tabernaculum enim tenebat thuribulum aureum, & arcam fœderis, in qua erat Virga Aaron, quæ frondue-

Psal. 17. Psal. 21. Ioan. 1. Psal. 35. 2. Reg. 11 Mat. 12. 2. Par. 7. Num. 7. Psal. 95. Eccl. 24. Psal. 14. Hebr. 1. Psal. Ezech. 44 Heb. 9. Psal. 18.

duerat, tabulæ teſtamenti & vrna aurea habens manna. Sic Virgo habebat thuribulum, ideſt, conuerſationem, & vitam auream plenam auro charitatis, & dilectionis, deuotionis, & contemplationis; habebat etiam arcam teſtamenti, & Chriſtum qui eſt arca, de qua Pſalmus: *Surge Domine in requiem tuam tu, & arca ſanctificationis tuæ.* In hac arca, ideſt, in Chriſti perſona erant Virga Aaron, ratione æquitatis in regia dignitate, de qua Pſalmus, *Virga directionis, virga regni tui,* & iterum *virgam virtutis tuæ*, &c. Erant etiam tabulæ teſtamenti ratione virtutis ex duabus naturis in perſonæ vnitate: eſt enim liber vitæ, teſtamentum altiſsimi, & *agnitio, veritatis*, Eccl. 24. Erat etiam vrna aurea habens manna ratione pietatis in Sacramentali liberalitate, in Pſalmo: *Pluit illis manna ad manducandum. &c.* Ergo bene poteſt dici tabernaculum ratione continentiæ, Hebr. 4. *Poſt velamentum autem*, ideſt poſt legem Moſaicam hæc myſteria velantem ſecundùm tabernaculum, quòd dicitur Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti, in qua erat vrna aurea habens manna, & virga Aaron fronduerat, & tabulæ teſtamenti. Ideo Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſe erit eorum Deus.* Hoc tabernaculum Dei Pſalmiſta conſiderans, dixit: *Tranſibo in locũ tabernaculi, * & admirabilis vſque ad domum Dei.* Hæc de ſecundo.

Pſal. 131. Pſal. 44. Pſal. 109. Eccl. 24. Pſal. 77. Heb. 4. Apoc. 21. Pſal. 41. * Et, redundat.

Quantùm ad tertium Nota, quòd ſolemnes, & magnæ Eccleſiæ magnifica tabernacula, in quibus corpus Chriſti, & aliæ reliquæ ſeruantur, & adorantur, conſueuerunt per maiores Dominos terræ fundari, & Dominus terræ maior conſueuit primum lapidem ponere in fundamento, & poſtea omnia vadunt benè. Beata virgo eſt Dei tabernaculũ, quod multis Dominis, & magnis fuit ſpiritualiter fundatum, & fabricatum: quia in eo debebat corpus Chriſti, & Diuinitatis reliquiæ conſeruari, & adorari; & ideo Dominus maior: *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ*, primum lapidem in ea proiecit, & poſuit gratiam, ſcilicet, ſanctificationem, vnde dicitur, Ioan. 8. *Qui veſtrum, ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat*, vnde ipſe manu ſua hanc Eccleſiam fundauit, qui eſt Altiſsimus: *Fundamenta eius in montibus Sanctis: gloriosa dicta ſunt de te ciuitas Dei: quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſsimus.* Si vis de hoc plus, dic, vt dixi in ſermone illo: *Homo natus eſt in ea*, & tunc conclude, quòd propter hoc benè dixerat Angelus: *Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.* Lucæ 1. Eſt autem notandum, quòd lapis, qui in fundamento primus proijcitur, communiter eſt maior omnibus alijs, & tunc fit magnum feſtum: ita fuit in

Pſal. Ioan. 8. Pſal. Pſal. 86. Luc. 1.

A Virgine, nã gratia ſanctificationis ipſi collata maior fuit Virgini, quã in aliquo alio Sãcto. Ben. Ego puto, quòd copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcendit, &c. Et ideo non mirum, ſi de iſto lapide facimus magnum feſtum. Ideo Pſalmus: *Delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo*, ſequitur: *Tu autem altiſſimus in æternum Domine:* & alibi: *Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſsima, quæ feciſti magnalia Deus quis ſimilis tibi?* Cognoſcamus, & videamus quòd nomen tibi, *Dominus tu ſolus altiſsimus in omni terra*, de qua Pſalmus, *Credo videre bona domini in terra viuentium.* Ad quam, &c.

Pſal. 91. Pſal. 70. Pſal. 82. Pſal. 26.

B

## *COLLATIO XXXV. De Beata MARIA in Sabbatis pro deuotis, ex Pſalmo 46.*

E *Legit nobis hæreditatem ſuam*, in Pſalmo 46. vt tradidit Philoſophus 8. Ethic. Amor verus facit omnia communia; vnde vera amicitia neſcit aliquid diſtinctum, aliquid diſcretum, aliquid diuiſum inter amicos; ſed res, & ſecreta reddit communia. In huius figuram Ionathas, qui ſpecialem, & veram amicitiam pepigerat cum Dauid, in ſignum dixit, 1. Regum 2 *Viuit Dominus, & viuit anima tua; quòd vno tantùm gradu (vt ita dicam) ego, & tu, morsquè diuidimur.* Itẽ in ratione charitatis in primitiua Eccleſia nullus inter Apoſtolos ſciuit aliquid ſpeciale, vel ſingulare, ſed erant eis omnia communia; vnde dicitur Actuum 9 *Omnes qui credebant, erant omnes pariter, & habebant omnia cõmunia*; & ita recitat Auguſtinus in regula. Ita experimur manifeſte in natura: quia auis naturali amore nihil ſibi retinet ſpeciale, ſed communicat omnia pullis ſuis, quia communicat cibum, nidum, & curam nutriendi, ſiue officium. Ad propoſitum Dei & Virginis filius ſumma amicitia nos dilexit, Ioan. 16. *Maiorem charitatem, ac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis:* quod ipſe fecit, vt nos lauaret à peccatis noſtris, Apocalip. 1. *Dilexit nos, & lauit, nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*; & ideo omnia bona ſua nobis communicauit, immo etiam paterna ſecreta reuelauit, Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis:* ideo ipſe ſicut auis cœleſtis pullis ſuis communicauit cibum, ſeipſum dando in Euchariſtiæ Sacramento communicauit nutirendo, curam, ſeu officiũ in docendo, & prædicando comunicauit nidum proprium ad Sãctæ Matris Eccleſiæ gremium nos recipiendo: habebat autem iocale prerioſum, quod totam vnã magnam valebat hæreditatem, Matrem ſuam, ſcilicet, Virginem glorioſam: & ſicut alia cõmu-

Pſal. 46. 1. Reg. 2. Act. 20. Ioan. 16. Apoc. 1. Ioan. 15.

municauerat, ita etiam istius bonitati tantæ hæreditatis voluit nos esse cõsortes; vt sicut ei eramus dilecti, ita essemus ei fratres, & suæ matris filij, vt sic vno tantùm gradu ab ipso diuideremur: quia nos homines, ipse homo, & Deus; vnde quam sibi, eandem matrem nobis elegit; & hoc signanter in vnius persona gestum est, quod omnibus postea est concessum; legitur enim Ioan. 19. quòd cùm IESVS omnia communicasset amicis suis, & omnia consummasset, adhuc restabat Mater communicanda, & deuotis suis & amicis. Cũque vidisset IESVS matrem, & discipulum quem diligebat, dixit matri: *Mulier: ecce filius tuus.* Deinde dixit discipulo: *Ecce mater tua*: quod tunc in vno gessit historialiter, omnibus concessit spiritualiter, & hoc est: *Elegit nobis hæreditatem suam*, in quibus verbis Psalmi describit Prędestinationem; *Elegit*, Dilectionem *Nobis* Possessionẽ, *Hæreditatem suam*, erat Diuina Prædestinatio, Dilectio, Possessio, Singulariter in Opere: *Elegit*. Fœdere *Nobis* Munere, *Hæreditatem suam*, est autem Opus Diuinæ Sapientiæ prouidentis: *Elegit*. Fœdus diuinæ Amicitiæ cõferentis: *Nobis* Munus Gloriæ succedentis: *Hæreditatem suam.*

*Ioan. 19.*

Quantùm ad primum sciendum, quòd sicut tradunt Naturales, pullis Aquilæ naturaliter serpentes insidiantur, & inimicantur; & ideo Aquila eligit sibi locum arduum, & altũ, & tutum: in quo cõstituit nidum suũ, & in eo ne serpentes aliquo modo possint attingere, & accedere, ponit lapidẽ pretiosũ: & sic pulli à serpẽtibus præseruãtur. Aquila Christus est pulli Aquilæ, Christi fideles, & deuoti Deut. 32. *Sicut Aquila, &c.* Serpens est Diabolus qui naturaliter insidiatur & inimicatur fidelibus Genes. 3. *Inimicitias ponã inter te, & mulierẽ, & semẽ tuum, & semen illius, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Ad conseruandos ergo, & tuendo Christi fideles, Christus elegit locum altum perfectione: & arduum virginitatis, cum fœcunditatis, præseruatione; vnde Iob 39. *Ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum:* iste fuit magis arduus passus qui vnquam fuit in natura; vnde istum vnquam serpens antiquus diabolus potuit transire nec cognoscere, vt etiã ei esset magis inaccessibilis; posuit in eo lapidem pretiosum, gratiam, scilicet, sanctificantem, iste nidus fuit Virgo Beata, & cum talibus electa; vt per eam, & in ea habitantes per deuotionem à morsibus venenosi serpentis eius meritis liberentur. In Psalmo: *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in seculũ seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Nota aurum, cùm eligitur, mixtum est cum arena, argentum ergo viuum superueniens, non arenam, non ferrum, non argentum, sed solum aurum eligit, & ad se trahit: Sic Dei filius argẽtum viuum non elegit argentum Prophætarum, non ferrum Patriarcharum, non arenam personarum terrenarum, sed aurum Virginem MARIAM præ omnibus premium, sicut aurum omnibus mettallis, sibi atraxit, & in Matrẽ elegit; quamuis haberet arenam nostræ mortalitatis secum adunctam, Cant. 6. vna *est columba mea, perfecta mea: vna est matris suæ electa genitrici suæ*, & idem: *Pulchra vt luna; electa vt sol.* Hæc de primo.

*Pſ. 131*

*Cant. 6.*

Quantùm ad secundum Nota, quòd pauperibus non habentibus aduocatum in causis arduis consueuit iudex ex officio vnum dare. Esset autem magna iudicis clementia, si pauperi optimum de curia daret Aduocatum; Omnes nos comparere oportet coram Iudice Christo super causa valde ardua, qui agitur ibi de corpore, & anima, de propria salute, 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt vnusquisque recipiat pro vt gessit, siue bonum, siue malum;* Habemus autem dirum, & durum aduersarium diabolum, qui *circuit quærens quem deuoret.* Sed peccatores sunt pauperes, nec possunt Aduocatum habere; ideo misericors, & miserator dominus dedit eis in cœli Curia Aduocatum, non qualemcumque: sed optimum de tota Curia cœlesti Virginem, scilicet; glorioſam, vnde in Salue Regina cantamus. Eya ergo Aduocata nostra, & ista est talis aduocata, quòd iudex non potest denegare, 3. Regum. 2. *Pete mater mi, neque enim fas est vt auertam faciem tuam.* Istam aduocatam nobis dari in tribulatione causæ mortis Psalmis: dari petebat: *Da nobis auxilium de tribulatione; quia vana salus hominis.* Absque dubio sine Virginis auxilio in morte vana salus peccatorum, sed ea auxiliante, certa, dicente Apostolo, 1. Corinth. 1. *His autem, qui salui fiunt*, ideſt, nobis, *virtus Dei.* Hæc de secundo.

*2. Cor. 5.*

*1. Pet. 5.*

*3. Reg. 2.*

*Pſal. 57.*

*1. Cor. 1.*

Quantùm ad tertium Nota, quòd Christus erat vnicus filius patris in cœlis, & matris in terris, & ideo duplicem hæreditatem adeptus est, maternam scilicet, & paternam; sed primò adeptus est maternam, deinde paternam; materna hæreditas fuit plena laboribus, pœnis, tribultaionibus, & perfecutionibus. Sed paterna plena est præmijs, & gaudijs, & consolatiotibus, vtramque igitur hæreditatem nobis elegit; maternam primò pœnosam, laboriosam plenam meritis, & per hanc paternam, glorioſam, gaudioſam plenam præmijs. Sed nota: multi liberenter haberent paternam glorioſam, non curantes de materna, quæ est pœnosa; sed hoc non est possibile: quia quod non habuit ipse sibi, non confert tibi, & ideo per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum: ergo si his hæreditatem paternam in

cœlis; adhibeas primo maternam in terris: quia sine ista non venitur ad alterã, Eccl. 24.

*Eccl.24.* *In partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Ergo iuxta illud Psalm. *hæreditate possideamus sanctuarium Dei:* quia secundùm Isaiam 54.

*Psal.82.* *Isai.54.* *hæc est hæreditas seruorum Dei: Iusti* igitur, vt ait Psalmus, *hæreditabunt terram, & habitabunt in sæculum sæculi super eam.* Ad quam terram viuentium, &c.

*Psal. 36.*

## COLLATIO. XXXVII. *De Annunciatione Dominica, vel Natali Domini, ex Psal.49.*

*Psal. 49.* M *Anifestè veniet dominus noster,* in Psalmo 49. Persona Spectabilis magna, & nobilis, non occultè, sed manifestè in sua nouitate veniri debet, vt eius aduentus sit notus magnis inditijs; certis, & euidentibus signis, ita videmus, inter aues spectabiles, & nobiles. Inter falcones enim est vna species nobilis, quæ vocatur falco gentilis; cuius aduentus ad prædam semper est manifestus, & pro tanto quòd aliæ aues plurimæ ipsum sequuntur, & ipse venationẽ sequentibus diuidit, & vltimò capita * retinet sibi ipsi; vnde in sequela auium, in diuisione prædæ, in saturatione sequentium cognoscitur eius aduentus. Ita legimus, Genes. 30. Iacob enim Patriarcha cùm esset persona spectabilis, venit ad Laban, sed eius aduentus fuit magnus signis, claris, indicijs manifestatus: quia Laban per eius aduentum fuit ditatus, & diuinam benedictionem cõsequutus; vnde dixit ei Iacob: *Modicum habuisti antequàm venirem ad te; & nunc dies factus es, & ad introitum meum benedixit tibi Dominus.* Persona spectabilis magna, & nobilis est Dei filius in Psalmo: *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia tu es Deus solus.* Quia ipse igitur erat in hunc mundum venturus, non decuit aduentum eius esse occultum; sed magnis signis, claris, indicijs esse manifestum; & rectè sic fuit de eo, sicut fuit de falcone, nam ipse in vallem huius mundi ad prædam descendens, *captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus*, vt dicitur in Psalmo. Hæc prẽda fuit humanitas, quam de Virgine traxit, hanc auibus eum sequentibus, ideſt, deuoris fidelibus diuidit, ipsos Sacramenti Eucharistiæ satiando; vnde potest dicere cum Iacob: *Modicum habuisti antequàm venirem ad te*, modicum quidem: quid nonnisi esse naturæ; *nunc autem dies factus es*, diuitijs gratiæ, & gloriæ: *& ad introitum meum benedixit tibi Dominus.* Propter claritatem signorum declarantium eius aduentum dixerat Aggeus 2. cap. *Adhuc modicum, & ego mouebo cœlum, & terram*, ideſt, Gabrielem cœlestem nuntium, & MARIAM, Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c. Et nomen Virginis MARIA*, mare, & aridam, ideſt Virginẽ MARIAM, mare in amaritudine passionis: & aridam in ariditate conceptionis; non enim cõcepit virili semine: sed mystico spiramini, & veniet desideratus cunctis gentibus, Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam, & statim veniet ad templum Sanctum suum.* Psalmo igitur hæc signa, hæc indicia precognoscens, aduentum eius clarum insinuat, dicens: *Manifestè veniet Deus noster.* In quibus verbis huius venientis describit Clementiam, *veniet*, euidentiam: *Manifestè*, eminentiam, *Deus noster*, est nam in eo Clementia, Ratione magnæ benignitatis, *veniet:* magnæ vtilitatis: *Manifeste?* Magnæ Dignitatis: *Deus noster.* Consistit autem Benignitatis Clementia in exhibitione gratiosa: *Venit.* Vtilitatis euidentia in Cognitione luminosa: *Manifestè.* Dignitatis eminentia in prælatione gloriosa, *Deus noster.*

** capta*

*Gen. 30.*

*Psal. 85.*

*Psal.67.*

*Gen.30.*

*Agge. 2.*

*Luc.1.*

*Mal.3.*

*Isai.63.*

*Ap.vlt.*

*Sap.8.*

*Psal.48.*

** fortè fœcundãs*

*Osea 6.*

*Iud.6.*

Quantùm ad primùm Nota, quòd fuit mirabilis benignitatis clementia, quòd Dei filius alium non mitteret; sed ipsemet, ideſt, propria persona veniret; vnde Isaias 63. admirando dicebat: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra.* Verè tinctura nobilis in benignitatis clementia, in hoc namque aduentu venit primus ad nouissimũ, vt dicit Ap. vlt. *Ego sum alpha, & omega, primus, & nouissimus.* Altissimus ad infimũ, *vt attingat à fine vsque ad finem fortiter*, Sap. 8 ditissimus ad pauperrimũ, vt sint, *simul in vnum diues, & pauper*, in Psalmo, hæc est mira benignitas inauditæ clementiæ; venit namque ingrediens, vt imber fœcunditas * Nota, Imber, & ros cœlestis descendens in choncham marinam in conchilibus fœcundat viscera conchilij virtute cœlesti, de rore illo generetur lapis pretiosus, quòd dicitur margarita, & mihi comedenti pisces illos in mõte, Pesulano contigit quòd in vno septẽ margaritas iuueni. Ita venit Dei filius in hũc mundũ: qui vt ros descendit in Virginis vterum & formatus est sola virtute cœlesti lapis ille pretiosus, *quem reprobaberunt ædificantes*, & postea *factus est in caput anguli.* Iste lapis est illa pretiosa margarita, quam *si inuenit homo, abscondit, & vadit, & emit illam*, ideo dixit Oseæ 6. *Venite reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, & lauabit nos*: sequitur, *quasi diluculum præparatus est egressus eius, & venit quasi imber nobis temporaneus, & serotinus.* Iste imber figuratus fuit Iudith 6. quoniam in terram cecidit & vellus non complutum fuit quid est, quòd Virgo concepit, & corpus intactum permansit, nisi quòd ros eam impleuit cœlestis gratiæ, & corpus non tetigit aliquis humor immunditiæ. Secundo venit egrediens, vt frater amans. Contingit aliquando dominũ patriæ re-

religionem ingredi paupertatis, qui quamuis sit maior in conditione tamen per susceptionem habitus sit frater in dilectione. Sic spiritualiter dissipato Monasterio humanæ religionis Dominus vniuersæ terræ pro eius reformatione factus est frater, & religiosus paupertatis, suscepit habitum nostræ humanitatis in Capitulo Virginali: & quamuis ipse esset maior conditione, tamen factus est frater dilectione; quia *habitu est inuentus vt homo*, *Philip.2.* vt dicitur ad Philippenses 2. & Geneſis 37. *Gen.37.* *Caro enim nostra frater noster est*: ideo dicitur, Lucæ 15 *frater tuus venit*. Ita petiuerat *Luc.15.* humanum genus, vt dicitur, 2. Regum 13. *2.Reg.13* *Veniat, obsecro, saltem frater meus nobiscum*. Tertiò venit progrediens sicut lux illuminans, Deus pater fecit circa genus humanum; sicut faciunt aliquando probæ mulieres circa acum, vel circa obolũ. Contingit enim, quòd occupatæ perdunt acum, vel obolum, tunc accensam candelam ponentes intra laternam, plus consumunt de lumine, de valore candelæ, quàm valet acus vel obolus, Nota de Sacrista Fatrum Minorum Narbonæ, quòd pro recuperando obolo destruxit armarium quinque solidorum. Ita Spiritualiter Deus propter peccatum prediderat vnum obolum, humanum spiritum; sed volens eum inuenire, & rehabere, lumen suum proprium filium posuit intra laternam nostræ humanitatis, & valuit plùs istius candelæ, istius luminis pretium, quàm valeret totum genus humanum; & tamen tota hæc candela fuit expensa pro habendo, & rehabendo humano genere; immo triginta denarijs vendita, & tota laterna dissipata in passione; ideo dicebat, Isaias 63. *Isai.63.* *Propter Syon non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur*. Lampadem vel laternam accendi est diuinitatem intra humanitatem poni; est enim *lumen ad reuelationem* *Luc.1.* *gentium, & gloriam plebis suæ*. Lucæ 1. ideo *Isai.60.* dixit Isai. 60. *Surge, & illuminare Ierusalẽ, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*. Ergo hæc fuit quàm maxima liberalitatis, & benignitatis inaudita clemẽtia, vt Dei filius veniens se exhibuit in ingressu sicut rorem fœcundantem. In egressu, sicut fratrem adamantem. In progressu sicut *Isai.62.* lucem radiantem; ideo dicit Isaias 62. *Dicite filiæ Syon, ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo*. Hæc de primo principali.

Quantùm ad secundum Nota, quòd quamquam aliquod verbum est scriptum ita subtiliter; ita debiliter, quòd ab oculo debili nullo modo potest clarè & manifestè videri; ideo consueuit poni super litteram christallus lucida & peruia, & tunc christallus facit manifestè videri, & legi verbum subtile, &

A clarè cognosci, Dei filius est propriè Verbum Ioan. 1. *Deus erat verbum*, hoc verbum erat *Ioan.1.* ita delicatè scriptum in intellectu paterno ita, & subtile erat, quòd numquam ab oculo corporali legi potuit, vel videri, vnde dixit Dominus, Exod. 34. *Non videbit me homo, & viuet*, & 1. Ioan. 4. *Deum nemo vidit vnquã.* *Ex.34.* *1.Ioan.4.* Solùm fuerat in intellectu paterno; vnde Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, *Ioan.1.* ideo à sæculis fuit ignotum, & absconditum, Lucæ 18. *Erat verbum istud absconditum,* *Luc.18.* *ab eis*: Sed vt Verbũ istud ad hominibus legi posset, & manifestè videri, Christalus prælucida, ideſt humanitas nostra fuit ei superposita, B quam sumpsit de materia vteri Virginalis; & hoc fuit quando, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius*, Ioan. 1. Psalm. ista igitur cupidus de ista *Ioan.1.* manifestatione petebat: *Qui sedes super Che-* *Psal.79* *rubim, manifestare coram Ephraim:* & quare? certè quia *defecit in salutare tuũ anima mea,* *Psal.118* *& in verbo tuo supersperaui*, sed Diuinitate in christalata, incorporata, gratias egit, dicens: *Ecce enim veritatem dilexesti incerta,* *Psal.50.* *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Sed dices, Frater contra: quia in iudicio veniens Dei filius erit manifestus, quòd Apocalipsis 1. *Ecce venit in nubibus, & videbit* *Apoc.1.* *eum omnis populus*; sed mundum ingrediens C venit occultus, vnde dicitur, Isai. 45. *Verè tu* *Isai.45.* *es Deus absconditus*, & Habacuc 3. *Ibi abs-* *Habac.3.* *condita est fortitudo eius*. Respondeo: quæ sunt occulta quibusdam, alijs sunt manifesta, verbi gratia: inter Religiosos sunt aliqua signa per quæ mutuò se intelligunt: & extranei non cognoscunt, vnde Religiosi per signa clarè cognoscunt, quæ extraneis, & non religiosis clausa remanet, & occulta. Dixi priùs quòd Dei filius in hunc mũdum veniens Religionem paupertatis nostræ humanitatis intrauit, per quem ingressum, ideſt, religionem Christianam, suam religione m melioranit, ditauit, & honorauit: immo fundauit. Huius Religionis solum, Clausirales sunt Christiani Catholici: sed extranei sunt Iudæi, B Pagani, & Hæretici. In hac ergo religione Clausirales habent certa signa, per quæ mutuo se intelligunt, & istum nouicium clarè cognoscũt: quæ Iudæi, Pagani, vel Hæretici, & cæteri extranei minimè intelligunt, vel cognoscunt. Heu Domine Deus, quod signum pulchrius, quod signũ expressius, quàm quod prædixerat Isaias 7. *Propterea dabit Domi-* *Isai.7.* *nus ipse vobis signum: ecce virgo cõcipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emanuel, ideſt nobiscum Deus*. Istud signum clarè prædicat ipsum Deum, quia Virgo concepit, Virgo peperit, & Virgo post partum permansit. Istud signum vident Christiani, & clarè cognoscunt, quòd signum etiam,

*Ezech.44* Ezech.44.prædixerat,dicens:*Vidi portam in domo Domini clausam, porta hæc clausa erit, & non aperietur; quia Dominus solus ingreditur, & egreditur per eam.* Pro certo verùm signum: quia Ioseph numquam cognouit eam. Hoc signum, hæc mirabilia Iudæi, Pagani, & Hæretici non cognoscunt; vn-
*Psal.73.* de dicitur in Psalmo, quòd tres personæ Trinitatis, *posuerunt signa sua, & non cognouerunt:* immo sequitur *quasi in Syon ligna lignorum securibus exciderunt, ianuas eius in securi, & ascia deiecerunt*, ideſt, credùt ad modum aliarum, per violationem, per corruptionem, per fractionem portarum, clausurorum pudoris concepisse MARIAM; sed pro vero hoc falsum: quia *porta hæc clausa erit, & nō aperietur; solus* enim *Dominus*, non Ioseph nō quicunque alius *ingreditur per eā.* & ideo non securibus, vel ascia vt in alijs mulieribus est aperta, hoc non cognouerunt extranei immo *incenderunt igni sanctuarium tuum: polluerunt in terra tabernaculum nominis tui*, ideſt, MARIAM à prole in Virginitate consumptam, viri semine pollutam crediderunt; sed hoc est falsum: quia Moyses vidit,
*Exod. 3.* Exod 3. visionem illam magnam quòd in rubo flamma esset: *Rubum arderet, & nō combuberetur.* De rubo Dominus quando ad Moysem loqueretur, Ita certe filius mansit in Virginis vtero, & matris virginitatē nō consumpsit; humanitatem inde assumpsit, & in ea habitans documenta salutis omnibus ministrauit. Nota de Obstreticibus Zebel, & Salomon in Floribus Sanctorum. Ergo illi non cognouerunt signa ista, nec signata, sed Christiani de hoc manifestè cognoscunt. Vnde
*Ioan.2.* potest de hoc intelligi illud Ioan.2. *Hoc fecit initium signorum IESVS, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius:* nulla autē, & *alia signa fecit IESVS,*
*Ioan. vlt* vt dicitur Ioan. vltimo. Non ne Angelus pastoribus apparuit? Non ne stella ducatum præbuit? Et sic de alijs: Dic, si vis, signa, quæ sunt in Floribus Sanctorum, quæ ista die Natalis apparuerunt, ex quibus omnibus verum
*Rom.1.* est quod dicit Apostolus Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est hominibus.* Hæc de secundo.

Si vis, potes aliter procedere, & dicere ad hoc quòd dicatur hic de signis: quia contigit quod non signū, est signum, vt in ouibus, nam ita ouis nō signata à signata non signo, distin gatur, sicut signata signo, & nō signata. Figura: quia ita distinguebàtur oues *Iacob*, & *Labā*
*Gen.22.* Gen.22. Ita ad propositum ex hoc cognoscatur, & manifestetur iste filius, iste nouissimus esse Deus per non signa; sicut, & alij cognoscuntur per signa. Omnes namque mundi homines qui nascuntur ex muliere suæ conceptionis, & Natiuitatis, relinquunt vestigia: quia concipiuntur cum libidine, nas-

A cuntur cum dolore, gestantur cum grauamine: & propria matres violatas, & laceratas relinquunt; hæc sunt signa, & hæc sunt vestigia quæ dimittunt. Sed pro vero nullum tale signum; nullum tale vestigium in matre huius filij est relictum; quia ipsum concepit sine libidine, solo diuino flamine, Luc. 1. *Virum* *Luc.1.*
*non cognosco sed Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi:* Genuit sibi sine quocunque grauamine, quia ipsa gestabat gestantem se; *vnde Filius altissimi vocabitur*, Luc. 1. & peperit sine *Luc.1.*
dolore, & virginitatis violatione; vnde cantamus nescies Virgo virū peperit, &c. In hoc ergo quod signa ista non dimisit; & vestigia
B aliarum non reliquit; manifestè iter noscitur * à signatis, vnde dicit Psalmo. *Signa* * *inter*
*nostra non videmus.* Dic etiam; si vis in ho- *noscitur.*
rum figuram illud Daniel. 14. Quomodo *Psal.73.*
*Rex signauit Templum*, ideſt filius Virgina- *Dan.14.*
lem vterum, & dicat Christus de matre integra Virgine signata: *Salua ne sunt signa Daniel?* & respondeatur: *Salua Rex.* Dic quomodo Christus comparatur naui, serpenti, & aui, quæ non relinquunt vestigia suæ viæ, sui aduētus: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum pœnitus ignoro, viam Aquilæ, &c.* Vt *Prou. 30.*
in illa collatione. *De cœlo Dominus respexit*

Quantùm ad tertium Nota, quòd mihi videtur sic fuisse inter Deum & homines, sicut est in mundo isto inter Monachos, & Abba-
C tes, sæpe videmus quòd contigit aliquē Abbatem alicuius Monasterij esse indiscretum, irreligiosum, dissipatorem bonorum, & totius Religionis, & Monasterij destructorem; vnde fit, vt Monachi de pauperētur, Monasteriū ponatur ad manū Regiam; & omnia male vadant: ideo quando debet prouidere de nouo Abbate, cū tueuit Dominus Papa, si in Monasterio de gremio sufficientē nō habeat, de altero Monasterio prouidere, & quādo ille Monasteriū reparat, & reformat, Monachos promouet, & exaltat: iura defendit, & pro iuribus mortui liberaliter se exponit; consueuerūt Monachi de tali Abbate plurimùm gloriari,
D Deus Pater á mundi principio Religionē instituit hominum, scilicet Congregationem, & in terrestris paradysi Monasterio collocauit Adam, quæ Abbatem Monachis omnibus præfecit, dans certam regulam in Monasterio conuersandi: *De omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali non comedas.* Genes. 2. Sed iste Abbas male seruauit *Gen.2.*
regulā: fuit indiscretus, & irreligiosus & ita fatuus, quòd pro gula sua pro vno morsello totū Monasterium dissipauit; vnde diabolo omnia bona Monasterij impignorauit, & obligauit, & quod fuit peius, Abbas, & Monachi qui fuerunt, expulsi sunt de possessione Monasterij, seu paradyso terrestri, & Abbatia, seu Monasterium positum ad manum

Re-

Regiam, ne possent aliquatenus intrare Genes. 3. Genes. 3. *Eiecitque eum Deus de Paradiso voluptatis, & collocauit ante Paradisum Cherubim habens flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ideo fuerunt Monachi, ita malè tractati, ita depauperati, quòd clamauerunt ad Summum Pontificem Deum Patrem Legatum Psalm. pro Abbate, qui omnia reformaret, & dixe- Psal. 78. runt: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster, &c.* Deus autem misericors voluit eis prouidere. Sed respexit an esset aliquis vtilis, & bonus de gremio de Monasterio? & nullum inuenit: ita retulit legatus quando rediit de Curia, Abbate impetrato: *Dominus prospexit super filios hominum,* Psal. 13. & 52. *vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Et ecce omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Tunc Deus voluit prouidere de alieno Monasterio, scilicet, Paradisi, & quia non habebat magis dilectum, magis charum, quàm proprium filium, quia Deus est de Deo filius, illum dedit in Abbatē, dicēs illud Isai. 35. Isai. 35. *Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus vester in fortitudine veniet: & brachium eius dominabitur: sicut pastor gregem suum pascet.* Iste igitur Abbas Monasterij factus, iura Monasterij recuperauit. Pro iuribus Monasterij recuperandis, & deobligandis contra Diabolum bello, & morti se 1. Cor. 1. exposuit, Monasterium ditauit, 1. Corinth. 1. *Diuites facti estis in illo.* Monachos promouit, & exaltauit: & ipse *dedit quosdam quidem Apostolos; Alios autem Prophetas;* Ephes. 4. *Alios verò Euangelistas; Alios autem Pastores, & Doctores.* Ephes. 4. Et finaliter ma- Psal. 25. num Regiam de Monasterio amouit: & portas clausas aperuit: *Attollite portas Principes vestras, &c.* Et Monachos in possessionem reintroduxit Lucæ 23. *Hodie mecum* Luc. 23. *eris in Paradiso.* Ideo Psalm. qui pro isto Abbate supplicauerat, videns alienum factum proprium tam vtilem, tam potentem, tam diuitem, tam fortem, in omnibus prævalentem, omnia restituentem, quasi de omnibus insultans gloriabatur talem obtinuisse, dicens: Psal. 112 *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum, &c.* Et alibi: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, &c.* Ideo concluſit: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, Beatus populus cuius est Dominus Deus eius.* Ad quam Beati, &c.

## COLLATIO XL. *De Festo Purificationis, ex Psalm.* 53.

Psal. 53. SVsceptor est animæ meæ, in Psal. 53. Docet cōmunis experientia, quòd magna est differentia inter dare, & recipere vel suscipere A nā recipere est magnę facilitatis: dare autē magnæ difficultatis, quod patet. Vidi enim in multis Sabaudiensibus, quòd quando aliquid ab eis pro dono petitur, non audiunt, non intelligunt, vel potiùs se non audire dicunt; sed quando aliquid eis datur, statim audiunt, statim intelligunt: Vnde non est ita surdus, quin audiat, quando dicitur ei: Recipe, nec ita benè audiens, qui benè intelligat, dona. Non enim eodem modo autem aperiunt recipere, & dona: hæc duo verba. Igitur licèt dare sit ipso recipere difficiliùs; tamen est beatiùs Actor. 22 Actor. 22. *Beatius est magis dare quàm accipere.* Recipere autem est faciliùs; vnde Isai. 1. Isai. 1. *Omnes diligunt munera: sequuntur retributiones.* Ex hoc videmus in Monasterijs, quod pauci, vel nulli habent licentiam dandi; omnes tamen licentiam recipiendi: & maximè in Ecclesia, in templo, quamuis sint pauci, vel nulli, qui in altari offerant; sunt tamen, qui oblationes recipiant: & potissimè consueuit esse aliquis antiquus Sacrista, qui maiores, & meliores oblationes recipit in festiuitatibus magnis, quando consueuit oblatio plùs valere, horum potest aliqualis haberi. Figura Gen. 43. Genes. 43. Ille enim Ioseph Dominans in Ægypto omnino volebat sibi dari, sibi præsentari, & offerri filium Iacob ipsum minorem Benjamin, sed patet Iacob erat valde difficilis ad dandum, vnde dixit alijs filijs suis: *In meam hoc feciſtis iniuriā, vt iudicaretis eis & aliū vos habere fratrem.* Finaliter tamen cùm offerens adfuit, statim viuis velut Sacrista ad oblationem recipiendam, Iudas, scilicet, & dixit: *Ego de manu tua suscipio puerum, de manu mea require illum.* Ad propositum. Domi- Malac. 3. nus promiserat per Malachiam 3. se facturum, & daturum oblationem mirabilem Monasterio huius mundi in templo Salomonis: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum, donator quē vos quæritis.* Verum est, quòd quia dare est difficile, non statim Deus misit istam oblationem: imo distulit vltra quatuor millia annorum: *Sed vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Ad Galatas Galat. 4. 4. istum superexpectauerat vnus antiquus templi Sacrista, tota die, iustus, & timoratus expectabat oblationem redemptionis Israel. Hic erat Simeon Sanctus: & videns non venire citò, clamabat, & suspirabat ad Deum, cupiens offerri, & præsentari sibi Benjamin fratrem suum minorem, Christum, scilicet, qui propter nos paulo minùs ab Angelis minoratus; vnde dicebat. Putas, videbo? putas, hìc me inueniet? igitur in hoc festo veniens à spiritu in templo vidit oblationem venientem; & Virginem eam in manibus gestantem. Voluntarius igitur, & auidus ad recipien-

piendum oblationem, ſicut ſunt hodie cæteri Sacerdotes, volebat de maternis brachijs filium ſuſcipere, ſed matri timenti, ne forte groſsities antiquata, ſeu antiquata tenello puero poſſet obeſſe, vlnas exhibuit, dicens: *De manu tua ſuſcipio puerum, & de manu mea require illum.* Si igitur quæreretur ab iſto puero, quis eſt iſte ſenex? Iſte ſacriſta antiquus qui cantat, & quare cantat per templum. Pſalm. in eius perſona reſpondit: *Suſceptor eſt animæ meæ.* Vbi Pſalmus Sancti Simeonis deſcribit deuotionem: *Suſceptor eſt.* Contemplationem: *Animæ.* Dilectionem: *Meæ.* Eius autem deuotio fuit operatiua: *Suſceptor eſt.* Contemplatio penetratiua: *Animæ.* Dilectio Amicatiua: *Meæ.* Ergo ſubtiliter intuenti Pſalmiſta in Sancto Simeone deſcribit eius operatiuam deuotionem velut obſequioſam: *Suſceptor eſt.* Penetratiuam Contemplationem, velut Præradioſam: *Animæ.* Charitatiuam dilectionem velut Præcordioſam: *Meæ. Suſceptor eſt animæ meæ.*

Quantùm ad primum. Nota, quòd ſuſcipere propriè eſt aliquid ſurſum capere; inter illa autem quæ à ſurſum capiuntur, & à ſuperioribus; & deorſum, & ab inferioribus, eſt hæc differentia, quia illa quæ capiuntur à ſuperioribus, requirunt vas erectum, & apertum ſuperiùs; vt patet quando ros, vel pluuia cœleſtis in aliquo vaſe recipitur; illa autem quæ capiuntur ab inferioribus, requirunt vas inferiùs apertum, & inclinatum: vt quando à vaſe aqua fluuialis vel fontalis hauritur. Ita ſpiritualiter quandocumque enim dona cœleſtia recipere volumus, oportet eſſe corda noſtra ad hoc aperta per deuotionẽ, & eſſe ad Deum ſemper, & ſuperiora, erecta per deſiderium continuum, & ſanctam intentionem. Qui autem capiunt terrena, ſunt incuruati, inclinati ad terram: & non poſſunt ſurſum reſpicere, ſicut nec mulier illa, de qua dicitur Luc. 13. quòd erat *inclinata, nec poterat ſurſum ad cœlum reſpicere.* Iſti nihil diuinum recipiũt, quia mentem ſuam non habent ſuperiùs ad cœleſtia eleuatam, contra quos ad Coloſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt, ſapite; non quæ ſuper terram.* Primi ſunt homines qui habent erectos ad ſidera vultus. Secundi ſunt iumenta, quæ ſemper cibum capiunt à terra dicentes cum Pſalm. *Vt iumentum factus ſum.* Beatus autem Simeon ſciebat iſtud donum, iſtam oblationem eſſe diuinam, & cœleſtem, & eſſe bonam, & optimam: & illam de qua dicit Iacob. 1. cap. in Canonica ſua: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Ideo erexit ſe ad Deum, & aperuit cor ſuum, & clamabat: Quando veniet, & quando videbo, & tantum clamauit, quòd reſponſum accepit deſuper à Spiritu Sancto: *Non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.* Et ideo quia ſic ad Deum creatus, & apertus fuit, non ad mundum, hodie iſtam oblationem vidit; ſuſcepit: ita vt et dicat ipſemet Chriſtus illud Pſalm. *Tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.* Et ipſe gratias agit: *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei, &c.* Ideo Chriſtus ac ſi Simeonis deſiderium ardens, & feruidum ſit benè ſatiatum per oculorum viſionem, per manuum palpationem, per in vlnis geſtationem. Puer ſenem cum Pſalm. alloquitur: *Tenuiſti manũ dexteram meam, in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Nota: Chriſtus qui eſt gloria Beatorum, non niſi cum gloria dicitur ſuſcipi. Illa autem gloria eſt, de qua dicit Apoſtolus 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra, hoc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Sed de quibuſdam Chriſtus conqueritur cum Pſalm. *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam.* Sed quare ſicut leo? Nota leo habet tria, ſcilicet, crudelitatem in corde, fœtiditatem in ore, voracitatem in gutture: ſic quidam habent crudelitatem in corde per peccatum rancoris, & ſuperbiæ. Quidam habent Fœtiditatem in ore per peccatum Fœtoris, & immunditiæ: quidam habent voracitatẽ in gutture per peccatũ ardoris, & auaritiæ. Ideo dicitur: *Suſceperunt me, ſicut leo paratus, &c.* Dilata ſi vis, vt dixi in illo ſermone. Similis factus eſt leoni, &c. Ergo cum gloria ſuſcepimus iſtam oblationem: iuxta doctrinam in Canonica Iac. 1. *Abijcientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ cum manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas noſtras.* Talem enim, ſcilicet, Saluatorem eum recognouit: & inſtrumentum publicum factum eſt ipſe Simeon, quando ipſum ſuſcepit, & cantauit, dicens: Viderũt oculi mei ſalutare tuum, Ergo iſtud eſt ſalutare verbum, quod poteſt ſaluare animas noſtras. De cuius anima ſequitur in ſecundo.

Circa quod notandum, quòd oculus virtuoſus non ſiſtit in chriſtallo ſuppoſita litteræ, ſed penetrat vſque ad litteram. Radius virtuoſus non ſiſtit in vitria, ſed penetrat vſque ad interiorem intelligentia. Ita fuit in Beato Simeone. Tenens quippe Chriſtum Dei filium: & oculis fidei clarè reſpiciens, vidit exteriùs chriſtallum humanitatis, ſed ibi non ſiſtens penetrauit vſque ad intimam litteram Diuinitatis, quæ eſt *Alpha, & Omega, principium, & finis.* Apocal. vltimo. Vidit exteriùs vitream humanitatis: ſed penetrauit interiùs ad aulam eſſentiæ Diuinitatis: vidit litteram nigram humanitatis: & penetrauit vſque ad intelligentiam Diuinitatis, ideo ad matrem conuerſus, cùm penetraret ſecreta diuina futura, & præſentia dixit: *Ecce poſitus*

*Lucæ 13.* *Coloſ. 3.* *Pſal. 72.* *Iacob 1.* *Lucæ 2.* *Pſal. 138* *Pſal. 72.* *2. Cor. 1.* *Pſal. 16.* *Iacob. 1.* *Apoc. vl.*

Lucæ 2. *situs est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ergo non solùm eum suscepit Israel puerum suum corporaliter, sed penetratus spiritualiter, vt dicatur *susceptor animæ*. Vnde anima eius vsque ad Christi animam penetrauit; iuxta commune prouerbium: quòd amicorum spiritus se sentiũt.

Psal. 138. Ideo Psalm. *Tenebræ non obscurabuntur à te: & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ eius ita, & lumen eius*, sequitur: *Confitebor tibi Domine: quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis*. Nota tenebræ, & nox legis Mosaycæ non obscurabuntur, sed illuminantur à te puer: dixit Simeon Christo, & sicut tenebræ eius, id est, figuræ, quæ præcesserunt, ita & lumen eius, id est, veræ res, quæ succedit. Sicut enim præcessit figura; ita est res per omnia verisimè subsequentia, & ideo sicut tenebræ tempore legis Mosaycæ in figura præcedentis, ita & lumen temporis legis gratiæ in re veraciter subsequentis. Sed nota, ita & lumen in hoc quòd cognouit ipsum esse lumen modo mirabiliter penetrauit. In candela enim sunt hæc tria, scilicet, filum interiùs, cera exteriùs, lumen superiùs, sic in Christi persona erat filum interius, id est, anima. Cera virginalis exteriùs, id est, caro propria, lumen superiùs, id est, diuinitas excelsa: & hoc agnouit vsque ad diuinitatem, & animam penetrans, quando vocauit eum lumẽ dicens: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium*, & ideo dicitur hìc. *Ita & lumen eius*: ideo subiungit: *Confitebor tibi, quoniam magnificatus es; mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis*, id est, valde. Tunc confitebatur quando totum: *Nunc dimittis*. Prophetica voce cantauit. Cognouit valde, quoniam ipsum vocando lumen, illa tria in illo lumine in Christo esse cognouit: quæ quidam verificator sic pulchrè describit, videns, quòd ex hoc Ecclesia hodie luminaria, & candelas portari instituit, quia Simeon Christum lumen vocauit.

*Hanc in honore piæ candelam porto MARIÆ.*
*Accipe per ceram carnem de Virgine veram.*
*Per lumen numen, maiestatisquè cacumen.*
*Cera, Focus, Filum tria sunt monstrantia trinum.*

Omisit autem de filo, quia in cera, filum, continuitate contentum, filum intelligi voluit. Ergo in Simeone speculatio, fuit penetratiua vsque ad animam sicut præradiosa, quod patebit in Dei sermone prophetico: de

Hebr. 4. quo dicitur ad Hebr. 4. & sic fuit in Simeone: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus*. Hæc de secundo.

Quantùm ad tertium Nota, quòd seruus summè tenetur diligere illum Dominum, qui eum eripit de seruitute, liberat de carcere, soluit à vinculis, & ligamine, Beatus Simeon sicut, & cæteri propter peccatum primum erat in Diaboli seruitute, & carcere, sed erat anima eius in corpore velut in vinculis, donec veniret redemptio; quam debebat mittere misericors, miserator, & iustus Dominus. Et ideo cupiebat, & ipse de vinculis corporeæ fragilitatis absolui, sed non poterat nisi veniret promissum. *Responsum enim acceperat à Spiritu Sancto: non visurum se mortem, nisi videret priùs Christum Domini*. Eo igitur hodie viso, exultauit, & cantauit. Vidit enim suum liberatorem à carcere, Redemptorem à seruitute, Saluatorem à vinculorum ligamine: *Nunc* (inquit) *dimittis Domine seruum tuum in pace, &c.* Idcirco summa charitate, & dilectione illi adhæsit cum Psalm. dicens: *Diligam te Domine fortitudo mea*. Per solutionem à ligamine *Dominus firmamentum meum*. Per liberationem à carcere, *& liberator meus*. Per liberationem à seruitute. Illum igitur sicut salutare suum summè dilexit, qui erat debilis senectute, & infirmus carcere, de quo cum Psalmista dicebat: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem*. Ad quam, &c.

Psal. 17.

Psal. 117

## COLLATIO XLI. De Assumptione Beatæ MARIÆ Virginis, ex Psalmo 54.

EXtendit manum suam in retribuendo, in Psalm. 54. Sicut dicit Apostolus Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Vnde videtur mihi in factis Dei circa Assumptionem Beatæ MARIÆ, sic esse sicut in factis mundi: in mundanis enim sic video, quòd circa similem conuersationem hominum, & mulierum diuersarum regionum diuersæ sunt conditiones; in quibusdam enim regionibus est talis in simili conuersatione consuetudo: quòd licèt homines familiariter mutuò sibi manus extendant, tamen mulieribus nullo modo: immo manus à mulierum manibus retrahunt, & contactus mutuo sibi vetant, & mutuò simul à longe se salutant. Et hæc consuetudo consueuit esse in planis, & calidis regionibus: in quibusdam autem patrijs homines mulieribus, & mulieres hominibus sine quacumque nota mutua familiaritate manus extendunt, & mutuis contactibus se receptant; immo esset incuriale, & in ciuile à muliere valoris ab aliquo retrahere manum suam. Hæc autem consuetudo

Psal. 54. Roman. 1

fuetudo eſt terra mea, & in locis montanis, & in locis frigidis, & regionibus altis. Sic circa ſpiritualia. Per regionem planam, vallosam, & calidam, intelligo mundum iſtum, in quo viget ignis concupiſcentiæ. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ*, & 1. Ioan. 5. *Totus mundus in maligno.* Id eſt, in malo igne *poſitus eſt.* Per terram montuoſam, & frigidam intelligo Dei Paradiſum, Regnum cœleſtis patriæ; in quo viget frugus ſpiritualis temperantiæ; vnde de iſta in Pſalm. *Super eam nibe dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.* In valle ergo calida huius mundi, vbi viget carnis concupiſcentiæ, non eſt nec eſſe debet nimia ad mulieres manuum familiaris extenſio, quia Apoſtolus clamat, 1. Corinth. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Et Iob contra mulierem clamat: *Manum tuam longè fac à me.* Iob 13. Qui enim tetigerit picem, coinquinabitur ab ea. Ideo Pſalmus: *Non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* In monte autem Domini, vbi eſt frigiditas, & temperantia, & omnis continentia: quia ibi, *neque nubent, neque nubentur.* Matth. 22. Eſt omnium per charitatem, & virorum, & mulierum familiariſsima ſocietas: & quoad manuum extenſionem, & quoad omnia familiariſsima conuerſatio. Vnde ibi ſequitur: *Habitabit iuuenis cum Virgine.* Vt dicitur Iſaiæ 62. Vnde Pſalmus: *Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini quia exaltatum eſt.* Dei igitur filius hoc modo vtitur circa mulieres, id eſt, circa animas noſtras ſponſas ſuas; quandiu enim ſumus in mundo iſto. In hac valle, non extendit manum æternæ retributionis; ſed ſolum à longè nos ſalutat per largitionem gratiæ, & meritoriæ operationis. Num. 24 *Intuebor eum, ſed non modo.* In Paradiſo autem extendit nobis manum æternæ retributionis, vnde dicitur. Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.* Et vtrumque horum fuit pulchrè figuratũ. Ioan. vlt. Cùm enim Chriſtus reſurgens Magdalenæ apparuiſſet, & illa vellet eum præ gaudio amplexari, & tangere: quamuis Thomæ, & cęteris dicturus eſſet: *Palpate, & videte.* Tamen Magdalenæ dixit: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi.* Quaſi diceret: non in terreſtri, & inferiori patria: ſed in cœleſti, & in ſuperiori gloria extendam ad te, & alios manum meam. Inter cęteras autem mulieres, & Dominas hoc Chriſtus ſpecialiter videtur circa matrem Virginem obſeruaſſe; non enim ei in mundo iſto manum vltimæ retributionis: immo nec corporalis contactionis ei familiariter exhibuit, immo ſemper ab ea quaſi duriùs manus traxit. In cruce enim moriens brachia extenſa habens non per manuum exteriorem ab ea contactum commemoratum recepit, ſed duriùs loquens ait: *Mulier, ecce filius tuus.* Ecce tota familiaris collocutio inter ambos, ſed tandem in feſto Aſſumptionis ipſa aſcendens montem Domini, & locum ſanctum eius. Tunc manum æternæ retributionis familiaris contactionis ſibi extendi clamitat, dicens: *Emitte manum tuam de alto, & eripe me, &c.* Quod Chriſtus fecit, ſicut pulchrè figuratum eſt Eſther 5. vbi dicitur: *Die tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis.* Regalia veſtimenta Chriſti Regis fuerunt Chriſti membra glorificata, & dotibus corporis glorioſi dotata. Iſtis regalibus veſtimentis glorificato corpore fuit tertio die induta. Quia die tertio eam Dei filius ſuſcitauit. Notæ: quomodo in magnis feſtiuitatibus induuntur eiſdem regalibus veſtimentis Rex, & Regina: *Et ſtetit in atrio domus Regiæ, quod erat interiùs contra Baſilicam Regis.* Domus Chriſti habet duo atria: Eccleſiam Militantem exteriùs, & Eccleſiam Triumphantem interiùs, Pſalm. *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis.* Igitur Virgo Beata ſteterat in Militante exteriùs annis 60. ſed hodie ſtetit in Eccleſia Triumphante interiùs. Et ideo ſtetit in atrio, quod erat interius, & Rex ſedebat, id eſt, Chriſtus in ſolio Conſiſtorij ſui, ſcilicet, Paradiſi: *Cumque vidiſſet Eſther Reginam ſtantem, placuit in oculis, & extendit contra eam virgam, quam manu tenebat.* Id eſt, æquitatem, & pietatem iuſtæ retributionis, & dixit: *Si dimidiam partem Regni petieris dabitur tibi.* Immo certè datum ipſi fuit Regan: quia cõregnouit Chriſto. Vnde cantamus: Regina Angelorum digna es vocari. Et Nota ſi Dei filius etiam dimidiam partem Regni paratus eſt dare, numquid dabit ei vnũ peccatorem ſi eum petierit, qui non eſt milliſsima pars Regni? certè immo. Igitur licèt Dei filius ad Matrem in hoc mundo manum remiſſam habuit: tamen in morte in cœlum manum largæ retributionis ipſi extendit, & hoc eſt: *Extendit manum ſuam, &c.* Vbi Pſalm. in filio Virginis circa Matris aſſumptionem deſcribit eius charitatem: *Extendit.* Auctoritatem: *Manum ſuam.* Æquitatem: *In retribuendo.* Deſcribitur autem Diuina charitas ſicut influentior: *Extendit* Diuina Auctoritas, ſicut familiaior: *Manum ſuam.* Diuina Æquitas ſicut vtilior: *In retribuendo.* Igitur Diuina Charitas fuit influentior ex magna Benignitate: *Extendit.* Diuina auctoritas fuit Familiarior ex magna Humanitate: *Manum ſuam.* Diuina æquitas fuit vtilior ex magna felicitate: *In retribuendo.*

Quantùm ad primum Nota, quòd Curialitas, & benignitas, filij ad matrem maximè percipitur, quando ipſi aſsiſtit in periculo, quando aſsiſtit in bello; quando ipſi aſsiſtit in morte, & in fine vltimo. Ad talia enim filij

ad

1. Ioan. 2.
1. Ioan. 5.
Pſal. 67.
1. Cor. 7.
Iob 13.
Pſal. 124
Matt. 22
Iſai. 62.
Pſal. 148
Num. 24
Sap. 3.
Ioan. vlt.
Lucæ 24.
Ioan. 20.
Ioan. 19.
Pſal. 143
Eſther 5.
Pſal. 121

ad parentes naturaliter obligantur. Exemplum in natura. Vitis enim á terra habet originem, vtà matre. Vitis autem terræ matri rependit iuxta recepta in terræ necessitatibus. Namquantum in terra figit radices, tantum supra terram contra tempestates extendit palmites: ne terra lędatur à Solis ardore. Ita fecit Dei filius, ipse namque iuxta beneficia quæ à matre receperat viuendo, matri recompensauit in morte assistendo. Vnde astitit ipsi in mortis periculo per suæ corporalis præsentiæ exhibitionem. Astitit ipsi in bello per Dœmonum fugam, & repulsionem, astitit ipsi in feretro per Iudæorum persequẽtiũ plagã, & persecutionẽ. Nota hoc in floribus Sanctorum de eius Assumptione. Ad *Psal. 79.* hoc videtur loqui Psalm. *Vineam de Ægypto transtulisti, &c.* Quantum consequenter exponeretur, vbi intelligendum, quòd Scriptura Sacra. Virginem vocat vineam: *Vinea mea coram me.* Cantic. 8. Filium vocat vi- *Cant. 8.* tem, Apostolos vocat palmites Ioan. 15. *Ego* *Ioan. 15.* *sum vitis vera, & vos palmites.* Dicit ergo: *Vineam*, id est, Virginem MARIAM, *de Ægypto* vastitatis huius mundi, *transtulisti*, id est, in terram viuentium tecum tulisti: *Eiecisti Gentes*, id est, Dœmones, & Iudęos persequentes: *Et plantasti eam*, in medio Paradisi, sicut plantam vitæ collocasti: *Dux itineris fuisti in conspectu eius.* Hoc est palmã virentem in ducatum funeris de Paradiso *in* * *conspectu eius*, portari massam * misisti, & *impleuit terram*, id est, hoc fecisti, quia illum portauit: qui impleuit terram Ecclesiæ Militantis, & Ecclesiæ Triumphantis, qui di- *Iere. 23.* cit Ierem. 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Et quid fecit vltra filius. Certè extendit ipse *sicut vitis palmites suos vsque ad mare.* MARIA interpretatur amarum mare. Extendit ergo palmites suos, id est, Apostolos suos extensè dispersos, vsque ad MARIAM in eius morte adduxit: & sicut MARIA dicitur amarum mare ratione aduersitatum in præsenti mundo: ita dicitur fluuius dolcis ratione prosperitatum in Paradiso. Adduxit ergo non solum palmites, ideſt, Apostolos vsque ad ma- D re: immo: *Vsque ad flumen progagines eius*, id est, Angelos Sanctos. *Sed exterminauit eam aper de sylua.* Id est, Principes Sacerdotum manum apponentes ad feretrum exterminare voluit: *Et singularis fera*, id est, populus Iudaicus, *de pastus est eam*, id est, dissipare voluit: sed non potuerunt, nec iste, nec ille, diuina percussi virtute. Ergo Domine Deus ea sepulta in valle Iosaphat ad hæc *ad eam conuertere, & vide* ad hæc: *Et iterum visita vineam istam, & perfice eam*, id est, resuscitando, & animam corpori reuniendo perfectam effice: quod & fecit ipsam in corpore, & anima cum hymnis cœlestibus ad thronum cœlestem transportando. Hæc omnia

A Nota in legenda de Assumptione: Ergo hæc fuit filij Curialitas, quæ describitur, cùm dicitur. *Extendit.* Hæc de primo.

Quantùm ad secundum Nota: contingit quandoque Principem ad domum pauperis declinare: & cùm sunt in ingressu domus mutuò se inuitant: & tunc Princeps consueuit sua curialitate dicere: præcedite sicut patrinus meus, si est vir: vel sicut matrina mea, si est mulier: & ego ero filiolus vester. Tunc pauper manutenendo Principem introducit eum ducendo per domum. E conuerso autem Princeps eodem paupere veniente ad Principis palatium consueuit præcedere, & manu tenendo pauperem ad suum palatium introB ducere, & dicere. Vos fuistis patrinus meus in domo vestra, vel matrina mea, & ego filiolus vester. Econuerso. Ego volo esse patrinus vester in domo mea, & vos eritis filius meus, vel filiola mea, & sic beneficijs, & honoribus receptum persequi, vel receptam. Ita fuit de Christo, & Virgine. Ipse enim Christus *Princeps Regum terræ*, vt dicitur Apocalypsis 1. *Apoc. 1.* Ad domum Virginis mulieris pauperculæ mundum istum ingrediens reclinauit, & conceptus est in eius vtero, factus est ei filius per temporalẽ generationem. Sed volens mater isto nato Principi ostendere tẽplum, & palatium, in quo ipsa fuerat enutrita: puerum manu ad manum, immo brachijs tenens in die C Purificationis corporaliter introduxit, & sic facta est ei Matrina quæ Mater. In festo autem Assumptionis post regressum Principis ad palatium, eius Virgo Mater peruenit. Eam igitur Princeps proprius filius volens honorare: ei à longè obuiam processit: quia ad Beatam Virginem in hunc mundum quærendam aduenit. Cùmque essent ad fores Palatij Paradisi, se de ingressu inuitantibus, filius dixit: Mater mea vos fuistis in mundo, in terris, Mater mea per generationem, Matrina per manualem in templum introductionem, & ego fui vester filius, & filiolus. Nunc in cœlis ego, qui sum pater vester per creationem, volo esse patrinus per Paradisi templi non manu facti glorioſam introD ductionem, & vos eritis non solùm filia, sed filiola. Ideo cantamus ei: Genuisti modo miro genitorem filia. Tunc Dei filius eius manum dexteram apprehendens, & in Paradisum introducens dixit: *Veni electa mea, & ponam te in thronum meum.* Et per totum Paradisum deducens tandem in corpore, & anima sua dextera desuper omnes Angelos collocauit, & hoc ipsa ei regratiatur in Psalm. *Tenui* *Psal. 72.* *sti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Quantùm ad animam glorificatam primò: *Et cum gloria iterum suscepisti me.* Quantùm ad corpus glorificatum secundò. Quantùm *enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram*, id est, illud totum,

tum, habeo in cœlo quidquid tibi exigere volui super terram, in qua, per mortem corporalem: *Defecit caro mea, & cor meum.* Sed tu resuscitasti, & reparasti, qui es *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Ita enim ipsa confitetur alibi in Psalm. *Formasti me,* per creationem, *& posuisti super me manum tuam,* per datam resurrectionem: præcedit enim: *Tu cognouisti sessionẽ meam, & resurrectionem meam.* Nec mirum, quia ipsa viuens orauerat cum Psalm. dicens: *Fiat manus tua, vt saluet me, quoniam mandata tua elegi.* Hæc de secundo.

*Psal.* 138.

*Psal.* 118

Quantùm ad tertium Nota, quòd quamuis parentibus esset necessarium, & valde conueniret, iuxta beneficia retribuere: tamen non est possibile, quia secundùm Philosophum. Dijs, & parentibus æquiualens recompensare non possumus. A parentibus enim habemus esse, educationem, & instructionem, seu eruditionem, quæ non sunt benè recompensabilia. Quamuis autem parentibus non possit recompensari æquiualens secundùm quantitatem: potest tamen aliquid recompensari secundùm proportionem, ideo Deus præceptum dedit de honorando. Vnde dixit. Isai. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Igitur multùm esset crudelis, & ingratus filius, qui multis receptis beneficijs à matre dilectrice impensis, ad Regnum proueniens matrem non summè honoraret: nisi ei debitè in quibus posset, saltem proportionabiliter recompensaret. Virgo Beatissima super omnes mulieres vnicum filium adamauit, 2. Regum 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* In eo enim nullum temporalem participem habuit, sicut habent in suis filijs ceteræ mulieres. Quidquid autem famulatus, quidquid seruitij, quidquid beneficij, quidquid honoris, quidquid vtilitatis potuit impendere, totum filio amorosè, & præcordiosè impendit. Ipsa enim ipsum concepit in vtero, gestauit in aluo, patuit in gremio, lactauit vbere de cœlo pleno, præsentauit in templo, fugit cum eo in Ægyptum, fuit præsens in crucis patibulo, adfuit, & in sepulchro. Filius autem, etsi est ex parte matris pauperculus, tamen ex parte patris ditissimus, vnde dixit Angelus Virgini. Lucæ 1. *Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit, &c.* Igitur etsi non possit Matri gloriosæ in quantum filius hominis recompensare, nisi secundùm proportionem: tamen in quantùm filius Altissimi potest recompensare secundùm eamdem quantitatem. Ergo Christe Beatissime, qui ad Regnum peruenisti regnare in secula: *Potens es Domine, & veritas in circuitu tuo.* Vt docet Psal. Ecce moritur Beatissima dilectrix, & genitrix tua, nũquid eius poteris obliuisci? nũquid aliquid ei retribues pro omnibus, quæ tribuit ipsa tibi? O Domine IESV Christe, tu mãdasti, secundùm Psalm. *Mandata tua custodiri mimis: quia in custodiendis illis retributio multa.* Ergo quia tu dixisti: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quem honorem impendes tuæ matri? Quid Domine respondes: nunquid tu huius legislator, eris huius legis dissipator? Tu dixisti Eccles. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ non obliuiscaris, & retribue illis quomodo, & illi tibi.* Recordare gemitus pissimæ tuæ Matris, ploratus, fletus, singultus, & eiulatus, cùm te videret pendentem in patibulo: iacentem in sepulchro: ergo nunquid retribues? Tu dixisti: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Matth. 5. Ergo non retribues matri tuæ? Tu es filius, & es Deus. Dixisti autem ore tuo. Eccles. 3. *In die malorum non immemor sis bonorum, & in die bonorum non immemor sis malorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Ergo Domine si tibi Deo est facile, & ecce hodie obitus tuæ matris, nunquid retribues? lætifica deuotos tuæ Matris, vide quid ipsa loquitur per tuum Citharedam, & Psalmistam: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Sed ecce quid respondet. *Retribuam.* O Domine si credimus: iurat quòd retribuet hæc. Quæramus à lingua sponsi, & sponsæ ab isto Psalm. Vtique dixit: Ipse retribuet, & de gestatione, nutritione, & de lactatione, & de omnibus retribuet Matri suæ. Quomodo scitis hoc Psalmista. Quia vtique. *Iurauit Dominus Deus veritatem, & non frustrabitur eam.* Et quomodo? Certè in anima sua. Iurauit enim in anima sua, quòd Matri genitrici, dilectrici, ac lactatrici sicut filius optimus retribuet abũdãter ibi: *Sicut ablactatus super matre sua: ita retributio in anima mea.* Certè credere possumus, ex quo in anima sua iurauit. Hæc autem retributio describitur Eccles. 20. *Est datum, cuius retributio est duplex.* Pro omni enim dato per Virginem, Christus duplicem retribuit animæ suæ, & corporis glorificationem: ergo Virgo Beatissima pro nobis peccatoribus retributorem tuum ora, quia Beatus est qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis. O quàm Beatus erit, qui tenebit! Ad quam beatitudinem, &c.

*Tob.* 4.

*Matt.* 5.

*Eccles.* 3.

*Psal.* 141

*Psal.* 131

*Psal.* 130

*Eccl.* 20.

## *COLLATIO XLV. De Assumptione Dominica, ex Psalm. 60.*

*Psal.* 60.

*INhabitabo in tabernaculo tuo in secula.* In Psalm. 60. Secundùm mundanum sapientem actus, actiuorum sunt in patiente dispositio. Cuius ratio est: quælibet res libenter est, & conseruatur in loco proportionato; quam proportionem facit dispositio. Hoc expe-

experimur manifestè, quia videmus esse differentiam inter aues terrestres, & cœlestes; Aues namque terrestres, quia sunt volatus inferioris non habitant nisi inferioribus. Vnde non nidificant nisi in arbore, vt patet de Pica. Aues autem cœlestes, qui sunt volatus superioris, non habitant nisi in superioribus, vnde nidificant in monte, in alta rupe, vt patet de Aquila: hoc idem per figuram legimus in Scriptura. Dauid enim sublimatus ad Regni solium quęsiuit sibi ad habitationem altum locum tanquam proportionatum suæ dignitati, & congruum, scilicet, Montem Sion, vnde
1.*Par.*10 dicitur 1. Paralipomen. 10. *Dauid cœpit arcem* Sion, quæ est ciuitas Dauid in arce. Idcir co appellata est ciuitas Dauid. Dei filius est, auis cœlestis Orientalis, quam Virgo Beata
*Isai.* 64. vocauit ab Oriente Cœlestis patriæ Isai. 46. *Vocans ab Oriente auem.* Ipse enim *visitauit*
*Lucæ* 1. *nos Oriens ex alto.* Lucæ 1. hoc est, ideo auis, non terrestris, sed cœlestis: *Quia qui de terra*
*Ioan.* 3. *est, de terra loquitur, qui autem de cœlo venit super omnes est.* Ioan. 3. Igitur Diabolus sicut pica homines per tentationes, diuersimode priuans, non in altis, sed in hominibus in finis facit nidum suum. Cuius figura est,
*Marc.* 5. quod Marc. 5 cap. dicitur. *In porcos*, id est, in homines immundè viuentes *intrauerunt*: sed illa cœlestis aquila Dei filius, non nisi in altis, & in arduis: in petra posuit nidum suũ, id est, in Virgine, In virtutum, culmine super cæteras creaturas eleuata, & in firmitate fidei
*Iob* 39. solidata. Vnde Iob 39. *Ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum*
*Psal.* 112 *suum. in petris manet, in præruptis silicibus commoratur.* Ideo dicit Psalm. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit.* Ideo Dei filius voluit alter Dauid vultu desiderabilis: *Quia speciosus forma præ filijs hominum*, cepit arcem
*Psalm.* Sion. Id est, partem sublimiorem ciuitatis Ierusalem: Hæc pars sublimior ciuitas Ecclesiæ Militantis est Virgo Beata, quam cepit Dei filius, non captione violenta: sed electione, & infusione specialis gratiæ. Vnde
*Lucæ* 1. Lucæ 1. Quod *Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c. Ad Virginem.* Ecce eleuatio: fuerunt simul Virginitas, & fœcunditas: *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Ergo hæc dicta est ciuitas Dauid Habitabit in ea, scilicet, per incarnationem Psalm. *Gloriosa*
*Psal.* 86. *dicta sunt de te ciuitas Dei; homo natus est in ea; & ipse fundauit eam.* Quia igitur Dauid, scilicet filius Dei, *habitauit in ea*, dicta
*Psal.* 47. est *Ciuitas Dei* Psalm. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in Monte Sancto eius, &c.* Vsque vbique ibi: *Ciuitas Regis magni.* Hæc est igitur pars Dei filio ratione donationis, proportionata inhabitatio, quia ipse est Altissimus: *Tu solus*
*Psal.* 96. *Altissimus super omnem terram.* In Psalm.

A ideo dicitur ibidem: *Et elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.* Igitur Dei filius è sinu Paterno progrediens, mundum istum ingrediens, ad Virginis habitationem perueniens, sic eam Curialiter alloquitur. *In habitabo, &c.* In quibus verbis filium Dei venientem describit quàm pulchrerrimè, quia * aggreditur: *Inhabitabo.* Ingreditur: *In tabernaculo.* Progreditur: *In secula.* Et eam pulchrè, Aggreditur, quia præueniens aluum virgineum: *Inhabitabo.* Pulchrè ingreditur: quia introiens pectus consentaneum: *In tabernaculo tuo.* Pulchrè progreditur: quia stabiliens pactum spontaneum: *In secula.* Pulchrè quidem aggreditur: quia
B præueniens aluum virgineum manens æternus genitura: *Inhabitabo.* Pulchrè quidem progreditur: quia introiens pectus consentaneum, creãs factus factura: *In tabernaculo.* Pulchrè quidem ingreditur * stabiliens pactum spontaneum firmans fultus natura: *In secula.*

Quantùm ad primum. Nota: quòd Eccles. 18. dicitur: *Ab vno sensato inhabitabitur terra, & à tribus impijs deseretur.* Vult dicere, quòd tres mali reddunt terram desertam, & vnus sensatus reddit habitatam: ita re
C ctè est ad propositum. Deus humanam naturam creauit optimam, tamquam terram fructiferam, sed coniuncti fuerunt tres impij, & terram destruxerunt, & quæ erat Dei habitatio inhabitabilem Deo reddiderunt. Hi tres impij fuerunt Diabolus, Adam, Eua, isti conuerterunt: *Terram fructiferam in salsuginem à malitia habitantium in ea.* Vnde vidit Deus, & ad iracundiam concitatus est, & ait: *Abscõdam faciem meam ab eis.* Deut. 32. sed tandem ab vno sensato, immo ab illo: qui est fons sapientiæ in excelsis, fuit hæc terra inhabitata, sed quomodo? rectè, sicut dicitur in vulgari; tandiu * enim alicui est optimè,
D & quærit alia, per quæ potest habere malè, consueuit dici: Cestuij va cherchant le mal comme le medecin. Iste quærit malum, sicut medicus. Contingit aliquando, quòd magnus Princeps, cui est optimè in sua patria, qui fruitur optimis, & optimis in ciuitate sua, quærit nouam patriam, & non ita bonam ad spacium, & ad solatium, dimissa meliore: vnde aliquando reperto spetioso horto consueuit ad tempus, non obstantibus pluuijs, & multis aduersitatibus, quas ipse, & sui sustinent, in tali deserto, & inhabitato suam ponere habitationem, & de tali consueuit dici, quòd quærit malum sicut medicus. Ita spiritualiter Dei filius *Princeps omnium Regum terræ.* Vt dicitur Apocal. 1. habens æternæ beatitudinis infinitam fruitionem in Patris dextera, ad regionem mundanæ patriæ voluit declinare; ad terram vtique disparem primæ: quia eius patria est patria optima: quia habẽs om-

* *Ingreditur*

* *Progreditur.* *Eccl.* 18.

*Deut.* 32.

* *quandiu*

*Apoc.* 1.

Psal. 6. omnia : *Bona Domini in terra viuentium,* vt dicitur in Psalm. sed patria huius mundi est terra *tenebrosa, & operta mortis caligine.*

Iob 4. Vt dicitur, Iob 4. cap. Non obstante autem pluuia persecutionis, & tempestate passionis in se, & in sua familia quoad suos Apostolos, & fideles cæteros, in hac patria vno orta, * pulcherrimo, deserto ab omni virili consortio, non habitato ab aliquo vitio, per suum nuncium Gabrielem Archangelum adinuento, & reperto ad manum suam, per illud *Dominus tecum,* fecit in eo suam habitationem. Vndè in ea incarnatus est, & veraciter humanatus. Illa ergo terra humana, quæ à tribus impijs erat reddita deserta ab vno sensato, postea est inhabitata, sanctitate introducta, & omni iniquitate procul pulsa: vnde dicit ipse per Psalm. *In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Ad hoc vult loqui. Isaias 62. *Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino in te.* Nota de muliere, quæ dixit, quòd quando homo est tædiatus de pane triticeo, libenter comedit de siligineo, & tali consueuit dici, quòd quærit meliorem panem, quàm de frumento, sed verè potest dici, quòd Christus veniès ad istam habitationem, quærebat, malum sicut medicus vtique quod sustineret quantùm ad pœnam in se, & quod curaret quantum ad culpam in te. An forte non ipse est ille medicus, de quo 1. Regum 2. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Et de quo Augustinus. Ad nos venit de cœlo medicus magnus: quia totus mundus iacebat ægrotus. Figuratur Lucæ 10. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & cecidit inter latrones, qui expoliauerunt eum, & plagis impositis eum semiviuum reliquerunt.* Quis est iste homo, qui descendit? certè ipse est Adam de Ierusalem descendens, id est, de statu innocentiæ in statum culpæ : & Diaboli despoliauerunt eum, & plagis impositis: quia vulneratus fuit in corpore, & anima. Venit enim medicus supremus in vterum Virginis, & sanauit eum ab omnibus infirmitatibus suis ; hoc nũquam potuit facere Galenus. An non iste est ille: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Vt docet Psalmus. Iste est ille medicus, qui gustauit medicinæ mortis amaritudinem, vt tolleret à nobis mortalem ægritudinem : ergo quæsiuit malum sicut medicus: quæsiuit vbi iacebat ægrotus. Primam dictam fecit ad vterum virginalem, vbi primitus fecit primam curam. Apud hospitem enim suam abstulit opprobrium sterilitatis largiens donum fœcundatis, vbi, obsecro, istam receptam posuit Auicenna, vt matrem redderet, & Virginem consentiret? vt fœcunditatem, & fructum adduceret, & flos pudoris non marcescereturr? Hyppocrates ad talia non peruenit. Sed huc ad hoc venit medicus, vt in se mala sustineat, & à nobis ea tollat, & vitam tribuat, & gloriam. Psalmista: *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius; vt inhabitet gloria in terra nostra.* O quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres? Hæc fuit magna benignitas medici, vt tantus medicus ad talem habitationem amore veniret ægroti. Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum humilibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus eius erunt, & ipse erit eorum Deus, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor, quia prima abierunt.* Totum Medicorum Antidotarium, Antidotarium non potest habere simile dictamen, vel similem amphorismum, * Exponatur ad placitum. De hoc autem tabernaculo sequitur in secundo. Circa quod nota, quòd Ioannes Dei filium venientem vocat lucem. Ioannes 1. *Erat lux vera, &c.* Hæc lux aliquando sic fuit abscondita, vt nul latenus videri posset, vnde Iob valde sollicitus 38. cap. petebat: *Indica mihi si nosti in terris, in qua via habitet lux.* Et pro vero, quia in toto veteri testamento hæc lux hominiñ lucebat, sed erat velata figuris, obumbrata mysterijs: ideo nullus respondere sciuit nisi Lucifer ille: Psalm. *Posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius, tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Ideo petebat sapiens Eccles. 36. *Ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Sed hodie ista lux in tenebris lucet, & incipit respondere quæstioni Iob dicentis : *Indica mihi si nosti, in qua via habitet lux.* Posset naturaliter responderi: habitatio propria fons, tabernaculum, & habitaculum primum, & principale lucis naturalis est, sol materialis. Ita certè de luce increata si quæratur: *Indica mihi si nosti,* hodie *in qua via habitet lux.* Dicam, quòd proprium habitaculum lucis increatæ est Sol spiritualis, id est, Virgo MARIA sola cum virginitate, & fœcunditate, sicut *Sol refulgens in templo Dei.* Et ideo Psalmista. Qui respondit quantum ad vetus testamentum, respondeat quoad nouum. *Indica* (inquit Iob) *Mihi si nosti, in qua via habitet lux.* Respondet Psalmist. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Nota: quam primò vocat solem, postea vocat thalamum. Ratio est, quare Virgo Beata dicitur Sol. In sole enim naturali videmus, quòd Sol lucem à nullo alio corpore recipit nisi à solo Deo. Omnes autem alij Planetæ, non solùm à Deo, sed ab alio corpore luminoso lucem recipiunt. Radius igitur in sole à Deo datus, ingreditur absque corporis sola-

Lucæ 1.

Psal. 62.

Isai. 62

1. Reg. 2.

Lucæ 10.

Psal. 146

* horto

Apoc. 21.

* Aphorismum

Ioan. 1.

Iob 38.

Psal. 103

Eccl. 36.

Psal. 18.

solaris corruptione, & ingreditur absque solis quacumque violatione, sic Beata Virgo dicitur Sol, & filius radius: quia omnes aliæ mulieres non à solo Deo, sed etiam ex adiuncto viro prolem suscipiunt, & ideo cum corruptione concipiunt, & cum dolore, & violatione violatæ, pariunt. Sed sola Virgo sicut Sol radium à solo Deo susceptit, filium hac die sine corruptione concipiens, & sine dolore inuiolata paritura. Vnde cantamus ei, in quadam sequentia, sicut sydus radium profert Virgo filium, &c. Et ideo dicitur de isto radio, quòd: *In sole posuit tabernaculum suum.* Propter hoc petebat
*Psal. 14.* Psalm. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.* Respondet ipse. *Qui ingreditur sine macula.* Solus Deus filius vterum maternum ingressus est sine macula in se, & absque
* *Matre* macula in matre, * & ideo solus iste *in sole posuit tabernaculum suum.* Sed. Nota, quã vocat solẽ postea vocat thalamũ. Ratio est; quia quãuis spõsus habeat plures cameras, quas inhabitat: tamẽ habet vnam specialẽ secretam, quam cum sponsa nullus ingreditur, nisi ipse, & illa thalamus appellatur. Sic Dei filio, quamuis ipse habeat diuersas cameras, id est, diuersas sanctas conscientias, quas inhabitat per gratiam,
*1. Cor. 3.* iuxta illud. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.* Vnde habuit cameram specialem secretam, quam nunquam aliquis ingressus est, nisi ipse Solus, & hoc fecit hodie, quam inhabitauit per personalem præsentiam. Et hæc camera, quæ fuit vterus Virginalis soli sibi secretus, dicta est thalamus huius sponsi. Hoc fuit pulcrè figuratum. Ezeq. 44. *Vidi portam in domo Domini*
*Ezeq. 44.* *clausam. Porta hæc clausa erit, & non aperietur: quia solus Deus intrat, & egredietur per eam.* Expone figuram, si vis vt alibi. De hoc ergo thalamo, in quo secretè solus Deus fuit, sicut in proprio tabernaculo. Videtur, ipsa dicere illud. Iob 23. *Splendebat lucerna eius ad caput meum, & ad lumen eius ambulabam in diebus adolescentiæ meæ.* Quando secretè Deus erat mecum in thalamo meo. Eccles. 24. *Qui*
*Eccles. 24* *creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quere in sermonibus illis, Sanctificauit, & Deus nostet.

Quantùm ad tertium Nota, quòd inter pactum, vel fœdus humanum, & diuinum est differentia; quia pactum, & fœdus diuinum est firmum, & stabile, & perpetuum, & durans in secula; sed fœdus, & pactum humanum est mobile factum, & instabile. De pacto diuino patet, quia
*Ps. 118.* Psalm. *In æternum Domine permanet verbum tuum,*
*Genes. 9.* Genes. 9. *Ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos.* Sed de mundano dicit Psalm. *Omnis*
*Psal. 115,* *homo mendax. Mendaces filij hominum.* Nun-
*Psal. 116.* quid *Laban* legitur * mutasse decies mercedem *Iacob* genero suo? Genes. 31. Dei filius
** non legitur Laban* pepigit factus cum humana natura in vtero Virginis sibi ipsam assumendo in vnitatem suppositi. Hoc fuit cœleste connubium in thalamo vteri virginalis hodie consummatum. Sed huiusmodi matrimonij nunquã potuit, nec poterit celebrari diuortiũ: quia pacto diuino, & perpetuo in secula est firmatũ; ideo dicebat Psal. *Psal. 31.* *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti.* Anima quidem per passionem fuit à corpore separata: sed vtrique remansit diuinitas semper vnita. Nota, exemplum de arcu fracto, & chorda, & ideo pactum istius vnionis Beatæ dicitur in secula. Ioan. 7 *Semper mecum est, & non reliquit me solum:* quia quæ *placita sunt ei, facio* *Ioan. 7.* *semper.* Nunquam Diuinitas in quacumque passione humanitatem reliquit. Non sic seruant mundani pactum illis, quos diligunt; si enim eis sunt vniti in prosperitatibus, tamen eos relinquunt in aduersitatibus. Ita fecerunt Apostoli circa Christum; Quem enim in prosperitatibus secuti fuerant, in tempore passionis omnes, eo relicto, fugerunt, quilibet potest mundo dicere: *Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria.* In miseria *Psal. 87.* enim nullus cognoscit amicum, sed non est tale fœdus Dei, imò in miseria est maximè amicus vnicus, Psalm. *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum.* Ideo dicitur hic: *In* *Psal. 90.* *secula.* Hoc cognoscebat Psalm. *Exaltabo te* *Psal. 144.* *Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.* Ipse enim est ille de quo Apocal. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à* *Apoc. 1.* *peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes;* ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

## COLLATIO XLVIII. *De festo Natalis Domini, vel Annunciatione Dominica, ex Psalm. 69.*

*EGO verò egenus, & pauper sum Deus.* In *Psal. 69.* Psalm. 69. Sicut sub pretioso habitu latet quandoque persona paruæ conditionis. Vt patet in histrionibus, qui portant vestes pretiosas sibi datas: ita sub abiecto habitu latet quandoque persona magnæ perfectionis. Vt patet in Regibus, qui portant aliquando vestes seruorum, vestes mutatas, & simulatas; hoc autem Reges consueuerunt facere bellum aliquod ingressuri. Figura 1. Regum 28. Ille Saul intrans *1. Reg. 28.* bellum, mutauit habitum, & venit ad mulierem in Endor: quem tandem mulier agnoscens, dixit: *Tu es enim Saul;* abiectus ergo habitus non tollit personæ perfectionẽm, non tollit Regiam dignitatem: & quandoque affert magnam vtilitatem; quia frequenter in bellis per dissimulatum habitum: Reges victoriam obtinent, & triumphum. Spiritualiter Dei Filius in hunc mundum intrauit, velut alter Rex contra Philistæos, id est, Diabolos pugnaturus. Priùs tamen venit ad mulierem, ad MARIAM

Virginem: vbi habitum Diuinæ Maiestatis operuit, veste nostræ assumptæ humanitatis. Si enim veste diuinitatis indutus contra Diabolum veniisset, statim Diabolus fugisset, & nunquam ei in campum occurrisset. Ideo mutauit Rex habitum suum, & à Diabolo incognitus sub veste abiecta, & paupere nostræ paupertatis vinceret inimicum; vnde dicit Apostolus ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* Phil. 2. *sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Igitur sicut aurum sub arena latet, & nascitur: nec perdit suam nobilitatem; sicut lapis pretiosus sub terra iacet, & oritur; nec perdit suam pretiositatem; ita Dei filius in hunc mundum ingrediens sub terra: sub arena nostræ humanitatis positus de terra, de Virgine MARIA paupere egreditur: nec perdit suam diuinitatem. Et hoc est, quod ipse in verbis assumptis testatum: *Ego verò egenus, & pauper sum Deus.* Vbi describitur aliquid humile, quod apprehendit: *Ego egenus, & pauper.* Aliquid vtile, quod impendit: *Deus.* Aliquid mirabile, quod comprehendit: *Sum.* Scilicet, vtrumque describit ergo Dei Filius in humili grande supplicium nostræ calamitatis: *Ego egenus.* In vtili grande fastigium supernæ maiestatis: *Deus.* In mirabili grande consortium stupendæ vnitatis: *Sum, &c.*

Quantùm ad primum. Nota, quòd posset aliquis mirari, quare Dei Filius mundum ingrediens ita voluit esse pauper; cùm quidam Philosophus dixerit, quòd paupertas est odibile bonum. Certè respondet ad hoc Apostolus, 2. Corint. 8. *Cùm esset diues, propter nos egenus factus est.* Ratio autem prima fuit ista. Aduenit in hunc mundum ad bellum, eo dicente, 2. Cor. 8. Matth. 10. *Non veni pacem mittere, interram sed gladium.* Venit igitur ad bellum: non nisi contra serpentem antiquum, contra serpentem illum, qui momordit parentem primum. Cuius morsus venenosus interfecit totum genus humanum. Est autem serpentis natura, quòd non timet hominem vestitum, sed timet, & fugit hominem nudum. In homine enim vestito habet quod mordeat; in homine nudo nõ: quia quilibet custodit, son pelisson. Ita Diabolus nõ timet hominem vestitum multis diuitijs, quia habet in quo mordeat, vel in acquirendo, vel in possidendo, vel inundando, vel malè consumendo, vel in malè dissipando, vel in malè dispensando, vel in nimis diligendo. Vnde ex multiplici parte inuenit diuitibus, vbi mordeat, vbi venenum infundat, sed in nudo paupere nihil inuenit: non habet, vbi dentem imponat, ideo Christus nudus, & pauper fuit in præsepio, in mundo, in patibulo: dicens cum Iob 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Ideo Christum nudum videns Diabolus in præsepio, quia mater panni- Iob 1.

A culis eum inuoluit in mundo, quia filius hominis habet vbi caput suum reclinet; in patibulo: quia exuerunt eum vestimentis suis; id circo serpens antiquus fuit fugatus de mundo, & fugit: *Nũc Princeps huius mũdi eijcietur foras:* In Psalm. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, & humiliatus sum, & conturbatus.* Secunda est ratio. Psal. 87. Quia homo oneratus, est impeditus à cursu, ab ascensu, ab ingressu. Econuerso, homo oneratus grandi sarcina disponitur ad statum, ad casum ad extra standum. Onus graue, sarcina magna, sunt mundanæ diuitiæ: quæ animam suo pondere sic onerant, vt eam impediãt à cursu mandatorum Dei, ab ascensu in cœlum, ab ingressu in Paradisum. Econuerso verò disponunt ad statum in culpa: ad casum in gehẽnam, B ad standum extra à gloria. Figura in *Diuite Epulone.* Luc. 16. *Qui cecidit in infernum,* & paupere *Lazaro,* qui est portatus in Paradisum. Luc. 16. Quia igitur Dei filius venit: *Vt Gigas ad currendam viam,* in Psalm. Quia venit ad ascendendum in cœlum, vnde venerat: ad intrãdum in Paradisum, vnde homo expulsus fuerat; id circo noluit esse oneratus diuitijs: ne tanta sarcina impediretur à cursu, ascẽsu, & ingressum, & nos eius auxilio instructi sciremus sarcinam istam deponere, & eum similiter sequeremur: *Beati, enim, pauperes spiritu, quoniã ipsorum est Regnum cœlorum* Matth. 5. Ideo dicit cũ Psal. *Ego autem mẽdicus sum, & pauper.* Ego Matt. 5. C inquam pauper sum, in mundum veniens, per Psal. 39. mundum procedens, & mundum exiens. Primò ad modum fluuij. Nota, secundùm Philosophum, quia fluuius exit à mari, & à terra. Aliquorum autem fluuiorum est natura, quòd à terra exeuntes, & à mari ad terram porosam venientes paulatim, videntur aqua depauperari: quia terram subintrãt, & postea terram egrediuntur, & tunc crescunt. Et quandoque dupli cati à mari reuertũtur. Ita Dei Filius egrediẽs à mari diuinæ, & paternæ maiestatis, terrã subintrauit vteri virginalis. Vbi latitans visus est de pauperari; sed tandem in die Natiuitatis egrediens, & vsque ad mare eiusdem maiestatis in Ascensione regrediens. Cùm duplici turma in- D trauit, scilicet, diuinitate, & humanitate. Genes. 32. *In baculo Iordanem istum transiui; & nunc cum duabus turmis regredior.* Eccl. 44. Genes. 32. *Ego fluuius Dorix, & quasi aqueductus exiui de Paradiso, dixi: rigabo hortum plantationũ: inebriabo partus mei fructus.* Dorix interpretatur medicamentum generationis. Nota, Eccles. 44. fluuius terram subintrans, ingrediens, & egrediens, non eam lacerat, destruit, & dissipat; sed fœcundat, & humore suo inebriat, & impinguat. Sic Dei Filius Matrem ingrediens in cõceptione, & egrediẽs in parturitione, nõ lacerauit, nõ violauit, sicut faciunt cæteri filij hominum, sed sua diuinitate fœcũdauit, & Spiritu Sancto inebriauit; ideo dicitur: *Ego fluuius Dorix e*

ideſt, medicamẽtum generationis. Cæteri enim homines ſunt vulnus in matre, ſed iſte medicamẽtum, ſeruans in ea virginitatem, & per fœcũditatem medicans ſterilitatem. Ego inquam talis fluuius pauper. Secundò admodum lilij Nota lilium conuallium dicitur herba habens florem multùm odoriferum, & colorem albũ, & rubeum, cuius non ſunt aliæ delitiæ, vel diuitiæ, niſi ſolæ ſpinæ. Naſcitur enim & cõſeruatur, ſemperque manet vſque in finem, inter aculeos, inter ſpinas, & tamen inter punctiones, & aculeationes ſeruat candorem pulchritudinis, & odorem ſuauitatis. Dicitur autem conuallium, quia in vallibus naſcitur inter mõtes. Talis fuit Dei filius, ipſe enim fuit lilium conuallium natus in valle vteri virginalis inter mõtem diuinitatis, & humanitatis, vtique candidus conceptionis puritate, & rubicũdus paſſionis acerbitate, odoriferus, cõuerſationis ſanctitate. Hic autem natus, & conuerſatus, & tãdem fuit mortuus inter ſpinas, quia in paupertate, in perſecutione; nam natus ſtatim habuit punctiones in duro præſepio, ſtatim punctiones in Circunciſione ex cultro lapideo; punctiones ex Herode peſsimo, ex ieiunio in deſerto, in cruce ex aceto, ſpinis, clauis, lãcea, & omni opprobio, & inter hæc fuit huiuſmodi filij pulchritudo, & virtus, & valor integrè conſeruata; ideo Canticorum 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium; ſicut lilium inter ſpinas.* Ego, inquam, talis flos pauper. Tertiò admodum oſtij. Nota, quãdoque theſaurus pretioſiſſimus in domo oſtio paupere clauſa, in quo nõ ſunt, niſi duo poſtes lignei, & tãmen intus continentur aurum, & lapides pretioſi. Talis domus theſaurum * eſt Chriſti perſona, in qua ſecundùm Apoſtolum, Coloſenſ. 2. *Sunt omnes theſauri ſapientiæ Dei abſconditi.* Imò nõ eſt finis theſaurorum eius, diuitiæ ergo illæ quas admiratur, ad Rom. 11. Apoſtolus: O (inquit) *altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Sunt incluſæ in domo iſta in Chriſti perſona ſub duorum poſtium oſtio, ſcilicet poſtis corporis, & poſtis animæ. Ad iſtas diuitias diuinitatis nullus potuit attingere, nec pertingere; donec iſti poſtes fuerunt diſiuncti, fuerunt aperti. Et quando iſta duo fuerunt diſiuncta, ſcilicet, corpus, & anima; tunc potuit quilibet ingredi ad diuitias gloriæ, quæ latebant infra iſtos duos poſtes. Hoc autem factum eſt in paſſione, quando vnus poſtis iuit ad infernum, & alius ad ſepulchrũ; vnde tunc primò quaſi eſſet patens oſtium, quod priùs ſemper fuerat clauſum, dictum fuit latroni: *Hodie mecum eris in paradyſo.* Non obſtante ergo paupertate iſtorum duorum poſtium, qui erant lignei, de noſtra humanitate paupere, in eis latebant intetiores diuitiæ ſalutis, & gratiæ, Ioan. 10. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis intrauerit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*; ideo dicit Chriſtus: *Ego ſum mẽdicus, & pauper*, Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meam.* Hæc de primo principali.

Quantùm ad ſecũdùm. Nota, poſſet aliquis dubitare, quomodo iſte puer poteſt eſſe Deus? quomodo poteſt cognoſci, quia ipſe ſit Deus? Reſpondeo iuxta illud vulgare Prouerbium. Tel Seigneur, telle famille. Dominus cognoſcitur in famulãte familia, & Magiſter in operum excellẽtia; ergo vide quæ familia iſto puero famulatur; non vtique alia niſi Angeli: ergo ipſe eſt Dominus Angelorum, vnde Lucæ 2. *Subitò facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis militiæ laudantium, & dicẽtium. Gloria in excelſis Deo*, Pſalm. *Quoniam quis Deus præter Dominum noſtrum?* Vide etiam qualia ſunt huius pueri mirãda opera; templum ruit, fons olei fluit, noua Stella micat, triplex Sol irradiat: Virgo cum puero in aureo circulo ſe monſtrat: bos, & aſsinus ipſum adorant. Nota mirabilia hæc in floribus ſanctorum. Ergo opera prædicant, & artificis eminentiam, ſicut familia Domini excellentiam, & vtraque maieſtatem diuinam, Pſal. *Ego cognoui, quòd magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus diis. Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra.* Certè ſola Dei voluntate nõ naturæ poſita ſunt hæc opera; imò mirabiliora. Quod vnquam opus tam mirabile, quòd Virgo pariat, quòd mater Virgo remaneat, ſit fœcunditas, & cum Virgine maternitas: *Non eſt factũ tale opus in vniuerſis regnis*, 3. Reg. 10. Tua ſunt hæc Chriſte opera Deus, ait Pſal. *In ſancto via tua, quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? Tu es Deus, qui facis mirabilia.* Et ſi vis in hoc ſecundo membro curioſiùs præcedere fac loqui ſingulas creaturas, in quibus facta ſunt hæc mirabilia. Et quia talia non erant opera creaturæ, ſed creatoris; prædicet ipſum creatura quælibet, ſuum Creatorem eſſe. Et hæc de ſecundo.

Quantùm ad tertium. Nota, quòd hoc eſt ſtupendum conſortium, & mirandæ dignitatis, & vnitatis, quòd ſint ſimul puer incarnabilis, & Deus in altiſsimis, puer pauper egens in terris, & omnipotens in cœlis, ſimul in vnum diues, & pauper, & tamen vtrumque ſe aſſerit eſſe, dicens, *ſum*, Nota. Si Regis filius ſuſciperet in aliquo Monaſterio habitum paupertatis, ſimul eſſet Religionis frater, & filius Regis: diues ex patre, & pauper ex religione. Ita Dei filius, vt exaltaret religionem Chriſtianam habitum paupertatis noſtræ humanitatis aſſumpſit, factus frater noſter, & pauper exiſtens filius regis, & diues; ideo dicitur: *Egenus & pauper ſum Deus*, Geneſ. 45. *Ego ſum Ioſeph frater veſter, nolite timere. Pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos.* Nota, Ioſeph dicitur Saluator mũdi, ita iſte. Ergo ſicut lapis angularis vnus exiſtens coniungit in ſe duos diuerſos parietes, & connectit; ita Dei filius in vnico ſuppoſito coniungit duos parietes diuerſos diuinitatis, & humanitatis, ex quibus domus Eccleſiæ, ipſo exiſten-



Cantic. 2.

* Theſauri.

Coloſ. 2.

Rom. 11.

Luc. 23.

Ioan. 10.

Thren. 3.

Lucæ 2.

Pſal. 17.

Pſal. 134.

3. Reg. 10.

Pſal. 76.

Cant. 45.

*Psal.* 117. ſtente capite, eſt conſtructa, dicente Pfalmo: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, à Domino factũ eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Ideo priùs diuidendo dixi, quòd erat mirabile conſortiũ. Sicut igitur fuit mirabile, quòd Ioſeph venditus, & reprobatus à fratribus, factus eſt tamen eorum caput, Dominus, & Saluator. Sed pro vero non ſolùm hoc mirabile, ſed aliud magnum, quod latet in iſto reprobo lapide. Nota. Inter lapides, qui gerunt humanam ſpeciem, figuram, & imaginem, eſt hæc differentia; quia quædam imagines fiunt per inferiorem manum, & artem. Vt quæ fiũt per ſculpturam, quædam fiunt manu altiore, vt per virtutem cœleſtem influxam, vt patet in lapide pretioſo humanum vultum habente, qui vulgariter vocatur Camen, quod literaliter dictum idem eſt; ſicut ergo. Imagines igitur lapideæ, quæ fiunt per manum inferiorem, & humanam artem fiunt cum quadam violentia, & ruptura per ſeparationem partis à parte, & per lapidis cõſumptionem, & deſtructionem. Sed imagines, quæ fiunt per manum altiorem per virtutem cœleſtem, fiunt ſine violentia abſque fractione, & deſtructione, ſed ſola virtus cœleſtis partes adunans figurat humana lineamenta, & inducit humanam ſimilitudinem ad lapidis perfectionem; vt patet in dicto lapide pretioſo, qui idcircò vocatur Camen, quia habet humanam faciem, ſicut homo. Ita ſpiritualiter quidam homines generantur manu inferiori per naturam modo cõmuni, ſolo opere naturali, & iſti omnes alij à Chriſto, & iſti ſculpuntur, & fiunt cum violentia per ſeparationem partis à parte in vtroque patiente; vnde ſemper eſt violatio virginitatis, & fractio clauſtrorum pudoris in horum omnium generatione, & in matribus, deſtructio, & in partu ſimiliter. Sed fuit vnus lapis pretioſus dictus: ſicut ego; Camen non factus manu inferiori, ſed ſuperiori ſola virtute cœleſti, ſine violentia abſque fractione Virgine Matre * perfecta cõceptus, genitus, & natus, in ventre caro noſtra; cum humana facie Spiritus Sancti operatione lineamenta humana ſuſcipiẽs, & homo figuratus; vnde quia hic *Pſal.* 117 lapis pretioſus erat ſic factus, dicitur: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Quia ſic reprobatus à Iudæis, & poſtea factus eſt caput, & mirabile. Ipſe tamẽ qui dicit: *Ego ſum Alpha, & Omega, principiũ, & finis.* *Apoc. vlt.* Apocal. vltim. Ipſe potuit eſſe Deus, & homo, lapis angularis reprobatus, & poſtea caput factum coniungens parietem diuinitatis, & humanitatis, vtrumque exiſtens. *Sapient.* 7 Ideo dicit ipſe, Sapient. 7. *Sum quidem ego mortalis homo ſimilis alijs hominibus, & in ventre matris meæ figuratus ſum carõ.* Ergo ſimul fuerũt pauper, & diues, Deus, & homo, *Ioan.* 1. Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum; & Verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis.* Cuius gloriam vidimus ad quam gloriam nos perducat, &c.

A

B

C

D

## *COLLATIO LVI. In feſto Natalis, vel Annuntiationis, ex Pſalm. 86.*

HOmo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam. In Pſalm. 86. Quamuis Scriptura ſacra, *Pſal.* 86. Virginem glorioſam extollat diuerſis comparationum laudibus, Dauid tamen Prophetarum eximius, de cuius ipſa ſtirpe prodijt, ſub typo glorioſæ ciuitatis impletus Spiritu Sancto. In eodẽ Pſalmo in eius præconia ſic irrupit: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* Inuenitur autem triplex Ciuitas in Scriptura ſacra, & de qualibet dicuntur mirabilia, ſed non glorioſa. Commendatur enim Ciuitas, & Turris Babel, de ſumma altitudine, Gen. 11. *Gen.* 11. *Venite ædificemus ciuitatem, & turrim, cuius cacumen pertingat ad cœlum.* Commendatur etiam Ciuitas Niniue, de ſumma latitudine, Ioel 3. *Erat Niniue Ciuitas magna itinere trium dierum.* *Ioel* 3. Commendatur etiam ciuitas Ieruſalem, de ſumma pulchritudine, Apoc. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem* *Apoc.* 21. *nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Sed ſuper omnes ciuitates, iſta Virgo Beata eſt nobilior, quia in ea ſunt non ſolùm iſta mirabilia; ſed etiam alia glorioſa: eſt enim Virgo Beata ciuitate Babel altitudine ſublimior, quia illa aduersùs cœlum iuit, ſed nõ attigit. Adiſtam cœlum deſcendit, & impleuit vtique cœlum tertium, & ſupremum diuinæ maieſtatis; vnde in Pſalmo: *Ciuitas Regis magni.* Iterum *Pſal.* 47. in Ciuitate Babel confuſum eſt labium, & nõ communicabant, in idiomate; ſed in Ciuitate Virginis glorioſæ integratum eſt labium, & nõ ſolùm homine, ſed quod eſt omni mirabili glorioſius: Deus, & homo communicant ſibi idiomata. Ideo verum eſt dicere Deus eſt homo, & homo eſt Deus, vtique inauditum linguarum, donec in hac Ciuitate: *Verbum caro factum eſt*, Ioan. 1. & ideo Ezech. 44. *Nomen* *Ioan.* 1. *ciuitatis Dominus*, ibidem. Eſt etiam ciuitate Niniue latitudine capatior, quia licèt illa *Ezech.* 48 ciuitas fuerit dierum trium, nunquam tamen in ea fuerunt, ſimul ex vno Sole tres dies, & in Ciuitate Virginis glorioſæ fuerunt, ſimul cum vno Sole tres dies; quia tres perſonæ in vna eſſentia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, licèt ſolus fuerit filius incarnatus; vnde dicitur de ea, Iſai. 19. *Ciuitas ſolis vocabitur* *vna.* Eſt vlteriùs Ciuitate Ieruſalem pulchri- *Iſai.* 19. tudine fulgentior, quia licèt pulchritudo Ieruſalem eſſet in politis lapidibus, & aquis decurrentibus, non tamen in fontibus ibi ſcaturientibus; ſed pulchritudo Virginis Beatæ fuit in pretioſis lapidibus, ideſt, in donis Spiritus Sãcti, & in virtutibus Apocal. 21. *Fundamenta muri ciuitatis omni la-* *Apoc.* 21. *pide pretioſo ornata.* Fuit etiam in ipſa fons ille ſcaturiens, de quo Pſalm. *Apud te eſt fons* *Pſal.* 35. *vi-*

*Eccles.* 1. *Psal.* 45. *Psal.* 121 * *Apoc.* 19. *Iudith.* 1. *Phil.* 2. *Psal.* 87. *Soph.* 11.

*vitæ*, & Eccles. 1. *Fons sapiẽtiæ Verbum Dei*, à quo fonte procedit ille fluuius, de quo Psalmus: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, de qua ciuitate idem Psal. *Ierusalẽ quæ ædificatur vt ciuitas. Glorioſa ergo dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Quia omnia mirabilia aliarũ ciuitatum, * & ampliùs. Sed quid? ipſe qui eam fundauit: *Natus eſt in ea.* Sed quomodo hoc fuit poſsibile? Ecce, aliquãdo magni Reges fundant ciuitatem nouam, & dotant libertatibus, & tandem in ea ad eius honorem recipiunt habitum militarem, & de tali poteſt dici, quia *natus eſt in ea*, quantùm ad ſtatum militiæ: & ipſe fundauit eam. Dei filius habet in veſtimento: *Et in fœmore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantiũ*, Apocal. 19. *His ædificauit ciuitatem potentiſsimam.* Vt dicitur Iudith 1. Id eſt, vtique Virginem Beatam, quam miris priuilegijs, & libertatibus inſigniuit: & ea ædificata: & ciuitate ſanctificata: ex ipſa habitum militiæ noſtræ humanitatis aſſumpſit, iuxta illud ad Philippenſ. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Sed nota; Aliter efficitur miles Rex qui ſe ipſum facit militem, & aliter alij milites, qui non ſunt Reges. Rex enim qui ſe ipſum ſine alterius miniſterio, & adiutorio facit militem: à nullo alio recipit arma. Sed ipſemet arma accipit de altari: quando autem alij fiunt milites, non à ſe, nec per ſe ipſos arma recipiunt, ſed ab alio, & aliorum miniſterio, & adiutorio militantur. Chriſtus eſt *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Ideo non decuit, vt ipſe habitum militiæ noſtræ, ſcilicet, humanitatis, ab alio, & alterius miniſterio reciperet. Sed ipſe per ſe ipſum ab altari Virginis acciperet, vnde genitus eſt non ex virili ſemine, ſed miſtico ſpiramine, Pſalm. *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio.* Alij autem ab alio ſemper habent, quia à patre, & matre; vnde non receperunt à ſe ipſis, ſed à parentibus. Sic igitur habemus, quòd Chriſtus Beatam Virginem tamquam ciuitatem fundauit, & dotauit: & quia in ipſa habitum militiæ noſtræ humanitatis non ab alio, ſed ſua virtute aſſumpſit, vnde benè dicit. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Sophon. 11. *Hæc eſt ciuitas glorioſa*, hoc dicunt verba propoſita: *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam.* Vbi hæc ciuitas de tribus glorioſis, & mirabilibus cõmendatur; Nam in ea inuenies glorioſam, ac mirabilem principiationem in Æterno: *Homo natus eſt.* Limitationem in infinito: *In ea*, Solidationẽ in fluido. *Et ipſe fundauit eam.* Nam in glorioſæ incarnationis myſterio. Primô innouatur æternitas: *Homo natus eſt.* Secundô terminatur infinitas: *In ea.* Tertiò firmatur infirmitas: *Et ipſe fundauit eam.* Vtique quia Æternitas capitur origine: *Homo natus eſt.* Infinitas clauditur, in Virgine: *In ea.* Infirmitas fulcitur à numine: *Et ipſe fundauit eam.*

Quantùm ad primum. Nota, quòd Scriptura Sacra Chriſtum vocat florem. Ratio eſt, quia ſicut immediatè procedit ab arbore ipſe flos: fructus autem non niſi mediante flore. Sic Filius Dei immediatè procedit à patre. Spiritus autem Sanctus nõ, ſed pariter ab vtroque, & hoc eſt illud quod dicitur Iſai. 11. *Iſai.* 11. *Flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Alia ratio eſt; quia aliter naſcitur fructus in arbore, & aliter flos; fructus autem florem, vnde procedit ſemper, deſtruit, & marceſcere facit, ac cadere: etiam antequam fructus ſit maturus in prima ſui generatione, nec ſimul ſtare poteſt flos cum fructu, imò ſemper in generatione fructus arbor florem, & pulchritudinem eius perdit, non ſic autem de hoc flore, quia arborem, à qua procedit, non deſtruit, imò decorat, fœcundat, & perficit: & ſine aliqua corruptione ab ea procedit; fructus etiam florem non deſtruit, ſed decorat, & perficit. Sic ſpiritualiter: proles omnis ex mulieribus prodiẽs dicitur fructus. Vnde Geneſ. 30. Cum Rachel diceret: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Reſpondit Iacob: *Nunc pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Omnis ergo proles, omnis ergo fructus naſcens ex mulieribus corrumpit florem præcedentem, ſcilicet, virginitatem, imò in ipſa generatione fructus, id eſt, proles, flos virginitatis, cadit, tranſit, perditur, & areſcit; quia proles, & virginitas, flos, & fructus naturaliter non ſtant ſimul. In Pſalm. *Floreat, & tranſeat, veſperè decidat, & induret, & areſcat.* Iſai. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* * *Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Sed Filius Dei natus eſt de Virgine, non tanquam fructus hominis, licèt homo fuerit, ſed tanquam flos Paradiſi. Vnde cantat Eccleſia: Virgo Dei Genitrix Virga eſt, flos filius eius: ideo ſine corruptione huius arboris iſte flos prodijt, & proles cũ virginitate, & virginitas, fęcũditas, & maternitas. Ad hoc eſt illud Iob 13. *Homo natus de muliere: breui viuẽs tẽpore, repletur multis miſerijs, quia quaſi flos egreditur, &* Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Nota, dicit flores, & non florem, quia in cæteris mulieribus eſt flos vnicus, qui citò cadit, & perditur, aduenientę fructu prolis: ſed in Beata Virgine fuerunt flores virginitatis, & fęcunditatis, prolis, & maternitatis. Sed dices, Chriſtus non eſt flos, imò fructus; quia ſancta Eliſabeth dixit Virgini. Lucæ 1. *Benedictus fructus ventris tui.* Reſpondit ipſa Eccleſiaſtici 24. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis*, quia ibidem eſt flos, & fructus. Exemplum in natura. Fructus Roſarij ſunt roſæ, & flos ſimiliter. Ita quòd roſa in roſario eſt ſimul flos, & fructus. Sic in Vir-

*agri* *Iſai.* 40. *Iob* 13. *Cant.* 2. *Luc.* 1. *Eccleſ.* 24.

gine Beata, Chriſtus ſimul eſt flos, & fructus; Vnde ei cantamus. Florens, vt roſa, Eccleſiaſ. 50. *Quaſi flos roſarum in diebus Virginis.* * Quia igitur iſte flos ab arbore Virginis ſine læſione, violatione, & corruptione prodijt; Dicamus de ea illud Ioan. 16. *Non meminit præſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Hæc de primo. Si vis dilatare contra vitia, dic quomodo aliqui per bonum propoſitum florent in mente: ſed non fructificant per actum in opere: & quomodo aliqui non habent florem honeſtatis, &c.

*Eccleſ. 50.* **Vernis.* *Ioan. 16.*

Quantùm ad ſecundum Nota, quia ille qui fuit flos arboris, fuit etiam factor arboris: nunquam res tam mirabilis fuit. Vnde dicit ipſe: *Fundauit eam: & natus eſt in ea*, hoc ſic patere poteſt. In Pſalmo loquitur de ſe ipſo: *Ego ſum vermis, & non homo*; eſt autem triplex ratio, quare ſe comparat vermi. Prima, quia non ex coniunctione vermis cum verme: * ſed virtute cœleſti cùm pluuia veniente ſuper terram vermis generatur. Sic ſpiritualiter Chriſtus gratia ſola Spiritus Sancti, & virtute Dei non hominis coniunctione eſt in Virgine natus Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c.* Secunda ratio eſt, quia vermis, quandiu ſtat in terra, & intra tantùm ſtat ſecurus; quàm citò autem terram exit, tam citò ſtatuitur, & exponitur periculis damnis, & morti; vnde aliquando ponitur per ſuper eum, aliquando proijcitur lapis, aliquãdo ſpuitur ſuper eum. Sic ſpiritualiter Chriſtus conceptus rore cœleſti, tamdiu in mundo iſto fuit ſolùm ſecurus à malis, quandiu fuit in vtero virginalis. Sed quàm citò fuit mundo expoſitus, & natus, ſtatim fuit perſecutus; vnde Herodes quærebat puerum ad perdendum eum, & poſtea durauit continuè vſque ad paſsionem, vbi eum lapidauerunt, & conculcauerunt, ſpuerunt, & tandem occiderunt. Tertia ratio eſt, quòd quidam eſt vermiculus, qui facit ſericum, cuius eſt talis natura, quòd facit ipſemet ſibi vnam cameram de ſerico, & vocatur vulgariter Vers de Soye. Et completa ſua camera, ipſe ponit ſe ibi, & non comparet. Tranſactis autem nouem menſibus vermis egreditur, & de domo illa, quam fabricauerat abſque alterius vermis cõiunctione virtute cœleſti, & calore pectoris muliebris nouiter naſcitur, & de tali natiuitate poteſt exponi: *Quia natus eſt in ea, qui eã fundauit.* Sic Dei filius domũ de ſerico ſibi fabricauit, & poſt illam, quæ ſcilicet, eſt alba interius per virginitatem, aurea exteriùs, ſcilicet, per charitatem Virginem Beatam intrauit, & in ea nouẽ menſibus latitauit. Vitam autẽ nouem * & natiuitatem recepit nõ hominis coniunctione, ſed virtute Spiritus Sancti, & calore muliebri Virginis non agente, ſed materiam miniſtrante. Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Hæc de ſecũdo principali.

**Vermis cum vermine.* *Luca 1.* **Nomen* *Matth. 1*

Quantùm ad tertium Nota: quòd ciuitas humani generis erat ita malè fundata: quòd ad modicum inſultum inimicorum capiebatur; Diabolus enim à principio, ciuitatis priuauerat, & cauauerat muros in tantum, vt ſtatim ruerent muri per peccatum; vnde Thren. 1. *Quomodo facta eſt deſolata ciuitas plena populo?* Sed Chriſtus volens hanc ciuitatem habitare. Ipſemet fundauit eam, & firmauit eã: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, qui ſunt quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet, Fortitudo, Prudentia, Iuſtitia, & Temperantia: fundamenta eius fuerunt Humilitas, Patiẽtia, Paupertas, Virginitas: huiuſmodi fundamentis hanc ciuitatem fundauit. Ratio autem fuit, quia illa ciuitas debet eſſe multùm fundata, & murata, quæ debet Regem, & theſaurũ Regis cuſtodire. Talis fuit Virgo Beata, quæ cuſtodiuit Regem Chriſtum, & totam Trinitatem, & totum theſaurum paradyſi, quia Dei filium, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi.* Vt dicitur ad Coloſenſes 2. propter quod in Pſalmo: *Sicut audiuimus, ſic vidimus, in Ciuitate Domini, in Ciuitate Dei noſtri, Deus fundauit eam in æternum.* Nota: Perſecuti, & impugnati ab inimicis multùm indigent forti ciuitate, & benè fundata, & ideo quia peccatores ſunt tales, non eſt ſapiens qui non recurret ad illã ciuitatem, quam Chriſtus pro ſe, & peccatoribus fundauit, vnde vocatur *Ciuitas refugij*, dic aliquod exemplum Beatæ Virginis; quomodo eſt ciuitas refugij peccatoribus, & fac finem. Potes etiam facere fundamẽta huius ciuitatis lapides pretioſos duodecim, de quibus habetur Apocal. 21. qui intellectu aliter ſignificant duodecim articulos fidei: portalia autẽ eius ſemper ſunt apta peccatoribus, quia etiã ſunt duodecim, propter hoc dicitur in Pſalmo: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, fundatur exaltatione vniuerſa terræ.* Ad quam exaltationem, &c.

*Thren. 1.* *Pſal. 86.* *Coloſ. 2.* *Pſal. 47.* *Apoc. 21.* *Pſal. 47.*

## COLLATIO LVII. *De Annuntiatione, & Natiuitate Dominica, ex Pſalmo 87.*

*Factus ſum, ſicut homo ſine adiutorio.* In Pſalmo, Scriptura ſacra Chriſtum vocat lapidem. Vnde ipſemet Chriſtus Matth. 21. allegat de ſe ipſo illud Pſalm. *Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.* Ratio autẽ, quare Chriſtus ſe comparat lapidi iuxta prædictã auctoritatẽ eſt iſta: videmus, quòd quãdo aliquis magnus Princeps vult reædificare, & de nouo reincipere aliquam nouam Eccleſiam, & eã dotare, & redditibus, ac priuilegijs inſignire, ipſe cõſueuit ſine alio magiſtro, ſine alio artifice, ſine alio adiutorio primũ Eccleſiæ lapidẽ ponere, & vnũ iſtum ſolũ ſupra lapidem da-

*Pſal. 87.* *Matth. 21.* *Pſ. 117.*

dare, vt ei adscribatur titulus, & nomẽ Eccle
siæ. Talis autem lapis, qui primus à solo Do
mino ponitur, primùs proijcitur, & super quo
à solo Domino ictus datur, consueuit poni in
capite Ecclesiæ in angulo, vbi cõnectit vtrũ
que parietem, & cõsueuit omnibus, alijs esse
maior, & tunc cõsueuit fieri festum, & solem
nitas in præsentia Principum, & Maiorum de
terra eorum. Proiecto autem primo lapide à
Domino, & per eum vnico ictu dato alij arti
fices postea reliquum officium, prosequũtur,
& superædificant Ecclesiam nomine Domini
primum lapidem iacientis. Ita spiritualiter
Deus à mundi principio ædificauit vnam Ec
clesiam, scilicet, Cõgregationem hominum,
quam in Paradiso terrestri posuit, & funda
uit. Sed Diabolus istam Ecclesiam inuasit, &
machina tentationis percussit, & lapides fue
runt adeò debiles, quòd ad primum istum nõ
vtique factum duro saxo, sed cum dulci po
mo, immediatè ceciderunt de ædificio, &
ruit ædificium, & totum pariter est destru
ctum. Videns ergo Deus Pater illam Eccle
siam corruisse, & eam debilem fuisse, quòd ab
ictu viuies poni corruisset, voluit in lege no
ua Ecclesiã reædificare, & de nouo fortiorem
reincipere, & quæsiuit optimũ, & stabile funda
mentum, vbi primum lapidem proijciat, &
istud fuit Virgo Beata. Volens ergo Eccle
siam suam sanctam de nouo reparare, reædifi
care ibi nomen, & titulum adscribere, & iam
mirificè insignire, ipse in isto fundamento in
virginali vtero primum lapidem totius fun
damenti, & totius Ecclesiæ, Christum videli
cet, suum filium posuit, vtique sine alio artifi
ce, sine alio adiutorio non generatum ab ho
mine, & virili semine, sed mystico spiramine:
quem lapidem posuit in fundamento Ecclesię
proijciendo, in vtero Beatæ MARIÆ, sine
cuiuscumque virili generatione, sed solius
Spiritus Sancti virtute vtique dans vnicum
ictum, id est, mittens Deus Pater suum ver
*Psal. 32.* bum: Ille qui *dixit, & facta sunt, mãdauit,
& creata sunt*. Vt dicitur in Psal. Vnde Vir
go Beata audiens istum lapidem ponendum
in suo vtero, timens de humano adiutorio:
*Lucæ 1.* quæsiuit ab Angelo. Luc. 1. *Quomodo fiet
istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus
respondit: *Spiritus Sanctus superueniet in
te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, qua
si diceret, diuina solum virtute, non homine
artifice concipies istum; ergo lapidem sola
virtus diuina posuit, & in fundamento suæ
Ecclesiæ proiecit, quem Synagoga in passio
nis tẽpore reprobauit, & hodie iste lapis po
situs, & factus est vtique in caput anguli: quia
iste Christus est *caput Ecclesiæ*, vt dicitur
*Ephes. 5.* Ephes. 5. Item ipse connectit duos parietes
olim in infinitum distantes, scilicet, diuini
tatis, & humanitatis. Cæteri autem lapides
ponuntur per humanos artifices in Ecclesia:

A quia nullus tã sanctus, vel tam sancta, quæ nõ
communi hominum propagatione ex patre
generante nascatur, & ideo non est mirum, si
hodie fiat festiua solemnitas depositione il
lius lapidis à solo Deo positi, cui superædifi
camur, secundùm illud Ephes. 2. *Superædifi-* *Ephes. 2.*
*catur super fundamentum Apostolorum, &
Prophetarum ipso summo angulari lapide
Christo IESV.* Huius lapidis positio figuræ *
fuit in primo homine. Gen. 2. Primus enim ** Figura ta*
lapis totius veteris Ecclesiæ, qui cecidit, sci- *Genes. 2.*
licet, Adam sine alicuius hominis adiutorio
solùm diuina virtute ex terra, velut ex matre
creatus, & in caput Ecclesię illius positus fuit.
Vnde dicitur ibi. *Formauit igitur Deus ho-*
B *minem de limo terræ, & inspirauit in faciem
eius spiraculum vitæ: & factus est homo in
animam viuentem.* Ita lapis iste Christus be
nedictus caput Ecclesiæ reformatæ sine alicu
ius auxilio, solùm virtute diuina, in annuntia
tione Dominica ex Virgine Beata matre ex
terra humanitatis nostræ formatus est, & eum
Deus hominem fecit, & inspirauit in faciem
eius spiraculum vitæ, & factus est homo sine
humano auxilio in animam viuentem, & hoc
ipse confitetur per verba Psalmus cùm dicit:
*Factus sum sicut homo sine adiutorio.* In qui
bus verbis circa Christum incarnatum lapi
dem in fundamento Ecclesiæ hodie iactatum
describit quẽdam rumorem originis * Quia ** originis*
C dicit: *Factus sum.* Decorem imaginis, quia
dicit: *Sicut homo.* Honorem Virginis, quia
dicit: *Sine adiutorio.* Describitur autem in
Incarnationis mysterio rumor originis ad
ducens nouitatem: *Factus sum*, decor imagi
nis inducens veritatem, sicut homo honor B.
Virginis producens dignitatem: *Sine adiuto
rio.* Ergo secundùm ista per rumorem homi
nis inchoatur carens principio: *Factus sum.*
Per decorem imaginis gradui datur parens
de filio: *Sicut homo.* Per honorẽ hunc Virgi
nis separatur nascens ab alio: *Sine adiutorio.*
Quantùm, ad primũ nota, quòd Scriptura
Sacra, loquẽs de nouitate Virginis, & incarna
tionis filij Dei, comparat matrem cõcipien
D tem mari; filium autem venientem comparat
naui, & quoad ingressum, processum, & egres
sum. Comparatur ergo Dei filius ratione in
carnationis naui. Primò ratione ingressus. Ra
tio est. Nauis construitur ex diuersis lignis, &
postibus, quæ inuicem cõiunguntur; nauis au
tem mare ingrediens, & egrediens non frangit
aquam, sed super aquam portatur, & aquã
pertransit, intrat, & exit sine aliquo vestigio,
sine aliquo remanente signo. Ita persona filij
Dei, persona Christi est in incarnatione con
structa ex duobus diuersis lignis, scilicet, duo
bus postibus diuinitatis, & humanitatis, hu
manæ naturæ, & diuinæ, quæ in ista naui
coniuncta fuerunt in vno supposito. Hoc
igitur suppositum intrauit mare, id est,

vterum Virginis MARIÆ in incarnatione, quando hæc ligna humanitatis, & diuinitatis in virginali vtero coniuncta fuerunt, & exiuit nauis formata in portu natiuitatis, sed semper sine fractura, sine violatione virginitatis matris, saluis portis, & clausis portus maris, quia Virgo gessit, Virgo peperit, & post partũ Virgo permansit, per quod nulla vestigia, nulla signa, quę alij nascẽtes relinquũt, in matre Virgine dereliquit; ideo loquitur ipsi ille horum Secretarius Sanctus Psalmus.

*Psal.76.* *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster: tu es Deus, qui facis mirabilia.* Postea sequitur: *In mari*, id est, in Virgine MARIA: *Viatua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Ergo hæc est nauis hodie constructa, illa Christi persona ex duabus naturis facta, de

*Pro. vlt.* qua scribitur Prou. vlt *Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum.* Vtique de longè: quia de portu Paradisi ad portum huius mundi, quem panem Angelorum mãducauit homo. Istam nauem hodie ex istis duobus portibus factam ex duabus vnitis naturis diuina, & humana constructam: ostendit

*Rom. 1.* Apostolus Roman. 1. *Factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Ecce postis humanitatis: *Qui prædestinatus est filio Dei.* Ecce postis diuinitatis, hanc eandem nauẽ factã, & in vtero virginali positam, & nauigantem in

* *Galat.4.* eius mari: vnitis istis asseribus * idem Apostolus ad Galat. 4. sic testatur: *Misit Deus filium suum.* Ecce diuinitas, *factum ex muliere.* Ecce Matris, & maris integritas, & virginitas, quia nõ dicit ex viro, sed tantùm ex muliere: *Factum sub lege*, ecce humanitas, *vt eos qui sub lege*, scilicet, peccati, *erant, redimeret.* Ecce vtilitas. Secũdò ratione processus: quãuis enim nauis sit optima, & multas merces, & diuitias, secum portans hoc tamen non obstante, habet multas procellas, tempestates, & aduersitates in mari. Ita Dei filius; quãuis enim ipse esset nauis optima, & omnium diuitiarum cœlestium, & mercium Paradisi plena: quia omnibus virtutibus, donis, & gratia, tamen hoc nõ obstante, quandiu fuit in hoc mari huius mũdi, habuit, & sustinuit multas procellas, multas persecutiones, multas aduersitates, famẽ, frigus, sitim, opprobria; vnde dicebatur: *Ecce* fabri filius, amicus publicanorũ,

*Matt. 8.* vorator vini Dœmoniacus; ideo in eo verificatum est illud Matth. 8. *Motus magnus factus est in mari: itavt nauicula operiretur fluctibus.* Tertio ratione egressus. Sæpe enim contingit aliquod vas maris, nauem, vel galeam tantùm ventis, & tempestatibus agitari, quòd homines reputantes vas perditum, dimittunt vas, dimittunt nauem, & saltant in aquam, & vas veniens in naufragium, fit aliquando nauigantibus in auxilium, quod illi videntes, quòd non possunt naturæ, & venire vsque ad portum, reuertuntur ad vas ad lignum, & alicui posti adhærentes, veniunt ad portũ, in quo sępe nauis firmata restituitur, & reintegratur, & facit cum nauigantibus viam suam: ita de Christo naue nostra, habuit enim in egressu huius mundi tempore mortis tantum de vento contrario, & de tempestate Iudæorum, tàm in opprobrijs, quàm in supplicijs flante inuidia, & malitia Iudæorum, & Pharisæorum, quòd in eius persecutione iusti in passione, omnes, qui erant in naue ista, exierunt, & in mare mundi se proiecerunt; aliqui etiam nudi, vnde vnus, qui fortè creditur ab aliquibus fuisse Ioannes Euangelista, qui in hac naui in cœna dormierat nudus relicta syndone profugit, & generaliter omnes discipuli, & Apostoli, eo relicto, fugerunt. Tunc per passionis supplicium, hæc nauis venit ad naufragium, & quamuis postis diuinitatis semper integer remanserit, tamen postis humanitatis in duas partes diuisus fuit, & vna pars, scilicet, anima fuit ad profundum maris, scilicet, ad infernum; alia venit ad terram, scilicet, corpus ad sepulchrum, sed verum est, quòd hæc nauis, istud vas fractũ reparatum, & reintegratum fuit in resurrectione; vnde videntes Apostoli, quòd non poterant nisi per istam nauem ad portum salutis venire, iterum ad nauem redierunt, & per eam ipsi, & nos ad portum salutis solùm possumus peruenire. Dicit enim Paulus Act. 28. *Nisi hi in naui manserint, vos saluifieri non potestis.* Ad istud propositum. Quomodo ipse in egressu passionis fuit vas perditum, veniens ad naufragium, & à suis derelictum. Scripsit Psal. loquens in eius persona, dicẽs: *Factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis, qui viderunt me foras, fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde factus sum tãquam vas perditum.* Igitur hæc nauis hodie constructa, & fabricata est ex duobus lignis diuinitatis, & humanitatis, vt per eam nobis afferãtur cœlestes diuitiæ, scilicet, gratiæ, & gloriæ, & facta, & posita est in mari Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre, &c.* Facta est etiam hodie nauis ista, vt nos portet, assumat, & traducat ad portum Paradisi, ad portum gloriæ, & salutis Psal. *Dominus assumpsit me fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Et in fra subiungitur iterum: *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.* Hæc de Primo principali.

*Acto.28.* *Psal.130* *Ioan.1.* *Psal.66.*

Quantùm ad secundùm, sciendũ, quòd cùm dicitur: *Sicut homo ly sicut*, non ponitur pro nota similitudinis, sed pro expressione veritatis: nõ enim Christus Dei filius factus est sicut homo solũ similitudine, sed vere, & hoc sæpè contingit in Scriptura Sacra: quòd ea

quæ

quæ sunt nota similitudinis, sumuntur aliquando pro expressione veritatis, vt ibi: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ioannes 1. Est autem sciendum, quòd in filij Dei incarnatione, & vera humanatione factum est per Deum Patrem; sicut aliquando per humanum, & temporalem Regem; contingit autem aliquando, quod subditi alicuius Regis volunt trãsire de regno in regnum: vadunt peregrini de vno loco ad alium: & aliquando contingit locum peregrinationis esse prohibitum, vt patet in Ierusalem; quando ergo aliquis vult habere transitum liberum, & aditum, indiget signo, indiget sigillo, in quo imprimatur imago Regis, & tunc portantes sigillum, habens imaginem Regis impressum, transeunt liberè, transeunt expeditè, nec aliqua alia sufficiunt munimenta; nisi enim per Bullam Papæ nullus transit in Ierusalem tutus, & sine excommunicatione; nisi cum signo Soldani, nullus transit tutus, & sine captiuitate. Omnes quotquot sumus, peregrinamur à Domino 2. Chorint. 5 *Nõ enim habemus hìc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Hebræ 13. Ita Psalm. dicebat: *Aduena ego sum apud te, & peregrinus.* Iniqui autem exulant à Ierusalem cœlesti, quæ sursum est, quia *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis in Ierusalem.* In Psalm. Verum est, quòd propter peccata nostra ille locus erat nobis sub prohibitione positus, & sub interdictione: quia posuit illic Dominus *gladium flammeum, atque versatilem ad custodiendam, &c.* Genesis 3. & ideo nullus accedere poterat, vel audebat, nullus transibat de regno huius mundi ad gaudium paradisi. Idèo misertus Deus pater peregrinorum aperuit Bullam suarum gratiarum, & misericordiarum, & impressit suam imaginem, filium suum, *qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius*, Sapient. 7. ceræ nostræ humanitatis, vt illam imaginem Dei filium nobiscum habentes in nostra humanitate impressum incarnatum, & humanatum, haberemus ad paradisum aditum liberum, transitum apertum, qui ad transeundum de regno huius mundi ad populum alterum paradisi, non sufficiunt alia munimenta, nisi solùm istius imaginis impressio: & incarnatio facta; vnde consideratis humanis meritis ab vna parte, & semptem, * huius imaginis ab alia. Dicit Psalmus: *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens: Verumtamen in imagine pertransit homo.* Est autem sciendum, quòd sicut imago sigilli ceræ applicata in sigillo remanet, & in cera: ita imago Dei Patris ipse Dei filius applicatus, & incarnatus nostræ humanitati, sicut sigillũ, facit imaginem sigilli ceram induere: & imago in sigillo est, & in cera induit nostram humanitatem, sicut indumentum, & factus est homo: & imago Dei remansit, apud Patrem, & apud nostram humanitatem; vnde ipse sicut imago manens in sigillo, induit nostram ceram apud Matrem, manens in nostra humanitate, & apud Patrem in sua diuinitate. Ideo ad Philipens. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV; qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Iste homo secundus Adam cœlestis figuratus est in primo homine Adã terrestri, de quo Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã:* de quo sequitur: *Creauit igitur Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam.* Ergo si in ista imagine impressa hodie, & incarnata trãsit homo de regno in regnum, de gente ista ad populum alterum, de miseria ad paradisum: faciamus iuxtá cõsilium Apostoli, 1. Chorinth. 15. vbi dicitur sic: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes: igitur sicut portauimus * imaginem terrestris; portemus, & imaginem cœlestis.* Dilata per hoc contra vitia, & potes inducere illam authoritatem in Psal. quod *homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hoc fit per vitia, & peccata: Applica vt volueris: & hæc de secundo.

Quantùm ad tertium sciendum, quòd Deus conformiter se habuit in rerum creatione, & in recreatione: in creatione autem ita fecit, quòd creando aquas, cœlum, & terram; nullo vsus est adiutorio: sed ipse sua virtute aquam, cœlum, & terram creauit: cætera autem postea suo cursui, & actionibus suis dimisit. Sic fecit in recreatione, quoniam aquam ipse creauit, & posuit in Matre Virgine, & cœlum, ideſt, Christi cœlestem animam, & terram, ideſt, corpus eius de terra formatũ, non alio homine adiuuante: Non alio homine medio generante; sed sola sua virtute in vtero Virginali formauit: immo, quod plus est, cœlum, & terram ad collum suum posuit, & ad portandum sibi coniunxit: vnde sicut motum cœli, & terræ Angelo dedit in rerum creatione, quem sibi ad motum vniuit: ita in rerum creatione cœlum, ideſt, cœlestem animam Christi, & terram, ideſt, corpus filio Dei vniuit: & non solùm ad motum, & obedientiam diuinitatis, sed in vnitatem suppositi; ideo in huius cœli, & terra Christi corporis, & animæ productione non fuit alius homo adiutor: alius pater generans, sed solus Spiritus San-

*Ioan.* 1. *2.Cor* 5. *Hebr.* 13. *Psal.* 38. *Psal.* 121 *Genes.* 3. *Sap.* 7. * *Psal.* 38. *Philip.* 2. *Genes.* 1. *1.Cor.* 15 * *portauimus.* *Psal.* 48.

Sanctus Virginem impregnans; vnde hæc dignitas, hoc priuilegium soli Christo, & eius Matrem, non cuilibet in sua conditione fuit reseruatum, vt ipsa sine verili adiutorio cõciperet, & prolem Virgo pareret; & Deus
*Isai.40.* sine humano adiutorio prolem illam formaret, ideo Isai.40. Spiritu Sancto reuelante præuiderat ista, cùm dixit: *Quis mensus est aquas?* Ecce de abũdantia cœlestium gratiarum in Matre: *Et cœlos palmo ponderauit?* Ecce de anima cœlesti: propter diuersas virtutes in prole: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Ecce de eius corpore sequitur: *Quis adiuuit Spiritum Domini; aut quis consiliarius eius fuit?* Quasi dicat: nullus: non sic in communi generatione aliorum hominum: immo ibi verificatur illud
*Psal.123* Psalmi: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram*, qui scilicet, solus fecit cœlum, idest, Christi cœlestem animam, & terram, idest, corpus Christi pertinens ad nostram terrenam naturam. Huius conceptionis exemplum naturale quoad aliquod reperimus, secundùm enim Ambrosium in Hexameron apes concipiunt, & pariunt sine libidine, & sine alterius apis adiutorio, sola cœlesti virtute. Ita beata Virgo hunc puerum cõcepit, & peperit virgo sine libidine, sine hominis auxilio, & consortio: Sola Spiritus Sancti virtute, vn-
*Daniel.10* de dixit Spiritus Sanctus, illud Daniel.10. *Nemo est adiutor meus in omnibus his.* Ergo illi qui in hoc opere non habuit adiutoriũ, qui est in nostro bono opere omni totum
*Psal.118* nostrum auxilium, dicamus illud Psalmi: *Adiuua me, & saluus ero.* Illam salutem nobis concedat, qui cum Patre viuit, & regnat. Amen.

## *COLLATIO. LX. De Annuntiatione Dominica, vel de Natali Domini, ex Psalmo 88.*

*Psal. 88.* P*Onam in mari manum.* In Psalmo 88. secundùm Philosophum, manus adeo nobilis est pars in homine, quod quamuis in corpore sint diuersa organa, tamen manus est organum organorum. Vnde sicut potestates rationales valent ad oppositа: ita manus valet ad opposita ad constructendum, & destruendum, spiritualiter tamen licèt ad multiplicia opera oppositа valeat; ad duo tamen opera opposita quantum est ad propositum, magis valere dicitur in Scriptura. Primò ad inimicos extirpandos, & debellãdos, in Psalmo: *Doces manus meas ad prælium, & Posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Ita legimus, Exod.17. quòd filijs Israel
*Exo. 17.* pugnantibus contra *Amalech*, manus *Moysi* erant graues: & quandocumque Moyses eleuabat manus, *vincebat Israel*, quandocumque autẽ demittebat manus, vincebat Amalech. Ideo dicebat Ps. *Benedictus Dominus Deus Israel, &c.* Secundò ad inimicos reconciliandos: amicos fœderandos, Canticorũ 5. *Dilectus meus misit manum suam.* Ad literam, quando inimici reconciliantur, & fiunt amici, mutuò manus sibi extendunt: Ad hoc est, quod legimus 2. Regũ 3. Abner enim inimicabatur Dauid, & volens ipsi reconciliari, & fœderari, mãdauit ipsi, dicens: *Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum.* Scriptura sacra vocat Dei filium manum Dei: quia sicut artifex singula manu operatur; ita Deus Pater omnia per filium operatur: *Omnia per ipsum facta sunt*, Ioan. 1. *Sciant quòd manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.* In Psalmo: *Hæc manus* est organum organorum: non solum, quia valet ad opposita, sed quia valet ad infinita. Ideo dicitur, Cantic.5. *Manus eius tornatiles*, idest, ad omnia factibilia volubiles. Ex peccato autem primorum Parentum inter Deum, & hominem est facta dissensio, bellum, guerra, & diuisio, Ieremias 49. *Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos, & Deum nostrum*: ideo manus Dei fuit contra homines, ad eos debellandos eleuata; & extirpandos in toto veteri testamento, Psalmus: *Eleuauit manum suam, vt prosterneret eos in deserto*: ita prædixerat ipse Ierem. 21. *Debellabo vos ego manu extẽta, & in brachio forti, in furore, & indignatione, & iragrandi, & percutiam* hæc omnes interficiebat. Ex.25. *Euaginabo gladiũ meum, & interficiet eos manus mea*: hãc manum nullus poterat euadere, dicente Iob 10. *Non est qui de manu tua possit eruere.* Ideo Iob 13. Istam manum timens, dicebat: *Manum tuam longe fac à me.* Propter hoc Sancti Patres, & Prophetæ, & Patriarchæ videntes, quòd ludus non erat communis, & quòd omnes moriebantur, tractauerunt, & rogauerunt pro pace, dicente Psal. *rogate quæ ad pacem, &c.* & quia ista pax non poterat esse, nisi ex parte Dei præcederet, orabant humiliter cum Psalm. *Fiat pax in virtute tua, &c.* Et quia manu inimici reconciliantur, manum eleuatam ad debellandum petebant dimitti, ad reconciliandum cum eodem. Psal. *Emitte manum tuam de alto.* Sed nunquid obliuiscetur misereri Deus? Certè non, & ideo non continebit in ira misericordias suas: vnde facta est mutatio, quia manus bellans facta est Deo reconcilians. *Hæc mutatio dexteræ excelsi*, in Psalm. Quod factum est in benedictio eius aduentu, quando fuit Dei filius incarnatus: tunc enim Abner, id est, Deus Pater, (Abner interpretatur, pater lucidus) mandauit humano generi: *Fac mecum amicitia: & erit manus mea tecum*: hoc ipse promittit

*Psal. 17.* *Cantic.5.* *2.Reg.3.* *Ioann. 1.* *Psal.8.* *Cantic.5.* *Ierem.49* *Psal.108.* *Iere.21.* *Exod.25* *Iob.13.* *Psal.76.*

ut efficaciter in verbis assumptis: *Ponam in mari*, ideſt, in MARIA, quæ interpretatur amarum mare: *Manum*, ideſt, meum filium: in quibus verbis Psalmus. In Dei Patris perſona deſcribit Patrem: *Ponam*, Matrem: *In mari*, Prolem: *Manum*. Deſcribit autem Patrem, vt conferentem certitudinaliter: *Ponam*. Matrem, vt concipiente mirabiliter: *In mari* Prolem, vt venientem affabiliter: *Manum*. Habemus autem in Patre auctoritatem ratione celſitudinis: *Ponam*. In Matre fœcunditatem ratione pulchritudinis: *In mari*. In prole vtilitatem ratione dulcedinis: *Manum*. Eſt ergo ſecundùm iſta, in Patre auctoritas certæ veritatis: *Ponam*. In Matre fœcunditas claræ puritatis: *In mari*. In prole vtilitas magnæ largitatis: *Manum*.

Quantùm ad primum. Nota, quòd filius Dei in carne in Scriptura ſacra comparatur tribus ſpecioſis. Primò enim comparatur luci. Ioannis 1. *Erat lux vera, &c.* hac ratione ſcilicet, quia lux eſt in Sole, & in alio cœleſti corpore, ſed differenter: quia in Sole eſt à Deo, & immediatè, & non in alio lumen dante: ſed lux eſt in alio cœleſti corpore, puta in Luna, vel ſidere à Deo, mediante alio corpore, puta Sole lumen ei communicante: non eſt ergo aliquod aliud corpus, quod non habeat lucem ab alio corpore, puta à Sole: ſed Sol nõ habet ſuam lucem ab alio, niſi à ſolo Deo. Ita eſt ſpiritualiter. Omnis mulier prolem habens, habet fœtum, & fructum: non à ſe ſed ab alio: puta á patre generatore, ſicut Luna lumen habet à Sole: & vtrumque à Deo: ideo dicit Philoſophus 2. Phyſicorum, quòd homo generat hominem, & Sol. Sed Virgo Beata habuit prolem in proprio vtero; ſicut Sol lucem in circulo, non ab alio homine, ſed à Deo immediatè; quia non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Verbum Dei factum eſt caro: ideò ſicut Deus fecit Solem lucis tabernaculum, & poſuit in eo lucem immediatè, ita fecit Virginem Dei tabernaculum, & ibi poſuit immediatè filium ſuum. In Pſalmo: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Secundò comparatur rori, Oſeæ 14. *Ero quaſi ros, & Iſrael germinabit quaſi lilium.* In Pſalm. *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Ratio eſt: virtus cœleſtis ex rore cadente ſuper concham marinam generat lapidem pretioſum, qui dicitur Margarita in viſceribus conchæ, vel conchilij. Sic virtute diuina in viſceribus Virginis, rore diuinitatis deſcẽdẽte: formata illi Chriſti humanitas: illa pretioſa margarita: *quam qui inuenit homo* deuotus pio gaudio emit illam: hæc eſt illa margarita, ex rore illo cœleſti figuratiuè generata, de quo legitur. Iudicum 6. quòd *ros in vellere* cecidit, & in terra non fuit: de quo cantamus per totum aduentum illud Iſaiæ 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Iſtum ergo rorem Deus Pater pluit, & poſuit in vellere, ideſt, virginali ventre. Iob 28. *Poſuit in viſceribus hominis ſapientiam.* Cuius hominis? Illius, de quo ipſe Chriſtus ait, Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti; ſic erit filius hominis in corde terræ.* Sapientiam autem illam poſuit, quæ loquitur. Eccleſiaſt. 24. *Ego ſapientia ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnẽ creaturam.* Tertiò comparatur Imagini. Sapiẽt. 7. *Candor eſt lucis æternæ; & ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius.* Ratio eſt: imago ſigilli quando iuſtat in ſigillo, malè poteſt cognoſci, vel iudicari, & etiam videri, ſed quando ponitur extra in ſigillum, & imponitur ceræ; tunc in cera imago clarè videtur. Ita de Dei filio, qui eſt imago Patris, & figura, iuxta illud Hebræorum 1. cap. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, &c.* Quandiu enim fuit in ſigillo diuinitatis, cognoſci, & videri non potuit, iuxta illud quod dictum fuit Moyſi. Exod. 33. *Tu autem non poteris videre faciem meam.* Sed quando illud ſigillum fuit applicatum, & illa imago ceræ virgineæ noſtræ humanitatis impreſſa per Deum Patrem in vtero virginali; tunc videri, & palpari potuit, & clarè cognoſci. Item teſtatus eſt Ioannes 1. *Quod vidimus, & audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: hoc vobis annunciamus.* Hanc ergo imaginem, hoc ſignaculum intromiſit Deus Pater in virginalem vterum, vnde Iob 16. *Poſuit me ſicut ſignum.* Ipſemet petit cor tuum ſignari, hoc ſignaculo. Cantic. 8 *Pone me vt ſignaculũ ſuper cor tuum.* Si vis plus deponere, quære in illa collatione: *In Sole poſuit*, & in illa: *Poſuiſti in capite eius, &c.*

Quantùm ad ſecundum Nota: Per mare intelligi poteſt primò humana natura. De quo mari ſic accepto Pſalmus loquitur: *Hoc mare magnum, &c.* Cuius ratio eſt; quia dicunt naturales Thopaſion lapidem pretioſum huius eſſe virtutis, quòd ſi ponatur in aqua maris feruente, vel bulliente, ſtatim eam defluere facit: Et ebullitionem tollit. Per Thopaſion Dei filium intelligo, qui eſt ſuper aurum, & Thopaſion. Per mare feruens, & bulliens, deſiderium Patrum ſanctorum, qui feruebant de ſiderio, & bulliebant lachrymis, & ſuſpirijs pro aduentu Chriſti, de quo dicitur Iob 41. *Feruefcere facies quaſi ollam profundum maris* in Pſalm. *Turbas profundum maris ſonum fluctuum eius.* Sed tandem lapis iſte in vnam vndam in Virginem Beatam miſſus, ſtatim ceſſare fecit fletus, & ſuſpiria, & ebullitionem illorum deſideriorum. Vnde vidébatur ipſe dicere illud Ionæ 1. *Mittite me in mare, & ceſſabit tempeſtas.* Ita patuit in Symeone dicente, & ſuſpirante. *Putas, videbo, &c.* Qui eo viſo, dixit: *Nunc dimittis ſer-*

*Ioan. 1.* *Pſal. 18.* *Oſeæ 14.* *Pſ. 132.* *Mat. 13.* *Iudic 6.* *Iſaiæ 45.* *Iob. 28.* *Matt. 13* *Eccleſ 24* *Sapiẽt. 7* *Hebr. 1.* *Exod. 33.* *Ioan. 1.* *Iob. 16.* *Cant. 8.* *Iob. 41.* *Pſal. 64.* *Ionæ 1.* *Luc. 2.*

*seruum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum;* ideo, quia ipse mitigauit
Psal. 88. fluctus lachrymarum, dixit ei Psalm. *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Secundò potest per
Psalm. 94 mare intelligi Virgo Beata. De quo Psalm. *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud.* Huius autem duplex est ratio. Prima est, quia in profundo maris lapis pretiosus nascitur, qui Corallus dicitur, admodum arboris, & per palmites factus: huius quidem conditionis, quòd crescit sola virtute cœlesti sine humana cultura; item albus, & mollis intra mare: sed rubicundus, & durus redditur extra missus: valet autem ad sanitatis restaurationem, & vitæ conseruationem, quia vita est cordialis. B Ita spiritualiter in mari, ideſt, in Virgine benedicta, natus est Corallus filius Dei sine virili cultura, sed sola Spiritus Sancti fabricatura, qui quidem fuit albus in carnis assumptione: sed rubeus in passionum toleratione, ipse quidem statim natus die octaua cæpit rubescere per circumcisionem, sed amplius in cruce rubuit per pedum, manuum, capitis, & lateris
Cant. 5. apertionem, vnde dicitur Cantic. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, iste fuit primò mollis in primo aduentu mare exiens de mari nascens per miserecordiam; tandem in secundo aduentu erit durus, & rigidus per iustitiam. Iste ergo corallus creuit per palmitum extensionem. Idem per membrorum directionem in mari, ideſt, in MARIÆ vte- C
Psal. 79. ro virginali, in Psalm. *Extendit palmites suos vsque ad mare.* Secunda ratio est, quia à mari amaro virtute cœlesti nubes dulcis, & rorida nubecula, quæ terram inebriat, & pluuia sua fœcundat, modo mirabili eleuatur: quæ postea terram virtute sua facit fructus multiplices germinare. Ita ex mari, ideſt, ex MARIA ratione naturæ pœnosæ amara eleuata est illa parua nubecula, ideſt, in Christo humana natura sola Solis, ideſt, Dei virtute formata: quæ postea totam terram prædicationis suæ rore mirabili fœcundauit: quod quamuis figuraliter factum fuerit, tamen expressa signatione videtur illud sonare histo- D
3. Reg. 18 ria verborum, quæ habetur 3. Regum 18. *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari, & facta est pluuia grandis.* Hæc de secundo.

Quantùm ad tertium. Nota, quòd filius Dei mundum, & Virginem, vel virginalem vterum ingrediens, manus vocatur propter tria sibi conuenientia, quæ manui naturaliter conueniunt. Manu enim primò euadimus pericula, patet. Siquis enim in puteum cadat, lacum, vel fluuium, manu extensa alterius liberatur, & de periculo extrahitur, & eleuatur. Genus humanum ex lapsu pedis in primo parente, cecidit in puteum, vtique in puteum interitus: vt dicitur in Psalm. Tandem Deus A pater misertus hominis clamantis, & dicentis: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vsque ad animam meam; infixus* Psalm. 68
*sum in limo profundi, & non est sustantia.* Misit manum suam filium suum, & eripuit homines de interioribus eorum, vt dicit Psalm. & hæc est illa Psalmistæ oratio: *Emitte ma-* Psal. 143
*num tuam de alto,* mihi, supple, existenti in imò in limo, in aquæ profundo: *Eripe me, & libera me de aquis multis.* Ergo & tu peccator si tu cecidisti in lutum peccati, in puteum interitus, in lacum mortis, reuertere ad Deum per pœnitentiam, quia inde ista manus educet te, dando tibi robur, & auxilium, secundùm promissum, quod Psalmus recitat: *Manus* Psal. 88.
*enim mea auxiliabitur ei, & brachium meũ confirmabit eum.* Secũdò sanatur vulnera. Ad literam: Cirurgicus leuat manus, palpat; tergit vulnera, & emplastrat; vnde ille Naaman conquerebatur leprosus existens, de Helisæo
4. Reg. 5 4. Regum 5. *Putabam,* inquit, *quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & manu sua tangeret locum iepræ, & curaret.* Deus Pater volens vulnera peccatorum nostrorum curare, lauare, & implastare, & sanare, misit manum suam filium suum, *oleum, & vinum,* Lucæ 10. de ipso habetur, & sic homo fuit ad vitam, ad salutem à Lucæ 10.
mortis vulneribus restitutus, hoc petebat Psalmista: *Fiat manus tua, vt saluet me, quo-* Psal. 118
*niam mandata tua elegi.* Tertiò conferuntur munera sic. Videmus, quòd boni eleemosynarij ponunt manum suam ad bursam, & dant pauperibus, vnde de quolibet bono eleemosynario habetur Prouerb. 31. *Manum suam* Prou. 31.
*aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes.* Deus à mundi principio fuit maximus eleemosynarius, & dedit eleemosynas omnibus suis creaturis de diuitijs gloriæ suæ, sed videns hominem ingratum, manum suam in sinum retraxit, iuxta illud Exodi 1. *Re-* Exod. 1.
*trahe,* ait, *manum tuam in sinum tuum.* Ideo in toto veteri testamento non dedit nisi vnam micam de gloria, scilicet Moysi, & solùm in transitu; propter hoc homo pauper clamabat pro eleemosyna, dicens illud Ecclesiast. 7. Eccles. 7.
*Pauperi porrige manum tuam.* Sed tandem misericordia motus, manum suam, filium suum misit ad munera, & ad eleemosynas largiendas, qui contulit remissionem culpæ, & collationem gratiæ, & gloriæ, quia secundùm Psalmistam: *Gloriam, & gratiam dabit Do-* Psalm. 83
*minus.* Sequamur ergo eleemosynarium talia munera largientem, & colligamus, quæ confert, quia in Psalmo dicitur: *Dante te, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Ergo Domine fili vnigenite Iesu Christe, tu es ille ad quem nostros
Psal. 103 oculos dirigimus, vt à te benedictionem gratiæ in hac vita, & gloriæ in futurà, tua misericordia reportemus. Vnde Psalmus: *Oculi* Psal. 144

*om-*

*omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Illa benedictione perpetua nos benedicat, &c.

## COLLATIO LXIV. De festo Annuntiationis, vel de vigilia, & festiuitate Natalis Domini, aut de Epiphania, ex Psalm. 89.

*Psalm. 89* *Ecclesi. 42* *Splendor Domini Dei nostri super nos.* In Psalm. 89. Scriptura Deum Patrem vocat solem. Ecclesiast. 42. *Sol illuminans per omnia respexit.* Dei Filium vocat splendorem

*Hebr. 1.* ab eo præcedentem. Ad Hebr. 1. *Cùm sit splẽdor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Quia sicut splendor coæternalis à Sole, sine motu, & mutatione procedit origine, & generatione perpetua; ita Dei Filius à Patre coæternaliter sine motu, & mutatione, paterna generatione procedit, velut à Sole splendor, secundùm Augustinum libro de Verbis Domini; vnde et

*Psal. 109* Pater loquitur illud Psalmist. *In splendoribus sanctorum ante luciferum genui te.* Sic videmus de Sole naturaliter, quod quando Sol est super nos directè, & rectè super Zenid capitis: super nos immittens radium suum, splendorem: tunc ostendit nobis gloriam suæ admirabilis claritatis, fœcunditatis, & virtuositatis; tunc enim Sol est clarior ad illustrandum obumbrata; fœcundior ad prouocandum seminata; virtuosior ad curandum infirmata. Hoc patet circa solstitium æstiuale, quia tunc Sole super nos suum radium, & splendorem immittente, dies sunt clariores: herbæ, & arbores fertiliores; vires hominum fortiores, Deus Pater propter peccatum primorum Parentum se ab humano genere elongauit, & lucem, ac splendorem ab eo retraxit; propter quod secuta est vmbra falsitatis in intellectu ad Deum cognoscendum, culpa sterilitatis in affectu ad Deum diligendum, causa debilitatis in effectu ad Deum excolendum, propter quas præmissas concludebant euidenter sancti Patres antiqui illam conclusionem.

*Sapiẽt. 5.* Sapient. 5. *Ergo errauimus à via veritatis,* quoad effectum, *& lumen iustitiæ non illuxit nobis,* quoad effectum, *& Sol intelligentiæ non est ortus nobis,* quoad intellectum, sed tandem Deus in ira sua misericordiæ recordatus versùs nos accedens, & suum splendorem Sol ipse immittere super nos mandauit,

*Malac. 4* Malach. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ,* Et hoc fuit in tota lege veteri: tandem accessit ad nos, & immisit suum radium, suum splendorem, suum filium in incarnatione, & tunc isto radio immisso desuper, in homine est veraciter vmbrositas

*Daniel. 2* illustrata claritate; quia Daniel. 2. *Lucebunt sicut Sol firmamenti;* sterilitas fœcundata fertilitate, quia Habacuc 3. *Ibunt in splendore,* infirmitas roborata sanitate, iuxta illud promissum, Baruch 4. *Videbunt in sterilitate salutem vestram à Deo, quæ superueniet vobis cum honore magno, & splendore æterno.* Hoc vidit, Isai. 6. figuratiue, vbi dixit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena domus à maiestate eius erat, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Dominus sedens super solium eleuatum est Dei filius, sedens supra humanæ naturæ solium in vnione, & incarnatione, vsque ad vnitatem diuini suppositi exaltatum, & elevatum, & domus humanæ Virginis Beatæ plena erat à maiestate eius, vtique gratia, & gloria, ita dixit Angelus: *Aue gratia plena,* Lucæ 1. *Ea quæ sub ipso erant,* hoc lumine hoc splendore illustrata, *replebant templum,* scilicet, Ecclesiæ militantis, & triumphantis, in quo ostendit Deus Pater diuitias gloriæ suæ per istum suum radium, & splendorem; quia claritatem quoad credenda fœcunditatem quoad diligenda, virtuositatem quoad exequenda, propter quod dixit, Isaias 60. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Vnde Psalmista, hoc recognoscens beneficia in humano genere, ex illo promisso, Baruch 4. veraciter peruenisse; vbi per Dominum dicitur. *Deus ostendet splendorem suum in te, qui sub cœlo est.* Sicut si esset expertus, clamauit: *Splendor Domini nostri super nos.* In quibus verbis filij Dei incarnati Psalmista describit tria, scilicet eius Diuinitatem, Humanitatem, Sublimitatem; Fulget autem Diuinitas infinita Coæternitate *splendor* Humanitas adiuncta Maiestate: *Domini Dei nostri;* Sublimitas influxa vtilitate, *Super nos.* Secundùm hoc in Dei filio humanato, & incarnato habemus, Claritatem Diuinitatis procedentem à luminoso Sydere: Humanitatem Maiestatis orientem cum animoso Fœdere, Sublimitatem vtilitatis influentem in virtuoso Opere: Quia, *splendor, Domini Dei nostri, super nos.*

*Habac. 3* *Baruch 4* *Isai. 6.* *Lucæ 1.* *Isai. 60.* *Baruch 4*

Quantùm ad primum. Nota, quòd Dei filius Splendor vocatur in Scriptura, hìc, & alibi. Hac ratione in templis, & Ecclesijs consueuerunt poni lampades, & accendi, ad honorem Dei, ad illuminationem, & directionem populi, quæ splendore suo totam Ecclesiam illuminant: splendor enim, & lux Lunæ venit ab alio, quia à superiori virtute, quàm sit lampas, accenditur; tamen splender ignis positi à lampade pervia, sine fractione egreditur. Ita spiritualiter Deus Pater volens in tota Ecclesia militante honore, & reuerentia coli debitè, & suum populum rectè non * offenderet, diripere, lampadem præparauit, vterum scilicet virginalem; oleum ordinauit, scilicet, Corpus Christi, & filium, scilicet, animam creauit in ista lampade super totam humanita-

* Rectè, ne.

tatem, venit: *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*
Ioan. 1. Ioan. 1. ſcilicet diuinitas, donum, *deſurſum*
Iacob. 1. *deſcendens à patre luminum* Iacob. 1. Scilicet diuinitas eſt illud lumen, de quo cantamus: Tu lumen, tu ſplendor Patris, quia ſicut ſplendor exit ſine fractione à lampade; ita Dei filius ſine fractione, & violatione eſt natus de Virgine: *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes no*
Luca 1. *ſtros in viam pacis*, Lucæ 1. Hoc eſt illud di-
Iſai. 62. uinum promiſſum, Iſaiæ 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accẽdatur, & videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclitum tuum.* Nota, dicit iſtum ſplendorem videri à Gentibus, & Regibus, ideſt, à maioribus, & minoribus, vtique aliud ſignans, vbi Nota, quòd Dei filius prophetizatus naſcitu-
Num. 24. rus eſt eſſe de Stella, Num. 24. *Orietur Stella ex Iacob*, hac ratione, quia regnante planeta, qui dicitur Mars, quandoque eleuatur vapor terreſtris ad Martem, & ſic accenditur, & inflammatur, & generatur Stella, quæ Cometa vocatur, huius conditionis, & naturæ, quòd planeta exiſtens, in cœlo vaporem continet eleuatum, inflammatum, illuminatum, & ſplendidum; qui vapor eleuatus ſequitur in omnibus motum planetæ, & trahit caudam poſt ſe: habet autem ſecundùm Ptolomæum, & alios Aſtrologos tres effectus; quia hæc Stella regnans inducit Regum, & Regnorum motum, & commotionem, iram & turbationem, guerram, & interfectionem. Ita Dei filius Mars vocatur, quia Mars dicitur Deus belli;
Exod. 15 Dei autem filius eſt ille, de quo Exod. 15. *Dominus quaſi vir pugnator*, & in Pſalm. *Dominus exercituum nomen illi.* Hic ergo volens in hoc mundo regnare vaporem terreſtrem, ideſt, humanam naturam de terra for-
Ioan. 4. matam, quæ ſecundùm illud Ioan. 4. *Vapor eſt ad modicum parens.* In altum ad ſe leuauit, & ſua conſtellatione eleuauit, nõ vtique ad ſummam aëris regionem, ſed ad tertium cœlùm ad ſui ſuppoſiti vnionem, & iſte vapor fuit illuminatus ab ipſa Stella, ſcilicet, ab ipſa diuinitate, & inflammatus. Ipſa ſcilicet Chriſti humanitas, in qua ſplendebat ipſa diuinitas, quæ exiſtebat in cœlo apud Patrem, & in mundo coniuncta ad ipſam humanitatem, quæ ſemper motum diuinitatis in omnibus eſt ſecuta; traxit autem magnam caudam poſt ſe, quia omnes ſuos fideles militantis Eccleſiæ; hæc Stella incipiente regnare, iſto Cometa apparente, & naſcente, ſtatim ſecutus eſt effectus, Regum, & gentium motus, ira & commotio. Nonne ipſa nocte Natiuitatis Chriſti venerunt Paſtores ad videndum, & adorandum puerum natum? Nonne iſta nocte Natiuitatis receſerunt tres Magi, tres Reges ab Oriente, & venerunt Ieruſalem currentes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum: Vidimus enim* (inquiunt) *Stellam eius, & venimus adorare eum*, Matth. 2. Hoc Iſai. prædixerat 60. *Super te autem Ieruſalem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Ergo habemus motum gentium, & omnia regum maiorum, & minorum: Item ſecuta eſt Regum, gentium ira & turbatio; quia audita natiuitate, & apparitione iſtius Stellæ Herodes Rex, & aliæ gentes Ieruſalem habitantes iratæ, & turbatæ fuerunt, Matth. 2. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt valdè, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Hoc eſt illud prædictum per Ezech. 1. *Ventus turbinis*, ideſt, iræ & turbationis, *veniebat ab Aquilone*, ideſt, Herode, & *nubes magna* ab ipſa multitudine, & *ignis inuoluens* inuidiæ; quantùm ad vtrumque, & *ſplendor in circuitu eius.* Item ſecuta eſt regum, & gentium guerra, & interfectio. Nonne enim Herodes ſtatim orta Stella mittens, *occidit omnes pueros à bimatu*, & infra Matth. 2. Nonne poſtea durante conſtellatione, *miſsit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia: occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio; videns autem, quia placeret Iudæis, appoſuit vt apprehenderet, & Petrum.* Act. 12. & ex conſtellatione iſtius Stellæ ſecuta eſt guerra, & mors inflicta Sanctis, & Martyribus, ac Regibus, & gentibus in Eccleſia primitiua; de qua loquebatur Pſalmiſt. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſum inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius*, hæc fuit viſio, Ezech. 1. *Hæc erat viſio, ſplendor ignis*, ideſt, ipſius perſonæ Chriſti ignitæ, & inflammatæ per miracula ſplendentis, & *de igne*; ideo propter opera Chriſti, & ſuorum; *fulgur* inuidiæ perſecutionis, & mortis contra Chriſtum, & ſuos *egrediens.* Ergo hæc eſt illa, cuius ſplendorem in regibus, & gentibus ſunt ſecuta prædicta tria propter quod dixit Iſaias poſt illud: *Egrediatur vt ſplendor iuſtus eius*, Subiungens: *Videbunt Gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum.* Ideo vocat ſe, Stellam, Cometam, & ſplendidam, Apocal. vlt. *Ego ſum genus, & radix Dauid, Stella ſplendida, & matutina.* Genus, & radix Dauid, quantùm ad vaporem terreſtrem humanæ naturæ Stella ſplendida, & matutina, quantùm ad planetam cœleſtem diuinæ naturæ, de quo Habacuc 3. *Deus ab Auſtro veniet*, quantùm ad humanitatem, & *ſanctus de monte*, quantùm ad diuinitatem, *aperuit cœlos gloria eius*; qua eſt in Patre, & *laudis eius plena eſt terra*, qua exiſtit in Matre; *ſplendor eius quaſi lux erit*, quantùm ad vtrumque. Hoc eſt de primo principali.

Matt. 2. Iſai. 60. Matt. 2. Ezech. 1. Matt. 2. Act. 12. Ezech. 1. Apocal. vlt. Habac. 3.

Quantùm ad ſecundum Nota, quòd Scrip-

turà sacra vocat Incarnationem Verbi, desponsationem, & est ratio. Quandoque magnus Rex ex sola complacentia, & misericordia desponsat sibi aliquam pulchram iuuenculam, & vnit sibi perpetuo vinculo matrimoniali, quamuis sit pauper, & ignobilis; ita fecit Deus: *Dominus magnus super omnes Deos.*

*Psal. 94.* In Psalm. sua sola complacentia misericordia motus vnam pulchram iuuenculam, licèt pauperem, & ignobilem, scilicet, naturam humanam in filio, diuinæ naturæ vnuit, & matrimonialiter coniunxit sempiterno vinculo in

*Psal. 18.* thalamo vteri virginalis, dicente Psalm. de eius natiuitate: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Hoc promisit Deus Pater fa-

*Osee 2.* ciendum in filio, Osee 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.* Est autem sciẽdum, quòd hic factum est in ista desponsatione, sicut aliquando fit in alijs. Consueuerunt autem dari iocalia per parentes: specialiter per patrem, vel sponsum puellæ desponsatæ, & specialiter annuli pretiosi. Ita fecit Deus Pater desponsans sibi totum humanum genus, & quamlibet animam fidelem: dedit enim pretiosissimum annulũ semper ab hominibus seruandum, tria continentem, scilicet, lapidem totum ambientem, & continentem. Adamantem quoad diuinitatem, ferrum quoad humanitatem; aureum circulum, quoad charitatem. Per adamantem enim diuinitas intelligi tur, quia est lapis paruus lucidus, tamen fortissimus, quia infrangibilis. Ita Dei filius est, quoad diuinitatem paruissimus in incarnatione; quia *cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus.* Ad Philipp. 2.

*Philip. 2* Fuit etiam lucidus suis prædicatione, & miraculis, totum mundum illuminans: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venien*

*Ioan. 1.* *tem in hunc mundum.* Ioan. 1. Fuit etiam fortissimus ad sustentandum labores, & bella mũdi, & diaboli; vnde ipse Dominus *fortis, &*

*Psal. 23.* *potens in prælio.* Per ferrum autem humanitatem intelligo, quia sicut Adamas intra ferrum, vult stare sicut in loco proprio, & illo incastratur, iterum ibi maximè suam virtutem, & suam bonitatem ostendit; ita Dei filius voluit stare, & incastrari in nostra humanitate. Fuitquè incastratus, quando fuit incarnatus; quando *Verbum caro factum est,*

*Ioan. 1.* Ioan. 1. In hac carne assumpta ipse maximam suam virtutem misericordiæ ostendit; quando in ea *operatus est salutem in medio terræ.* In

*Psal. 73.* Psalm. Tunc ostendit suum valorem, suam bonitatem, quando pro nobis est passus, & permisit ferrum poni in fornace passionis, malleari, verberari, clauari, lanceari. Et sicut ferrum positum in fornace est ductibile; ita Christus in passione ad obedientiam ad patrem fuit ductibilis: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Lucæ 22. ad Philipp. 2. *Christus factus est obediens, vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Per aureum circulum totum continentem, & ambientem, & etiam digitum gestantem intelligo charitatem, circulus aureus continet, & connectit ferrum adamantem, & digitum; ita Charitas Dei in Christo connectit diuinitatem, & humanitatem, &

*Lucæ 22.* *Philip. 2.*

quemlibet hominem, Ephes. 2. *Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo. Deus ergo charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,*

*Ephes. 2.*

Ioan. 4. Istum ergo annulum dedit Deus humano generi in desponsatione in incarnatione, cuius præcesserit figura, Genes. 41. Quando Pharao dedit suum annulum Ioseph, vbi dicitur: *Tulit itaque annulũ de manu sua, & dedit in manu eius;* quantum ad diuinitatem, *vestiuit eum veste byssina;* quantum ad humanitatem, *& collo torquem auream circumdedit;* quantùm ad charitatem, quia igitur annulus hæc tria continebat; ideo tria posuit, Psalmista de eo: *Domini*, quantùm ad humanitatem *Dei*; quantùm ad diuinitatem *nostri*; quantùm ad charitatem, de hoc alibi idem Psalmista: *Ipse Dominus Deus noster, in vniuersa terra iudicia eius.* Istum autẽ annulum dedit nobis Dominus ad portandum in digito, ideſt, per fidem, & charitatem gerendum, & cognoscendum in animo; & valet ad infinita, & ad omne malum resplendum, & ad omne bonum prosequendum. Dic de virtute Christi, quanta est contra dæmones, contra morbos, contra aduersa; quantùm valet ad dandam sanitatem mentis, & salutem animæ; dic miracula, quæ volueris. Est autem notandũ, quòd virtus annuli cuiuslibet est maior, quando portatur in manu, & ponitur in digito annulari; cùm in illo digito sit quædam vena, quæ vadit ad cor, & tunc homo cognoscit sensibiliter virtutem anuli in se ipso. Ad hoc videtur esse illud Isidori 4. libro de officijs capitulo 16. & recitatur in Decretis 30. q. 6. quòd in primis annulus sponsæ à spõso dat ur, nimirum, vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter illud magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur; vnde & quarto digito annulus inseritur; ideo vt ibi sit vena quædam per quam sanguis, vsque ad cor perueniat. Ita quòd * Dei filio; quamuis vbique gestatus sit virtuosus, vel in corde per deuotionem: vel alibi, tamen potissima eius virtus cognoscitur, quando gestatur in manu per bonam operationem, & specialiter in digito, vbi est vena cordialis, ideſt, in opere sancto propter Dei dilectionem. Tunc enim sensibiliter ostendit suam virtutem; quia repellit omne malum, & adducit æternam salutem: Habet enim iste annulis in manu operationis, & digito dilectionis gestatus specialem virtutem ad

*Psal. 104.*

* *Ita de Dei filius*

cu-

curandum peccatum, & damnationem fugiẽdam, ad inducendum meritum, & salutem æternam. In cuius figuram pater filij Prodi-
Luc. 15. gi, Lucæ 15. Ad curam peccati pro sanitate gratiæ, in filio in ducenda præcepit, dicens: *Citò proferte stolam primam, & date annulum in manu eius.* Quia enim non solum iste annulus Christus debet teneri in marsupio, idest, in animo, sed in manu, & digito, idest, in operatione, & charitatiuo facto, ideo dicitur, nõ solùm *date annulum*, sed additur, *in manu eius;* tunc enim specialiter sentit homo virtutem eius, & ipsam cognoscit in cura infirmi-
Ioan. 20. tatis. Hoc benè habetur, Ioan. 20. in figura: Thomas enim erat infirmus, & vulneratus peccato incredulitatis; quia igitur discipuli aliquando istum annulum viderãt, voluerunt ipsum curare, per eum dicentes: *Vidimus Dominum;* sed ipse respõdit, quòd non per annulum in marsupio, per verbum eorum in animo; sed solùm per annulum in manu, & digito poterat ab incredulitate curati, vnde dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*, idest, non curabor. Tunc iteratò venit IESVS, & voluit suam virtutem Thomæ ostenderet, & eum ab infirmitate incredulitatis curare, & dixit, quòd poneret annulum in manu, & in digito: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis;* Quod cùm fecisset, statim curatus fuit, & virtutẽ annuli, & quicquid in annulo erat, perfectè cognouit; vnde clamauit, & recognouit ferrum malleatum humanitatis, adamantem incastratum diuinitatis; circulum aureum charitatis, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Ecce humanitas, diuinitas, dilectio, & charitas, iste est ergo
Psal. 94. quem Psalmista describit, dicens quantum ad omnia illa tria à nobis esse diligendum, quia inquit: *Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius.*

Quantùm ad tertium Nota, quòd à splendore solis in superiori regione generãtur duo modi impressionum; quia generat sol suo radio, & splendore rorem fœcundantem, & terram infundentem ad germinationem, ignem etiam fulgurantem terrena comburentem ad exterminationem. Ita facit Deus Pater Sol, & splendor eius filius; quia à parte superiori nobis immittunt primò rorem cœlestis gratiæ iustos fœcundantem ad bonam operatio-
Gen. 27. nem, vnde dicitur Gen. 27. *In rore cœli desuper, & in pinguedine terræ erit benedictio*
Isai. 45. *tua*, quam Isaias petebat 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Secundò ignem diuinæ iustitiæ, & sententiæ, iniustos, & reprobos fulgurantem, & inflammantem ad eorum damnationem, Psalm. *Pluet super peccatores laqueos ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum:* & iterum: *Posuit pluuias eorum grandinum ignem comburentem in terra eorum.* Hanc duplicem impressionem à sole iustitiæ roris, & ignis immissam, super bonos, & malos, & iustos, & iniustos descripsit Saluator, cùm dixit Matthæi 5. *Sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & super iustos, & iniustos.* Sed aliam dat pluuiam bonis, & iustis; quia gratiam ad consolandum, reficiendum, & confortandum, quod fuit figurata in pluuia mannæ, & carnium in deserto, quod Psalmista recitat dicens: *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis*, sequitur: *Induxit super eos, sicut puluerem carnes.* Aliam autem pluuiam malis, & iniustis, quia gehennam ad damnandum, comburendum, & inflammandum, quod fuit figuratum in pluuia super Sodomam, Genes. 19. vbi dicitur: *Egressus est Sol, & pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates.* Hoc idem Deus comminatur hodie cuilibet peccatori, Ezech. 38. *Iudicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis; ignem, & sulphur pluam super eum.* Quia igitur omnes sumus peccatores, oremus vt ignem, & pluuiam ignis Sol iustitiæ à nobis remoueat; rorem autem suæ benedictionis immittat, & cum Psalmista dicamus: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Quod nobis concedat, &c.

Psal. 10.
Matt. 5.
Psal. 77.
Gen. 29.
Ezech. 38
Psal. 66.

## *COLLATIO LXXI. De Natiuitate Beatæ Virginis, ex Psalm. 96.*

*LVX orta est iusto*, in Psalmo 96. Scriptura sacra comparat diei humanam vitam in Psalm. *Dies eius tanquam flos agri sic efflorebit.* Ratio autem vna est. Quoniam sicut dies vna parum durat, & citò transit à mane lucis ad serum noctis, & ibi deficit; ita Nota * vita humana breuis parum durat, & citò transit à lucido mane iuuentutis ad serum tenebrosum senectutis, & ibi moritur homo, & deficit; vnde de isto die verificatur illud Genesis 1. *Factum est vespere, & mane dies.* Alia ratio est directè ad propositum, quia eadem est differentia in hominibus, & diebus; in diebus autem quidam sunt naturales, quidam artificiales, dies naturalis includit lucem, & tenebram, diem, & noctem, & aliquando plus de tenebra, quàm de luce; plùs de nocte, quàm de die, aliquando è conuerso; dies enim naturalis vocatur dies cum nocte; cursus Solis ab Oriente recedentis ad idem punctum redientis; dies autem artificialis non includit noctẽ,

Psal. 96.
Ps. 102.
* Fortè tota.
Genes. 1.

&

& tenebram, sed solum diem, & lucem; benè tamen dicit, & lucem, & ortum diei præcedit tenebra, & nox; sed orto die, nihil includit noctis, & tenebræ, quia cursus solis à puncto orientis, vsque ad punctum occidentis facit diem artificialem, in quo solùm est lux & non tenebra. Ita spiritualiter quidam homines quædam personæ sunt dies naturales, & isti sunt omnes homines cursui naturali, vel communi cursui gratiæ, secundum communem vitæ modum dimissi, & isti in sua vita, in sua cõditione includunt noctem peccati, & tenebram, & diem, & lucem gratiæ, quia aliquãdo sunt in statu peccati tenebroso, aliquando in statu gratiæ, & lucido luminoso, & in aliquibus est plus de tenebra peccatorum, quàm de luce gratiæ, & è conuerso, secundùm quod se dant operibus bonis, vel malis, ideo exeuntibus tenebras peccatorũ, & venientibus ad lucem gratiæ, dicit Apostolus ad Ephes. 5. *Eratis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* O vtinam nõ simus filij tenebrarum propter nostras iniquitates, & peccata, & nõ habeamus plus de nocte, & vmbra, quàm de die, & luce clara. Credo, quòd si diligenter Deus vellet scrutari, & ponderare, inueniret in multis multum de tenebra peccatorum, & operum malorum, & parum de luce, & die operum bonorum. Fortè in quibusdam est verum illud, Amos. 5. *Dies iste tenebræ, & non lux.* Imò si aliquando illuminentur, cõfiteantur, & reuertantur ad Dominum, statim obtenebrescunt, & ad peccata redeunt, & diutius stant in culpa, quàm in diuina gratia, ideo væ eis Ierem. 6. *Væ vobis, quia declinauit dies, & lõgiores factæ sunt vmbræ vesperi.* Isti non sunt filij lucis, sed tenebrarum, quos alloquitur Apostolus Rom. 13. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Fuit autem vna dies artificialis, quam fabricauit iste faber, qui fabricauit lucem, & diem, auroram, & solem, de qua ait Psalm. *Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & solem.* Iste artifex vnam diem artificialem fecit, nõ diem secundùm opus naturæ communem, sed secundùm artem non communis, sed specialis gratiæ, scilicet, Virginem Beatam, in qua quidem post eius ortum, post eius natiuitatem nihil fuit noctis, vel tenebrarum cuiuscumque peccati venialis, vel mortalis; licèt nox, licèt tenebra peccati originalis præcesserit, quia fuit in originali concepta; sed modico momento in eo durauit, quia statim in principio suæ conceptionis sanctificata fuit; vnde secundùm Bernardum. Prius fuit sanctificata, quàm nata. Ideo ista est dies verè beata, non naturalis, sed artificialis, ante diem artificialem fabricata, & diuinę sapientiæ, absque omni tenebra, nocte, & vmbra cuiuscumque peccati, quia per artificium diuinum fuit tenebra originalis peccati ab ea totaliter separata. Hoc figuratum est, Genesis 1. vbi dicitur, quòd *tenebræ erant super faciem abyssi; dixitquè Deus fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucem à tenebris, appellauitquè lucem diem, & tenebras noctem; factumquè est vespere, & mane dies vnus.* Per abyssum, qui est aquæ profunditas sine basę, & fluminum mater, intelligitur Virgo Beata, quæ habuit profunditatem cœlestium gratiarum omnibus alijs incomparabilem, & intransmutabilem, & ipsa, est gratiæ, & misericordiæ, ac gratiarum peccatoribus dandarum Mater; insuper hæc à principio suæ creationis erat tenebrosa peccato originali: *Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux.* Hoc est sanctificetur, & illuminetur diuina gratia, & factum est, & *diuisit lucem*, idest, Virginem illuminatam *à tenebris* peccati originalis: *Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.* Ergo hæc est dies lucida, & artificialis, quam fecit Dominus, differens ab omni die naturali, carens omni vmbra peccati, & tenebra, quod non potest dicere dies alia; quia *si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, 1. Ioannis 1. hoc est illud Ecclesiastici 33. *Dies diem superat, & lux lucem.* De huius igitur lucis ortu iucundo, & fœcundo loquitur Psalmista, cùm dicit: *Lux orta est iusto*, in quibus verbis describit Beatæ Virginis sanctitatem: *Lux.* Natiuitatem: *Orta est.* Vtilitatem: *Iusto.* Describitur autem eius sanctitas in dictione luminis: *Lux.* Natiuitas in dictione originis: *Orta est.* Vtilitas in dictione hominis: *Iusto.* Est igitur sanctitas ex lumine corruscantis splendoris. Vtilitas ex origine iocundantis rumoris, natiuitis ex homine rectificantis vigoris.

Quantùm ad primum, sciendum, quòd Virgo Beata quantùm ad suam sanctitatem cõparatur luci, quia ipsa habuit in tota vita, & sanctificatione cõditiones luci cõsimiles, siquidem lux habet ista tria. Namque habet lux primò virtutem futurorũ denunciatiuã, quod cõpetit Virgini in sua sanctificatione. Nota, quòd tale prouerbiũ dicitur. Apparet in principio spinæ, si debet pungere. Vult dicere, quòd de qualibet re appareat primò, si debeat esse bona, vel mala, si debeat perficere, vel deficere; quoniã quæ habẽt bonũ prin cipiũ, iudicantur habere bonũ finem, & terminum. Ideo dicit quidam Philosophus, quòd qui benè cæpit, medium opus habet, quæ autem malo inchoato sunt principio, bono fine terminari non possunt. Ideo valde aduertendum est, quòd non erretur in principio, quia secundùm Philosophum. Paruus error in principio magnus est in fine. Sic ad litteram videmus in cursu lucis. Si enim

*Ephes. 5.* *Amos 5.* *Ierem. 6.* *Rom. 13.* *Psal. 73.* *Gen. 1.* *1. Ioan. 1.* *Eccl. 33.*

enim oriente ſole, lux clara nubibus rutilat, ſtatim cognoſcimus, & prædicimus futurum nobis ſolem clarum, & ſerenum, & totam illam diem futuram claram, & ſine pluuia, ac tempeſtate. Sed ſi mane nubes appareant, nigreſcant, vel rubeant, ſtatim cognoſcimus futuram diem eſſe obſcuram, & tempeſtatem, vel pluuijs eſſe plenam; vnde vulgatum eſt: Manè rubens cœlum venturos indicat imbres. Sic ſpiritualiter, quando homo manè in iuuentute ſua luce claræ conuerſationis, ſanctæ vitæ, & bonorum morum, abſque nubibus, abſque malis moribus, abſque malis ſocietatibus rutilat, ſignum eſt, quòd talis benè proficiet, erit bonus, & ſanctus, bonum faciet, de bono in melius procedet, donec veniat ad beatitudinem, & ſalutis diem. Sed quando in manè iuuentutis non apparet lux clara, ſed nubiloſa, vmbroſa, malis operibus, peruerſis operibus, ſuſpectis ſocietatibus, de tali perſona nõ expectatur niſi malũ, niſi pluuia, & lutum immundæ operationis, niſi ventus, & tempeſtas brigarum, & diſſenſionum: *Adoleſcens enim iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. 22. ideo dicitur, Prouerb. 4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit, vſque ad perfectam diem, via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.* Hic dilata ſi vis, quod aliqui benè incipiũt, & malè terminant. Similes hædo, cucumeri, aſyno, & ideo quod benè inchoantes, benè terminẽt, intelligitur in his, qui ſunt bonæ naturæ, & conditionis, quia in alijs frequenter non eſt verum. Beata autem Virgo à principio ſuæ creationis, & conceptionis, luce clariſſima abſque nubibus rutilauit; quia præ omnibus ſanctis ſanctificata fuit; vnde ſecundùm Bernardũ. Copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcẽdit; quàm in quoſcumque alios ab vtero ſanctificatos. Ex quo ſtatim patuit quanta, quàm ſancta, quàm perfecta, quàm glorioſa futura fuit. In qua tanta gratia, tãta claritas à principio affuit; ex hoc enim ſtatim pronoſticatũ fuit, quòd ſolem verum clarum, & ſerenum, ſcilicet, Chriſtum, ipſa dies clara, ſine tempeſtate, & ſine pluuijs diuinorum iudiciorum, ſed clarum miſericordia, & pietate nobis adduceret; ideo de ea poteſt dici, quòd ſit lux, & talis qualis dicitur, 2. Reg. 23. *Sicut lux auroræ manè oriente ſole, abſque nubibus rutilat.* Nota verborum ordinem, quia dicit ſanctitatem, & gratiã Virginis, *lucem auroræ*, & lucem *manè*, vtique nõ ſine myſterio. Ratio eſt, cùm enim ſemper, antequã dies appareat, nox præcedat, vmbra obſcura, & tenebræ, hoc eſſet mirabile, & ſupra omnẽ naturam, quòd antequam dies appareret in oriente, exiret ſol ſupra terram, in principio eſſet tãta claritas in die, ſicut vnquam fuit aliqua claritas alicuius diei in meridie, vel maior. Iſtud mirabile fuit in ſanctificatione Beatæ Virginis, quoniãantequàm appareret in oriẽte, apparuit ſuper terrã antequàm ex mari naſceretur. Ipſa habuit tantum, & plus de luce, de claritate, de ſanctificatione, de diuina gratiã, quam habuit vnquam alia dies, ideſt, quæcũque perſona poſt Chriſtum in quacũque fuerit claritate, perfectione, vel gratia; vnde quãtùm excedit lux meridiana matutinã, tãtùm excedit lux gratiæ, & ſanctificationis Virginis omnem aliã à Chriſto. Hoc mirabile autem ortum diei in die, ideſt, in Virgine, dum adhuc eſſet in tenebris in ventre matris, meridianam lucem fuiſſe præuidit Pſalmus, cùm dicit: *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Pſ. 138. Hoc mirabile, Virginem Beatam ante orientem ſuę natiuitatis in nocte in ventre matris ſuæ, luce meridiana per ſanctificationem claram fuiſſe conſideraturam, * Iſai. promittit 18. *Ego quieſcã, & cõſiderabo in loco meo, ſicut meridiana lux clara eſt*; ideo ſicut dictum erat: *Sicut lux auroræ manè oriente ſole, abſque nubibus rutilat*, hoc idem Iſaias, futurum virgini prophetauerat 58. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt, ſicut meridies.* Iſai. 58. Secundò habet lux virtutem extremorũ vnitiuam. Quod cõpetit Virgini in filij ſui cõceptione; videmus enim, quòd lux eſt media inter noctem, & diem, & noctem præcedentẽ vnit, & cõiungit ſequẽti diei; vnde eſt media vnitiua diei, & noctis, tenebrarum, & claritatis, Ita Beata Virgo eſt media inter noctem, & tenebras humanæ naturæ, & diuinæ claritatemque diuinam quãtùm ad diuinam naturã ab alia. In eius quippè vtero extrema in infinitũ diſtãtia, & penitus diuiſa, ſcilicet, Deus homo cõiuncta, vnita, & fœderata fuerũt vinculo, & fœdere ſempiterno; quoniam Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus. Adhuc etiam inter Deũ, & peccatores Virgo Beata iſtud mirabile cõparatur. Ipſa quidẽ ſua pietate, ſua interceſsione peccatores, qui ſunt nox, & tenebra * à Deo diuiſi per ſuas iniquitates, per ſua peccata, quia ſecundùm illud Iſai. 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* Iſai. 59. Renuit, coniungit, & conſilia * Deo: *Lux vera illuminans omnem hominem*; vt dicitur Ioan. 1. ideo ipſa eſt illa lux cõiungens diem, & noctem, Deum, & hominem, in natura, & in gratia; vtique noua lux, & miranda, de qua Eſther 8. Iudæis noua lux oriri viſa eſt. Eſth. 8. Patet, quia noua, vtique, quia non eſt viſa ſimilis ſicut alia. * Benè inueniuntur fuiſſe à principio duo magna luminaria creata, ſcilicet, Adã, & Eua. Patet hæc luminaria, vel quæcumque alia ſubſecuta: quantumcumque magna fuerint, Patriarchæ, ſiue Prophe-

2. Reg. 23.

Prou. 22. Prou. 4.

Pſ. 138. Iſai. 18. Iſai. 58. Iſai. 59. * Reunit, cõiungit, & conciliat. Ioan. 1. Eſth. 8. * Illa.

phetæ, siue alij quicumque, non potuerunt coniungere diem, & noctem, tenebram, & lucem, Deum, & hominem; vnde de istis duobus luminaribus spiritualibus potest intelligi quod dicitur de corporalibus, Genesis 1. *Fecitque Deus duo magna luminaria,* sequitur, *vt præessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Ita fecerunt Adam, & Eua.* Posuerunt diuisionem inter Deum, & hominem; quod vtique hodie fit, quando sunt duo magna luminaria, duæ magnæ personæ in vna Communitate, in vna Ciuitate, in vno Collegio; illa faciunt diuisiones, illi ponũt brigas, & dissensiones, quilibet trahit caudam suam. Isti diuidunt Communitatem á Deo, & inter se mutuò, cùm tamen deberent coniungere, & adiuuare, hoc fuit officium primorum Parentum, primorum luminarium. Patet; venit istud nouum, & singulare lumen, & mutauit antiquum ordinem, & coniunxit, & confœderauit diem, & noctem Deum pariter, & hominem. In suo enim vtero fuit illud verificatum, Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Primò factum est per Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctũ, quod Iob 17. Sperãs prædixerat affuturum: *Noctem verterunt in diem,* & rursum, *post tenebras spero lucem.* Nox in diem est versa, quando à Dei filio humana natura in vtero virginis est assumpta, & post tenebras venit lux, quãdo post culpam, & peccata, Virginis interuentione peccatori restituitur diuina gratia. Ergo meritò in natiuitate Virginis noua lux oriri visa est. Istam lucem Beatam Virginem cum filio mitti, & oriri optabat. Psalmist. cùm dixit: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Tertiò lux habet virtutem remotorum ostensiuam; quod Virgini competit in filij parturitione; videmus quippè in cursu naturæ, quòd solis radius, & claritas intrans speculum reddit speculum aptum ad receptionem imaginis ipsius solis, qui tamen sol est in cœlo, & nihilominus sine læsione, & violatione speciali * radius, & imago solis intrant speculum, ingrediuntur, & egrediuntur, vsque ad oculos intuentium, speculo totaliter perfecto, & integro remanente. Ita spiritualiter Virgo Beata dicitur lux, & speculum; quoniam ipsa suscepit radium gratiæ à superno sole, à Deo Patre, nec solum gratiæ claritatem; imò diuina gratia mediante intra se solis imaginem, ideſt, Dei filium, qui est imago Patris, qui filius erat veraciter in cœlo apud Patrem, & in Virginis vtero apud Matrem. Sicut autem diuina gratia, & filij Dei persona ingressa sunt virginẽ sine violatione, & sanctificãs gratię claritas *

*Genes.* 1.

*Ioan.* 1.

*Iob.* 17.

*Psal.* 24.

* *Speculi*

*

fuit prima in imaginis receptione; ita vsque ad oculos intuentium exiuit gratia diuina Virginis in conuersatione, & persona filij Dei, imago Patris, in parturitione; vtque saluis claustris pudoris, & sine violatione, propter hoc ipsi competit illud, Sapient. 7. *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & nihil in quinatum in ea incurrit, candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, & cùm sit vna, omnia potest.* Expone vltra si vis, & dilata, quomodo ipsa est speculum sine macula, & lux nostrarum macularum ostensiua, in qua respiciẽtes debemus nostras maculas abstergere; videdo enim in ea virginitatem, debemus abstergere nostram immunditiam; humilitatem, debemus abstergere nostram superbiam. Paupertatem, debemus abstergere nostram auaritiam. Suam charitatem, debemus abstergere nostrum rãcorem, & inuidiam, & sic de alijs. Dic etiam quomodo pro peccatoribus potest omnia apud filium impetrare, vnde omnia potest. Die aliquod miraculum; ideo debet quilibet peccatorum dicere de ea illud, Sapient. 7. *Super salutem, & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere eam; quoniam in extinguibile est lumen illius; venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa,* sequitur, *& ignorabam quoniam omnium bonorum mater est.* Hæc de primo principali.

Sap. 7.

Sap. 7.

Quantùm ad secundum norandum, quòd inter cætera, quæ magis contristant hominem ambulantem, vel in vno loco stantem, est priuatio lucis. Ideo Tobias luce priuatus dicit Angelo, Tob. 5. *Quale gaudium mihi est, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* E contrario autem maximum gaudium est homini in tenebris ambulanti, vel existenti ortus lucis; quia tunc potest homo clarè incedere, vel in consolatione stare. In tempore veteris legis fuit nox, & vmbra, quia peccatum primorum Parentum solem nobis iustitiæ occultauit; ideo, sicut Patres ambulabant in tenebris, insequebantur ab inimicis, à Diabolis, sicut latrones consueuerunt ire, & offendere de nocte. In Psalm. 36. *Viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos:* Quando etiam attingebantur in morte, ponebantur in tenebroso carcere, & vmbroso inferiùs in lymbo, vel in inferno. Ita dicit expertus Psalmus: *Posuerunt me in laqueo inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis.* Ideo erant in summa desolatione, & clamabant illud Ecclesiastici 36. *Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & immitte timorem*

Tob. 5.

Psal. 36.

Psal. 87.

Eccl. 36.

*tuum ſuper gentes, quæ non exquiſierunt te.* Tandem Deus miſit lucem Beatam Virginem, quæ illuminat, & dirigit ambulantes in via gratiæ, fugat dæmones impugnantes, & perſequentes homines bonæ vitæ, illuminat peccatores exiſtentes in vmbra, & carcere peccatorum, & culpæ; & ideo Sancti, orta, & nata iſta luce, multùm lætati ſunt, & nos multùm debemus gaudere. Hoc videtur eſſe illud Iſaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Ideo hortatur peccatorem quemlibet, idem Iſaias 60. *Surge, & illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.*

*Iſai. 9.*

*Iſai. 60.*

Quantum ad tertium nota, quòd ſcriptura ſacra non ſine myſterio iſtam lucem dixit, *orta, iuſto:* in qua etiam intellexit iniuſtum; quia eadem eſt diſciplina contrariorum, vnde iſta lux eſt ad iniuſtos iuſtificandos, & ad iuſtos iuſtiores reddendos, iuxta illud Apocalipſis vltim. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Ratio eſt: Lux enim inter omnia maximè eſt ſui ipſius diffuſiua, & communicatiua; vnde videmus, quòd Sol oriens ſuam lucem communicat rebus pulchris, & fœdis mundis, & immundis, viuis, & mortuis, altis, & baſsis. *Nec eſt qui ſe abſcondat à virtute eius;* vnde res mortificatas viuificat; deturpatas purificat; pulchras confortat, & viuas mortificat; & tam bonam, quàm malam, ſuam virtutem recipiunt, & influxum: ſic eſt de Beata Virgine. Ipſa enim lucem ſuæ pietatis, influxum ſuæ benignitatis omnibus communicat, tam malis, quàm bonis, tam pulchris in gratia, quàm immundis ex culpa: tam viuis in charitate, quàm mortuis in rancore; paruis, & magnis, tam iuſtis, quàm iniuſtis. Iuſtis, vt proficiant iniuſtis, vt iuſti fiant, & ideo eius ortus lucis, & Solis ortui comparatur. Vnde dictum eſt Matthæi 5. *Solem ſuum facit oriri ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Ratio autem quare hic tantùm dicitur, & principaliter intelligitur *orta iuſto*, & tacetur iniuſtus, eſt hæc. Dicitur tamen tale prouerbium; quòd qui benè ligat, benè diſſoluit; ideſt, ad eoſdem pertinet ligare, & ſoluere. Videmus autem in domibus, & hoſpitijs, vbi ſunt duæ ancillæ, quòd & communiter ſunt ſibi oppoſitæ, & contrariæ, & quòd vna facit, altera deſtruit; quòd vna congregat, altera diſsipat; quod ligat vna, ſoluit altera. Quando vna ignem cooperit, vel lumen extinguit; altera ignem diſcooperit, & lumẽ accendit; portam quam vna claudit, altera aperit; & meliùs ſcit vna ancilla opera alterius deſtruere, & diſſolue-

*Apo. vlt.*

*Matt. 5.*

re, quam alia perſona. Spiritualiter: in domo huius mundi fuerũt duæ ancillæ inter ſe valdè oppoſitæ, & conditionis contrariæ: vna guloſa, & malè morigerata: altera verecunda, & optimè morigerata: vna fuit ancilla Diaboli, altera Dei: Ancilla Diaboli fuit Eua, quæ fuit immorigerata, & guloſa, quæ ex gula ſua pro vno morſello ſe & hominem ligauit vinculo peccati, & iniuſtitiæ, Deo nolens obedire; hæc abſcondit ignem diuinæ gratiæ, & lucem originalis iuſtitiæ extinxit aqua iniuſtitiæ, & inobedientiæ. Iſta contribulauit, imo totaliter clauſit, & ſeruauit portam paradiſi poſt ſe exiens, & ferat omnibus ſuis filijs, claudens quando exiuit, quando expulſa fuit ab Angelo poſt ſuum peccatum. De ea poteſt ſpiritualiter intelligi eſſe dictum illud Geneſis 21. *Eijce ancillam; & filium eius.* Ideirco hæc ancilla eſt ſortita nomen Euæ, quia per eam habuimus omne væ; quia igitur vna ancilla iuſtitiam originalem extinxerat, ignem diuinæ gratiæ abſconderat, portam paradiſi clauſerat, dignum erat, vt alia ancilla iſti oppoſita, & contradictione contraria, & condictione. Et quæ ſciret omnia per Euam ligata, & operta toluere, & diſcooperire, & extincta reaccendere, portam clauſam aperire. Ideo Deus procurauit aliam ancillam ſibi morigeratam, non guloſam, ſed verecundam, & virtuoſam, illam, ſcilicet, Virginem, quæ dixit Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini.* Hæc fuit contrariæ condictionis cum prima; quia quod illa ligauit in ſe, & ſuis filijs, iſta per ſe, & ſuum filium diſſoluit, & diſsipauit. Vnde pro igne gratiæ abſconditæ ignem gratiæ reſerauit. Nec mirum, quia Angelus dixit ei: *Aue gratia plena.* Lucæ 1. Ideo cantamus ipſi: MARIA Mater gratiæ. Lumen originalis iuſtitiæ extinctum ipſa reaccendit in quantum illud genuit, qui eſt ab origine iuſtus Dominus, & iuſtitias diligens, qui eſt *Lumen ad reuelationem gentium.* Portam ſeratam paradiſi ſibi aperuit, & ſuis filijs, & omnia Euæ mala tandem diſsipauit, & in bonum conuertit. Ideo ipſa mutauit nomen Euæ in Aue; quia ipſa abſtulit omne Væ; imo cantamus ipſi in Hymno, quoad iſta: Aue maris ſtella, &c. Fœlix cœli porta, Sumens illud aue, &c. Mutans nomen Euæ, Solue vincla reis, Profer lumen cœcis, Mala noſtra pelle, Bona cuncta poſce. Monſtra te eſſe matrem. Ergo per primam ancillam habuimus omne malum, & deſtructionem: Per ſecundam omne bonum, & reparationem: Ideo de iſtis duabus poteſt intelligi illud quod deſcribitur Prouerbiorum 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens autem extructam quoque manibus de-*

*Lucæ 1.*

*Lucæ 1.*

*Prou. 14.*

*destruet*. Fatua fuit Eua, quæ à Deo extinctam * domum, tollendo Diuinam gratiam, & iustitiam, & contribulando, & concludendo Paradysi portam, destruxit: sed Beata Virgo sapiens totum reparauit, adducendo gratiam; vnde loquitur ipsa. Eccles. 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis. In me omnis spes vitæ, & virtutis*, reducendo iustitiam. Vnde dicit Psalmista: *Orietur in diebus eius iustitia*, & aperiendo Paradysi portam. Vnde fortè ipsa est illa spiritualiter intellecta ancilla ostiaria, quæ introduxit Petrum, id est, quemlibet confitentem; vnde postquàm per eam iustitia est reducta, peccatores fuerunt iusti, & de iniustis facti iusti: & de ea dictum est: *Lux orta est iusto*: & ipsa est facta porta peccatoribus. Iniustis primo: sed iustis per eam vltimò clamabat audacter Christus, ianitoribus Paradisi. *Aperite portas iustitiæ: ingressus in eas confitebor Domino*. Et si aliquis vellet dicere, quòd per Euam esset clausa porta propter iustitiam, ipse respondit per Virginem, esse portam apertam propter introductam iustitiam, dicens: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam*: istum ingressum per istam portam nobis tribuat, &c.

*extructã* — Ecclesiast. 24. — Psal. 71.

Psal. 117

## COLLATIO LXXVIII. *De Festo Conceptionis, vel Natiuitatis Beatæ MARIÆ Virginis, ex Psalmo 108.*

Psal. 103 — Cant. 2. — Galat. 6.

TV *Domine fecisti eam*: In Psalmo 108. Scriptura Sacra Deum Patrem vocat agricolam, vt turturem. Canticorum 2. *Vox turturis audita est in terra nostra*. Ratio autem est duplex. Vna est, quoniam sicut certo tempore anni in terra vox turturis auditur, & turtur etiam absconditus in voce cognoscitur; ita Dei Filius, qui dicitur Verbum, & vox Patris, certo tempore à Patre definito, quando ante erat apud Patrem in cœlo, auditus est in terra, qui Deum Patrem absconditum nobis prædicauit, & dignoscere fecit. Ad Galatas 4. *Vbi venit plenitudo temporis: misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Sequitur: *In corda vestra clamantem, Abba Pater*. Secunda ratio est: quia turtur volens prolem propriam educare, domum construit, nidum facit, vbi reponat pullum suum, quæ quidem domus etsi sit de terra, lignis, & paleis, tamen semper intus ponit aliquid delicatum, & pulchrum, ne pullus lædatur, pungatur, anxietur, vel maculetur. Ita fecit Deus Pater, cùm non haberet nisi vnicum Filium, volens ipsum in hunc mundum mittere, & in nostra humanitate paruulum incarnatum nutrire, & educare, domum specialem, nidum singularem, prius ipsi construxit, qui nidus, & quæ domus fuit Virgo Beatissima, quam nouem mensibus corporaliter Christus inhabitauit, & licèt hæc domus, iste nidus fuerit de terra, & paleis, id est, de carne, & ossibus de nostra humanitate, sicut vna mulier; alia tamen in ea fecit Deus singulare, quod ne Dei Filius modo aliquo posset anxiari, pungi, vel lædi; quia hoc non potuit * esse nisi per peccatum, aliquid pulchrum, mundum delicatum; contra peccatum intra nidum posuit gratiam, scilicet suam copiosam, statim ab instanti Conceptionis, quæ non solùm maculam culpæ originalis, quam vt quælibet mulier alia contraxit, ab ea purgauit; imo ab omni culpa actuali, deinceps immunem conseruauit. Bernard. Ego puto, quòd copiosior sanctificationis benedictio, quàm in alijs Sanctis in eam descenderit, quæ non solùm illius ortum sanctificaret, sed & vitam ab omni peccato deinceps immunem conseruaret. Quod alteri nemini in natis quidē mulierum creditur esse donatum. Hoc autem fecit solus ipse Deus, cuius & non alterius est gratiam suam conferre. Hoc prædixerat Psalmista: *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos*. Et ne quis dubitet domum hanc debere intelligi de Beata Virgine spiritualiter, subiungit: *Beati qui habitant in domo tua, Domine*. Hoc autem satis figuratum est 4. Regum 3. Cùm Salomon vellet habere solium, in quo sederet ad regendum populum, dicitur ibi, quòd *fecit Salomon thronum de eboregrandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis*. Quis est iste Salomon, nisi Dei Filius pacificus, de quo ipsemet ait, Luc. 11. *Ecce plus quàm Salomon hìc?* Quis est autem thronus, nisi Virgo Beata, in qua Dei Filius sedit nouem mensibus? Quid est autem iste thronus eburneus, nisi quia puritate, & Virginitate candidissimus? Sed vestiuit eum auro fuluo nimis, quia Virginem gratia sanctificante cum omnibus virtutibus statim à principio suæ conceptionis plenissimè induit, & vestiuit. Ideo dicit Psalmista: *Sanctificauit tabernaculum tuum Altissimus*, scilicet, per gratiæ, & virtutum infusionem. *Deus in medio*, scilicet, Christus, *non commouebitur*, propter peccati originalis expulsionem, & actualis præseruationem: *Adiuuabit eam Deus manè diluculo*, quia hoc fuit factum statim ab eius conceptionis principio. Sequitur: *Dominus virtutum nobiscum*; quia per eam venit ad regendum populum suum. Ideo Psalmista, videns Virginem Beatam, domum Dei sanctam, habitaculum Sancti Spiritus præparatam à so-

* *posset*

4. Reg. 3. — Luc. 11. — Psal. 45.

lo Deo ſua gratia ſanctificatam, quod ipſe fuerit eius artifex ex cauſa mirabili artifitio. Ideo in verbis propoſitis recognoſcit. *Tu Domine, &c.* Vbi tria ſumma deſcribit, quia ſummum Operarium: *Tu Domine*. Operatorium: *Feciſti*. Sanctuarium: Operarium. *Eam*. Deſcribitur autem excedentis poteſtatis: Operatorium perficientis integritatis ſanctuarium excellentis dignitatis. Habemus ergo in huius domus Dei, Operario Poteſtatem præcipuam: *Tu Domine:* In Operatorio Integritatem continuam: *Feciſti*. In ſanctuario Dignitatē Deiſluam; *Eam*.

Quantum ad primum notandum, quòd in his quæ communiter accidunt, non eſt neceſſarium excedens, & ſingularis poteſtas: ſed in his, quæ rarò, vel nunquam accidunt, & quaſi videntur impoſsibilia, vt de nouo fiant, requiritur actor ſingularis virtutis, & poteſtatis. Verbi gratia. Ad hoc quod planta, quæ eſt roſarium, producat roſam, non requiritur vt plantator roſarij ſit ſingularis poteſtatis; ſed ad hoc, quòd roſarium produceret cedrum, vel palmam requiritur, quòd plantator roſarij eſſet ſingularis virtutis, & poteſtatis. Ita in propoſito: Ad hoc, quòd vnum roſarium, vna perſona producat aliam roſam, id eſt, quamcumque perſonam communem, non eſt neceſſaria virtus, niſi communis. Sed ad hoc, quòd vna mulier producat roſam, & palmam, id eſt, hominem, & Deum, quod videbatur, & eſt ſecundùm naturam impoſsibile, requirebatur Operarius infinitæ virtutis; & ideo, quia Virgo Beata fuit illud roſarium, quod produxit palmam, & cedrum, Dei filium & hominem: & Deum, neceſſaria fuit diuina virtus excellens ad eam plaſmandam, & faciendam: Ideo dicit Pſalmiſta: *Tu Domine feciſti eam, &c.* Alibi in Pſalmo: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*. Vtique duplex mirabile, quia in Conceptione Virginis ſupra naturam ſterilis fœcundatur. Nota quomodo parentes erant ſteriles, & in ea fœcundati fuerunt. Vide Hiſtoriam in Floribus Sanctorum: Nox media, vt dies illuminatur, quia exiſtens ipſa in medio noctis ſilentio, id eſt, in matris vtero, & ipſa in vmbra originalis peccati concepta, ſtatim per ſanctificantem gratiam illuminata fuit. *A Domino factum eſt iſtud* mirabile, & non ab alio. Ideo Pſalmiſta: *Cantate Domino Canticum nouum, quia mirabilia fecit*. Et hæc de primo.

Pſa. 108.

Pſal. 117.

Pſal. 97.

Quantum ad ſecundum nota, quòd mercator ſapiens veniens ad nundinas ſuas merces volens explicare, & vendere, primum quod facit, cogitat de bono Operatorio, & illud cum diligentia ordinat, & diſponit: vt in eo poſsit ſe & ſua ponere, defendere, cuſto-

A

B

C

D

dire, oſtendere, & vendere. Ita ſpiritualiter Dei Filius venit in hunc mundum, ſicut mercator, vt Auguſtinus dicit, habens venale Regnum cœlorum vtique, in quo ſunt multa iocalia pretioſa, multæ precioſæ merces; vt igitur hic mercator poſsit omnia bona ſua, omnes virtutes explicare, diſpoſuit vnum Operatorium, fecit pulcherrimam domum ſuam Matrem, Virginem glorioſam, in qua poſuit omnem perfectionem, & gratiam, pingendo diuerſas perfectiones, & diuerſa ſigna diuerſarum virtutum, ſicut pinguntur in Operatorijs diuerſa ſcuta, & ibi primum, quod explicauit, fuerunt tres lapides pretioſiſsimi, ſcilicet, tres perſonæ Trinitatis, & vnus lapis, ſcilicet, vna perſona, ſcilicet Filij fuit in illo Operatorio in auro incaſtrata, id eſt, in Virginis vtero incarnata, & ante iſtud Operatorium nullum aliud potuerat ad hoc idoneum inueniri. Ibi Deus explicauit merces omnipotentiæ, quia fecit fœcundam ſterilitatem; Matrem Virginem; Deum hominem; Verbum carnem; quis vnquam in alio Operatorio iſtam inuenit iſtam permutationem? ibi explicat merces pietatis, & miſericordiæ. *Exinaniuit* enim *ſemetipſum, formam ſerui accipiens*, vt ſeruos redimeret, & fratres faceret, &c. Filios naturaliter ſclauos, &c. Dic de mirabilibus mercibus, vt placuerit, quas ibi mirabiliter explicauit, & ideo iſtud Operatoriū nō alius niſi ipſe fecit, & perfecit, Iſaiæ 12. *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annuntiate hoc in vniuerſa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion; quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael*. Veniant obſecro, ad nundinas iſtas omnes Sancti, & Sanctæ Dei: dicant mihi, in cuius Operatorio ſunt hæc magnalia? ſanctus Iſrael in medio infinitus in vētris cētro, paruulo *Sol in ſtella? cœlū in terra? mare in fonte? Pater in filia? nuſquam alibi, niſi in iſto beato Operatorio poſſent hæc reperiri. Ideo: *Cantate Domino canticum nonum: quia mirabilia fecit*. In Pſalmo. Hæc de ſecundo.

Iſai. 12.

*

Pſal. 97.

Quantùm ad tertium nota, quòd Beata Virgo Chriſto ſoli comparata per Scripturam, Luna vocatur. Pſalm. *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta*. Quia, vt dicunt Doctores, Luna habet triplicem conditionem in reſpectu ad Solem. Nam ipſa primò in principio ſuæ creationis ſtatim à Sole fuit illuminata. Ipſa vlteriùs ſecundo eſt collatrix luminis recepti inter omnia corpora cœleſtia modo largiori? quamuis igitur Venus ſit receptrix & collatrix ſolaris luminis; tamen Luna, quia modo largiori, hoc habet ſingulare. Tertiò, quòd in nullo, & à nullo cœleſti corpore Sol eclypſatur, niſi à Luna. Quando enim Luna ſe ponit inter nos, & cœlum ex oppoſito ſolis,

Pſal. 88.

lis; & Sol intrat oppositionem ad Lunam, tunc Sol licèt non in se tamen quoad nos eclypsatur. Ita spiritualiter Beata Virgo immediatè à sua creatione lucem à Sole Dei Filio sanctificationis recepit. Secundò ipsa super omnes creaturas fuit receptrix personæ filij Dei, & largiori modo, quia non solùm per gratiæ receptionem; sed personæ incarnationem; & ideo modo ampliori, & perfectiori Dei est nobis collatrix, & allatrix, quia genitrix veri solis. Ideo tertio in nullo alio corpore diuinitas personæ filij Dei est eclypsata, ideſt, occultata, & incarnata, nisi in hac sola Luna, in qua tanquam media inter nos, & Deum se ponens Dei filius diuitias suæ claritatis occultauit; & ideo ipsum nobis Solem verum eclypsans, Deum nobis protulit, & hominem, quia in quantum humanatum, in tantum eclypsatum. Ideo ipsam dixi sanctuarium deifluum, vel deifluæ dignitatis; de hac Apocalipsis 21. *Apoc.21.* *Claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus, & ambulabunt gentes in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriam.* Ad eius gloriam.

## *COLLATIO LXXIX. De festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, ex Psalmo 109.*

*Psal.109* DOMINVS *à dextris tuis*, in Psalmo 109. In nostro vulgari Prouerbio dicitur sic. Qui promet, & point natent, ses parolles en vain despent. Hoc est rectè illud Prouerbiorum 25. *Nubes, & ventus, & pluuiæ non sequens vir glorioſus, & promissa non complens.* *Prou.25* Hoc pro tanto dico, quòd multum distat, & permagna est differentia inter Dei, & diuinas, & mundi, & mundanas promissiones; quia mundi, & mundanorum promissio est mentiri, fallare, & deceptio in Psalmo: *Diminutæ sunt veritates à filijs hominum*, Dei verò, & diuina promissio est fieri, facere, & execu- *Psal.11.* tio: *Ipse dixit, & facta sunt*, in Psalmo. Mundus namque, & mundani in suis promissionibus de vento in verbis seruiunt, & in facto deficiunt, iuxta illud vulgare Prouerbium; de grandes parrolles, & petit faret: Præmittunt enim, & promittunt mirabilia, & sequitur in facto, deficit. Nota de illo, qui amico suo multa pro eo, & pecuniam, & alia traditurum frequenter promisserat, & cùm fuisset per amicum super promissis requisitus, vt traderet, respondit se nullo modo facere posse. Tunc ille, quare ergo mihi promisisti tam frequenter, & alius. O Domine souffres que on vous honnore. Sustineas, quòd verbo honoreris. Hoc redarguebat Psalmista. Amico, scilicet, in promissis mentiri, & vento vano pascere: *Filij hominum, vsque quò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendatium?* *Psal. 4.* Ideò mihi sic videtur esse de promissoribus mendacibus, sicut de sue, seu porca. Scribunt Philosophi, quòd ita dicunt experti, quòd porca prægnans quando est gracilis, & multùm tenuis, multos parit porcellos; quando verò est multùm grossa, ventrosa, & lata, videtur quòd debeat plurimos porcellos parere, tunc habet solum vnum, vel duos aut nullos, & quantò inflatior, tantò sterilior. Ita de multis, quantò sunt inflatiores, abundantiores verbis, tantò defectuosiores in factis, vt dicit ille versificator, de talibus mendosis. Sæpè minus faciunt homines, qui multa loquuntur. Quia igitur inter verbum, & factum debet esse statera, & compensatio recta, inter dicere, & facere, promittere, & complere, & in multis, hoc non est, dixit Psalmista: *Mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsa de vanitate in id ipsum.* *Psal.61.* Hoc habemus non solùm in figura, imò in re gesta, 2. Machab. Nam 11. Capitulo legitur, quòd Antiochius Rex post multa bella cum Iudæis promisit inducias, & securitatem; vnde scripsit sic: *Damus dextras securitatis, vt Iudæi vtantur cibis, & legibus suis, & nemo illorum molestiam patiatur de his, quæ per ignorantiam gesta sunt.* *1.Mach. 11.* Non sic autem compleuit, quia vt immediatè 12. capitulo legitur. Ioppitæ de parte Regis rogauerunt Iudæos ascendere scaphas, ideſt, naues; & illis acquiescientibus, pacisque causa nihil suspectum habentibus, cùm in altum processissent submerserunt, non minùs, quàm ducentos. Ita facit mundus. Applica: sic factum est etiam in Christo; cùm enim Christi passio immineret, Petrus promisit cum cæteris Apostolis Christo mirabilia, Matth. 26. *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter, & omnes discipuli dixerunt.* *Matt.26.* Cùm autem venerunt ad opus, quilibet venit, & deficit; vnde *omnes, relicto eo, fugerunt*; imò, quod fuit petus, Petrus ter ipsum negauit; propter quod Christus dicebat illud Psalmistæ: *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* *Psal.141* Ideo Psalmista. Iratus, & videns, quòd non solùm ad imperfectos; imò ad perfectos, ad Christi discipulos se extendit vana promissio, mendacium, & deceptio, in ira ita concluſit: *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.* *Psal.115* Non sic autem est de Deo, & diuina promissione, & hoc habetur pulchrè Numer. 23. Cum enim Rex Balac à Propheta Balaam peteret: quid locutus est Dominus. Respondit: *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* *Num.23* Ad propositum. Simeon Deū orans

vt posset videre Christum Domini promissum, & *responsum accepit à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum*, Lucæ 2. Igitur hodie Christo oblato in templum venit, & Simeon, & inuenit Christum, in vlnas suas accepit eum, & in sua dextera gestauit ipsum, Psalm. Igitur prophetico præuidens spiritu diuinum promissum Simeoni impletum, Christum in brachijs, & dextera Simeonis collocatum per verba assumpta Simeonem sic alloquitur: *Dominus à dextris tuis.* Vbi Nota, quòd quantum innuant verba Psalm. Istud promissum diuinum erat per fidem cognoscibile, in vi Creatoris. Per spem eligibile, in vi directoris. Per charitatem diligibile, in vi Saluatoris. Is sanctus Simeon secundùm ista hodie Christo exoluit triplex debitum. Quia debitum cognitionis: *Dominus*; quia debitum electionis: *A dextris*; quia debitum dilectionis: *Tuis*; fuit autem secundùm verba promissa in facto isto per fidem Creatoris timorata cognitio, sed ænigmatica, & specularis. Per spem directionis regulata electio, sed practica, & exemplaris. Per Charitatem Saluatoris præmiata dilectio, sed saluifica, & singularis: *Dominus à dextris tuis.*

*Lucæ 2.*

Quantùm ad primum Nota, quòd sicut facilior, & magis debitus modus veniendi ad Dominum est per portam ciuitatis, & domus; ita veniendi ad Christum per fidem, quæ est porta, & aditus veniendi ad ipsum. Quæramus igitur ante Christi aduentum ab isto sancto, quomodo ipse ad Christum venit? Quomodo Christum, quem desiderat, Dominum suum, quem expectat, videbit? Respondet, quòd per fidem, dicens illud Psalm. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Hoc sancte Simeon si credis, si tenes pedem in porta fidei: *Expecta Dominum, viriliter age, & conforta cor tuum, & sustine Dominum.* Verùm ait, expectaui, & sustinui, quia *responsum accepi, non visurum me mortem nisi viderem Christum Domini*; & ideo dico cum Psalm. *Sustinuit anima mea in verbo eius, speranit anima mea in Domino*, & tantũ sustinui, & iuxta verbũ suũ expectaui, quòd hodie Inueni, vidi, & tenui, quia Dominus meus iuxta suũ promissum intẽdit mihi; vnde dico cũ Psal. *Expectans expectaui Dominũ, & intendit mihi.* Est autẽ sciendũ, quòd cognitionem Simeonis habitam per fidem de Christo hodierna die vocaui diuidendo, Timoratam, & Ænigmaticam, & ideo dicitur hic *Dominus.* In hoc enim nomine *Dominus* includitur potestas, quæ debet timeri, & diuinitas, quæ desideratur videri, & ideo dicitur hic *Dominus*, & non Deus. Primò quidem, quia ex quo creditur Dominus, quis existens seruus suum Dominum, non timebit, & potissimè sciens voluntatem Domini, quam non impleuit, vt dicitur Lucæ 12. *Seruus faciens voluntatem Domini sui, & non sciens vapulabit plagis multis.* Vnde Simeon Dominum suum, & agnouit, & timoratus timuit, sed de nobis non sic, qui hodie venimus ad templum, & cum luminibus venimus ad ipsum, & tamen lumen habentes in manibus, nec videmus, nec cognoscimus, nec timemus, nec diligimus; vnde conqueritur ipse qui, hodierna die se venturum promisserat, Malach. 3. dicens: *Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis*, & dicit per eundem Malach. cap. 1. *Si ergo pater ego sum, vbi honor meus; & si Dominus ego sum, vbi est timor meus.* Ad istam autem conquæstionem respondet Psalm. dicens, sic quòd maleficus videns gladium in vagina iudicis stare, iacere & non moueri, nec euaginari, nec Iudicem, nec gladium, eius timet; sed quando videt gladium euaginatum in manu Iudicis contra maleficum vibratum, ad mortem ad decapitationem, approximatum, tunc reus formidat, & timet; imò tunc iram, & sententiam Iudicis per mortem gladij experitur. Sic spiritualiter in hoc mundo in præsenti vita Deus tenet gladium suæ sententiæ in vagina; non eum ostendit, non exercet, non datur semper executioni, sed Deus dissimulat, expectans pœnitentiam peccatorum, & non vult eum ferire, percutere, & de capitare: *Nolo*, ait, *mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Sed in morte, in iudicio tam particulari cuiuslibet, quàm omnium vniuersali Deus gladium sententiæ extrahit, & euaginat, tunc ferit, & percutit, & impœnitentem peccatorem sententiat, mucrone iustitiæ, atque damnat; & hæc est causa, quare peccatores non timent Dominum in hac vita, cùm tamen ex hoc plus timeri deberet. Hæc omnia describit, Psalm. & quoad bonos timentes, & quoad malos præsumentes, dicens: *Iustum adiutorium meum, qui saluos facis rectos corde.* Quantum ad timentes, sequitur: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis.* Hoc quantum ad negligentes, & præsumentes. Hoc est rectè illud prædictum per eum. Deut. 32. loquens peccatoribus non timentibus, dicens: *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ*, sequitur: *Si acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Ergo debet Dominus iste agnitus timore formidari, non obstante, quòd hac invita gladium inuaginatum teneat, & non teneat euaginatum, nec vibret; ideo dixit Psalm. *Timete Dominum omnes sancti eius: Beati omnes enim, qui timent Dominum, &c.* Secundò vlteriùs vocaui hanc cognitionem Simeo-

*Psal. 26.* *Psf. 129.* *Psal. 39.* *Lucæ 12.* *Malac. 3* *Malac. 1* *Psal. 7.* *Deut. 32* *Psal. 33.* *Ps. 127.*

nis ænigmaticam, & specularem: quia in hac vita per fidem tam, & ipse quàm nos videmus nunc per speculum, & in ænigmate, sed tandem facie ad faciem, & ideo dicitur hic *Dominus*, per hanc enim dictionem *Dominus* patet in Christo humanitas, & latet diuinitas. Humanitas quidem patuit Simeoni oculò corporali exteriori, & Diuinitas oculo intellectuali interiori, & ideo clarè non dicitur *Deus*, sed velatè, & ideo dicitur *Dominus*. Sicut enim granum latet in spica, & palea, & intra spicam, & paleam ad tactum granum cognoscitur, ita Christi diuinitas sicut granum frumenti latebat in humanitate sicut in palea, & in spica, sed ad tactum fidei
*Ioan. 20.* cognoscebatur, ita legimus Ioan. 20. Quia Thomas dicentibus alijs Apostolis: *Vidimus Dominum*, & ipse clausit portam, & noluit intrare per fidem, sed solam spicam credebat dicens: *Non credam.* Sed Christo veniente, & dicente, quòd palparet spicam, & granum inueniret: *Infer digitum tuum huc, &c.* Statim spicam, & granum agnouit, vnde exclamauit spicam, & granum: *Dominus meus, & Deus meus.* Ita vtrumque cognouit Sanctus Simeon, ideo dicitur hic: *Dominus*. Ergo ne Sancte Simeon vidisti Christum Domini, vidisti iuxta promissum Spiritus Sancti? Intrasti ne per portam fidei, & ciuitatem Dei? certè ait, cum Psalmista:
*Psal. 47.* *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.* Quia vidi Dominum, & Deum. Hæc omnia, quòd scilicet, Sanctus Simeon habuerit de Christo cognitionem timoratam, specularem, & ænigmaticam, pulchrè, ad hoc propositum ostendit Lucas 2.
*Luc. 2.* Et recitatur in Euangelio hodierno. Vnde dicit, quòd Simeon erat iustus, & timoratus. In cuius signum se seruum vocauit: & Christum, *Dominum*, & de timendo gladio prædicauit: *Nunc* (inquit) *dimittis Domine, seruum tuũ, in pace*, & sequitur: *Et ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Et iterum: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* In quibus omnibus in recognitione *serui Domini, & gladij*, habemus manifestè cognitionem timoratam: quòd autem habuit specularem, & ænigmaticam, ostendit: quia penetrauit per humanitatem ad diuinitatem, vnde ait: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gẽtium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Ergo potest di
*Genes. 32.* cere Sanctus Simeon illud Genes. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Hæc cognitio timorata, quoad primum, specularis, & ænigmatica: quoad secundùm: de Christo hodie debet esse in nobis; in isto enim puero est diuinitas latens, & est humanitas patens, & est potestas excellẽs, quæ tria significantur per candelam, quam portamus; quia ibi est filum latens, per quod diuinitas, ibi cera patens, per quod humanitas; ibi ignis ardens, per quem excellens potestas designatur; ex quibus datur intelligi, quòd Christo debemus timorem ratione potentis potestatis, & fidem ratione latentis diuinitatis. Hæc simul exoluebat Psalm. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, ecce fides, *quem timebo*, ecce timor, ergo timeat Dominum omnis terra: quia *Beatus vir qui timet Dominum.* Hæc de primo principali. *Psal. 26.* *Psal. 111*

Quantùm ad secundum sciendum, quòd dextera à dando dicta est; nam vt dicit Isidorus. Dextra pignus pacis datur. Vnde ad Galat. 2. *Dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* Sinistra autem à sinendo, & sustinendo dicta est, ex eo quòd rem sustineat, & per dexteram sibi sinat. Hæc est autem natura brachij dextri, & sinistri, quòd illa quæ cor diligit, brachia diligant, & in amplexum eorum voluntariè se extendant, & quòd á corde ampliùs diligi sentiunt plus cordi applicant in tantum vt totum dilectum toti amanti cordi imprimerent, si valerent: verum est quòd differenter, quia brachium sinistrum rem amplexatam sustinet, & sustentat, dextrum applicat constringit, & approximat. Ita fuit in Sancto Simeone, & corporaliter, & spiritualiter; ipse summè Dei filium diligens, quem summè desideraberat, eo habito statim in amplexus hodie ruẽs more nutricum puerum in vlnas accepit, sinistra sustinendo, & dextera amplexando; & ad se quem summè diligebat, summè stringendo, & hoc quidem corporaliter: sed insuper etiam spiritualiter, quia sinistra, in qua est cor, significat ad Deum charitatem, & amicitiam: dextra, in qua est operatio, significat ad proximum æquitatem, & iustitiam, & istis duobus brachijs, sinistra charitatis ad Deum, & dextra æquitatis ad proximum, amplexabatur Christum; vnde dictum est, Canth. 2. *Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ita debemus hodie Christũ amplexari charitate, & amicitia, quò ad ipsum: iustitia, & æquitate, quoad proximũ, sed sic est de Christo sicut de puero; puer enim inter amplexus summè timet pũcturã, vel acus, vel alterius rei pũgẽtis, existẽtis, in pectore amplexantis, & in punctura stare non potest; ita de Christo: Christus enim summè horret punctura, pectoris, id est, conscientiæ, per peccatum mortale quidlibet remordentis, & quamuis omnem punctura peccati horreat, singulariter tamen in iustitiæ, quæ fit ad pauperem proximum, in cuius persona ipsemet pungitur, vt quando fit iniustitia, & oppresio proximo odio, rancore, inuidia, ira, vindicta, pretio, prece, susceptis muneribus, vel tollendo proprium, vel non reddendo debitum, quia ista pungunt Christum, & ipse punctus finaliter in iudicio pungit *Cant. 2.*

*Psal.* 25. git eos; vnde dixit Psalm. *Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.* Hæc est pungens, & lacerans dextera non astringens, nec amplexãs, de qua
*Psal.* 47. Psal. *Dextera eorum iniquitatis.* Isti in iudicionõ ponẽtur ad dexterã, sed adsiniſtrã, nihilominus à Dei dextera percutientur: cùm enim cõtra iustitiæ dexterãpeccẽt, per dexteram iustitiæ punientur. De eo autem loqui-
*Psal.* 20. tur. Psalm. *Iustitia plena est dextera tua, & ideo dextera tua inueniat. Omnes qui te oderunt, pones eos vt clibanum ignis, &c.* In huius signum Sanctus Simeon in Euangelio ho-
*Lucæ* 2. dierno iustus describitur, qui Christum in dextera sua susceþit. Luc. 2 *Homo iustus, & timoratus.* Ideo quantùm ad ipsum tunc per corporalem præsentiam quoad nos, nunc per deuotionem, & gratiam quod eum sustinentes debeamus esse iusti per dexteram ad pro-
*Isai.* 48. ximos prædixit Isai. 48. *Suscipiet te dextera*
*Psal.* 15. *iusti mei.* Faciamus ergo, vt Psalm. qui dixit: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi.* Hæc de secundo principali.

Quantùm ad tertium. Nota, quòd Christus diligentes se diligit, & sicut Curialis Dominus suos dilectores, præmiat, & remunerat, & quia Sanctus Simeon Christum non solùm præsentem, & habitum, sed absentem, & futurum, summè diligens, ardenter desiderauerat, Vnde dicebat: Putas videbo? putas, hic me inueniet? &c. Id circo Christus eum summè dilexit, eũ summè remunerauit, quia viam vitæ ad Paradisum, quæ ante Christum nunquam aperta fuerat, ei per se aperiendam ostendit sui præsentia quod alijs Prophetis, & Patriarchis non fecerat, eum lætificauit sua persona propria per suam diuinitatem, ipsum tandem beatificandum, & suis delectationibus coronandum, & ad suam tandem dexteram, sicut ipse in sua eum dextera portauerat, collocandum ostendit; ideo hæc tria
*Psal.* 15. ipse Sanctus Simeon per Psalm. Christo confiteturt *Notas fecisti mihi vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vltu tuo, delectationes in dextera tua, vsque in finem.* Nota autem, quòd sic est de peccatore Christum amplexante, sicut de homine in periculo existente. Sæpe enim contingit, quòd homo existens in periculo submersionis suo proprio conatu suis brachijs de gurgite exire non potest, sed quando inuenit alium, ad quem recurrat quẽ amplectatur, qui sua dextera eum alleuet, & extrahat, tunc illius virtute saluatur. Ita spiritualiter peccator in culpa, est in periculo submersionis. Proprijs autem viribus, aquam, & gurgitem peccati exire non potest, sed quando ad Christum recurrit, & ipsum brachio amicitiæ quoad Deum, & brachio iustitiæ quoad proximum, amplectitur, per Christum à submersionis periculo liberatur, ita dicit Psalm. *Brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachiũ tuum, & illuminatio vultus tui, quando complacuisti in eis.* Hoc fuit figuratum Matth. 14. Petrus enim in aqua exiitens, & proprijs viribus exire non valente, * cùm cæpisset mergi, clamauit, dicens: *Domine saluum me fac.* Et statim Christus extendens ei manum, liberauit eum; vnde Gregorius, in Collecta. Deus, cuius dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, &c. Ita facit Christus hodie peccatoribus, ad eum clamantibus, & per pœnitentiam recurrentibus, & tentationes Dœmonum fugientibus. Applica, ideo dixit Psalm. *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.* Hoc idem Psal. Expertus, quia de aquis peccatorum à Deo per suum clamorem liberatus, qui dixerat: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Tandem per pœnitentiam exauditus, & manum diuinam * liberatus dixit: *Dextera Domini exaltauit me. Dextera Domini fecit virtutem, non moriar, sed viuam.* Sequitur: *Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.* Ad quam, &c.

*Mat.* 14. * *valens*

*Psal.* 137

* *manu diuina*

*Psal.* 117

## *COLLATIO XC. De Annunciatione Dominica, vel Natali Domini, vel Purificatione. Psalm.* 108.

*IN Verbum tuum super speraui.* Psalm. 108. In vulgari nostro dicitur tale prouerbium. Le, ben mare betire largent hors de la bource, & la dulce parolle tire lecueur du ventre. Hoc est dictu: Sicut bonum forum extrahit pecuniam de bursa: ita dulce, & bonum verbum extrahit cor, & voluntatem de anima. Istud rectè est verbum Eccles. 6. *Dulce verbum multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Quòd autem hoc sit verum, sic ostẽdo: verbum enim dulce comparatur imbri, & niui, quia sicut imber, & nix veniunt in terram ab extrinseco, & eam duram, & sterilem, siccam, & infœcundam, mollificant, humectant, & fœcundant, & germinare faciunt, & humorem in fructum trahunt. Ita cor durum, & siccum per iram, & rãcorem, & odium, verbum dulce emolit, humectat, fœcundat, & ad amicitiam prouocat, & finaliter in fructum, & beneficia etiam inimicorum corda trahit: & hanc virtutem verborum Dei habere indubiè asserit ipse de Isai. 55. *Quomodo descendit imber, & nix de Cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & fœcundat eam, & germinare*

*Psal.* 108

*Eccles.* 6.

*Isai.* 55.

*eam*

*eam facit, &c. Sic etiam verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum sed faciet quæcumque volui.* Idem
2. Reg. 14 patet, 2. Reg. 14. Cùm enim Dauid esset turbatus contra Absolom, filium suum, Ioab misit mulierem sapientem Thecuitem ad Dauid, quæ cùm loquuta fuisset sapienter per parabolam ad Dauid, emolliuit cor eius, & reduxit amorem ad filium; vnde dixit ad Ioab: *Ecce placatus feci verbum tuum.* Ergo verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Hæc pro tanto dicta sunt,
Ioan. 1. quia Filius Dei est Verbum. Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Et non quodcumque, sed dulcissimum: quod sic ostendo: Illud Verbum esset dulcissimum per quod tolleretur B
omnis infirmitas, omnis paupertas, omnis calamitas, & haberetur omne volitum, desideratum, & concupitum, & solùm malum haberi non posset; talis conditionis est Dei Filius, quia per ipsum habetur omne desiderabile, dulce, bonum, & pretiosum, & solùm malum per ipsum haberi non potest. Vnde
Ioan. 1. Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Id est, peccatum secùndùm Augustinum. Istud Verbum sua dulcedine velut imber, & nix de cœlo veniens, & terram nostræ humanitatis infundens, eam ad se traxit, & in fructum vberrimum pullulare fecit; inimicos Domini, & hostes reconciliauit, illa sapiente muliere ad Deum dicente:
Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: cui dixit Deus: *Ecce placatus feci verbum tuum*, & tunc *Verbum caro factum est*, cuius *gloriam vidimus.* Psalm. ergo videns istius Verbi dulcedinem in persona sua, Simeonis, & aliorum sanctorũ Patrum, istud Verbum desiderantium, vehemẽtiam sui desiderij exprimens, loquitur Deo Patri: *In verbum tuum superspersi.* In quibus Verbis describit Psalmista. Dei Filij * Imaginem: *In verbum.* Originem: *Tuum.* Dulcedinem: *Superspersi.* Habet quippe Dei Filius Imaginem luminosam, quia est ipsa veritas: *In verbum.* Originemque generosam, D
quia est ipsa Diuinitas: *Tuum.* Dulcedinem virtuosam, quia est ipsa *Fælicitas*: *Superspersi.* Habemus igitur luminositatem imaginis in parte * permanentem specialiter, quia
* Patre *In verbum.* Generositatem Origmis à Patre procedentem, personaliter, quia *Tuum.* Virtuositatem dulcedinis cum Patre attrahentem efficaciter, quia *Superspersi.*

Quantùm ad primum sciendum, quia posset aliquis mirari, quare iste Psalmista, & Ioannes Euangelista, & Scriptura Sacra Dei Filium vocat *Verbum*: & quamuis multiplex posset reddi ratio; tamen ad propositum potest reddi hæc ratio: quòd hoc est propter verbi proprietates, & conditiones, quæ Christo conueniunt. Conueniunt enim Dei Filio specialiter proprietates verbi secũdùm quod verbum inuenitur primò in naturalibus. Loquendo autem in materia rerum naturalium: quamuis Augustinus distinguat triplex verbum, scilicet, Mentale, Imaginabile, & Vocale: tamen vt completè loquamur in proposito includendo verbum artificiale, cuius materia est res naturalis: nos dicemus, quòd est verbum quaduplex: primum est Mentale, quòd cognitione gignitur; secundum imaginabile, quod imagine volutur: tertium exarabile quòd protractione describitur: quartum vocale, quòd locutione promittitur, & hoc verbum quadruplex propter suas proprietates, est Dei filius; quia ipse est Verbum mente cogitatum in paterna intellectione. Capite imaginatum prophetica figuratione, Pelle registratum in materna conceptione; voce prolatum in Virginea parturitione. Prosequamur de singulis, & ostendamus quomodo Dei filius habet horum verborum proprietates. Quantùm ad primum sciendum, quòd sicut nos experimentaliter cognitiuè verbum gignimus apud nos interiùs mente, & secretè, & dicimus: ego cogitaui bonum verbum: ita Deus Pater in suo intellectu, siue actu intelligendi format, & generat Verbum suum, quod est Dei filius, de quo ad hoc propositum scripsit Psalm. dicens *Eructauit cor meum verbum* Psal. 44.
C *bonum.* Vbi nota, quòd verbum quamdiu est in corde, non cognoscitur, sed tamen potest esse principium actionis: vnde & Grammaticaliter dicimus: aliqua verba actiua: sic Verbum Dei existens in diuina essentia cognosci non potuit, sed aliqualiter manifestatum est in rerum creatione: quia tunc actiuum factum est: vnde Ioannes postquàm dicit *Deus erat* Ioan. 1.
*Verbum*, subiunxit: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ideo etiam ait Psalm, quia ante cognosci non poterat: *eructauit*, quasi diceret sicut illud, quod corde gestatur, non nisi per eructationem manifestatur; sic nec diuinum Verbum quousque Deus Pater ipsum eructauit per creationem omnium rerum ipso mediante. Quòd autem verbum possit esse actiuum patet in verbis, quia dicimus: ego cogitaui vnum verbum tale, quòd faciam timere audientes: de cuius verbo ab eterno concepto dicit Ioannes: *In principio erat Verbum.* Et quia hoc Verbo omnia creata sunt, cùm homo per peccatum iam nihil esset, quia *ad nihilum redactus sum, & nesciui* In Psalm. Psal. 72.
*Et sine ipso factũ est nihil.* Ioa. 1. Rationabile Ioan. 1.
erat, vt etiam eo mediãte recrearetur homo: & ideo quia hoc Verbum hominem recreauit, dedit Deus imaginari per figuras Prophetis eis non loquens, sed solùm signum ostendens; & fecit, sicut faciunt Abbates Monachis albis, qui quando deliquerunt, vel nimis loquendo, vel nimis contra regulam delinquendo,

do, imponunt eis ſilentium; nec ex tunc verbum Abbati, vel alteri audent facere, niſi per ſigna. Ita Deus, quia iſti nimis loquti fuerunt, quando dixerunt: *Ne fortè moriamur.* *Geneſ. 2.* Geneſ. 2. Contra regulam, quam eis dederat de comeſtione, delinquerunt, non enim debuerunt dicere *fortè*, cùm Deus ita non dixiſſet: ideo Deus abſtulit eis Verbum ſuum, donans eis grauiorem culpam; vt ſederent ſoli in terra, & diſciplinarentur à ſingulis, nec reliquiæ eorum aliorum reliquijs miſcerentur. Dic omnes alias pœnas, & applica de grauiori culpa, vnde ſilentium eis impoſuit, & cum Deo loqui non potuerunt, niſi per ſigna, nec Deus eis loquebatur niſi per ſigna: quia ſigna erant imagines Verbi incarnandi: de hoc igitur Verbo incarnando dicamus.

Quantùm ad ſecundum nota, Verbum imaginatum eſt, quando aliquis imaginatur, & cùm voluit, quomodo pulchrè, & benè intelligibiliter poteſt ipſum proponere: vt clarè intelligatur, & melius ſibi credatur. Huic igitur verbo comparatur Dei filius in lege veteri figuratus; quia ibi Deus per figuras diſpoſuit; qualiter pulchrè abſque corruptione Virginis poſſet concipi, poſſet naſci, & qualiter ipſum talem poſſemus intelligere clarè per fidem; ſicut enim verbum cordis, vt eſt in mẽte conceptum, ordinatur ad proferendum, ſcilicet, voluntatem dicentis: ita Verbum diuinum fuit ab æterno ordinatum propter nos incarnari, ſecundùm voluntatem Patris Filium promittentis, & ſecundùm diuerſas imagines, & figuras ipſum deſcribentis; quamuis autem multæ fuerint pulchræ imagines, & filiæ *veteris legis, quibus diſpoſuit filium incarnari, tamen ſunt quatuor pulchræ. Prima eſt Exod. 3. de Rubo, in quo Deus apparuit Moyſi, in qua rubo erat ignis: *Et non comburebatur*. Sic Dei filius in rubo, id eſt, in Virginis vtero apparuit cum igne diuinitatis, qui humanitatem non abſorbuit, quia homo fuit, & tamen virginitatem non violauit. Secunda de virga Aaron, quæ fronduit, & floruit. Sic Virgo Dei Genitrix Virga eſt, Flos filius eius, quia ſicut ſine corruptione, flos egreditur, ſic & filius abſque corruptione naſcitur. Nota hiſtoriam Num. 18. Tertia figura fuit de Gedeone pugnante. Iudic. 6. Qui in ſignum victoriæ petiuit quòd Vellus compluueretur in area, aerea ſicca permanente. Area eſt Virgo Berta, ab omni humiditate peccati carnalis extranea. Pluuia in vellere, diuinitas in carne: nam ſicut pluuia reddit vellus humoroſum, ſic diuinitas humanitatem, quæ priùs erat ſicca gratia Dei, vel Vellus Virginitas, quæ aliena à paſſionibus corporis, quamuis ſit corpori vicina, ſicut vellus vicinum corpori alienum eſt à paſſionibus corporis, ſicut etiam integrum remanſit vellus poſt rorem, ſic Virgo poſt filium. Quarta eſt, quia

** figuræ*

*Exod. 3.*

*Num. 18.*

*Iudic. 6.*

A Ezechias in ſignum prolongatæ vitæ à Domino petiuit Solem reuerti decem gradibus, quod factum eſt. 4. Regum 20. Chriſtus eſt Sol, qui idem manens reuerſus eſt primo gradu vno à diuinitate: quia *Verbum caro factũ eſt*. Et poſt nouem gradibus, nouem, ſcilicet, ordinibus Angelorum. Nota hiſtoriam de hoc Verbo in Pſalm. *Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.* *4. Reg. 20* *Ioan. 1.* *Pſ. 129.*

Quantùm ad tertium. Nota, quòd verbum regiſtratum dicitur illud, quod mente longè cogitatum poſtea frequenter imaginatum ad memoriam perpetuam ſcribitur, in pelle carnea regiſtratur. Ita fuit de Dei filio, ab æterno enim in paterna mente cogitatus, poſtea in B veteri lege apud Prophetias multis figuris imaginatus, tandem in incarnatione fuit in pelle carnea ſcriptus, & regiſtratus, quia in noſtra carne humanatus; ideo de hoc dicitur ad Roman. 9. *Verbum abbreuiatum faciet Deus ſuper terram.* Nota, dicit *Verbũ*. Quãdo quis aliquod magnum verbum, & ſubtile, quod magna indiget memoria, vult teneri in memoria, conſueuit hoc ſcribere, & in ſcripto ponere, vt ſi quando à memoria excideret, ſcriptum reperiatur. Ita voluit Deus facere volens, quòd nos eſſemus ſemper memores Verbi ſui, ſcripſit ipſum in charta, vt ſi quandoque obliuiſceremur ipſius, per Incarnationem inueniremus ſcriptum, & poſſemus recordari, & hoc eſt, quod dicitt *Verbũ*. C Ioannes, de quolibet fideli Pſalm. *Memor fuit verbi ſancti ſui*, ſequitur: *Abbreuiatum*. Nota, quando aliquis magnus Clericus vult proferre aliqua magna, & alta verba coram ignobilibus, qui indigent longa, & clara explicatione, conſueuit abbreuiare, & ponere breuiter, & ſub ſimilitudine, vt poſſint intelligi, & melius retineri. Ita fecit nobis Deus ignorantibus, voluit oſtendere quædam verba digna longa explicatione, ſcilicet, cœleſtia ſecreta, ſed quia nos eramus malè intelligentes, cùm velle t nobis reuelare myſteria diuinitatis, quæ ſunt longiſsima, dicit Deus, quòd nimis haberet facere, & ideo verbum latiſsimum abbreuiauit, ponens ipſum ſub ſimilitudine carnis Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* D Sud nota, quòd aliter abbreuiatur longa, vel lata dimenſio à figura ſphęrica, quia lõga, vel lata abbreuiatur per ſubſtractionem à principio, vel fine alicuius partis, ſed ſphærica non ſic, cù principio & ſine careat. Nam non poteſt abbreuiari per ſubtractionem, ſed per compreſsionem, vel anguſtationem quandam, ita fuit abbreuiatum Verbum Dei, quòd eſt ſphæra, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam eſt. Iſai. 10. *Conſummatio abbreuiata innundabit iuſtitiam, conſummationem enim, & abbreuationem faciet Dominus in medio omnis terræ*, de qua ſequitur *ſu-*

*Philip. 2.* *Iſai. 10.*

*per*

*per terram.* Nota, cùm Deus vellet scribere hoc Verbum quæsiuit papyrum, & non fuit in operatorio Angelorum damnatorum inuentum, quia illi perdiderant in mari tentationis superbiæ merces humilitatis, & hoc Verbum cùm esset abbreuiatum, debebat scribi in papiro humilitatis. Iterum nec in operatorium Angelorum beatorum, quia illud erat nimis clarum, & subtile, & non potuisset homo legere, quia sicut se habet oculus nicticoracis ad lumen solis, ita intellectus noster ad manifesta in natura, vt dicit Philosop. in 2. Metaph. Ideo ventũ est ad operatorium hominum; cùmque quæsita fuissent multa operatoria, nõ inueniebatur conueniens papyrus; quia erat quædam nimis grossa per superbiam, quædam nimis pingnis, vbi malè recipitur in caustum, per auaritiam; quædam nimis madefacta, & nigra per luxuriam; & finaliter non inuentum fuit aliquod operatorium, vbi inueniretur aliquid de bono pergameno, vel papiro, nisi in operatorio Virginis, vbi nihil inuentum est de papyro grossa, sed delicata per humilitatem, nec de papyro pingui, sed solùm macilenta per paupertatem, nihil de madefacta, vel nigra, sed benè sicca, & alba per Virginitatem, vnde cùm ad omnia sibi dictum fuisset, quòd ipsa conciperet filium, qui esset filius Altissimi; & hoc Verbum in ipsa scriberet Spiritus Sanctus: Quia *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Ipsa respondit. Ecce satis de papyro in operatorio meo, quæ est humilitatis, quia: *Ecce ancilla Domini*, satis de papyro munda, & Virginea, quia prima Virginitatem voui. Et istud verbum non debet scribi nisi pergameno virgineo, sicut nec aliqua Breuia, quæ ponuntur ab Incantatoribus. Vbi Nota, quòd Clerici scribentes aliquod Breue, volunt semper scribere in pergameno virgineo, sic Spiritus Sanctus volés scribere hoc Breue Verbum, voluit ipsum scribere in pergameno virgineo, quale fuit pergamenum Virginis MARIÆ. Ideo Lucæ 1. *Fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Statim Spiritus Sanctus, accepit vnum folium de papyro, & scripsit illi Verbum missum cœlitus, & tunc Verbum abbreuiatum: *Verbum caro factum est.* In illo folio purissimi sanguinis MARIÆ Virginis, ideo dicit super terram, id est, super terram naturam, non Angelicam, sequitur *faciet Dominus.* Nota, non quicumque fuit Notarius huius Verbi; quia non Ioseph, sed Spiritus Sancti Notarius fuit, qui cognoscitur in littera; quia si Ioseph scripsisset illam litteram, fuisset solus homo, sed quia Deus scripserat aliquando naturam humanam, potuit scribere Verbum quod esset homo, & Deus, iste etiam scriptor fuit Spiritus Sanctus, de quo Ioan. 5. *Pater Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*, & Ioan. 1. *Et Deus erat Verbum.* Hoc

*Lucæ* 1.

1. *Ioan.* 5.
*Ioan.* 1.

A Verbum igitur fecit Deus, scilicet, Spiritus Sanctus abbreuiari super terram humanitatis Virginis, de quo Psalm. *Memor fuit testamenti sancti sui, verbi, quod mandauit in mille generationes*, dicit, *mandauit.* Nota, verba quæ scripta mandantur per Regem, nõ statim exequuntur, nisi ad tempus quo mandatur per Regem, sicut patet de littera, qua fuerunt capti Iudæi, vel Templarij, & hoc est ne præscientes caueant, & fugiant, sed tempore determinato executioni mandant, & iterum scribuntur in papyro Curiæ, & sciunt tantùm Curiales quid debet fieri. Sic factum est de Verbo Dei misso ad genus humanum, quia non statim quando venerunt litteræ de Paradiso, fuit executioni mandatum, vt appareret hominibus, sed fuit primò scriptum B in papyro Curiæ, id est, in vtero Virginali, & scripserunt hoc tantùm Curiales, scilicet, Nuncius, qui litteras apportauit, scilicet, Archangelus Gabriel, & Pater, qui misit, & Spiritus Sanctus, qui scripsit, & Ioseph, qui fuit Balliuus, & Elisabeth, quæ erat de Curia eô quòd esset mater seruientis Curiæ, scilicet, Ioannis Baptistæ, & ipse etiam Ioannes in vtero sciuit, qui fuit seruiens Christi, vadens ante eum, & huic reuelatum est in vtero matris, hi soli sciuerunt, ne fugerent Iudæi, vel Templarij, id est, Diaboli, qui præcauissent sibi, & fugissent: si statim postquàm scriptum fuit hoc verbum per conceptionem, fuisset propalatum per natiuitatem; & ideo latuit C nouem mensibus antequã hoc Verbum quod erat conceptum, & scriptum, proferretur, vel nasceretur. Vnde Lucæ 18. *Erat verbum istud absconditum ab eis.* Sed in natiuitate fuit reuelatum omnibus: quia tunc litteras mandauerat dari executioni Deus Pater: priùs autem fuit cœlatum, & absconditum pluribus, sed reuelatum paucis Secretarijs prædictis Curialibus, ideo dicitur Amos 3. *Non faciet Dominus verbum, nisi priùs reuelauerit secretum.* Hoc secretum in natiuitate reuelatum fuit: & ideo Pastores volentes scire istos rumores, dixerunt Lucæ 2. *Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod, &c.*

*Psal.* 104.

*Lucæ* 18.

*Amos* 3.

*Lucæ* 2.

D Quantùm ad quartum. Nota, quòd Dei Filius erat Verbum prolatum * in ipsa prolatione primò incipit audire, & cognosci, sic Verbum quando fuit natum primò incepit audiri, & cognosci; vnde fecit sicut faciunt isti nobiles pugnatores benè nominati, cùm enim per bellum volunt aggredi hostes suos primò præmittunt aliquos, & ipsi ponunt se in aliqua valle, & cũ illa inceperint contra ipsos bellare quasi iam habẽtibus victoriã exeũt de valle, & clamant, talis, talis, sicut Frãcia Francia, & tali nomine audito hostes terrentur, & solo terrore vincuntur. Sic Christus volens pugnare contra Dæmonem præmisit

* *deficit. Verbum prolatum*

aciem

aciem Prophetarum, & tandem Ioannem Baptiſtam, qui magis vincebantur, quàm vincerẽt, ſed Chriſtus incepit exire de valle Virginis veteri Virginalis, & tunc Ioannes clamauit *Verbum caro factum eſt.* Tunc territi Dæmones victi ſunt, vt patet in Paraſcæue, quod autem iſtud verbum tremant Dæmones ſuper omnia verba Scripturæ, nota de illo fratre, quem impugnantes Dæmones, ſolùm dimittebant, cùm hoc dicebat: *Verbum caro factum eſt.* Item de illo, qui dixit hoc expreſsè fratri. Item de illo fratre, de quo vidit Beatus Dominicus, quòd Diabolus non poterat facere aliquas illuſiones ſuper cellam illius, qui dicebat Euangelium Ioannis: *In principio erat, &c.* Ceteri verò dicebant orationes alias, quæ non prohibebant illuſiones Dæmonum. Item de illo Dæmone, qui apparuit fratri in Choro, in ſede vacua, iuxta eum quem reprehendit, quia non inclinabat ſe, cùm diceretur: Natus ex MARIA Virgine; quia dicit * ſi aſſumpſiſſet naturam Angelicam, ipſe proſterneret ſe ad terram. Hoc eſt illud Verbum, de quo Ioannes in Canonica ſua: *Quod vidimus, & audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.* Nota, quòd verbum, quod geſtatur in corde, nunquam videtur, niſi ſcribatur, nec auditur, niſi proferatur: ideo vt ipſum videremus, fuit primò ſcriptum in conceptione; vt audiremus, fuit prolatum in natiuitate. Item Nota, quòd idem verbum manens, idem poteſt manere in mente, in imagine, in ſcripto, & poteſt inducre idem verbum formam vocis, vt extra proferatur: ſic idem verbum manſit in mente Patris in imaginibus Prophetarum, ſcriptum in vtero Virginali, & natum forma carnis indutum; vnde Auguſtinus, 1. de Doctr. Chriſt. Sicuti cùm loquimur, vt id, quod animo gerimus, in audientis animo per aures * corporeas illabatur. Sic ſonus verbum quod corde geſtamus, & locutio vocatur, nec tamen in eundem ſonum cogitatio noſtra cõuertatur, * ſed apud ſe manens, integram formam vocis, qua ſe inſinuat auribus, ſine aliqua labe immutationis aſſumit. Ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum eſt. Item nota, quòd dicit: *Vidimus*, ſicut quando verbum profertur abſque aliqua violatione, vel corruptione dicitur. Ita Verbum probatum de Virgine abſque violatione naſcitur, & huic incorruptioni atteſtatur floritio regalis apulegij in hac nocte. Vbi nota, quòd hæc herba ſemper in hora qua Chriſtus natus fuit, nocte iſta flores producit quantùmcumque ſit ſicca. Hoc regale Apulegium fuit Virgo Beata, & ſicut illa herba ſicca etiam producit florem, abſque aliqua corruptione, quem priùs ſeruabat in corpore. Ita Virgo Verbum conceptum, quod priùs ſeruabat in corpore, ſicut quemdam florem abſque aliqua violatione protulit nocte iſta. Secundò inuenitur Verbum in Grammaticalibus: dicunt autem Grammatici, quòd Verborum eſt hæc conditio, quòd aliquod Verbum eſt Neutrum, Actiuum, Commune, Paſsiuum, Deponens, Subſtantiuum; ſic Verbum Patris Dei filius eſt Verbum Neutrum ante rerum productionem per Principiationẽ actiui, & paſsiui. Et de hoc Lucæ 1. *Erat Verbum iſtud abſconditum ab eis.* Actiuum eſt in rerum creatione, vnde Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Paſsiuum eſt in pœnarum afflictione, & de hoc Apocal. 19. *Erat veſtitus veſte aſperſa, ſanguine, & vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Commune fuit in morali converſatione; vnde Ioan. 20. *Stetit IESVS in medio*, Et Actor. 13. *Viri fratres vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt.* Deponens fuit in reſurrectione, in qua depoſito homine veteri non quantùm ad ſubſtantiam, ſed quantùm ad fragilitatem, & mortalitatem, ſenſum paſsiui depoſuit, actiuam ſignificationem realiter retinẽdo: ſeruatquè ſenſum paſsiui, characteres vulnerum retinendo. Vnde Actor. 13. Poſtquam dictum eſt *Vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt*: Sequitur: *Cùm conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumẽto.* Sed eſt ſubſtantiuum; Vnde ipſi proprie competit illud ſubſtantiuum ſum, & fui iuxta illud Exod. 3. *Ego ſum qui ſum*: Vnde in Pſalm. *In æternum Domine permanet Verbum tuum: Verbum autem Domini ſtabit in æternum.* Vt dicitur Iſai. 40. Vlteriùs dicunt Grammatici, quòd verbum habet quinque modos, ſcilicet, Indicatiuum, Infinitiuum, Imperatiuum, Coniunctiuum, Optatiuum. Sic Verbum Dei filius, eſt verbum primò modi Indicatiui, peccata commiſſa indicando; vnde in Pſal. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam* Secundò eſt modi Infinitiui, diſsimulando; vnde dicitur Prou. 25. *Non loquitur Verbum niſi in tempore ſuo.* Tertiò eſt modi Imperatiui, vt peccata dimittat, comminando; vnde Petrus cognoſcens vilitatem peccati, dicit Lucæ 5 *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, &c.* Quartò eſt modi Coniunctiui, gratiam infundendo, vnde Pſalm. *Miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos.* Quintò eſt modi Optaui, gloriam largiendo. Hæc optauit Ierem. 17. cùm dicebat: *Vbi Verbum Domini eſt.* Venia. * Qui enim audit Verbum Dei, habet vitam æternã, vt dicitur Ioan. 5. Tertiò innuenitur verbũ in Logicalibus: dicunt enim Logici de verbo, quod vel prædicatur, vt, Homo currit, vel eſt copula prædicati cum ſubiecto, vt dicendo: Petrus eſt bonus, & hæc duo conueniunt Dei filio, quia ipſe eſt illud verbum, quod

*Ioan. 1.* — *Ioan. 1.* — ** dixit* — *1. Ioan. 1.* — ** aures* — ** conuertitur*

*Ioan. 1.* — *Lucæ 1.* — *Ioan. 1.* — *Apoc. 19.* — *Actor. 13* — *Actor. 13* — *Exod. 3.* — *Pſal. 118* — *Pſal. 116.* — *Iſai. 40.* — *Pſal. 18.* — *Prou. 25.* — *Lucæ 5.* — *Pſal. 106.* — *Ierem. 17* — *Ioan. 5.*

quòd prædicatur à Prophetis,& sanctis Patribus in lege Mosayca,& est idem quod prædicatur ab Euangelistis, & Doctoribus in lege Euangelica. Vnde 1.Corint.1. *Nos prædicamus Christum crucifixum, &c.* Et 2. Timot.4 *Prædica verbum,insta opportunè,importunè.* Est etiam illud verbum, quod est copula mirabilis,copulauit enim in vna persona,velut in vna propositione Logica,mundo demonstrata duo in infinitum distantia,scilicet,Orientem,& Occidentem,lucem, & tenebram,punctum,& lineam,centrum, & circunstãtiam, lutum,& aurum,diuinitatem,& humanitatem, finitum,& infinitũ, creatum, & increatum,Creatorem,& creaturam. Hæc fuit copulà mirabilis,& inaudita,& omni intellectui non solùm mirabilis, sed per rationem impossibilis : huic tamen Dei filio, isti Verbo possibilis : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Lucæ 1. Hoc dicebat Apostolus ad Ephes.2. *Ipse est pax nostra,qui fecit vtraque vnum.* Hãc copulam, tunc completam quando *Verbum caro factũ est*,pulchrè describit Apostolus, ad Ephes. 1. Ostendẽs,quòd hoc verbũ propter copulam portat secũ,quæ sunt diuinitatis,& humanitatis,dicens: *Multifariè,multisque modis*, vsque ibi,*qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ,purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Ex præmissis igitur patet aliqualiter quare Dei filius à Scriptura Sacra Verbum vocetur, quia propter conditiones verbi repertas in verbo accepto Naturaliter, Grammaticaliter,& Logicaliter. Et hæc de primo principali.

1.Cor.1. 2.Tim.4. Luc.1. Ephes.2. Ephes.1.

Quantùm ad secundùm. Nota,quòd in hoc pronomine possessiuo *Tuum*, ostenditur filij ad Patrẽ,* & vna substãtialitas ratione possessionis,& alia personalitas ratione distinctionis,quorũ vtrumque,ipso pronomine importatur. Vbi intelligendum, quòd se speculans in speculo continuè suo aspectu generat speciem distinctam se repræsentantem in eo. Ita Deus Pater se in speculo suæ diuinitatis intelligens, & intuens generat Verbum filium suum, qui est patris imago, & sicut semper imago ad aspectum intuentis in speculo quãdiu intuens speculatur, generatur, & gignita est,ita Verbum Dei,filius Patris : per Patris continuum intelligere semper generatur, & semper genitus est. In hoc tamen est differentia: quia Verbum est Patri consubstantiale; non tamen imago speculi ipsi intuenti. Psal. Igitur volens ostendere distinctionem personalem inter Patrem possidentem, & Filium possessum, licèt vnitas substantialis maneat, vsus est pronomine possessiuo, & distinctiuo,dicens *Tuum.* Si vis dilatare contra vitia. Dic: quòd notanter dicit *In cœlo*, quando,scilicet, dicit : *In æternum Domine permanet Verbum tuum in cœlo*,& non in terra, quia peccatores ipsum expellunt de terra. Prosequere, vt volueris, & hæc de secundo.

* *defecit relatio*

Quantùm ad tertium. Nota, quòd posset quis mirari,& meritò. Vnde hoc Patriarchis, & Prophetis,ac cunctis sanctis Patribus, vt cor suum,& fidem suam ad cœlum,& ad Deũ ad Dei Verbum in tantum dirigirent, quòd supra se sperando eleuarent, cùm hominum corda ad ima ad terrena,& natura sua sint cõtinuè inclinata; Vnde iste Psalm. dicit, *Superspераui*,idest,non in hæc inferiora, sed in superiora. Et super naturam,& rationem existentia speraui. Et dicendum, quod non virtute propria,sed superiore,& diuina,vbi notandum,quòd quamuis grauia, vt aqua ex natura sua semper tendant deorsum, tamen ne sit dare vacuum in natura, virtus cœlestis, facit, vt vltra,& supra suam naturam aquæ sursum tendant, & ascendant, sicut expressè patet in auphora ad aquam inclinata accensam candelam interiùs continente, quia quantum ignis interior de aere consumeret, tantum de aqua non sua,sed cœlesti virtute sursum ascendet, & idem faceret terra, & quodcumque aliud corpus graue. Sic spiritualiter quamuis,mens humana ex sua natura sit prona, & inclinata ad ista inferiora credenda,& diligenda,& speranda, tamen ne mens. Humana, quia ista non satiant, non replent, non quietant animam. Iuxta illud Augustini. Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te;remaneret inanis, & vacua, sed esset plena tandem gloria, & hìc gratia, immittit Deus specialem influxum per virtutem fidei, & spei : quibus mens humana supra se, & vltra se eleuatur, & erigitur vsque ad Deũ in cunctis fidelibus,quod Dei virtute, & non propria ratione,vel conditione, de his, & in illa quæ sunt supra se,sperant,Deo adiuuante, & eleuante. Vnde dicit alibi idem Psal. *Adiutor, & susceptor meus es tu, & in verbum tuum &c* Igitur *sperate in eo omnis congregatio populi,effundite coram illo corda, &c.* Vt enim Psalm. dicit. *Salus iustorum à Domino,& liberauit eos à peccatoribus,& saluauit eos,qui sperauerunt in eo,&c.*

*Psa.* 108. *Psal.* 61. *Psal.* 36.

## COLLATIO XCV. *De festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis,ex Psal.*133.

*SVscepisti me de vtero matris meæ.* In Psal. 133. Volens enceniare aliquam personã, vel aliquod Collegium consueuit tria facere, scilicet,encenium,primò disponere, & ordinare secretiùs. Secundò exponere,& publicare exteriùs. Tertiò proponere, & præsentare posteriùs. Ita faciunt deuotæ Dominæ Religiosis:

*Psal.*133

gioſis: quia quando volunt alicui fratri vel toti Conuentui aliquod encenium mittere. Primò ſecretè penes ſe encenium præparant, ordinant, & diſponunt in domo, cooperientes aliquo pulchro linteo. Secundò ordinatum, coopertum, & ornatum tradunt alicui, qui publicè portat. Tertiò ille apportatum fratri, vel Conuentui publicè præſentat. Ita
*1. Reg. 15* legimus 1. Regum 15. Cùm Abigail vellet vnum encenium facere Dauid: primò ipſum diſpoſuit, vnde dicitur ibi, quòd *tulit vinum panes, carnes, ficus, & vuas.* Deinde tradidit pueris, qui portarent, dicens. *Præcedite me, ego poſt tergum ſequar.* Deinde veniens coram eo præſentauit, dicens: *Suſcipe benedictionem, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Suſcepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat. Ad propoſitum, Deus Pater voluit mittere vnum mirabile encenium humano generi toti Conuentus
*Malac. 3.* hominum, & promiſsit hoc ſe facturum, Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparauit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad Templum Sanctum ſuum.* Circa iſtud ergo enceniũ ſic proceſsit, quòd ipſum primò diſpoſuit, & ordinauit in toto veteri teſtamento; deinde linteo noſtræ mortalitatis inuoluit in virginali vtero ipſum incarnando ſecretiùs: deinde expoſuit mundo per natiuitatem, exteriùs, & deinde præſentauit in Templo omnibus. Iſtius encenij portatrix, & præſentatrix fuit Virgo Beata, ſicut frequenter in domibus nobilium puellæ Virgines encenia præſentant. Hæc enim eſt altera Abigail, quæ interpretatur patris exultatio propter filium. Deus Pater, quæ attulit in Templo toti generi humano, & obtulit Simeoni tanquam in perſona omnium ſuſcepturi, velut alter Dauid, quia fuit manu fortis in expectando, & ſuſtinendo, & præſentauit panem, & vinum, & carnes, & ficus, & vuas, paſſas, quia ipſe Verbum caro in virginale vtero eſt panis, & vinum, primò in Euchariſtiæ Sacramento; & eſt ficus, & vua paſſa in cruce, & ſepulchro: & ipſa dixit Simeoni: *Suſcipe benedictionem, quam attulit tibi ancilla tua.* Vtique illam benedictionẽ de qua
*Gen. 12.* dictum fuerat Abrahæ Geneſ. 12. *Ex te nam que egredietur in quo omnes gentes benedicentur.* Ancilla, inquit, illa quæ dixit: *Ecce ancilla Domini* Lucæ 1. Et ſuſcepit Simeon om
*Lucæ 1.* nia quæ attulerat, quia Verbum caro factum panem, & vinum futurum quoad Euchariſtiæ Sacramentum: ficus, & vuam paſſam quãtum ad crucem, & ſepulchrum in quibus illud encenium erat apponendum. Chriſtus ergo videns Simeonem de matris gremio, ſuſcipientem verba propoſita, loquitur per Pſalmiſtam: *Suſcepiſti me, &c.* Deſcribens in verbis illis triplicem Chriſti, & Virginis feſtiuitatem, ſcilicet, Annuntiationis, Natiuitatis, & Incarnationis. Hoc ergo encenium per Pſalmiſtam in Verbis præmiſsis deſcribitur. Nũciatum, Incarnatum: *Matris meæ.* Extra natum Publicatum: *De vtero.* Propalatum Præſentatum: *Suſcepiſti me.* Fuit namque fructus iſte Nunciatus Incarnatus Aluo virginali; ideo dicitur: *Matris meæ.* Extra natus, Publicatus mundo corporali; ideo dicitur: *De vtero.* Propalatus Præſentatus Templo materiali; ideo dicitur: *Suſcepiſti me.* Quod autem fuit mirandum ſpectaculum, benedictus iſte fructus incarnatus in vtero fœcundauit Virginitatem. Extra natus in mundo ſeruauit integritatem: Præſentatus in Templo demonſtrauit Humilitatem. In concipiente Mirabiliùs: *Matris meæ.* In Pariente Miraculoſiùs: *de vtero*: In Recipiente Affabilius: *Suſcepiſti me.*

Quantum ad primum ſciendum, quòd ſcribunt Naturalis, & experti aſſerunt hortolani, quòd quando flos exiſtens in arbore, cadit antequam fructus formetur, non eſt bonum ſignum; quia tunc arbor non erit fœcunda, ſed ſterilis, non oportet bonum fructum de illa expectare, ſed quando flos manet ſimul cum fructu, & non cadit flos, donec formetur fructus, tunc eſt ſignum optimum, quia tunc arbor erit fertilis, & fœcunda tunc habetur bonus fructus. Omnis mulier habens prolem, & puerum eſt arbor habens fructum, flos huius arboris eſt Virginitas: ſic ergo fuit à principio mundi, vſque ad Beatam Virginem, quòd nunquam mulier fructum, id eſt, prolem habuit, quòd in ea ante prolem flos Virginitatis non ceciderit. Deus autem promiſerat Dauid illud, quòd ipſe dicit in Pſalm. *Pſ. 131.* *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponã ſuper ſedem tuam.* De quali autem arbore deberet naſci fruſtus eſte, prophetauit Iſaias, dicens: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Iſai. 7. Dauid ergo videns, quòd in omnibus *Iſai. 7.* mulieribus cadebat flos virginitatis antequã veniret fructus fœcunditatis, non habebat bonum ſignum, nec credebat, quô de illis mulieribus ille fructus naſceretur, & quaſi deſiderio deſiderabat, dicens: *Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuper-* *Pſal. 118* *ſperaui* vſque *facies.* Tandem arbor vna nobilis Virginitate candida Spiritu Sancto obũbrante imprægnata, fœcundata, flore integro remanente virginitatis, fructu formato in vteroque mater facta: & ideo tunc fuit ſignum optimum, & optimi fructus ſapidi, ſani & ſuauis, & benedicti, vnde dixit ei Eliſabeth. Lucæ 1. *Benedictus fructus ventris* *Luc. 1.* *tui.* Propter hoc ipſa ſola poteſt dicere illud Eccleſ. 24. *Ego quaſi vitis fructificaui* *Eccleſ. 24* *ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ*

*etæ spei.* Et quia hoc fuit singularissimum, quòd in hac arbore flos, & fructus, Virginitas, & filius, simul esset; ideo dicitur in themate, non solùm *Matris*, sed *Matris meæ*, tanquam singularis, & meritò. Scribunt enim Naturales, quòd Carbunculus inter gemmas est pretiosior: & ideo eius generatio mirabilior: quia verò bonus, & in specie optimus. Non nascitur intra vnum lapidem preciosum, quia dicunt, quòd pretiosior Carbunculus sola cœlesti virtute intra ventrem Balagij generatur sine Balagij læsione: cui Balagio Carbunculus dat virtutem, sic dicebat de vero Carbunculo, id est, Christo, qui optimè per Carbunculum intelligitur, quia nocte lucet, & radiat, ideo Christus *est lux vera, & lux in tenebris lucet.* Ioann. 1. Non enim decebat eum nasci, nisi lapide pretioso in Balagio, in Virginali vtero sola virtute cœlesti fœcundato; cui Virgini ipse Christus contulit virtutem, & gratiam, abundantem: vnde dicit: *Matris meæ.* Propter hoc dicit ipsemet Christus ad hoc propositum illud Sapient. 7. *Sum quidem, & ego mortalis homo similis hominibus, & ex genere terræ illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.*

Ioann. 1.

Sap. 7.

Quantùm ad secundum. Nota, quòd Dei Filius in Scriptura Sacra quantum ad vtramque natiuitatem, æternam, scilicet, & temporalem comparatur splendori, seu lumini; vnde in hodierno Euangelio Simeone dixit: *viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem.* Lucæ 2. Ratio est splendor, seu lumen à sole egreditur: etiãsi Sol esset ab æterno æternitatis, & semper in Sole manens tẽpore suo: tẽplum per vitream ingreditur, & egreditur absque vitreæ fractione, & quacumque violatione. Sic Dei Filius, & lumen de lumine Deus verus de Deo vero, à Deo Patre procedit æternaliter, semper apud Deum manens, sine defectu à Patre descendit ad terram, templum vteri Virginalis ingrediens in Annunciatione, & egrediens in natiuitate Virginalis templi salua semper integritate, & clauso vtero, & inuiolato. Ideo dirigit ipsi illud Deus Pater, in Psalmista: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, &c.* Et ipse Christus per eundem, & Psalmistam. Loquitur ipsi Ecclesiastico: *Ab vberibus Matris meæ in te proiectus sum ex vtero.* Hæc de secundo.

Lucæ 2.

Psal. 109

Psal. 21.

Quantùm ad tertium sciendum, quòd iste puer, qui hodie præsentatur, debet suscipi, sicut puer ad amplexum ratione charitatis, libenter enim quilibet amplexaretur filium Regis, maximè primogenitum. Sic debet suscipi iste puer, qui est filius Regis regum omnium, qui non solùm est primogenitus, imò vnigenitus, amplexus autem iste fit duobus brachijs, dextro, scilicet, quantùm ad amorem Dei, & sinistrum quantùm ad amorem proximi. Iuxta illud Canticor. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Talis suscepit Christum gloriosè, & gratiose, vt ei dicat per Psal. *Tenuisti manum meã dexterã, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria iterum suscepisti me.* Sed nota: puer libenter fugit amplexum dominarum, quæ portant acum in pectore, & virorum, qui habent barbam. Ita iste puer recusat amplexum istorum, qui habent acum pungitiuam, id est, rancorem in corde, & barbam pungitiuam, id est, verba pungentia, vt blasphæmias, detractiones, opprobria, conuicia, verba immunda. Istis enim, & similibus pungitur, & stimulatur; ideo quilibet debet habere barbã rasam, & acum exclusam per acceptã iustitiam: sicut Simeon. De quo dicitur, *quòd erat iustus*, quoad primam, *& timoratus*, quoad secundùm, talis enim solùm debitè Christum suscipit; vnde Isai. 41. *Suscepit te dextera iusti mei.* Pauper ad hospitium ratione liberalitatis, quandoque enim nuncius maximè indigens recipitur propter reuerentiam mittentis. Iste puer est nuncius portans literas Dei Patris, non de alio, quàm de salute nostra, ideo salutaris vocatur: per eum enim mandat Deus Pater salutes Iacob: iste nuncius vt festinanter iucundos rumores de nostra salute apportaret, & panderet, rerum temporalium à cursu quo exultauit vt gygas ad currendam viam, non * impediretur, diuisit totam vestem suam, omnes temporales diuitias, & ideo non habet, vnde faciat expensas, ideo dicit illud Psalm. *Pauper ego sum, & in laboribus à iuuentute mea.* Propter igitur mittentis reuerentiam, & propter rumorem gratum deberet iste puer recipi. Tũc autem ipse recipitur, cùm aliquis de suis pauperibus suscipiatur. * Vnde dixit ipse Marci 9 *Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit. Et quicumque me susceperit, non solùm me suscipit, sed eum qui me misit.* Sed timendum est, ne illud fit verum, Ioan. 1. *In propria venit, & sui eum, &c.* Dilata si vis. Mendicus ad officium ratione sanitatis; ægrotus ad mortem libenter susciperet medicum, qui solo verbo sanaret eum. Talis est iste puer, qui non solùm dat salutem Regibus: & ideo venerunt tres Magi Ierosolimam, imò solo verbo restaurat Vniuersa, qui dixit, & facta sunt. Ideo dixit Ioan. in Canonica sua, id est, *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quòd potest saluare animas vestras.* Sed nun quid, ita eum recipimus? Audi eum conquerentem per Psalmistam: *Susceperunt me sicut Leo paratus ad prædam.* Nota: Leo habet tria odibilia, scilicet, fętorem ex vis-

Psal. 72.

Isai. 41.

Marc. 9.

*

Ioann. 1.

Ioann. 1.

Psal. 16.

ceribus, quem habent multi per peccatum A immunditiæ, ardorem in ossibus, quem habent multi propter peccatum auaritiæ; stridorem in dentibus, quem habent multi propter peccatum gulæ. Isti Christum susceperant sicut Leo. Dilata contra vitia, vt volueris, felices sunt, qui possunt hodie dicere cum Psalmo: *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* Et susceipiunt benedicendo sicut Simeon, de quo dicitur in Euangelio: *Et ipse Simeon accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis serum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Ad quam.

Psal. 45.

Lucæ 1.

# D. ARNOLDVS ALVERTINVS.

## NOTA.

*VENERANDVS, & vndequaquè Doctus, veritatis propugnator, ac zelator Christianæ, puræ, Catholicæquè Religionis dogmatum; R. D. D. Arnoldus Aluertinus, patria Mayoricensis, Pacensis Episcopus emeritus, Inquisitor pariter contra Hæreticam prauitatem integerrimus, qui anno à Virgineo Partu M. D. XXXIV. florebat præter librum* De Hæreticis *dicatum D. D. Ildephonso Manrique, Archiepiscopo Hispalensi: aliũ ædidit* De agnoscẽdis assertionibus Catholicis, & Hæreticis *adeo perneccssariũ, vt semel iterũ, atque iterũ typis mãdatũ fuerit Romæ in ædibus populi Romani, anno M. D. LXXII. in 4. Regali, sed hic vel in curia, vel malitia Impressorũ, totum ferè Sũmarium de Immaculata Virginis Conceptione à n. 6. vsque ad n. 12. prætermisserunt; nisi hoc ab alta superiori causa originem duxerit: Nam cùm Arnoldus Aluertinus adeo magnæ authoritatis extiterit Doctor, vtpote Episcopus pariter, & Inquisitor, & in Sũmario de Virginis Immaculata Conceptione doctè, & eruditè resoluat Virginẽ fuisse absque originalis peccati labe conceptam, sic ab Ecclesia sancta fuisse in Concilio Basilicnsi determinatum, differat de huius Concilij authoritate, & officium Immaculatæ Conceptionis fuisse ab Ecclesia admissum, receptũ, & approbatum, ac tandem assertiuè censuret, & damnet oppositam sententiam asserendo; Dicere Virginem MARIAM in peccato originali conceptam, esse propositionem temerariam, & scandalosam, & hæc omnia in Romana Curia absque permisu, & licentia Magistri sacri Palatij Dominicani non possent typis mandari; fortè ab hoc præcipiente, vel imperante, vel consulente in Romana Typographia hæc omnia relata prætermissa fuere. Prodijt etiam Venetijs inter tractatus tom. 9 part. 2. fol. 520. & Panhormi, anno M. D. LIII. in fol. in hoc ergo opere Summaria aliqua. Quæstionesque circa propositiones Immaculatæ Conceptionis, & Assumptionis, tàm in corpore, quàm in anima Virginis cœlorumque Reginæ MARIÆ trutinat, adeo meo videri, vtiles, & necessariæ his temporibus, vt eas hic non transcribere, esset Authori, operi, assumpto, & gloriæ Virginis MARIÆ immam inferre iniuriam.*

SVMMARIVM SVPER decimaseptima quæstione.

1 *Assertio quòd Virgo MARIA sit concepta in peccato originali an sit scandalosa.*

2 *Concilium Basilicnse passum est scissuram.*

3 Fa-

3 *Factum quid præsumitur in dubio tempore licito.*

4 *Qui dicit aliquid factum tempore quo non licuit, illud debet probare.* *

5 *Concilium Basilienſe allegatur à pluribus doctoribus authenticis.*

6 *Assertio scandalosa probatur asserens MARIAM Virginem conceptam in peccato originali.*

7 *Ecclesia an erret in canonizatione Sanctorum, aut possit errare.*

8 *Assertio erronea esset dicere, Virginem MARIAM conceptam in peccato originali.*

9 *Responsio ad extrauagantem Papæ Sixti tenentis non esse ab Ecclesia decisum, quomodo intelligatur.*

10 *Ratiocinatur, quòd Virgo MARIA non sit concepta in peccato originali.*

11 *Doctores Canonistæ tenent Virginem MARIAM non esse conceptam in peccato originali.*

12 *Vniuersitas Parisiens. tenet quòd non fuit concepta MARIA Virgo in peccato originali.*

## DECIMASEPTIMA QVÆSTIO.

1 DEcimoseptimo quæro. An sint Assertiones scandalosæ hodie asserere Virginem MARIAM Dei Genitricem fuisse originali peccato conceptam, & post mortem corporalem non fuisse assumptam in corpore in cœlestem Paradisum: & licet Dominus Ioan. de Gerson in suo tractatu de propos. ab Episcopis hæretic. conclusione 3. dicat, quòd hæc assertio non est scandalosa, quòd Virgo MARIA fuit concepta in peccato originali, cùm secundùm eum apud maximos Doctores in Teologia non corruptos in affectu, vel intellectu iudicatur probabilis, neque scandalizãs: & idem sentit de illa, quòd Virgo MARIA non sit Assumpta cum corpore in cœlum, citans super hoc Hieronymum ad Eustochium. Dicendum tamen est, quôd quicquid esset in antiquis temporibus apud aliquos de his duabus propositionibus dubitatum, secundùm quæ tempora præfatus Doctor loquitur, hodie verò ambas propositiones apud omnes scandalosas arbitror, præsertim apud Hispanos, & Gallos, qui hanc sententiam amplexantur, solemnem festiuitatem de hac Immaculata Conceptione agentes. Et licet Sixtus Papa IV. in sua extrauaganti, *Graue nimis*, posita sub Tit. de Reliquijs, & veneratione Sanctorũ, edita anno Domini 1483. videatur sentire, quôd nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum, an ipsa Domina sit in peccato originali concepta, vel non, nihilominus eadem Romana Ecclesia de ipsa intemeratæ semperque Virginis Conceptione publicè festum solemniter celebrat, & speciale, & proprium ordinauit officium, & tales tribuit indulgentias celebrantibus illud festum, quales conceduntur Christi fidelibus in solemnitate corporis Christi, vt idem Sixtus testatur in extrauaganti incipien. *Cùm præexcelsa meritorum insignia.* Sub eodem tit. & multo ante eum fuerat in Concilio Basilien. hæc quæstio terminata, in sessione 36. sub 15. Klen. Octobris, anno Domini 1439. quæ incipit: *Elucidantur diuinæ gratiæ mysteria.* Prout habetur in 2. lib. Conciliorum generalium, fol. 216. in qua decisum extitit, gloriosam Virginem Deique Genitricem MARIAM præueniente, & operante diuini muneris gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse peccato originali, sed immunem semper fuisse ab originali culpa, & eam refert Glos. in tit. de autho. gene. Conciliorum, in pragmatica sanctio. Gabriel in 3. sententiarum, distin. 3. q. 1. vbi excusat Sanctos Doctores, qui tenuerunt contrarium: qua ratione etiam excusandus est præfatus Doctor. Nec est in consideratione, quòd inquit Cardin. de Turrecrem. in cap. 1. art. 4. admin. de consacrat. distin. 4. dicens, dictum Concilium passum fuisse scissurum, & sic non habuisse finem legitimum.

2 Et dicit B. Anton. Florent. Archiep. in 3. part. tit. 23. cap. 1. quòd licet Concilium Basilienſe fuerit Canonicè congregatum, tamen post dissolutionem eius, seu mutationem per Eugenium Papam Tertium, anno Domini 1437. factum est conciliabulum, & latibulum serpentis antiqui basiliscum generantis. Idem dicit in 3. part. suæ Chronicæ, tit. 22. cap. 10. §. 4. quia dico, quòd cùm constet illud fuisse legitimè congregatum de mandato Eugenij Papæ Quarti, vt omnes fatentur, & habetur in dicto 2. lib. Conciliorum generalium, licet post mandatum dissolutionis fuerit editum illud decretum, nihilominus propter concursum plurimorum sapientium, & doctissimorum virorum ad id concordantium, negari non potest, quin illa opinio fuerit in eodem decreto cõfirmata, vt dicit Glos. in dicta pragmatica sanctione: & illud referunt solemnes Doctores, & signanter Ioan. Maioris in 3. sent. dist. 3. quibus magis est credendum, quã vni. Scribitur in cap. 1. & cap. ne inuitati, de constit. cap. Capellanus, de feriis, & l. fin. C. de pœna. iudic. qui male iudic.

3 Et in dubio debemus præsumere factum tempore licit. ol. merito, ff. pro socio. Bar. in l. non solum, §. sed vt probari, col. 1. ff. de damno infecto, Decius in cap. præsentia, col. 9. de probatio.

4 Et qui dicit aliquid factum tempore quo non licuit, illud debet probare, vt traditur per Bart. & Alex. in d. §. sed vt probari, Glos. in Cle. fin. in verbo priuatum, de rescriptis, & Glos. penu. in cap. venerabilibus, de sententia ex-

excommunic. lib. 6. Bal. per illum tex. in l. fin. C. an seruus ex facto. Ang. in l. cũ qui, §. pub. ff. de pub. l. cum eum actum, vbi Ange. in Gloss. fin. ff. de negotijs gestis, ita arguit Angel. in consi. 296. visis actis, col. 1. & in consi. 308. factum tale est. Saly. in l. matrem, C. de probatio. Bar. l. in libellorum, ff. de accusat. Socin. in consi. 42. in causa restitutionis.

5 Facit pro his, quia idem Cardin. de Turrecrema. allegat in suis operibus, decisa in dicto Concilio Basilien. vt in tractat. de potestate Ecclesiæ, lib. 1. cap. 68. vbi dicit hanc assertionem, quòd Christus quotie peccat, esse rationabiliter condemnatam in Concilio Basilien. quamuis in eodem tractatu plurimis fundamentis nitatur illud Concilium Basilien. impugnare, & illam constitutionem factam in Concilio Basilien. de excommunicatis, non publicatis, non vitatis, allegat Abbas in Clemen. 2. de pœnis, & Fely. in cap à nobis, de exceptio. & in cap. Rodulphus, colum. antepe. de rescrip.

6 Sic igitur his stantibus, dicta assertio scandalosa est. Nam secundùm Doctores, vt etiam suprafuit dictum, illa assertio est scandalosa, aut piarum aurium offensiua, seu male sonans, quæ præbet occasionem cadendi in hæresim auditoribus, vt sunt multæ propositiones, de quibus fuerunt exempla posita, hæc enim assertio offendit pias aures audientium: qui illius conceptionem credunt immunem à peccato, cùm in omni parte mundi Ecclesia celebret festum Conceptionis, & ideo illius colunt festiuitatem; dat quidem hæc assertio Christi fidelibus occasionem cadendi, vt credant Ecclesiam Romanam omnium matrem errasse circa illius conceptionem, quæ ab eadem celebranda invngitur, pro qua etiam indulgentiæ conceduntur, nec est credendum, quòd in hoc erret Ecclesia.

7 Sicut piè censeant Doctores credendum, quòd Ecclesia non erret in canonizationem Sanctorũ, cùm in ipsa nõ possit esse error damnabilis, esset quidem error, si honoraretur tanquam Sanctus, qui mortuus est in peccato: quia aliqui scientes peccata eius, crederẽt hoc esse falsum; & si ita contingerit, posset ad errorem perduci, & sic est dicendum, Ecclesiam nõ errare in canonizatione Sanctorum, vt inquit Sanctus Thomas in quæstio 9. art. 16. Nam prout dicit Augustin. in cap. si ad scripturas 9. distin. Si in scriptura Canonica aliquod mẽdatium admittitur, mutabitur fides nostra, quæ ex scriptura Canonica dependet. Sic pari exemplo dicendum est de Ecclesia, quia si aliquid falsitatis in ea esset concedendum, authoritas eius diminueretur. Vnde S. Thomas in dicto articulo 16. dicit, quòd sicut tenemur credere illud, quòd est in Sacra Scriptura, ita illud, quod est communiter per Ecclesiam determinatum; hinc hæreticus iudicatur, qui sentit contra determinationem Conciliorum. Facit, cap. sicut 15. distin. commune ergo iudicium Ecclesiæ erroneum esse non potest, vnde magis est standum iudicio Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quàm in iudicio profert, quã quorumlibet sapientum hominum opinioni, & idem multis, & validis fundamentis prouat Cardin. Turrecremat. in dicto suo tractatu lib. 11. cap. 109. cum tribus sequentibus; & propter hoc non arbitror tenendã esse illam opinionem canonistarum tenentium Ecclesiam posse errare in canonizatione Sanctorum, quæ traditur in capite vnico de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & in capite venerabili de test. Et Petrus de Anchar. in tractat. de potestat. Papæ, quæst. 17. art. 4.

8 Et stante illo, concilio erronea propositio posset dici, quia erronea propositio dicitur secundùm Doctores, quæ asserit aliquod falsum. Vnde August. in lib. de Academicis dicit, quòd error, est falsi pro vero aprobatio, & quæ in Conciliis generalibus definiũtur, pro vero habentur, vt inquit Gregorius in dicto capite sicut his verbis: Sicut Sancti Euangelij libros, sic quatuor concilia susciperent, & venerari me fateor.

9 Nec obstat, quòd inquit Papa Sixtus in dicta extrauaganti, *Graue nimis*, quòd nondum fit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum, quia Papa ibi non loquitur, quod non sit decisa q. super Conceptione Virginis, hoc est, an sit concepta in peccato originali, vel nõ quinimo præsuponit Ecclesiam Romanam sic tenere, quòd non sit concepta eò, quia ibi dicit, ipsam celebrare festum de ipsa Conceptione, & quòd speciali, & proprium officium ordinauit, sed dicit non esse decissum ab ipsa Ecclesia Romana, an tenentes alteram partem incurrant hæresim, nec forsan inconuenit, vt aliquid tradat, vel tolleret Ecclesia, & contrarium tenentes nõ sint hæretici censendi: quia vt dicit Ioannes de Gerso, in 1. parte, tit. de veritatibus credendis, quòd non omnia, quæ tradit, vel tollerat Ecclesia publicæ legenda, sunt de necessitate salutis, sed dumtaxat illa, quæ sub diffinitione iudiciali tradit esse credenda, vel opposita reprobanda concurrenti vniuersali Ecclesiæ consensu, vide omnino Guidonem Episcopum Maiorigensem in suo tractatu fol. 193. & ita cùm hoc non sit ab Ecclesia, vel in Basilien. Consilio, vel alibi decisum, vt tenentes contrarium sint hæretici censendi, ideo Papa Sixtus dicit: nondum esse decisum, an tenentes contrarium sint hæretici iudicandi, & hæc est mens dictæ extrauagantis, quæ non aliò edita fuit nisi ad imponẽdum silentium prædicatoribus Verbi diuini, ne ad inuicem se appellitarent hæreticos, ad tollenda non leuia scandala in mentibus fidelium exorta, & maiora, quæ in dies exoriri sperabantur, vt ibi dicitur.

Nam

10 Nam si Ecclesia ipsa Romana non teneret hanc sententiam, quòd Virgo MARIA fuit immunis ab originali peccato ad quid de ipsa Conceptionis festum celebraret, & officium celebre contineret celebrãdum ab omnibus iuberet, & celebrantibus indulgentias, siue expiationes peccatorum concederet? & in hoc vim facit Papa in dicta extrauaganti. Si enim contrariam sententiam teneremus, incideremus in ea: quæ dicta sunt de canonizatione Sanctorum: cùm igitur ad Papam, Sedemque Apostolicam pertineat diffinire similes, & maiores quæstiones, vt supra dixi, per cap. maiores de Baptismo cap. quotiens 24. quæst. 1. & cap. huic sedi 27. distin. eiusque erit. aliorum emendare errores, cap. qui alios de hæretic. & cap. errat. 43. distin. cui incumbit maior zelus Christi anæ Religionis, cap. officij 4. q. 1. non profecto approbasset hoc Festum Immaculatæ Conceptionis, concedens indulgentias peccatorum, visitantibus Capellas huius Sanctissimæ Conceptionis, ac illis, qui intererint horis diurnis, pariterque nocturnis dicti officij, si aliquis error esset in articulo huius venerandæ Conceptionis Virginis MARIÆ: non enim hoc est ex alio, nisi quia approbauit hanc veritatem, imò elucidauit.

11 Et dicit Antonius de Butri, in cap. Conquæstus de ferijs audio Ecclesiam hodie approbasse opinionem Minorum, & illud sequendum, quòd non fuit concepta in originali peccato, idem tenet ibi Abbas Sicu, & Andreæ Sicu, & in Clement. 1. de Summa Trinitate colum. 5. Versi. *vtrum autem*, & dicit Cardiflo in dicto capite Conquæstus, quòd festum Conceptionis communiter celebratur ab omnibus Ecclesijs, & ita debet obseruari, vt ipsa Virgo Beatissima ab omnibus honoretur, in quantum fieri potest; vnde hæc assertio tenens, quòd ipsa Domina est concepta in peccato originali, est scandalosa.

12 Et ideo Vniuersitas Parisiensis, Theologię veritatis mater in libello contra Assertiones Luteranas ceasuit, illam assertionem esse falsam ignoranter, & impiè contra honorem Immaculatæ Virginis assertam. Tandem assertionem piarum aurium offensiuam appellat Andreas Siculus in dicta Clemen. prima, & ideo non sine ratione in Vniuersitate Parisiensi, & in alijs, quando quis creatur Doctor in Theogia, aut Bacchalarius iurat, quôd docebit, & deffendet, quôd Virgo Christiphera fuit concepta sine peccato originali, vt etiam refert Ioannis Maior in dicta distinctione tertia.

## SAMMARIVM SVPER DECIMASEPTIMA QUÆSTIONE.

1 *Assertio quòd Virgo MARIA non sit in corpore in cœlesti Paradiso, est male sonans, & piarum aurium offensiua.*

2 *Donationem Constantini factam non esse Ecclesiæ asserens, non est procul ab hæresi.*

3 *Sermo D. Hieronymi non debere legi in matutinis de Assumptione Virginis.*

## DECIMASEPTIMA QVÆSTIO.

DEcimoseptimò quæro. An assertio, quòd Virgo MARIA non sit in corpore assumpta in cœlesti Paradiso, sit hodie scandalosa, & piarum aurium offensiua, & malè sonans. Et dicitur, quòd sic, ratione generalis consuetudinis Ecclesiæ, quæ celebrat Assumptionem corporis, & animæ in cœlum, prout sic fuisse probat Aug. in suo sermone de Assumptione, incipiente. Quia profundissimè, & in alio sermone, incipiente. Adest nobis, dilectissimi, & probatur in cap. Alma mater, §. in festiuitatibus, de feutent. excommun. libr. 6. & in capit. pronuntiandum, in verbo. assumpt. de consecr. dist. 3. in his enim, & si nihil certi statueret diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum tenenda sunt, cap. in his rebus 11. dist. & in re dubia ad fidem, & certitudinem præualeret authoritas Ecclesiæ Catholicæ, cap. palam. 11. dist. & vbi lex deficeret, ad consuetudinem loci esset recurrendum, cap. de quibus, iuncta Glos. 20. dist. & ideo consuetudo in his solemnitatibus Assumptionis Virginis MARIÆ spectanda est. Vnde inquit S. Thom Quolib. 2. q. 7. quod magis debet seruari consuetudo Ecclesiæ, quàm authoritas Augustini, vel Hieronymi, aut cuiuscumque alterius Doctoris. Et dicebat Hostiens. in cap. ne innitaris, de consti. quôd opinio communis, & approbata habet, quòd corpus Virginis fuit assumptum in cœlum, dicens ita tenere Augustinum: Hieronymum verò non sic aperte locutum esse; imò dicit, quòd nulla scriptura apertè deponit de eius Assumptione corporali, vt in epistola ad Paulam, & Eustochium. Bal. verò in d. cap. ne innitaris, inquit, quòd hodie proximum est hæresi tenere, quòd non sit assumptum eius corpus: quia solemnissimum festum fit de Assumptione Virginis, cuius corpus, & animam piè credunt esse in Paradiso cœlesti.

1

2 Facit etiam ad hoc, quòd hodie tenere, quòd donatio Constantini facta Ecclesiæ non valuerit, non est procul ab hæresi, inspecto præsertim, quòd in extrauaganti Bonifacij incipienti vnam sanctam, continetur, vt scribit Abbas in cons. 84. videtur primô, col. 2. lib. 1. Et grauius esset dicere, nunquàm fuisse dictam donationem factam à Constantino Imperatore Ecclesiæ, quôd est contra tex. in cap. fundamenta Ecclesiæ, §. ne autem ipsa, de elect. lib. 6. & ad rationes temerarias, & infructuosas, quas facit Laurentius Valla in suo tract. de donatione Constantini, latè, & efficaciter respondit Card. Alexand. in cap. Constantinus 96. distin.

3 Valde miror, quòd in lectionibus matutinalis

nalis officij de Assumptione Virginis MARIÆ legatur hodie sermo B. Hieronymi, cùm sit oppositum in obiecto. Nam Ecclesia tenet assumptam esse cum corpore in cœlum, & in dictis lectionibus de hoc dubitatur: & ideo conuenientior esset sermo B. Augustini, qui hanc veritatem affirmat animosè, & defendit. Nec debet reprehensibile iudicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, præsertim cùm vrgens, vel euidens vtilitas hoc expostulet, cap non debet, de consangui. & affi. cap. sciendum 19. dist. cap. erit autem, dist 4. cap. quod ignoret. 22. q. 4. Et pro hoc facit tex. cap. fin. 24. dist. vbi dicit, quòd sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione diuelli: ita multa sunt, quæ aut necessitate temporum, aut per considerationem ætatum oportet temperari: illa semper consideratione seruata, vt in his, quæ vel dubia sunt, vel obscura, id nouerimus sequendum, quòd decretis Apostolicis non inueniatur aduersum.

## SVMMARRIVM SVPER decimaoctaua quæstione.

1 *MARIA Virgo non fuit mortua, sed quòd viua fuit translata ad cœlestem Paradisum argumentatur. Et die vltima iudicij finalis qui fuerint viui, an ante morientur.*
2 *MARIAM Virginem mortuam fuisse probatur authoritatibus Doctorum authenticorum.*
3 *Virginem MARIAM non esse mortuam dicere scandalosum est, & sapiens hæresim: & ibi traditur quid est dicere, sapere hæresim.*
4 *Resurrectionem generalem negare est hæreticum.*
5 *Veritates Catholicæ non sunt in dubium reuocandæ.*
6 *Assertio sapiens hæresim generalis est.*
7 *Morituri sunt omnes, etiam Enoch, qui est in Paradiso terrestri.*
8 *Responsio ad contraria, quòd Virgo MARIA fuit mortua.*
9 *Mala veniunt bonis, & malis bona non sine causa.*
10 *Reipublicæ vtilitas est, vt quis aliquando suo iure priuetur.*
11 *Punitur quis sine culpa in pluribus casibus.*
12 *Punitur nullus absque culpa præcedente, nisi propter manifestationem gloriæ Dei, vt in cæco nato dixit Christus.*
13 *Pœna non debet tenere nisi suos authores de æquitate canonica, sed fallit.*
14 *Pœna priuatiua non autem positiua quis punitur pro culpa alterius.*
15 *Pœna positiua aliquando quis punitur ob vtilitatem Reipublicæ.*
16 *Pœna positiua aliquando Deus punit aliquos temporaliter.*
17 *MARIA Virgo mortua fuit vt conformaretur capiti Christo filio eius.*
18 *Adam an fuisset moriturus si non peccasset*
19 *MARIA Virgo mortua fuit.*
20 *Morientur illi qui viui reperientur in die vniuersalis iudicij.*
21 *Exceptio non extenditur, nec ampliat regulam in non exceptuatis.*
22 *MARIA Virgo, & Christus mortui fuerunt.*

## DECIMAOCTAVA QVÆSTIO.

DEcimooctauo quæro, vtrum sapiat hæresim dicere, quòd Virgo MARIA Deique Genitrix non subierit mortem temporalem, sed quòd viua trãslata fuerit ad cœlestem Paradisum. Et prima facie videtur dicẽdũ, quòd hæc assertio sit vera, quòd Virgo MARIA nõ fuit mortua: quia nõ videtur repugnare articulo fidei, quòd omnes morturi sunt, & quòd omnes sunt resurrecturi. Dicere etiam, quòd aliquis non morietur, & consequenter non resurget, cùm aliqui excipiantur ab huiusmodi generali statuto, vt sunt illi qui in die vniuersalis iudicij viui reperientur, quia non morientur; & consequenter nõ resurgent (nam resurrectio est reparatio de morte ad vitam) vt latius statim dicam, quòd videtur probari, 1. ad Cor. 15. Vbi secundùm aliquos in tex. dicit: *Non omnes quidem moriemur, sed omnes immutabimur.* Quòd intelligitur, quia quorũdã opinio fuit, quòd non omnes homines moriẽtur, sed quòd aliqui in aduẽtu Christi ad iudicium venient viui, & isti nõ morientur, sed isti immutabũtur in statum incorruptionis: & propter hoc dicunt, quòd ille tex. Pau. dicit. *Non omnes quidem dormiemus*, ideſt, moriemur; *sed omnes immutabimur*, tàm boni, quàm mali, & tàm viui quàm mortui. Vnde secũdùm hoc immutatio non intelligitur de statu animalitatis ad statũ spiritualitatis, sed de statu corruptionis ad statum incorruptionis, & hæc litera, nõ òmnes moriemur, non est contra fidem, vt dicit ibi S. Thom. Nam S. Hieron. ad Marcellam de quinque quæstionibus scribens, inquit, sanctos qui in fine mundi inuenientur, non morituros, sed viuos assumendos: & ad hoc videtur Aug. citare Hieron. dum inquit in lib. de Eccl. Dogma. c. 7. quòd sicut aliqui æquè Catholici, & eruditi viri, qui credunt anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem, & immortalitatem eos, qui in aduentu Domini viui inueniendi sunt, & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponent, non morte. Et licet secundùm Hieronymum ad Minerium, ille textus apud Græcos bifariam legatur, hoc est: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.* Et eo modo quo habet vulgata editio, scilicet, *omnes quidem resurgemus*: tamen Hylarius, & Chrysostomus, primo modo legunt, vt sit sensus. Non omnes morituros, omnes

1. *Cor.* 15

nes tamen immutandos esse: & cum eo quòd Græci legunt, consentire videntur ea, quæ D. Paulus scribit 1. ad Thes. 4. inquiens. *Si enim credimus, quòd IESVS mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per IESVM adducet cũ eo. Hoc enim vobis dicimus in Verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu, & voce Archangeli descẽdet de cœlo; & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Et sic hæc opinio, ex quo verba Sacræ Scripturæ possunt saluari, non est statim, vt hæretica iudicanda, sicut nec contraria. Ita concludit Dominus Guido Carmelita, Episcopus Maioricen. in dicto tract. de hæresibus, charta. 191. in cap. incipiente. Vir quidam doctus, & excellens. Vnde ex his non videtur dicta assertio iudicanda hæresim sapiens, cùm non contrarietur articulo de vniuersali resurrectione, nec dictis Pauli attestantis, quòd omnes morituri sint, cùm omnes non morturi sint, & consequenter non resurrecturi, vt patet in his, qui reperientur viui in die vniuersalis iudicij: & sufficit hanc dare instantiam, vt dicit Glos. in cap. sicut vrgeri 1. quæst. 1. & scribitur per moder. in l. si creditori, ff. de operi no. nunti.

2 ¶ Sed in contrarium est authoritas Ecclesiæ, quæ concinit in die gloriosissimæ Assumptionis sequentem collectam. Veneranda nobis Domine huius diei festiuitas opem conferat salutaré, in qua sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatũ, &c. Quæ collecta edita fuit à D. Gregorio, vt attestatur Gabriel in secũdo sermone de Assumptione Virginis, in qua manifestè patet Ecclesiam tenere ipsam Dominam Virginem Deique Genitricem mortuam fuisse, & hoc tenent omnes Catholici tractatores, nullo discrepate, quos ego viderim: & Aug in serm. 2. de Assumptione, incipien. Quia profundissimè, inquit. Memores conditionis humanæ mortem illam, scilicet, temporalem, Virginẽ MARIAM subijsse, non metuimus dicere, quam idem eius filius, qui Deus, & homo lege sortis humanæ sustinuit: & hoc quia homo de eius susceptus, & profussus est vtero. Et Hieronymus ad Eustochium dicebat. Cnm profecto nihil constet, nisi quod hodierna die gloriosa migrauit à corpore. Idem quoque testatur Damascenus in duobus sermonibus, & Dion. in lib. de diui. nom. p. 2. c. 1. in quit, B. Paulum Apostolum interfuisse, dum ipsa Domina mortua fuit. Est ergo cõclusio, quòd Virgo MARIA, & realiter mortua fuit, & sic generaliter tenetur in vniuerso mũdo sine cõtradictore, prout in Ecclesijs in die suæ Assumptionis gloriosæ repræsentat Ecclesia, & sic est tenendum: quia vt inquit S. Aug. in lib. ad inquisitiones Ianuarij, & habetur in cap. illa autem 12. distin. Illa quæ nõ scripta, sed tradita sunt custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenarijs Concilijs (quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas) commendata atque statuta retineri, sicut id, quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio, aduentus Spiritus Sancti anniuersaria solemnitate celebrentur; & si quid aliud tale occurrerit, quòd seruetur ab vniuersis, quocumque se extendit Ecclesia. Idem scribitur in cap. illud, ea, dist. & in cap. cum Marthæ, de celebr. Missa. ¶ Vnde hæc 3
assertio, quòd ipsa Domina non fuit mortua, non solum est scandalosa, sed etiam sapiens hæresim. Nam illa propositio secundùm Dores sapit hæresim, quæ asserit dogma peruersum; ex quo cum notorio verò, quòd negari non potest, sequitur hæresis propriè dicta, vt puta, hæc propositio. Omnis homo existens Romæ est in peccato mortali, potest dici sapere hæresim: quia ex ea cum aliquo vero assumpto, videlicet, quòd infans nouiter baptizatus est homo existens Romæ, sequitur, quòd infans nouiter baptizatus sit in peccato mortali, quòd est hæreticum. Nam in baptismo omnis homo, siue paruulus, siue magnus moritur peccato, vt testatur Aug. in Enchir. & habetur in c. à paruulo, de conse. dist. 4. inquiens. A paruulo recenter nato vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est, qui nõ peccato moriatur in baptismo. Idem dicitur in c. regenerante, ea. dist. & Card. scribit in d. tracta 2. p. lib. 3. c. 10. dixi supra in hac p. q. 6. & idem in effectu definit Ioan. Mairo. in 3. sent. dist. 37. q. 2. inquiens, quòd propriè sapiens hæresim est, ex eius concessione, assumpto aliquo, quod non potest rationabiliter negari, sequitur in fide hæresis, & ibi exemplificat. Sic igitur in proposito est dicere Virginem MARIAM non esse mortuam, est negare vniuersalem resurrectionem, sed hoc negare est hæreticum. ¶ Primũ patet vt in symbolo Athanasij. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, &c. Et qui omnẽ dicit, nullum excludit, l. Iulianus, ff. de lega. 3. c. si Romanorum 13. dist. Sed resurgere nemo potest, nisi prius moriatur, vt inquit Damascen. in 4. lib. Resurrectio est eius quod cecidit per mortẽ perfecta reparatio: & S. Thom. in 3. part. quæst. 54. art. 3. inquit. Resurrectio est reparatio à morte in vitam Pau. 1. ad Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus*, 2. Regum 14. *Omnes morimur*: Et Eccles. 8. *Omnes in corruptione sumus*. 4 1. Cor. 15 2. Re. 14. Eccles. 8.

5 ¶ Secundum manifestè patet, quia contra dicit veritati Catholicæ primi generis in proprijs terminis: quia in præfato symbolo, & alijs authoritatibus Sacræ Scripturæ confitemur vniuersalem Resurrectionem, quæ est veritas Catholica primi generis in Canone Sacræ Scripturæ contenta. Nam prout tradunt Doctores, veritas Catholica primi gradus, seu generis ex septem, est illa quæ in Canone Sacræ Scripturæ Veteris, seu Noui testamenti in propria verborum forma continetur, vt supra dixi in quæstione quinta: & distinguitur secundùm tria genera credibilium, & principaliùs numerandum est genus credibilium eorum, quæ antea creduntur, quã intelligantur, vt Isai. 7. secundùm translationem 70. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

*Isai. 7.* Eiusmodi sunt, quæ ad articulos fidei pertinent, ex quibus principaliter fides nostra de-

6 pẽdet. ¶ Quod autem huiusmodi veritates in Sacra Scriptura formaliter cõtentæ sint Catholicæ, manifestum est, cùm de veritate Sacræ Scripturæ nullatenus dubitandum sit. Vnde Augustin. in lib. de vnico baptismo, & in cap. quis nesciat 9 dist. inquit. Quis nesciat Sacram Scripturam Canonicam tam, veteris, quã noui testamenti certis terminis contineri, eamque posteris omnium Episcoporum literis, ita proponi, vt de illa omnino dubitari, vel disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit quicquid in ea scriptum cõstiterit? Inde stante hac veritate Catholica vniuersalis omnium mortis, & carnis resurrectionis, sequitur manifestè, quòd dicere ipsam Dominam Virginem Deique Genitricem non fuisse mortuam, & sic viam vniuersæ carnis non fuisse ingressam, sapit hæresim, & præbet scandalum Christi fidelibus incidendi in hæresim propriè dictam ex Theorica supra tradita cognoscendi assertionem hæresim sapientem, quia non esset verum omnes morituros, & omnes resurrecturos, quæ faciunt ad declarationem eorum, quæ scribuntur in cap. accusatus, §. sane, de hær. lib. 6.

7 ¶ Licet alium modum cognoscendi aliquid sapiens hæresim manifestè tradant aliqui, hoc est, quando attribuitur aliquid creaturæ, quod est creatoris, vt si quis inuocet Dæmonem ad sciendum futura, vel crederet speciem hominis posse mutari in speciem bellue à Dæmone, vt in cap. Episcopi, & cap. mirũ 26. quæst. 5. prout latè scribit dom. de sancto Gem. in cons. 54. quidam Sacerdos, & dicam infra quæst. 22. ¶ Sic igitur fides nostra ha-

8 bet, quòd omnes morituri sumus, & resurrecturi, etiam *Enoch*, qui translatus est ad Paradisum terrestrem; vt dicunt tractatores Ca-

*Genes. 5.* tholici, Genes. 5. & *Elias* etiã raptus in eum-

*4. Reg. 2.* dem Paradisum 4 Reg. 2. vbi secundùm Hugo Card. alimonia Spiritu sancti, vel fructu vitæ sustentantur, inde ambo exituri ad præ-

A dicandum contra perfidiam Antichristi morientur, nam ab eo occidentur: quia sententia, quam Dominus primis parentibus inflixit. *In quocumque die comederis.* Genes. 2. *Genes. 2.*
in omnes, quocumque modo nascantur ex Adam, permeabit, etiam in Christo. Psal. 88. *Psal. 88.*
*Quis est homo, qui viuet, & nõ videbit mortẽ?* verba sunt S. Th. ad Hebr. 11. lect. 2. Conueniẽs, enim decensque fuit ad multas extirpandas hæreses, ipsam gloriosam Virginem mortem subijsse temporalem, prout late explicat Bernard. de Bustis in suo Mari. 2. part. serm. 1, quarta part. Non obstat, quòd Virgo non habuit peccatum, ergo non debuit mori: quia vt dicit Hostiens. in cap. cognoscentes, de const. Qui caruit culpa, careat me iudice pœna, de quo in cap. sine culpa, de reg. iur.

B lib. 6. tunc dicitur Deut. 25 *Pro mensura delicti erit, & plagarum modus*: propterea dicitur, quòd quicumque stultus est in culpa, erit sapiens in pœna, C. quia ea 38. dist. & quòd pœna sequi debeat suos Authores, & cet. Ad hæc dico, quòd hoc nõ sequitur, & sufficit dare instantiam, c. sicut vrgeri, 1. q. 1. l. si creditori, ff. de oper. nou. nunc. Nam non semper Deus infert pœnam pro culpa: quia infortunia, quæ in hoc mundo accidunt, communia sunt bonis, & malis. Rationem annectit Aug. de ciuit. Dei lib. 1. cap. 8. & quamuis Hieron. dicat. Quicquid patimur, peccata nostra meruerunt; hoc tamen generaliter dictum est de merito actualis, vel originalis culpæ præce-

C dente, vel in persona, vel in natura: sic Iob grauissimè punitus fuit, vt frequenter inquit B. Gregor. in suo lib. Mor. & in epist. super Iob cap. 10. Quinimo, inquit Nic. de Lyra in præ 9
fatione super lib. Iob in fin. quòd aliquãdo in præsenti malis eueniunt, bona, & iustis aduersa, secundum ordinem diuinæ prouidentiæ, vt patet in discursu illius libri: inde est, quòd pœna sequitur culpam, non eius, qui punitur, sed illius pro quo ille, qui pœnas patitur, satisfacit; & ita fuit in Christo patiente mortem, vt exponunt Catholici Doct. super Psal. 21. ibi. *Longe à salute mea verba delictorum* *Psal. 21.*
*meorum*, inter quos dicit Augustin. Quorum delictorum? de quo dictum est. *Qui peccatũ*

D *non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quomodo ergo dicit, delictorum meorum nihil, quia pro delictis nostris precatur, & delicta nostra sua fecit, vt iustitiam suam nostram iniustitiam faceret? inde dicebat Isai. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum*. Non *Isai. 53.*
est ergo in conuenies, quòd quis puniatur sine culpa, non tamen sine causa, vt dicit Glos. in antiq. de priuil. cap. cognoscentes de const. Facit cap. quoniam frequenter, §. si vero aliter, in fin. ibi, sine culpa, sed non sine causa, vt lite non contestat. Glos. in cap. reuocantes, 22. dist. Hinc est, quòd propter vtilitatem pu- 10
blicã quis suo iure sine culpa priuatur, l. item

si

si verberatum, ff. de rei vendi. l. Lucius, ff. de euictio. & valet statutum, quòd vnus pro alio teneatur, secundùm communem opinionem Bar. & aliorum in l. iure prouisum, C. de fabricen. lib. 11 l. sancimus, vbi Bal. C. de pœnis, And. Siculus, & Decius in d. c. cognoscentes. Alexan. de Imo. in l. sæpè, col. 4. ff. de re iud. l. de quibus, ff. de legib. Ang. Aret. & d. Ias. in §. actiones, inst. de actio. prout in casu notabili censent Doct. vt consanguinei teneantur pro alijs consanguineis delinquentibus, vt scribit Petrus de Anch. in c. 1. col. 8. ver. Quæro. Etiam scriptum est de const. de quo Sicul. & alij mentionem faciunt in d. c. cognoscentes, Feli. in c. ius generale, 1. dist. col. fin. Decius in cons. 64. di-
11 ligenter, & pro viribus, col. 2. In pluribus enim casibus Deus puniuit alios ob aliorum culpam, vt paruulos Sodomitarũ, quos non excusauit ignorantia, quãdo pro paterno scelere cœlesti igne consumerentur. Hunc & alios casus scribunt Doct. in c. Ecclesia. 1. q. Facit, c. felicis, §. fin. ff. de pœnis, lib. 6. c. mulier. 15. q. 1. Hinc propter communitatis delictum ciuitas priuatur dignitate Pontificali, prout ibi scribunt Io. And. & alij Moder. etiam in l. ciuitas, ff. si cer. pet. Fran. de Aret. in cons. 165. sicut Ioan. dicit: sic filius pro patre punitur aliquando, cap. ad aures, de pœnis, c. vergentis, de hæret. Saly. in d. l. sancimus, & in l. quisquis, C. ad l. Iul. maiest. c. statutum, de hæret. lib. 6. pro his facit dictum Valer. Max. de neglecta religione, c. 4. inquientis, Dionysium sacrilegum, Deosque contemnente, nõ fuisse punitum à Dijs, sed puniti fuerunt eius filij propter delictum patris. Facit, c. ad succidendos, de schisma. lib. 6. Sic ergo quando nulla culpa præ-
12 cedit patris, vel matris, nullus sine culpa punitur, nisi vt manifestetur gloria Dei nostri, vt in Cæco nato, & sic si primi parentes non peccassent, non fuissent mortui ipsi, nec posteri, sed translati fuissent ad paradysum cœlestem, vt dicit Aug. Sed quia culpa præcessit, non est inconuenientis ex edicto Dei alios inculpabiles puniri, sic enim quis punitur propter culpã ab alijs cõmissam, l. milites, §. de cen. ff. de noxali. vt inquit Bal. in d. c. cognoscentes. Vnde licet de æquitate pœna non debeat tenere nisi suos authores, vt in d. c. quæsisti, & d. l. sancimus: tamen contra hanc æquitatem sæpè iuris rigor ex causa statuit, vt dicit glos. in dic. cap. ius generale, dist. 1. Innoc. in cap. grauem, de sent. excom. Oldra. in cons. 66. an ex delicto administratorum. Dy. in cap. non debet, de reg. iur. lib. 6. Abb. & Ioan. de Ana. in c. vergentis, de hæret. Hinc sunt plures casus, in quibus filius punitur pro patre, quos scribit Archi. in cap. qui bona, col. pen. vers. sed fallit regu-
14 la. 17. q. 1. Car. Alex. in cap. fatis 56. dist. Et

A vt aliquis pro alio puniatur, & filius pro patre, faciliter procedit in pœna damni prout iura desuper allegata militant: quia secundùm Alex. de Ales, versus habetur, quis pœna damni punitur? Paupertas, odium, fauor, vitium, scelus. Ordo, personas spoliãt, & loca iure suo. Quem citat Car. de Turre Cre. in d. cap. ius generale, & gl. in d. cap. cognoscẽtes, & dic. cap. antiqua. Sed vt quis puniatur pœna positiua, seu corporis afflictiua pro alio sine culpa, etiã concurrente causa, iudicium humanum non dictat, vt notat. Bal. in rub. C. res inter alios, col. 1. vers. item nota per consuetudinem. Bal. in l. 1. col. 1. vers. 2. reuoco. C. ne filius pro patre, tradit Alex. in
B d. l. sæpè, col. 4. ver. ex qua ratione cũ alijs, vt scribit Sicul. in dic. c. cognoscẽtes, col. 3. & fundant se in gl. in verbo supplicium, in c. hom. 23. q. 5. quia inquit, quòd quis non potest se obligare ad pœnam corporalem pro alio: de qua meminit Cepo. in l. si fugitiui, col. 10 C. de seruit. fugi. Bal. in l. Iulianus 2. lectu. in fin. ff. qui sat. sista. coga. quod firmat S. Thom. in 2. 2. q. 108. art. 4. quòd nũquam secundùm humanum iudicium aliquis debet puniri sine culpa pœna flagelli, vt occidatur, mutiletur, vel verberetur: pœna autem damni punitur aliquis etiam secũdum humanum iudicium sine culpa, sed non sine causa, vt est proximè dictum. Verum est tamen, quòd nõ- 15
numquam consuetudine, vel statuto introducitur, vt quis sine culpa, non tamen sine C causa puniatur, etiam pœna afflictiua pro delicto alterius, vt in repub. tutiùs viuatur, & à delictis abstineatur, prout in casu decreti Mediol. consuluit Dec. in d. cons. 64. & in alio casu Ang. de Peru. in cons. 63. nobilis miles, ad Iason. in l. siquis, in suo §. legis, C. de inoffic. test. Bar. in d. l. iure permissum, & ibi Io. de Plate. C. de fabricen. lib. 11. Petrus de Anch. in d. c. 1. & latè moderni in d. c. cognoscentes, & Fely. in d. c. 1. ius generale. Sed quicquid in hoc vltimo casu esset di- 16
cendum de iure humano, prouidentia tamen diuina nonnumquam aliquos punit temporaliter pœna afflictiua mortis corporalis. nõ D autem æternæ, cùm sciat quid vnicuique cõueniat. Glos. est notabilis in verbo secuta, in authent. vt omnes obediant iud. in princ. col. 5. iuncto illo text. quam allegat Sicul. in d. c. cognoscentes, col. 4. & Ang. de Peru. in d. cons. col. fin. & Innoc. in d. c. grauẽ, * inquit, quòd vnus pro alio punitur à Deo corporaliter, qui nouit abscondita præsentia, & futura. Idem S. Thom. in d. art. & latè habetur in d. c. Ecclesia. pro quibus facit illud Hierem. 31. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Facit. cap. nisi cum pridem, §. pro graui quo- *Hier. 31.*
que scandalo, de renunt. Sic igitur conue- 17
niens fuit Beatam Virginem MARIAM

mo-

mori, præallegati Doctor. censent, & vt etiã se conformaret cum filio suo: quia membra caput sequuntur, l. cum in diuersis, ff. de religio. & sumptibus funerum: Christus autẽ
Coloss. 1. *caput est totius Ecclesiæ.* Pau. ad Coloss. 1. Facit, quia si id de quo minus videtur inesse, inest; & id de quo magis, vt dicit glos. in c. cum in iunctis, de elect. 10. sed cum de Christo
1. Pet. 2. dicat Scriptura, *quod peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* 1. Petr. 2. nec ab Adam descendat per lineam seminalem, sed virtute Spiritus sancti eius sanctissimum corpus ex purissimis sanguinibus Virginis in eius vtero formatum fuerit, vt inquit Damasc. lib. 3. cap. 38. & cantet Ecclesia, non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum caro factum est, sicque ex
Luc. 1. ipsa generatione nulli fuerit obnoxius peccato, iuxta illud, Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi*, & tic de eius morte magis erat dubitandum, an fuisset mortuus, si non fuisset crucifixus, quã de morte ipsius genitricis MARIÆ: quia de Christo dicit August. in lib. 2. de baptismo paruulorum, cap. 29. quòd si Christus non fuisset occisus, mortuus tamen fuisset, & senio defecisset, quem citat Scot. in 3. dist. 16. q. 2. & ibi S. Thom. dist. 16. art. 2. & moderniores sequuntur, & glos. hoc expresse dicit, quam omnes referunt in Clem. 1. in verbo, passibilem, de summa Tri. Hoc tamen non fuisset ex necessitate suæ conditionis, quia à peccato immunis, sed ex sua voluntate, de nostra infirmitate ponens tabernaculum suum in sole, scilicet, sub temporali mutabilitate, & labore, vt inquit Mag. Sent. lib. 3 dist. 16 cap. 1. & ibi vltra alios hoc dicit S. Bonau. q. 3. Conueniens ergo fuit, vt ipsa Dei genitrix moreretur secundùm legem mortis communem, à qua non apparet excepta, sicut & Christus mortuus fuisset, cum membra à capite non liceat discedere, cap. cum non liceat, de præscript. Vnde dicit S. Thom. in 3. par. q. 27. art. 3. ad pri. quòd Virgo MARIA, vt filio conformaretur, non fuit liberata à morte, & alijs pœnalitatibus: & S. Benau. in 3. dist. inquit: quòd non fuit decens filium Dei habere matrem immortalem, cùm ipse esset
18 mortalis. Mors enim prouenit in primos parentes propter peccatum, vt in authoritatibus supra allegatis: & idem dicit Pau. ad Ro-
Rom. 8. man. 8. *Quòd corpus mortuum est propter peccatum*; quinimo si quis diceret, Adam primum hominem factum ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema esset, vt dicit text. in cap. placuit, de conf. dist. 4. & illud dictum, quòd communiter Augustino attribuitur, quòd si Adam non peccasset, senio defecisset, intelligitur, idest, in senio defecisset, quasi dicat, non peruenisset ad senio: quia semper fuisset in iuuentute, vt ibi dicit glos. quam ibi Car. sequitur, & alibi dicebat August. de baptismo paruulorum, lib. 1. cap. 2. Proinde si non peccasset Adam, non erat spoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate, & in corruptione, vt absoruere-tur mortale à vita, idest, ab animali ad spirituale transire, & clarius hæc declarando dicebat Arch. in dict. cap. placuit, quòd primus homo ante peccatum factus fuit mortalis, & immortalis: mortalis secundùm corpus, quia mori poterat: immortalis, quia poterat non mori; eius tamen mortalitas non erat necessitas moriendi, sed possibilitas moriendi. Similiter eius immortalitas non erat impossibilitas moriendi, sed possibilitas moriendi: sed post peccatum factus est mortalis, idest, necessitati moriendi subiectus: in alia verò vita est immortalis, idest, potens nõ mori, & ita primus homo comedendo de ligno vetito, peccauit. Vnde licèt ipsa Domina 19
Virgo MARIA decorata fuerit multis, & inenarrabilibus gratijs, & beneficijs, ex quo non reperitur priuilegiata in hoc, & ab hac regula excepta, quòd mori non debuerit, nec de hoc habemus testes à sacra Scriptura, vel Doctoribus authenticis, nec ab Ecclesia; sequitur, quòd in lege generali de morte debuit comprehendi: quinimò videmus vbique in die suæ glorioſæ Assumptionis in Ecclesijs repræsentari eius mortem, quando defertur illius imago, in qua eius mors designatur, qua transiuit de hoc mundo cum eius resurrectione, & corporis, & animæ triumphantis assumptione in cœlestia regna, prout attestatur consuetudo: & Ecclesiæ tractatores vnanimiter scribunt, quorum paulò ante meminimus: & ab hoc non est recedendum, nisi Deus aliter reuelaret, cuius contrarium asserere scandalosum, & temerarium est, & hæresim sapiens: & hæ nouitates plerumque pariunt discordiam, cap. cum consuetudines, de consuetudine. Nec obstat, quòd illi, qui 20
reperientur viui in die vniuersalis iudicij, non morientur, secundùm aliquorum opinionem; quia ad hoc dicendum est, secundùm S. Thom. 1. ad Cor. 15. lect. 8. quòd Ecclesia magis acceptat aliam literam, quod omnes moriemur, siue omnes resurgemus; quia omnes morientur, etiamsi sint tunc aliqui viui, quod ibi tenet glos. interlinearis, dicens: Omnes resurgemus tam boni, quã mali; quia etiam viui reperti Christo veniente morientur; & dicit idem S. Thom. in 1. 2. q. 81. art. 3. ad primum, quòd probabiliùs, & conuenientius tenetur, quòd omnes illi, qui in aduentu Domini reperientur, morientur, & post resurgent. Inde Richar. in 4. dist. 43. q. 5. inquit, quòd illa opinio, quod non moriẽ-

tur,

tur, videtur contra sacram Scripturam; quia
*Hebr. 9.* vt habetur ad Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori*; sed omnes obligantur ad statutum, qui non excipiuntur. Cū ergo Scriptura sacra nullum excipiat ab isto statuto, ergo omnes morientur. Ad illud Hieronymi respondet, quòd pro tanto Hieronymus dicit illos non morituros, quia raptim morientur, & statim resurgent: vel potest dici, Hieron. illius opinionis fuisse, nec tamen ex hoc hæresim incurrisse; quia (vt inquit August. in dict. lib. de Eccles. dogma.) quolibet quis acquiescat, hoc est, siue moriantur illi, siue rapiantur, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Nec obstat, quòd inquit
B Pau. 1. ad Thess. 4. Quia, vt ibi dicit S. Th. illi qui inuenientur viui tempore illo, quo Christus veniet ad iudicium, in illo momento temporis morientur, & statim resurgent: & ideo propter modicam interpollationem reputantur viuentes, & ita intelligitur authoritas Pauli, propter illud quod ipse dicit: *Omnes quidem resurgemus*, vt habet vulgata editio, cum qua etiam Græca concordat, quam tenet ibi S. Ambrosius. Et hanc opinionem approbat August. in 22. lib. de Ciuitat. Dei, cap. 20. quem refert Mag. in 4. dist. 43. cap. 5. Et licet sit altera editio aliud dicens, scilicet: *Omnes quidem non dormiemus* (nam vt dixi bifariam legitur apud Græcos) ipse tamen Hieron. præfert vulgatam
C editionem alteri. Præterea, esto, quòd illa opinio Hieron. esset verior, teneretur què à Catholicis tractatoribus, & sic, quod illi, qui reperientur viui, sint excepti ab illo statuto generali de morte, & resurrectione; dicendum est, quòd illa exceptio intelligenda esset in terminis, in quibus loquitur, hoc est, de illis qui in die illa reperientur, & non de illis
21 qui fuerunt multò ante illum diem. Inde dicimus, quòd exceptio non extendit, nec ampliat regulam in casibus non exceptis, præsertim quando exceptio procedit taxatiuè, vt notat Bal. in l. ita nobis, col. 1. C. de adulterijs, l. item videndum, §. fin. de pet. hæred. l. 1. §. sed excipiuntur, ff. de ferijs, & priuilegium aliquibus concessum, ad alias personas non extenditur, etiam ex identitate ra-
A tionis, ita quod in priuilegijs non procedit de similibus ad similia, sicut est in iure communi, vt notat Ant. de But. in cap. sane, de priuilegijs, scribit Bald. in l. 1. in princ. C. de legibus, dicens, quòd priuilegium non extenditur ad aliam personam, nec ad alium locum, quia est stricti iuris, notat Dom. in c. ne aliquid de hære. lib 6. Car. in cons. 135. puto filias, col. fin Bald. in l. non tantum, §. non omnia, ff. de excus. tuto. Ang. in cons. 262. Quoniam dictum priuilegium, & sic dicta exceptio, seu priuilegium, quod ponit Hieron. taxatiuè de illis, qui viui reperientur in dicta die, ad alios, qui fuerunt ante illum diem non est extendendum: & sic in pro
B posito, quia cùm Virgo MARIA fuerit longè ante aduentum Christi, in iudicium, in generali edicto mortis, & resurrectionis comprehensa fuit. Concludendo igitur di- 22
co, quòd ob redemptionem nostram mors Christi, & passio ex ordinatione diuina necessariæ erant, cùm sine ea parcere humano generi diuina iustitia nollet: ideo Christus corpus passibile, & mortale necessariò habere debuit: quia vt inquit August. lib. 8. de Tri. cap. 13. Diabolus iustitia superandus fuit, non potentia Dei, vt homines imitantes Christum, iustitia quærerent, diabolum vincere, non potentia. Intemerata itidem Virgo, cùm filium passibilem, & mortalem
C genitura esset, qui cum ea vna caro futurus erat, & ab impassibili, & immortali passibile, & mortale naturaliter procedere non posset, mortalis quoque fuit. Quare tam mater, quàm filius mortui sunt. Deinde ipsa Virgo immaculata, mox vt mortua est, resurrexit, & ad cœlum Empyreum assumpta in regni cœlestis solio sublimata, atque ad dexteram filij sedens in anima, in cœlum, & corpore regnat, vt inquit D. August. & propter ea
Psalmista ait, Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis: in vestitu de aurato*, vbi per vestimentum aureum gloria superna, atque ex- *Psal. 44.*
cellentissima corporis, quod animæ indu-
D mentum est, exprimitur, & hoc figuratum fuit in throno matris Salomonis Regis, quæ sedit ad dexteram eius, 3. Reg. 2. *3. Reg. 2.*

F. AR-

# F. ARNOLDVS CARNOTENSIS.

## NOTA.

*BEATI Bernardi quondam familiaris amicus, & discipulus venerabilis Arnoldus Carnotensis (quem Henricus de Gandauo vocat Ernaldum) Abbas Bonævallis, & ita communiter ab omnibus vocitatus, Ordinis Cistercienſis, vir fuit in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & vnde quaque eruditus, ſecularium quoque litterarum non ignarus: ingenio promptus, & eloquio clarus; nec minus conuerſatione, quam doctrina conſpicuus, qui claruit ad annum Incarnationis Dominicæ MCLX. vel ſecundùm alios ad annum MCXC. inter alia ſcripſit eruditam ſanè Orationem, ſeu Tractatum de Laudibus Virginis MARIÆ, quæ in Bibliotheca v. PP. editionis Pariſienſis, to. 6. & in editione 3. to. 1. Colonienſis, to 12. & in alijs paſim inuenies. Cætera de noſtro Arnoldo referunt Poſſeuinus, tom 1. Appar. fol. 119. Tritemius, fol mihi 88. Miræus, fol. 251. Arnoldus de Vuion, tom. 2. Arboris vitæ, fol. 77. Geſnerus, fol. 67. D. Antonius de Leon in ſua manuſcripta Bibliotheca B. V. Mariæ.*

## ARNOLDI CARNOTENSIS, ABBATIS BONÆVALLIS;

de Laudibus ſanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Chriſti MARIÆ; Tractatus.

SI linguis hominum loquar, & Angelorum; nihil dignè, nihil propriè, de ſanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Chriſti MARIÆ gloria eloqui potero; quia verè in laudibus eius modulandis non inuenitur conueniens organum, & hebes eſt cuiuſcumque ſubtilitatis ingenium. Cùm enim debitæ veneration is ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cuius plenitudine roratam eſt deſuper quod
*Luc. 1.* MARIA prædicatur *gratia plena*, manifeſtum eſt indiuiduam eſſe Matris, & filij gloriam; & commune eſſe vtriuſque præconium, cuius definitio omnem ſuperat intellectum: quia etſi illud antiquum conſilium
*Ioan. 1.* de Incarnato in ſancta Virgine Verbo quod Deus apud Deum erat, palam factum ſit Mũdo; tamen huius tam inſolitæ actionis modum (quia res miraculi eſt, & ordinem non ſequitur naturæ) ſenſus humanus timet attingere, & hæret ancipiti affectu, quia & ſtupori eſt maieſtas operis, & ingratitudinis foret præterire ſilentio laudes Auctoris. Res mira, & inaudita, mater Virgo, Verbum caro, Deus homo! quis in tam celebri miraculo ſileat? Item quis hæc prædicare ſufficiat? Scimus quidem ſupra nos eſſe, hoc aggredi; ſed illa in cuius ſacratiſsimo vtero Verbum caro factum eſt, locuturis de Verbo, conciliat Verbum: Nec fas eſt muta eſſe gaudia Eccleſiæ, vbi implente non Verbo hoc habemus in mente quod Mater in vtero. Et ipſum quidem vnigenitum Patris; ipſa priùs mente concepit, quàm carne, Salutata ab Angelo, credidit ſibi manere virginitatis propoſitũ, & naſci ex ſe Sanctum Sanctorum, quia & hoc acceperat cœlitus intimatum, quod non eſſet *apud Deum impoſsibile omne verbum.* *Luc. 1.* In huius beatitudinis commercio, vnita ſunt diuinis humana, terrenis cœleſtia. Securum acceſſum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus, & vulnera; MARIA, Chriſto pectus, & vbera; nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi concurrunt, & orant omni lingua diſſertiùs, hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia. Diuidunt coram Patre inter ſe, Mater, & Filius pietatis officia; & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negocium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inuiolabile Teſtamentum. MARIA, Chriſto, ſe Spiritu immolat, & pro Mundi ſalute obſecrat; Filius impetrat, Pater condonat. Magnum quidem eſt, quòd Latroni conceditur venia; ſed & hoc ſtupendum, quòd cõſum-

summata dispensatione Incarnationis, extirpaturus IESVS Matrem tanto affectu honorat victor suppliciorum; & quasi sui immemor, ad matrem de Cruce conuertitur, & colloquitur intimans, quanti apud eum meriti esset, & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret cùm iam capite vulnerato, fossis manibus, & pedibus, in vltimis esset. Mouebat enim eum Matris affectio, & omnino tũc erat vna Christi, & MARIÆ voluntas, vnùmque holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verùm altiùs repetenda sunt operis huius capitula, & breui est sermone colligendum, quo initio, quo progressu, ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta deuenerit, vt cum Christo communem in salute Mundi effectum obtineat, & à dextris eius regnans in cœlestibus: *Circumamicta varietatibus, inde aurato vestitu* assistat. Inuenta est Virgo ab Angelo in Nazareth, solitaria, seorsum à turbis, vacans proculdubiò meditationibus sanctis, credo secum pertractans quomodò sine offensione Legis maneret in proposito castitatis; quia hanc elegerat, hanc Deo vouerat, & integritatem carnis, & spiritus apud se Domino consecrarat. Stabat in aduerso Lex, vrgebat ad coniugium Moyses; qui maledictum intẽtans * sterilibus, semen, & sobolem à filijs Israel exigebat. Nullum de Virginibus à Domino datum erat præceptum, sed nec erat Apostolus, qui daret consilium: Acceperat tamen hoc ipsum à Deo per Spiritum sanctum, familiare mandatum; non ex responso Angelico, sed ex inspiratione secreta, quæ ei, & affectum virginitatis intimauerat, & vsque ad necessitatem voti purum desiderium alligauerat: quis tamen rei exitus futurus esset, nondum erat intimatum diuinitus; sed huiusmodi accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam aptabat Spiritus sanctus. Ob hanc eam æstimo elegisse solitudinem segregatam, vt diebus, & noctibus in huius controuersiæ angustijs, congruis se rationibus muniret, quibus & stare sibi posset optata virginitas; nec tamen quasi in contemptum sui, Legis indignaretur auctoritas. Hoc enim, (vt diximus) ideſt, coniugium, ad propagandum populum Dei, ita lex omnibus indifferẽter exigebat, vt nec summos Sacerdotes pateretur immunes; quia necesse erat Filium Patri defuncto statim substitui, nec alium quemquã in ordinem Pontificalem assumi. Ideòque propter successoris necessitatem oportebat eos misceri coniugibus, vt essent parati Filij statim cùm Pater obijsset, consecratione patrata, ad continuationis incensum accẽdere, & intra Sancta manè, & vesperè secũdùm ritum Legis omni die offerre: tantaque erat huius rei necessitas, vt cum immundis, & contaminatis concubitu, ex aliarum Tribuum cuiuscũmque officij personis, nullus ad Sancta pateret accessus; solam summi Pontificis personam, propter hanc impossibilitatem, lex à ministerio non excluderet: licet & à quibusdam ita accipiatur, vt noctibus propter incensum matutinum vxores non tangerent, & ab illa hora si hoc egissent, vsque ad vesperam permanerent immundi; qua hora purificati, Lege non temerata, ex ordine ministrarent. His difficultatibus vallata, quia humani consilij ratio non occurrebat, qua & decretum, & votum pariter conuenirent, causam suam MARIA Domino commendabat, & meditationibus, & sanctis orationibus vacans de Cœlo expectabat consilium; vbi Spiritu, & mente conuersationem sibi parabat, vbi cœlebs animus medullitùs inhærebat: Nec defuit consolatio. Gabriel Archangelus desursum illabitur; solus solam affatur: *Aue* (inquit) *MARIA gratia plena Dominus tecum.* Raro in veteri Testamento, salutatione Angelica quemquam honoratum reperies. Non salutatur Abraham cùm extollitur titulo fidei, cùm credit nil hæsitans nasciturum de Anu sterili filium sibi iam seni: neque cùm eundem filium, de quo & cui promissiones factæ erant, mactare iubetur, nec cunctatur. Non salutatur cum iugulatis quinque Regibus, erepto Loth, victor reuertitur: & licet à Melchisedech oblatis Decimis dignus sit benedici, non tamen meretur cœlitus salutari. Sub arbore Mambre, & Deo loquitur, & euntem in vltionem Sodomę supplicationibus deuotis prosequitur; & licet conuiuio, & hospitio dignus inuentus sit, & licet, si in illis quinque flagitiosis vrbibus decem inuenirentur immunes, reliquis veniam impetrasset, non tamen ad salutationis familiaritatem peruenit. Non salutatur Moyses, cum de rubo eum Deus allo quitur, neque cum in monte Sina Testamenti tabulis honoratur. Adnunciato Christo salutationes incipiunt, iam proximo IESV, qui est Saluator, Mundi salute non longè posita; Verbum sanctæ spei, Verbum incolumitatis, & restitutionis nostræ de Cœlis ad terras defertur, iam hoc Verbum priùs rarum omnino incipit frequentari. Salutat Angelus MARIAM, nec multò post Elizabeth occurrit, & ipsa, salutans, & prophetans. Salutant Angeli post Resurrectionem sanctas mulieres, salutat ipse Christus Discipulos. Denique, & hunc salutandi morem, saluata per Christum, semper gaudia sua commemorans, exultans seruat Ecclesia. Inuenta est in Christo perpes lætitia, & salutis æternæ medicamina per ipsum sunt nobis in pœnitentiæ Balsamis designata. MARIA lingua Syriaca, Domina dicitur: Christus Dominus, MARIA Domina; & licet ipsa se Christi pro-

*Psal.* 44. *Luc.* 1.

*

*Corint.* 7

*Luc.* 1.

*Genes.* 15

*Genes.* 22

*Genes.* 14

*Genes.* 18

*Exod.* 3.

*Exod.* 19.

*Luc.* 1.

profiteatur ancillam, hoc seruitutis genus omni regno sublimiùs esse intelligit. Constituta quippè est super omnem creaturam; & quicumque IESV curuat genu, Matri quoque pronus supplicat, & accliuis. In supernis & infernis admirationi est Virgo puerpera; stupent dæmones, gaudent homines, in Cœlo gloriam Deo concinunt Principatus, & Potestates. Non cadit in Angelos zelus, nec inuidiæ liuore candidatus ille tabescit exercitus, nec de præpositio sibi carnis ordine offenduntur; quia & si Christus aliquàdo *paulò minus ab Angelis*, propter passibilitatem, sit imminutus, modò *gloria & honore* coronatus *sub pedibus* suis continet omnia subiecta. Nec à dominatione, vel potentia Filij, Mater potest esse seiuncta. Vna est MARIÆ & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: & ex quo dictum est ei; *Dominus tecum*; inseparabiliter perseuerauit promissum, & donum. Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes; & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest; & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem. Ecce tabernaculum Dei, habens intra se Sanctum Sanctorum, virgam signorum, tabulas Testamenti, altare incensi, ambo Cherubin respicientia in alterutrum, Manna, & sine vmbra; Propitiatorium palam expositum. Hæc non in figuris, sed in ipsa veritate, sacrarium Virginis in se continebat reposita, exhibens Mundo legem, & disciplinam incensionem zeli, castitatis odorem, concordiam Testamentorum, panem vitæ, inconsumptibilem cibum, sanctitatem, humilitatem, & obedientiæ holocaustum, pœnitentiæ omnibus tutum naufragis portum. Nulla facta est Angelicæ dignitati iniuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat virgo exaltata, sicut Cedrus in Libano. Cedrus arbor est procera, & imputribilis: Virginitas quoque MARIÆ, quia nulla concupiscentiæ carnalis viscatur putredine, in hoc procerior, & altior virginitate videtur Angelica, quòd hæc virtutis; illa, naturæ: hæc, voluntatis: illa, necessitatis: & in carne quod non est carnis agere, res incomparabilis meriti est, & gloriæ singularis. Prosequi Prophetarum oracula, quæ de MARIA scripta sunt, non est nostri propositi; neque enim rem tanti culminis sibi noster arrogat stilus. Quomodò enim illud diuinum puerperium eloquar, quod ab Angelis in Bethleem celebratum est, vbi in angusto Tugurio hospitata virgo non habens diuersorium, infantem IESVM lacinijs reposuit fasciatum; vbi Virgo, & obstetrix, & genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit cliẽtelam: Nihil quippè doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi vsuram pœnarum provoluptate vltio repetebat. Neque enim erat

*Luc.2.* *Psalm.8.* *Hebr.2.* *Luc.2.*

A Christus in peccato conceptus, cuius sollius est donare peccatum. Vnde ipsi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal, vltrò natura ianuas referabat. Aderant illic Cherubin, & Seraphin; & gratulabundus, *gloria in excelsis*, Deo decantabat cœlestis Exercitus: & vsque ad Pastorum excubantium aures armoniæ Angelicæ consonantia perstrepebat: *Reges Arabum*, & *Sabba* ab Oriente egressi, sequuti Stellam insoliti luminis, genibus curuatis, & humi purpura defluente, IESVM nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt. Ab ortu Saluatoris, vsque ad Baptismum anni 30. defluxerant, nec toto hoc tempore seiuncta est Mater à Filio; semper indiuidua illi adstitit, & diuini conscia secreti, humili affectu

B venerabatur vt Deum, amplectebatur vt Filium. Ventum est ad miracula, & illicò Iudaica perfidia mouit calumnias, & corde fel-leo doctrinam Euangelicam persecuta, ringens in Christum despuebat conuicia dicens eum *in Beelzebub eijcere dæmonia*; & non esse á Deo, Sabbati cõtemptorem. Multa præterit succinctus, & ad finem properans stilus. Quid singula prosequar? Nec mortuo Christo quieuit inuidia, nec saturata est cruentæ plebis malitia, cum pedibus, & manibus claui, cum lancea lateri, fel ori, spinæ capiti, & totum corpus hæreret Cruci. Obseruabant milites Crucifixum, irridebant Iudæi, nec extorquebant responsum. Fugien

C tibus Apostolis, in faciem Filij se opposuerat Mater, & gladio doloris animæ eius infixo, vulnerabatur Spiritu, & crucifigebatur affectu: & quod in carne Christi agebant claui, & lancea, hoc in eius mente, compassio naturalis, & affectionis maternæ angustia: *Stabat ante Crucem*, non minor, quàm matrem Christi decebat: Fortasse autem, quia in morte Filij intelligebat Redemptionem Mundi, etiam sua ipsa morte se aliquid æstimabat publico muneri adeituram. Sed IESVS alieno adiutorio non indigebat, qui dixit: *Factus sum sicut homo, sine adiutorio, inter mortuos liber*. Suscepit quidem Parentis affectum, non tamen quæsiuit auxilium:

D imò ipsa inter reliquos pro quibus sui sanguinis Patri sacrificium offerebat, illo generali beneficio complexus est. Ecce bone IESV, coram te est Mater tua. Cur modò non dicis: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Modò matrem non abijcis, nec ignoras, sed commendas discipulo, & vicariam imponis solitudinem illi quem præcipuè diligis, qui *supra pectus* tuum *in Cœna recubuit*, *Mulier* (inquit) *ecce Filius tuus*, & *ad Discipulum; ecce Mater tua*. Supererat Ioseph, ad quem vsque ad illud tempus præcipua obsequij spectauerat ratio, & cui ad hoc ipsum fuerat desponsata; & modò, quasi

*Luc.3.* *Matt.9.* *Ioan.9.* *Ioan.19.* *Psal.87.* *Ioan.13.* *Ioan.13.*

hoc

hoc ministerio censeatur indignus, Ioannes assumitur. Hunc intellectum circunstantia sermonis videtur exigere: verùm secretiori ratione virginitas virginitati commendatur, vt hoc testimonio iuguletur Bonosus hæreticus, & profanus Heluidius; qui in ore fœtido ausi sunt garrire, quòd de vtero Virginali alius præter Christum partus effusus est; & post Saluatorem natum, Ioseph eam licentia maritali contigerit. Ipse Christus de Cruce Maternæ Virginitatis est arbiter, idem & assertor: *Obstructum est os loquentium iniqua: suscepit eam* Ioannes *in suam*, non abnuente Ioseph, nec aliquam calumniam referente: *suscepit eam in suam*; non quasi maritus, sed loco Filij assecla, & custos & testis, & conscius. Erant quidam ambo in ministerio MARIÆ, Ioseph cædente pro tempore, & causa; Ioanne, præposito. Christus quidem in eum expensis contumelijs, & tormentis; iam hora propinquante, in Matre ampliùs, quàm in se pati videbatur: nec dissimulans, quòd humano pungeretur affectu circa nouissima expressit quantam Matri vellet reuerentiam à Mundo exhiberi, cui in vltimis tam officiosum reliquit dilectionis indicium: in ipso mortis articulo exponens, quòd Matris esset intemerata virginitas, & quòd ei gratiæ singularis æterna maneret hæreditas. Suscepit itaque Discipulus, quod
*Ioan.* 19. ei commendatum est; & Christus dixit: *Consummatum est*. Hoc dixit; & bono pietatis fine, mysterium omne compleuit. Postulabat ordo, vt & de cæteris Capitulis, quæ Christus in Cruce tetigit, aliqua scriberemus; sed suprà nos esse scimus, ad tantæ profunditatis
*Mat.* 27. mysteria mittere manum. Quis enim dissere-
*Luc.* 23. rere sufficiat, quòd se derelictum clamat in
*Ioan.* 19. Cruce, quasi infirmus; & latronem in Paradysum præmittit quasi Deus? quòd orat pro eis, qui illi maledicunt, & crucifigentibus obtinet veniam? & quòd in eodem puncto in quo apud Patrem, totius Mundi causam allegat; quàm propriè, & singulariter Matrem reuereatur indicat! quòd de siti, & non de corpore vulnerato eloquitur; quod tunc demum protestatur omnia consummata, & sic in manus Patris, spiritu commendato, capite inclinato, emoritur? Magis hæc nostro videntur honoranda silentio, quàm indigni sermonis ausu temerario contingenda. Verum de MARIA, quod cæpimus, vt breuiter prosequamur, hoc ex actionibus Apostolorum traditum nobis accepimus, quòd Passionem Christi, cum Apostolis, vsque ad Pentecosten in orationibus, & ieiunijs vnanimiter conuersa * est. Posteà verò, Ioanne in eius obsequijs perseuerante, nõ diù vocatione dilata, migrauit ad Filium: & Angelis occurrentibus, & deportantibus illam inclytam animam, assumpta est in Cœlum. Vtrùm in corpore, aut sine corpore, nullius Canonicæ Scripturæ diffiniuit auctoritas: sed quocumque modo sit; eam cum Christo esse, dubium non est. Nec fas est homini loqui quid illud gloriæ sit, quæ beatitudinis plenitudo, qua illa perfruitur; quia sicut scriptum est, *pax* *Phil.* 4. illa *omnem superat intellectum*; *nec eam* 1. *Cor.* 2. *oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. Hoc certum est, quòd ibi est vbi tam ipsa quàm Filius *vultui Dei* as- *Hebr.* 9. sistunt pro nobis, misericordiam postulantes non iudicium; & obtinentes omni pœnitenti remissionem peccatorum. Imô datum est Filio *à Patre omne iudicium*; & eius est tem *Ioan.* 5. perare, & dispensare seueritatis districtæ decretum, qui non facilè eos quorum aduocatus existit condemnat: cùmque idem sit Aduocatus, & Iudex; nequaquam crudeliter iudicat, qui semper misericorditer interpellat. Merces quippè mortis eius, salus est hominum. Nec illud sibi perire facilè patitur, pro quo & sanguinis precium magnum datum est; & tantum reconciliationis humanæ studium fuit, vt sua dispendia non attenderet dum erroneum lucraretur.

---

# S. ATHANASIVS
## ALEXANDRINVS.

### NOTA.

MAGNVS *in sanctitate, litteris, laboribus, persecutionibus, & constantia in dimicando pro veritate, & fide sanctissimus Athanasius Archiepiscopus Decimus nonus Alexãdriæ in Ægypto; vniuersalis Ecclesiæ Columna, tutamẽ,*

&

*& asylum, Arianorum impauidus maleus, denique diuinæ sapientiæ lux; qui ad annum Dominicæ Annuntiationis CCCLXXIII. (licèt Sixtus Senensis ipsum referat ad annum CCCLXXI.) florebat A tot, & tantis, tum Græcis, tum Latinis Scriptoribus laudatus extat, vt superuacaneum esset hic eius recensere elogia. Inter alia, quæ scripsit, celebris est illa de B. Virgine MARIA Oratio, adducta à Laurentio Surio in homiliario Alcuini, in Assumptionis festo, fol. 907. & à Laurentio Cundi, & Gerardo Mosano in Blibiotheta Homiliarum, in die Annuntiationis, fol. 275. sed omnes eam diminutam adducunt, nos verò eam integram damus, desumptam ex eius operibus Typis mãdatis Parisijs, apud Laurẽtiũ Sonnium, anno MDCVIII. fol. 321. Præter hanc orationem scripsit etiam sermonem de Descriptione Dominæ nostræ MARIÆ, quem ex originali Græco in celebri Blibiotheca S. Laurentij Scurialis existente, littera, C. Pluteo 3. num. 2. ab insigni Doctore Sacræ Theologiæ, & Græcarum litterarum peritissimo Interprete Cosma Palmafontes Latinitate donatum transcripsimus, & numquam antehac Typis mandatum; scripsit etiam noster Athanasius Quæstiones varias, quarum decimanona, quæ extat fol. 413. quia est etiã ad Virginis Dei matris laudem hic annectimus. Alia in sacris reperiuntur Concilijs Athanasij fragmenta de nostra Domina, quæ in Conciliorum litteris dabimus, vt neque parua de tam magno Doctore, & sancto non clament eius laudem, & gloriam.*

# ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

in Euangelium de sanctissima nostra Deipara, Sermo in quo Annuntiationis, & Incarnationis mysteria recensentur.

SAcros sacrarum rerum præcones non ad imbecillitatem lectionis, sed ad eam, quæ requiritur vim materiamque, & causam spectare oportet, quas præ oculis habentes, ita demum de eo quod denunciatur, destinationem coniecturãque facere debemus. Quo circa etiam nunc ad prædicationem diuini Euãgelij de Deipara, & matre Dei nos conferentes, concionaturi, scilicet, ad cœtum conuentumque istius festæ diei, necessum est in argumento sanctissimæ, & carnæ vestitæ Trinitatis, vt etiam vnius ex illorum numero incarnationem celebremus. Nisi enim disertè prius, & distinctè de Trinitate disputatum fuerit, quomodo ea, quæ vnius personæ propria pecularia que sunt, disputari poterint? Qua propter necessum est, vt inde petito initio, transeamus ad ea, quæ ad incarnationem spectant, atque ita, quæ Euangelij sunt quasi per subauditionem consequentur. Ac primum hoc memoriæ subijciendum, festum hoc vnum esse ex dominicis festis, atque adeo primariũ, & prorsus venerãdum, vtpote, quod pro ordine, & digestione rerum earum, quæ in Euangelijs de Christo prædicantur, sacrosanctum habeatur: quippè in quo de filij Dei è cœlis descensu agatur. Nos enim eum è cœlis descendisse credimus, quemadmodum, & eundem ascendisse confitemur. Oportet igitur insistentes diuinæ prædicationi inde auspicari, vnde rebus sua discrimina obuenire queunt. Credimus igitur in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem, scilicet, personarum indissolubilem, inter se distinctionem, & vnitatem inconfusam possidentem. Non enim secundùm interualla locorum distinctionem trium sanctarum personarum constituimus, aut confusaneam vnitatem, sed inexemptibilem distinctionem, & inconfusam vnitionem, cui nomen est Deus secundùm vnam singularitatem substantiæ. Siquidem vnum Deum in Trinitate personarum confitemur: Deum, inquam nullo principio inchoatum, aut tempore circunscriptum, singulis tamen personis proprietatem attribuentis, in Patre naturam ingeniti, in Filio geniti, in Spiritu sancto procedentis: nullo principio inchoatum, aut tempore circunscriptum Patrem glorificantes, nullo principio inchoatum, aut tempore circunscriptum Filium prædicantes, nullo principio inchoatum, aut tempore circunscriptum Spiritum sanctum confitentes: non tamen, vt prior sit Pater, posterior Filius, & Spiritus sanctus, sed quòd simul, & pariter sint Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, secundùm vnam, & nunquam inchoatam, extemporalemque, & supersubstantialem vnitatem naturæ: venerantes, vnum Deum, in tribus proprietatibus credentes, verèque glorificantes, non vt alium Deum priùs-

priusque existentem Patrem, & alium Deum Filium postea superinductum, & alium Deum Spiritum sanctum postmodum excogitatum, secundùm blasphemias hæreticorum, sed vnũ Deum in tribus subsistentijs prædicantes, in quibus vna sit substantia, vis & efficacia, & quæcunque huius generis circa substantiam considerari possunt, & diuinitus in sacris litteris, & hymnis prædicantur. Et vt formutam demus sermoni nostro, consummationem, ac plenitudinem, ea quæ in sacris litteris celebrantur, tenere oportebit. Sed quænam ea sint, & circa quænam versentur deinceps audiemus: nimirum eum increatum, incorporeum, intemporeum, expertem initij, sempiternum, indesinentem, infinitum, æternum, incognitum, ineffabilem, nulla figura delineatum, imperscrutabilem, Deum deorum, Dominum dominorum, Regem regum, summum Imperatorem, creatorem, opificem, lumen, vitam, sanctitatem, bonitatem, immortalem, omnipotentem appellari, & quæcunque alia excellentiam huiusmodi, & naturæ rationem præseferunt. Non quòd singula istorum substantia eius sint, sed quòd circa substantiam eius versentur. Veluti quùm duo pluráve ad vnum, cui attribuuntur, referri intelligimus, quod coacervationem plenitudinemque diuinitatis in scripturis nuncupamus: non quòd ad vnam tantummodo personam, sed æquè ad quemlibet ex Trinitate pertineant. Qua propter vnigenitus Deus ait: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, & ad Patrem loquens: *Omnia mea tua sunt, quemadmodum, & tua mea, & glorificatus sum in ijs.* In omnibus enim quibus glorificatur Pater, illis ipsis quoque glorificatur Filius, & Spiritus sanctus. Atque hinc perfectus Deus Pater dicitur, & perfectus Deus Filius, & perfectus Deus Spiritus sanctus, quoniam singuli non destituuntur plenitudine Deitatis, sed æqualitatem habent omnium earum proprietatum, quibus æqualiter plenitudo diuinitatis intelligitur. Ex derivatione ἴσου, hoc est, qualis ἰσία nominatur fœminea terminatione, quæ est æqualitatis multorum complexio, & causa. Quibus enim æqualis substantia est, diuersis interim proprietatibus, ea æqualia ex æqualitate, quæ ἰσία est Græcis nominantur, dicta videlicet quasi ἰσία, hoc est, sanctitas: huic vocabulo ἰσία si conuersione iota in ὑμικρόν deinde adijcias ὑ ψιλον, σίαν facies, quæ ex hac etymologia, quasi interpretari potest, quædam substantia effectrix plurium, quæ in eandem vnitatem, vnde sunt, quasi in suam summam conferuntur. Nam ita ad hominem secundùm imaginem Dei factum respiciẽtes, pro regula tradimus turbam earum proprietatum, quæ in eius natura sunt, substantiamque eius appellamus, quæ, & ipsa est complectio, & comprehensio multorum, quæ totum illum acerum ad vnum refert, qualia sunt, eum creatum esse, intelligentem esse, rationalem, animatum, corporalem, passibilem, fluxum, temporalem, mortalem, fœcundum, corruptibilem, vegetabilem, mutabilem, alternabilem, tristitiæ obnoxium, aliaque huiusmodi secundùm analogiam rationemque æqualiter ad huius naturam relata æqualiter quædam, hoc est ἰσία, mutatione deinde adiectioneque literarum οὐσία appellari potest, atque ita deinde hoc ipsum pro plenitudine consummationeque humanæ naturæ accipitur, eò quòd aggestu sui impleat eius integritatem, in quibus illud animaduertendum, quòd nihil earum proprietarum, quæ in humana natura ad eius plenitudinem constituendam cernuntur, substantiam sine personam posse dici, sed promiscuè, & liberè, quùm in genere coaptantur: substantiæ nomen accipit vniuersitas illa, integerque aceruus proprietatum humanarum: peculiariter verò, & ad vnum relata persona dicitur. Quùm igitur communiter in multis istiusmodi considerantur, substantia nuncupatur: quùm in vnum propriè conferuntur, persona siue substantia nominatur. Et sicut rursus hominem ad imaginem, & similitudinem Dei formatum, simul in eo, & mentem, & rationem, & spiritum contemplamur, neque in ijs aliud alio prius, aut posterius iudicamus, sed pariter consistere, & quùm de vno loquimur, Trinitatem tamen in animo cogitamus, quasi si mentem ingenitam, Verbum autem genitum statuas, idemque illud literis comprehensum, & attramento scriptum emissum dicas: ita quoque in omnium Deo, Patrem, quasi mentem quandam, ingenitum, Filium, vt Verbum genitum, eumque emissum censeas, in tempore, quod placuit paternæ voluntati, non quidem, vt vox, quæ effertur ad tempus, momentumque aliquod, & pro vsu rerum datur, sed vt Verbum substantiale solidum, & re ipsa ita consistens, vt genitum est: postquàm enim semel è Patre prodijt, πρόοδος est, substãtia est, statum indissolubilem, ex quo genitum est, possidens. Nam hypostasis sua interpretatione designat id quod subsistit, hoc est, quasi secundo ordine consistit: Siquidem Pater quatenus est author geniti, Filium, vt genitum sub se habet. Qua propter Euangelista loco huius præpositionis ὑπό, quod est sub, præpositionem, apud, in Euangelio reposuit: *In principio*, inquiens, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Æquiualẽtia igitur sunt, & eodem significatu, vltrò citròque recurrũt hę voces πρό & πρός additæ nomini προοδος ergo est Filius, vt sub aliquo statum suum, id est, sub Patre habens, & non à Patre segregatus, sed apud Patrem semper existens, neque aliam

*Ioan.* 14. *Luc.* 10.

*Ioan.* 1.

aliam voluntatem seorsum à Patre suo posi dens, neque aliam potestatem, neque aliam operationem, imò nec diuersam substantiam obtinet. Sed quæcunque possidet Pater, Filius quoque vna possidens, consubstantialis, & Patri, & Spiritu Sancto rectè perhibetur. Idem ille, quùm sit ex voluntate illa
*Hebr.* 1. Paterna antiqua, & vera; *magni paterni Consilij Angelus, admirabilis, item consiliarius*, & iam pridem Verbum Patris, *vbi multifariam multipliciterque patribus per Prophetas loquutus esset, his vltimis diebus loquutus est, & nobis*, incarnatus, & homo factus est, idemque (vt ait Scriptura) etiam secula condidit. Neque prodigiosis numinibus suam commisit prouidentiam, vt ethnici blaterant, sed eam ipsam omnium rerum curam, approbante, cooperanteque Spiritu sancto, in se suscepit. Siquidem communionem eiusdem, & vnius prudentiæ operationisque præseferens, ad hunc modum loquitur:
*Ioan.* 5. *Pater*, inquit, *vsque dum operatur, & ego operor*. Non enim per aliam prouidentiam Pater, per aliam Filius, sed per vnam eandemque substantialem Deitatis efficaciam operatur. Quemadmodum à præcone illo prædicatur, qui quùm sit splendor gloriæ, & figillum substantiæ eius, hoc est, Patris, omnia ferens verbo potentiæ suæ, expiatione peccatorum nostrorum conciliata, considet ad dexteram Maiestatis in excelsis. Sermo autem iste iteratus in eadem sententiam coit, si consideres splendorem istum esse veluti radium verè solarem, ab orbe verè solari indiscretam habere emicationem, & characterem esse, & specimen substantiæ eius, per quam ipse Pater exprimitur, & repræsentatur: vt enim annulo signatorio species aliqua effiguratur, quam & imaginem expressam, & figillum appellamus, nihilque, quatenus ad suos pertinet, deficit ab exemplari suo: ita quoque Filius eandem cum Patre formàm gerit. Non enim euariat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseuerat, iuxta sculpturam annuli, siue in cera, siue in auro signaculum illud effigiatum sit, pro ratione regij numismatis, ita quoque diuinus character Filij, substãtiæ Patris incommutabile figillum est, ferens omnia verbo potentiæ suæ, secundùm suum ipsius exemplar, carnique suæ, quasi ceræ, eum typum formamque impressit. Non enim est impossibile, vel incredibile, vt tempore Patris voluntati grato, vti character (siquidem & character est) incarnationem in se configuraret, qua veluti pro cera, aut quasi pro auro vsus videri potest, quemadmodum totum illud mysterium ineffabilis huius, & inenarrabilis incarnationis nõ nihil subostẽdit. Id enim adhuc ineffabile, & inenarrabile permanet ob rationem crescendi. Siquidem pro modulis gradibusque crecendi, de eius carne sentiendum, nõ quòd simul eodem tempore momẽto absolutus sit, quòd in cera effigienda ex impresso figilli animaduertimus: simul enim super multis, & in multis ceras annulli signatorij effigies induci potest: contra, in diuina incarnatione non statim simul, sed per incrementum perfectitudo intelligitur. Quod ipsum quoque facile intellexerit, quisquis habet mẽtis subtilitatem, ac vrinãdi peritus sit, & in profunditates animalis corporis, quod & ineffabiliter, & inenarrabiliter seminatur, intellectu descendere posset, ac perspicere primum illic, subsidente genitali semine, paulatim id in minimam coalescere particulam, & per gradus incrementum capere. Neque enim illud ipsum in rebus nostris satis perspicitur, nisi quatenus imaginãdo obscuris vestigijs indagamus. Secundùm igitur crescendi rationem diuina Verbi incarnatio progressus fecit, non quidem seorsum diuina increscente forma, vt simul vnà concrescente, sed crescente animali carne ad solidam eam integritatem, qua homo perficitur, dum in vtero gestatur, ideoque nouem mensium lege hominum ritu eius partus absolutus fuit. Atque hinc est, quod Christi incarnatio ex Deo personam suam habeat, non humanitus ex homine. Siquidem iuxta diuinum characterem humana eius forma statum suum accepit, vnitione, scilicet, cum anima, atque ita fit, vt Christus duo pariter sit, & vnum singulare, vnusque item sit, & nõ duo, & rursus duo, & nequaquam vnum est secundùm rationem duarum naturarum: & vnus non duo, secundùm vnitatem subsistendi. Ideoque duas voluntates prædicamus, sed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, sed vnum volentem secundùm vnitatem personæ: contra, duas voluntates, & duas operationes secũdùm peculiarem vtriusque naturæ rationem. Hoc igitur modo diuinum incarnationis mysterium deprædicantes, hæreticorum blasphemias repudiamus, & in quibus ipsos inter se diuersos relinquentes, transimus ad ea, quæ ab Euangelista de Deipara, & matre Dei enarrantur, audituri illic explicatus seriem rei gestæ. Significamus igitur tempore beneplaciti paternæ voluntatis, sub plenitudinem septuaginta hebdomadarum Prophetæ Danielis ab ædificatione Ierusalem, post remigrationem captiuitatis Iudæ ex Babylone per Salathiel, & filium Iosedech, summos id temporis sacerdotes, & ad impletionem trecentorum nonaginta annorum, secundùm vices sui sacrificij ingressum esse Zachariam in templum Domini, ad incensum offerendum, apparuisseque ei Angelum Domini ad dexteram altaris, annunciantem ei de Filio suo Ioanne, quem conceptura esset vxor sua Eli-

Elizabeth, edituraque esset Baptistam, & præcursorem Christi, ac conceptione deinde peracta, & mense sexto, ex quo prægnans erat Elizabeth emissum esse Archangelum Gabrielem à Deo in Nazareth ciuitatem Galileæ, ad Virginem MARIAM, & ingressus
*Luc.1.* ad eam Angelus salutauit eam, dicens: *Aue gratiosa Dominus tecum.* Etiam hic animaduertimus vocem illam salutationis Angeli esse vocem, quæ pro sono suo quo efferebatur, significationem habuit: verùm eam ipsam nequaquam fuisse filij hypostasin, aut carnem esse factam, sed pro suo sono, loquendique ratione diuersam fuisse à Verbo Dei, quod in vterum virginis pariter descendit, prorsusque blasphemias dicunt, qui autumant vocem Angeli fuisse materiam substantiamque Verbi: nobis ergo ob istam execrabilem blasphemiam, visum est locum præsentem annotare. Quùm igitur diuersa sit à voce Archangeli, hypostasis Verbi, & Filij Dei, simulac aperirentur aures Virginis per Angelicum sonum, introgressa est in eam diuina Filij essentia, adeò, vt nec ipsa Virgo hæc cognouerit, cognouerit autem Dei filius, quo pacto introierit. Qua propter vt ignara de euentu mysterij conturbata est, super verbis Angeli dicentis: *Aue gratia plena,*
*Luc.1.* *Dominus tecum, & cogitabat secum, qualisnam esset ea salutatio*, vnde subsecutus Archangelus ad eam dixit: *Ne timeas MARIA; inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filiũ, vocabisque nomẽ eius IESVM Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit ei Dominus Deus solium Dauidis, Patris sui, & regnabit in domo Iacob in secula, & regni eius non erit finis.* Quin & hic hæsitat virgo, vtpotè ad naturam respiciens, & de Iosepho cogitans, cui nupta erat, ad Angelum tale responsum dedit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et quandoquidem dixerat, ò Angele, virum non cognosco. Tu autem per hoc aduerbium, *Ecce*, quod demonstrandi vim habet: Ecce, inquiens, concipies, quasi de tempore iam instanti mihi loqueris. Quomodo istud fiet, ignoro, sed dic mihi Angele, atque interpretare, quomodo istud fieri possit? Cui respon-
*Ibidem.* dens Angelus dixit: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, atque hæc est, inquit, concipiendi ratio, ita concipies in vtero superuentu Spiritus Sancti, & obumbrationis virtutis Altissimi, atque ideo, inquit, quod natum erit, Sanctum, Filius Altissimi vocabitur. Illa verò etiam num hæsitans, sed tamen optans: *Fiat mihi*, inquit, *secũdùm verbum tuum*, & abijt ab illa Angelus. Nam hoc significat Euangelista, Angelum ab ea digressum esse, ne occasionem relinqueret dicere volentibus, eum

A ipsum Angelum incolam Virginis incarnatum fuisse, aut Verbum, quod ille insonuit, aut prolocutus est, hominis naturam condidisse, sed quod ascendente Angelo superueneritin Virginem Spiritus Sanctus, obumbraueritque illam virtus Altissimi, atque ita postmodùm consummatus est salutaris ille conceptus. Quibus iterum necessariò est insistendum, considerandumque qua ratione ad Virginem dictum sit, (Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi te obumbrabit) nunquid itidem, vt ad Apostolos dixit Christus: *Vos autem sedete Hierosolymis,*
*Actor. 1.* *donec induamini virtute ex alto*, adueniente in vos Spiritu sancto: idem enim genus promittendi, & eadem ratione intelligi potest: quùm & hic virtutem ab Altissimo super-
B uenturam in Apostolos, & Spiritus sancti accessum denunciet. Quidigitur? num vt Apostolis spiritus, & virtus Altissimi promittitur, ita & Virgini quoq; promittitur? Quòd si eadem ratione huic, vt Apostolis, promissio facta est, itidemque virtus Altissimi, & Spiritus sanctus in eam descẽderit, sequitur, vt quùm in Apostolis ea ipsa virtus, & Spiritus sanctus incarnationem non fecerit, neque in Virgine virtutem Altissimi, aut obũbrationem sancti Spiritus incarnationẽ operatam fuisse, nec hominem esse factum, quãquam etiam alius secundùm eam consuetudinem, quæ in sacris Scripturis est, virtus Altissimi appellatur. Enimuero, vt in Apos-
C tolos virtus ista ideò descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent, ideoque spiritus superuenit essentialiter, cum omnibus suis dotibus, vt efficaciam acciperent omnibus signis, prodigijs, & portentis, ad confirmandam, certamque, & indubitatam reddendam promissionem Christi: ita quoque Spiritus sanctus in Virginem descẽdit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adsunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur, quã virtutem
D per omnia tẽpora cõceptus eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse: neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum, & nunc in præsentia, & in æternum, vsque habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi, & superuentum Spiritus sancti, & virtutem Altissimi, vt sit gratia plena, ita enim isthic opinamur omnia illi per gratificationem Spiritus sancti, & virtutem Altissimi donata fuisse, & nequaquam sicuti hæretici dicũt, vim, scilicet, quandam, energiamque spiritus inditã esse Virgini, vt incarnatio perfice-

retur. Nam tametsi sine seminio id factum credimus, tamen non ita loquimur, quod secundùm eam diuisionem gratiarum, qua spiritus singulis diuidit prout vult, caro ista formata sit citra interuentum propriæ essentiæ Filij Dei, absit, ea enim est mens Pauli Samosatensis, & reliquorum hæreticorum: verùm ita loquimur secundùm Orthodoxorum dogmatum rectitudinem, virtute, & spiritu esse impletam Virginem, tum vt corpus eius sanctificaretur, tum vt salutarem illum fœtum concipere posset. Atque ita deinceps diuina Verbi natura ibi suum tabernaculum eligens, in ea incarnationem assumpsit, & homo factus est, non ita quidem, vt potentiam aliquam operandi vim illi inderet, sed vt in ea naturaliter secundùm vniuersam integritatem Deitatis, persona Filij ab initio Deus & vlterior initio, carnem, & hominis conditionem indueret. Declaratum enim superius est, virtutem, regnumque, atque alia omnia istius generis, de quibus in sacris litteris mentio fit, non ita de vnoquoque ex Trinitate esse intelligenda, quasi singula eorum personam propriam denotent, sed ita accipi debere, quasi ea non substantiam significent, sed substantiæ proprietates, atque ita energiam, & virtutem circa personam essentialiter referri, & in commune quidem ea de vnaquaque personarum diuinarum prædicari, propriè tamen solum ad personam Filij incarnatam, & hominem factam pertinere. Superuenit igitur Spiritus sanctus super eam, & sanctificauit ipsam, vt in Psalmis Spiritus dicit: *Psal.* 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, & obumbrauit virtus Altissimi, corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi. Non enim suspicandum est, quòd secundùm simplicem naturæ suæ proprietatem, virgo in se habitantem Deum videre potuerit, aut quòd ipsa animata rationalisque, & intellectualis incarnatio conspicere valuerit, sed quatenus possibile fuit, vt potè obumbrante illam virtute Altissimi, & vmbras lineamentaque quasi faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in se habitantem. Et vt nos ipsi animam inhabitantem in carne nostra possidemus, nec tamen quomodo qualisve ea sit, conspicere possumus, sed quasi vmbram eius, & lineamenta ex virtutibus eius, & internis efficacijs colligimus: Tale quiddam tum Virgo, tum ipsa rationalis, & intelligens anima contueri poterat, atque etiam nunc potest, ex potentijs operationibusque inde prodeuntibus. Atque secundùm hanc proportionem potius loquendum est, quòd Deus fecerit hominem secundùm imaginem Dei: secundùm imaginem enim & similitudinem istiusmodi incarnationis, & assumptæ humanitatis hominem Deus fecit, vt in se gestans illud, quod secundùm imaginem, & similitudinem Dei effigiatum erat, nihil ambiguum relinqueret de incarnatione, & humanitate assumpta: Incarnationis enim, & assumptæ humanitatis speciem, sub vna voce simul prædicamus, neque solum incarnationem annunciamus, sed vna cum incarnatione, & assumptam humanitatem, ne videamur cum impijs hæreticis, inanimatam, menteque vacuam, & irrationalem incarnationem statuere, sed ex eo quòd dicimus incarnationem, & humanitatem simul assumptam, & carnem credimus, & animam rationalem, & mente præditam significamus. Ideoque & eos qui dicunt solam naturam Dei Verbi incarnatam, neque addunt eam animatam esse, & rationalem, & mente præditam, non admodum recipimus, nisi resoluant, & exponant, quid ijs verbis sentiant, id enim nuper simpliciter dicebatur, sed postmodum malitiosè tractatum est ab hæreticis, verba simplicia deprauantibus. Sanctificata igitur superuentu Spiritu Sancti virgo, & corroborata, & virtute Altissimi grauida, eum gestabat, qui ex sua propria essentia Dei erat Filius, pro vnica eius diuinitatis natura, & gignit eundem incarnatum, & hominem factum secundùm duarum naturarum proprietatem: eundemque duplicem, & vnum ex duobus constantem, inconfusè, immutabiliter, atque indiuisim credi oportere statuimus: non quidem deiferum hominem, sed carniferum Deum: cæterùm, neque hoc pro hæreticorum more intelligentes authores Nicæni Concilij, sed vt diximus, ex operatione Spiritus, & virtutis Altissimi, & imprægnatione Virginis deiferum hominem eum, qui ex Virgine prodijt, credendum esse statuerunt, gestasse eam Dei virtutem, & energiam spiritus, quæ operata est coram Pharaone, & omnibus Filijs Israel. Eadem ratione principis Apostolorum, verba in actis Apostolorum de Christo prædicantis, rectè quidem ab eo esse dicta accipiunt, sed quæ ab istis tortuosè, & malitiosè deprauentur quùm ita loquitur, (IESVM Nazarenũ, quem vnxit Deus Spiritu sancto) quæ verba ita nostri interpretantur, Deũ, scilicet, in vteru Virginis creasse hominem sine vllo semine per operationem spiritus, eumque vnxisse virtute Altissimi, quasi oleo exultationis præ consortibus suis (vti scriptum est) illum ipsum Filium Altissimi nominauit scriptura, quemadmodum, & in Psalmis refertur, loquente Christo ad multitudinem: *Et ego dixi Dij estis, & Filij altissimi omnes*; nos igitur talia hæreticorum dogmata intellectusque reprehendere, & corrigere desiderantes, per præsentem Euãgelij interpretationem asserimus, nõ dei- *Psal.* 11.

fe-

ferum hominem esse Christum, sed carniferum Deum, quatenus Deus hominem gestat integrum, absolutumque. Deus interim perfectus, & homo perfectus, vnus ratione vnius personæ, duplex tamen natura. Hunc igitur hominem, quem dicimus, quòd Verbum gestauerit, hunc ipsum Deus Pater, quum illi placuerat, cooperatione sancti Spiritus, vna simul collaborante Filio, inunxit Spiritu Sancto, tribuens ei omnem efficaciam, eundemque virtute Altissimi circumcinxit, vt posset sustinere omnem aduersariæ potestatis impetum, & operari: deinde curationem in populo. Siquidem, & tentari se à Sathana non recusauit, & omnem humilitatem, & paupertatẽ in carne sua perpessus est, & quẽadmodum de eo magnus ille præco vociferatur dicens: Illud impossibile, infirmumque legis quatenus ea imbecillis erat ob carnem, Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati, & de peccato condemnauit peccatum in carne. Quapropter Filius Dei carne indutus homo factus esse dicitur, quemadmodum, & alibi Apostolus dicit: *Quum venisset plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Atque hinc annotandum, quòd primùm Filius à Patre mittitur, & tum demum nascitur ex fœmina, non quòd primum nascatur è fœmina, & tum demum mittatur à Patre, sed primùm eius missio à Patre est, actum denique succedit eiusdem natiuitas è fœmina, vt quùm verbis istis Apostolicis consentiant Prophetæ, qui Filium referunt missum esse. Et primùm in Isaia, ipsius qui missus est, verba ausculta: *Ego sum primus, & ego sum vnus in æternum, & manus mea fundauit terram, & dextera mea stabiliuit cœlum*; & egrediens in tempore operationis coniungit dicens: *Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius*; manifestò seipsum per hæc declarans, quòd ipse Deus, qui fecit cœlum, & terram, hæc dicat: *Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius*; etiam per Zachariam loquens: *Oblectare*, inquit, *& lætare filia Sion, quoniam ecce venio, & habitabo in medio tui. Et confugient gentes multæ ad Dominum in die illa, & cognosces, quòd Dominus omnipotens emiserit me.* Iam inde, & ipse incarnatus de seipso suis verbis confitetur: Missus sum à Patre, inquit: Et misit me Pater, eadem multis sermonibus contestata reddidit: Ergo non vt homo missus est, sed vt Deus, & homo Filius à Domino Patre. Quale etiam illud est. Pluit Dominus à Domino Patre, additum est à Domino, quale quoque & illud est: *Dixit Dominus Domino meo.* Accipit autem in his verbis thronum Dauidis corporaliter ex ratione prosapiæ, quæ Pater illi Dauid fuit: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Attende quæso sententiam, & dogma, quod hac interpretatione constituitur. Rimãtur enim omnia hæretici sese inuicem adhortãtes, & fallaciosè quærũt, an acceperit thronum Dauidis Patris sui, & regnauerit super domum Iacob in æternum? & nam ista subsequuta sint post incarnationẽ eius? quibus ita respondemus, non obiter, sed cum quadã obseruatione verba ista attendenda esse quum Angelus dicit: *Et dabit illi Dominus sedem Dauidis*, neque enim addidit, vt confirmaret, aut corroboraret, sed simpliciter loquutus est, dabit. Et iam hinc ex vi eorũ, quæ ex hoc verbo colliguntur, quærenda dubij istius solutio est, eò quòd, dabit, pronũtiauerit, vt transferret hunc thronum. Quemadmodum, & ipse Christus interpretatur, ad Iudæos loquens: Idcirco auferetur regnum à vobis, & dabitur genti facienti fructus eius. Ergo capiens Christus thronum Dauidis transtulit illum, & dedit sanctis Christianorum regibus, vt cõuerteret eos ad domum Iacob, qua tradita in opprobrium, & direptionem, regnabit in Christianis in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim populo vllo alij residui sunt Prophetæ, secundùm visiones Danielis, sed hunc solum Messiam esse prædicant, & regem agnoscunt, perseuerantem, vsque ad secundùm suum ipsius aduẽtum: quo tempore quùm venerit, manebit Rex in seculа, & regni eius non erit finis. Siquidem genitus ex Virgine, & consummatis omnibus, quæ ad negotium mortis, & crucis pertinebant, post resurrectionẽ ad suos aiebat: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Ecce iam inde regnare incepit, & prædicatur Christianorum Rex, quemadmodum in exordio precum suarum se inuicem adhortãtes, atque in cœtum conuocantes clamare solent: *Venite adoremus, & procidamus coram Christo Rege nostro*; & illud itidem: *Is qui venturus est in magno suo, & illustri aduentu, permanebit regnans in æternum, & regni eius non erit finis.* Et quando quidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque, & Dominus, & Deus, ea propter, & mater, quæ eum genuit, & regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè cẽsetur, licebitque nobis ita cõgruenter dicere, dum ad ipsam & ad eum, qui ex ea genitus est, carniferum filium respicimus: Nunc, scilicet, adest regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta, variegata, eo quòd secundùm sexum fœmineum, regina, & Domina, & mater Dei appellari debeat. Eaque nũc, vt Regina assistens à dextris Filij, vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis, & immortalitatis, circumamicta, & variegata, sacris, & solemnibus verbis celebratur, non quidem secundùm spiritualem simplicitatẽ, aut quasi

*Gal.* 4.

*Isai.* 48.

*Isai.* 42.

*Zach.* 2.

*Ps.* 109.

*Luc.* 1.

*Lucæ* 1.

*Ioan.* 10.

quasi sine corpore, & carne assistat, sed quod induta sit (quantum spectat ad sanctissimam eius carnem) incorruptibilitate, & immortalitate. Variegata rursus est, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem sustulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirum istam incarnationem, eamque semel indutam perpetuò gestat. Ac proinde ista noua Eua mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicimus eam igitur iterum, atque iterum, & semper, & vndequaque beatissimam. Sicuti ergo quùm ad ipsum respicimus, regem, Dominum, & Deum appellamus: ita quoque quùm ad eam oculos reijcimus, reginam, dominam, & Deiparam esse animaduertimus, idque contemplatione oculi mentalis. Adest regina à dextris tuis, vestitu deaurato circumamicta, variegata. Et iam, scilicet, audi filia Dauidis, & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia, & domo patris tui. Parentes enim tui sumus secundùm generis, prosapiæque rationem, nostraque filia es, quia ex nobis genita es: decet enim te matrem, regeneratricem, dominam, ac heram cognominari, eo quòd ex te prodijt Rex Dominus, ac Deus noster: assistentem illi: nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti: qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpotè, quæ omni gratia abundares, idque per superuentum in te Spiritus sancti: ideoque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati, scilicet, istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu, Virgo permansisti, & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es: nam ideò his vocibus, vt ex re ipsa desumptis, & natura laudatorijs, præcipuè in tuum encomium vtimur, si quando hymnus, si quando laus tibi, siue à nobis, siue ab vniuersa creatura offertur: Tibi inquam, gratiosæ dominæ nostræ, reginæ, heræ, matri Dei, arcæ sanctuarij. Ecce iam nunc, & in exordio diei, vt primitias laudis tibi hoc encomium Archangelus contexit, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum*, beatam te prædicant omnes Angelorum, & terrestrium hierarchiæ, & hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in cœlis benediceris, & in terris beata prædicaris, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: istiusmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex thronis Cherubinis, & Seraphinis constat, qui aut flammei, aut magni Regis Dei cognitores appellantur, beata tu in mulieribus, & beatus vterus tuus Dei gestator, & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò Hierarchia, quæ in se dominationes, virtutes, potestatesque complectitur, ad te respectans clamat, vtpotè, quæ hæc didiscerit à sublimiori Hierarchia, priusq; initiata sit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus*, qui Deum concepit, & mammillæ, quæ Deũ educauerunt puerum factum. Iam tertia ex Principibus, Angelis, & Archangelis acies, quibus mandatum, & permissum fuit, á Deo emittente, vt per vnum Gabrielem Archangelum ederet splendidissimum, & capacissimum hymnum, in hæc verba: *Aue gratia plena, Dominus tecum*: ab istis deinde nos Hierarchiæ terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, siue quod didicimus, siue quod mutuò hæc verba sumpserimus, exaltamus te magna, & canora voce, dicentes: *Aue gratia plena, Dominus tecum*, intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis. Quoniam ex nobis tu oriunda es, & is qui editus est ex te, carnigerus Deus, noster est, quem decet gloria, & magnificentia, omnisque honor, & adoratio, & gratiarum actio, cum Patre initij experte, & cum sancto bono viuifico spiritu, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Ibidem.*

*Ibidem.*

*Lucæ* 1.

## QVÆSTIO XIX.

Et quomodo fieri potest, virginem parere carnem, & tamen manere virginem? & hoc nobis mirum videtur, & valdè absurdum: doce nos etiam de hoc quæsumus.

Responsio. Et nobis hoc permirum videtur, sed non hoc hominis opus: Deus autem, vbi vult, vincit naturæ, & ordinem; & rursus: *Mirabilis est Deus, & mirabilia opera eius.* Verumtamen audi de Virgine genitrice varia, & euidentissima signa: recordare, quòd Euam genuerit Adam, cùm esset virgo: & rursus virgo mansit, quemadmodum prius, & sicut Adam virgo generauit, & virgo mansit: ita & Deipara MARIA, virgo cùm esset, peperit Christum, & tamen virgo permansit. Sed & aliud eadem de re audi mysterium, sicut domus circunsepta vndique, quæ habet Orientem versus vitream puram, & tenuissimam fenestellam, Oriente Sole, & radijs eius penetrantibus vitrum, & ingredientibus domum, tota collustratur: & rursus transeunte Sole, & egredientibus radijs vitrum nõ cõfringitur, sed tactum ab ingredientibus, & egredientibus repercussionibus radiorũ solarium manet illæsum: eadé ratio est semper Virginis MARIÆ. Illa enim ter castissima, vt domus quædam circũsepta est; filius, & sermo Dei, est vt radius diuinus

*Psal.* 138.

ex

ex sole iustitiæ patre descendens, qui per vitream fenestellam aurium illius ingressus sanctissimam domum eius illustrauit, & rursus, vt idem nouit, exiuit, non fœdata virginitate illius, ne minimè quidè: sed sicut ante partum, etiam in partu, & post partum virginem castam cõseruauit. Præterea, & aliam illustrem admirandam, & illis similem audiadum brationem. Margarita in mari rubro generatur. Generatur autem sic. Extremitates maris rubri siccantur, paucarum aquarum fluxum habentes. Inueniuntur autem ibi marini pisces, testacea cute muniti, in toto mari illo rubro, Pinnæ nominati. Stant igitur Pinnæ illæ semper hiantes, & expectantes escas ad nutrimentum sui: interim dum ita constituunt hiantes, & expectant nutrimentum, & magna copia accedunt Astrapæ, accedit aliqua Astrape ad Pinnam, & cùm reperiat testas Pinnæ apertas, ingreditur in illam. Pinna verò contracta statim; & constricta in seipsam intus in se includit Astrapen. Astrape verò coagulata cum Pinnæ oculis, oculos Pinnæ illustrat tu gore, & commutat eos in margaritas. Egressæ autem Margaritæ ex Pinna, procidunt ad littus maris illius, atque ita piscatores capiunt illas. Perinde intelligendum de incarnatione sermonis. Mare quidem est mundus, & virgo concha. Stabat autem Virgo, quemadmodum Pinna, in templo, & concipiebat cœlestem panem Christum Deum, qui & descendens, & ingressus in eam, vt Astrape, & coaluit in visceribus virginitatis illius, & splendidam reddidit ter sanctissimam carnem, quam assumebat incarnatus; & sic natus est ex ea, vt pura, & preciosissima Margarita sermo Dei, sine congressu maris. Et vt Margarita cœlestis est, & terrena: cœlestis quidem secũdùm Astrapen: terrestris verò secundùm commissionem oculorum Pinnæ: Sic etiam Christus cœlestis est, & terrenus: cœlestis quidem secundùm deitatem: terrestris autem secundum humanitatem. Et quemadmodum Margarita generatur sine congressu masculi, & fœminæ, ex Astrapæ, & Pinna, ita etiam natus est Christus sine congressu masculi, & fœminæ, ex Deitate, & ex carne virginis. Et quemadmodum Margarita cùm sæpè conteritur, materia quidem oculorum Pinnæ cõteritur, & resoluitur, nonne fulgor Astrapes patitur, alter verò fulgor Astrapes impatibilis manet: materia autem oculorũ Pinnę sola cõteritur, & patitur? Ita & in Christo hæc intelligenda sunt. Cùm enim ille seruator noster flagellaretur, & pateretur à Iudæis infidelibus excruciatus in cruce, materia quidem carnis, hoc est humanitas, sola passa est, Deitas autem impatibilis permansit. Et cùm hoc dicis, refutas Deopassianos, & doces incarnatam dispensationem. Hinc enim tibi, dilecte, scrupulus gratia Christi eximitur.

*Tom. 3.*

## *BEATAE SEMPER VIRGINIS DEIPARÆ MARIÆ DESCRIPTIO.*

Iube Domne benedicere.

QVod facere operarij solent, qui auri fodinas perscrutantur, cùm semel venam auri, quòd quæruat segmenta fundentem inuenerunt, vt suas ad eam operas conferant ad lucrum, quod spectant, ducentem effodiendo incuabunę; neque priùs absistant, aliovè obquam se conferant, donec auri, quòd sitiunt cauernam deprehenderint, eundem quoque modum, nos, qui in Ecclesiæ operis desudamus, cùm Lucam Euangelistam manibus habeamus, vt intelligam * Domini ex Virgine * natiuitatis, * tanquam thesaurum consequamur, non ante ab ea per vestigatione conquiescemus, quàm adamatas ex ea diuitias, pure, sincereque adipiscamur. Eam enim ob causam Euangelistam suo, vt sese habet, ordine inuestigamus; vt nullum omnino maximorum, quæ in se continet commodorum partem prætermittamus. Verba enim, quæ primo in proœmijs collocantur, quantumuis minima, maxima spiritualis lætitiæ mysteria complectũtur. Nemo igitur quisquam, quamuis cum ea, quæ leguntur ad audiendum leuia sibi visa fuerint, negligenter accipiat. Nam, si quæ leguntur ad maiestatem præpotentis Domini, qui nascitur, conferantur; minima, planeque leuissima, quæ sint crepundia, videlicet præsæpe, & loci incommoditas, hæc quidem humilia sunt, ac demissa, sed quæ proponuntur, abstrusam habent, profundamque commẽtationem. Venter enim inescrutabilis, sinus incomprehensibilis, mamma admirabilis, lac nouo, ac inusitato more fluens, fœmina ab omni naturæ lege aliena, Mater Domini descripta, Spõsa Ioseph, nominis tantùm, non autem rei, atque operæ communione donatus. * Audiebas nuper Lucam dicentem: *In diebus illis exit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur omnis orbis. Hæc prima descriptio facta est prima * à præsidæ Syriæ Cyrino, & omnes ibant, vt profiterentur singuli in suam ciuitate. Ascendit autem Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlem, eo quod esset ex domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum MARIA desponsata vxore sua prægnante.* Vides quàm sint verba ipsa leuia, ac sensus mysteria maxima, quamuis verba sint minima. Dominus vtero grebatur, & prima descriptio lege sanciebatur, qui creationem omnem descriptam habebat, atque ad Apostolos suos dixerat: *Gaudete, & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in*

* *Donatur.* Luc. 2.

* *Primò.*

Lucæ 10.

*cœlis*; ex ipsis Romanorum tabulis matrem suam descriptam contineri permisit. Quis non deprædicabitur? Quis non admirabitur Dei longanimitatem? In cœlo liber, in terra descriptus, in cœlo filius, in terra seruus: in cœlo Rex, in terra mercenarius: in cœlo diues, in terra pauper: in cœlo adoratus, in terra inuidia exagitatus: in cœlo thronus diuinus, in terra spelunca agrestis: in cœlo paternus, & incomprehensibilis sinus, in terra exiguum pascendis brutis præsæpe. Quis non mirabitur cœlestium rerum magnitudinem, & terrestrium crepidiorum parcitatem? Qui liberat, ligatur; qui alit, alitur; qui comprehendi non potest, infans conspicitur; qui fontes erumpere facit, mammam sugit, qui omnia profert innarrabili ratione, profertur; qui nullius rei indiget prius tim sine descriptione circumscribitur. O res omnem ad plane admirationem superantes! Elisabet in domum, ibi læta partum edidit Virgo Augusta, in spelunca peperit. Ioannes in lecto, Dominus in præsæpe; non vacat mysterio, Dominus ex Virgine nascatur; non vacat mysterio, quòd crepundijs inuoluatur; quòd lac sugit; quòd in præsæpio reclinetur. Quod omnia ad Augusti descriptionē cōuocentur. Quam ob causam? Aut propter quem finem? Cumque magnis, profundisque mysterijs inuolutum ex Virgine nascitur, vt Adam prothoplastem eum, qui ex Virgineæ terræ luto efformatus fuerat, reformaret, crepundijs inuoluitur, vt peccatorum nostrorum Catenas euolueret; vinculaque vinculis dissolueret; iuxta id, quod dicit: *Vnusquisque * peccatorum suorum constringitur.* Mamma sugit, vt lac gratiæ, qui ex proprio ipsius latere manauit, redundaret: lac enim nihil aliud est, quàm sanguis dealbatus. In præsæpe declinatus est, vt hominum genus à recto rationis vsu declinationem, ad rectum rationis vsum reuocaret, duorumque boum pabulū fieret. At quorum duorum boum? Gentilis videlicet, & Iudaici populi. De quo, scilicet, scriptum est: *In medio duorum boum cognosceris.* Descriptionem, quæ sub Augusto Cæsare facta est, adamauit, vt Orbis terræ confusionem sedaret. Eaque descriptio vniuersæ terræ compositionis arrabo, & pignus fuit. Vera autem esse, quæ dicuntur, paucis accipe. Ante Domini incarnationem genus humanum graui tyrannide opprimebatur; vniuersi fines terræ, vi, atque iniuria gubernabantur; maiestas regia appetebatur; multi mortales regum seminaria extiterant. Simul, ac quisquam centum homines in suam potestatem redigisset, continuò regiam sibi dignitatem vendicabat. Illud erat vnicum Gentium certamen, Topharchias concupiscentes. Neque à loco in locum migrabant; nisi quacumque quæsita occasione armis se mutuo persequerentur. Hac rerum omnium perturbatio cum longo tempore terras teneret, simul ac Dominus in terris Virgineam aulam in terris habitare dignatus est, statim imperiorum multitudinem sustulit. Monarchiamque inuehit, & ad cœlestis gubernationem similitudinem Romanum efformauit imperium, quod omnium dominaretur. Quemadmodum enim in cœlis vnum supra omnia imperium valet; dæmonesque tanquam barbari profligati sunt. Ad eundem etiam modum in terris, quamuis multæ in eis essent indomitæ nationes: vnum tamen Romanorum Imperium stabilitum est, quippè, quòd diuino sit consilio constitutum. Propter hanc igitur rerum omnium compositionem, is, qui adhuc vtero gestabatur, Rex imperauit, vt prima illa descriptio sub Augusto celebraretur. Ipse quoque sub eam Romanorum descriptionem, vt summitteretur, permisit, vt ea, quæ tunc primum ferebatur lex, magis valeret. Tunc enim leges, quæ à regibus feruntur, magis stabiles, ac firmæ sunt, cùm qui eas tulerit, Rex primus legem adimpleuit. Nam, qui legem, quam tulerit, non patitur, euersor est, non legislator. Propter eam igitur, quam ante diximus, rerum omnium moderationem, compositionemque, ea, quæ sub Augusto facta est descriptio, prima fuit, vt & legis cultus transferretur, & Iudæorum ratio coerceretur. Neque amplius liceret Iudæis ab omni moderatione abhorrentibus, & sua legum licentia abutentibus, morte afficere innocentibus; imò, contra, necessitatis iugo constrictos legibus parere. Fuit igitur ea, quam ante diximus tempore Augusti facta descriptio necessaria, quæ descriptio Iudæorum gentem ad humilitatem, demissionemque adegit. Christianum verò populum contra extulit, atque in sublimi collocauit. Cùm non iam amplius Iudæi, metu Romani Imperij auderent veteri sua insania præcipites ferri. Ideoque factum est, vt hac descriptione cōstituta, cùm Dominum vi tenuissent, morteque afficere properarent, non ausissent prosua vesania rem ad exitum deducere; vt ante in prophetas debachati fuerant, quos in * damnatos dilaniarat. Sed ad Pilatum Romanorum præsidem deduxerunt, ab eoque pœnas earum rerum, quæ ab ipsis obijciebantur, repetierunt. Ab eoque, vt in suam sentētiam defendere modis omnibus cōtenderunt. Pilatus verò, vt qui iurisdicendi potestatem à Romanis accepisset, cum Iudæos canum more in Christi necem hiantes videret, Iudæis respondit: Quemadmodum vobis omnibus notū esse arbitror: *Ego nihil morte dignum in homine hoc inuenio.* Iudæi quid est, quòd Romanorū Imperium tam insigni nota respergere properastis, & insontem per iniuriā opprimitis, & eum qui nullius culpæ affinis est,

*Prou. 5.* * *Funibus.*

* *Habacuc 3.*

* *Indamnatos.*

*Luc. 23.*

est, supplicio afficere vultis? ego nullam mortis causam inuenio in homine hoc. Vultis vt omnino Barrabas moriatur, Christus verò liberetur. Siquidem ille homicida est, & sedicioſus. Hic verò beneficus, & Saluator. Quandoquidem hanc in eo accusationem intenditis? At Iudæi nulla ratione Pilati sententiam approbarunt. Quin potius Pilato Christo fauente palam exprobarunt. *Nonesamicus Cæsaris.* Qui vita donesum, qui se Regem esse dicit. Quare Pilatus non passus est Iudęos omnia pro sua libidine perpetrare. Nam si id ferre potuisset, Iudæi Dominũ lapidibus obruissent, aut ligneâ ferrâ dissecassent. Quod si illis facere licuisset, nobis crucis laus, & gloria erepta fuisset. Romanis enim patibulum crux fuit, qua causa fuit, vt Pilatus Iudæos his verbis interrogaret. *Quid vultis faciam eum quem dicitis Christum* Illi vero freti Romanorum more clamarunt: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Quibus Pilatus statim assensus est. Quam assentionem diuinitus acceperat, propter eam ordinis descriptionem, quæ sub Augusto Cæsare, prima vt describeretur lege sancitum fuisset. Nam nisi ea descriptio ante legata fuisset, corpus Domini nunquam fuerat * sepulturæ traditum, quinpotius Iudæi pro sua insania furentis corpus Domini, aut flammis aboleuissent, aut in mare demersissent. Nam si Ieremiam amicum, in luti lacum infixerunt, quid in corpus Domini facturi fuissent, nisi Romanorum legum supplicium extimuissent? Quare nulli Iudæorum cum à Pilato concessum esset corpus Domini sumere, Ioseph Abarimatia, qui amicus Pilati erat, accessit, ad Pilatum, & petiuit corpus Domini, & à Pilato est comparabili, ac pretiosissimo munere donatus. Necessaria igitur hac sub Augusto facta descriptio fuit. Quamuis enim Virginis, spõsus vt paulò ante dictum est, cõquerebatur. Vniuersus tamen mundus initium cõmodæ ordinationis suscepit. Quid est, quod spontum Virginis cõquęstum esse dicis? paucis accipe. Cum Ioseph sponsus Virginis, quòd paulò ante dixi, propter Augusti descriptionem Bethlem veniſſet vna cum MARIA sibi desponsata, quam in vxorem suam acceperat, ignorabat Ioseph mysterium, quod in Virgine latebat; quippe qui nondum responsum ab Angelo accipisset. At verò Virgo tum animi, tum corporis firmitate, ac constantia prædita erat. Quò enim magis vterum intumescebat, eo in maiore vitæ securitate, ac constantia versabatur. Virginitatemque suam intemeratam, atque immaculatam conseruabat. Vterumque sine vlla grauitate gerebat, neque labore vllo afficiebatur; sed potius omni leuitate gaudebat. Hæc cùm Ioseph ignoraret, postquam eam in vtero habere cognouit, cum Virginis vterum conclusum thesaurum ignoraret: mæstus in via Virginem his verbis compellauit. Quid tibi vsu venit MARIA? an non tu ea es, quæ in templi claustris tanquam Virgo versabaris? Non tu illa es MARIA, quæ nec conspectum quidem viri ferre poteras, non tu illa es MARIA, quæ nunquam adduci potuisti vt præter votum mihi nuberes? Non tu illa es MARIA, quæ Virginitatis rosam immarcesibilem conseruare, ac retinere præcauaris? Nõ tu illa es MARIA, quæ Susannam diligebas, & Ægyptiam oderas? Non tu illa es MARIA, quæ Thamar oppressam dolebas, & Amnom indomitum auersabaris? Vbi est ille tuus temperantiæ thesaurus? vbi aula tuæ ritatis tuæ? vbi venerandus ille vultus tuus? ego pudore opprimor, tu libertate exultas. Nam quo ergo magis peccatum tuum cœlo, & tu magis ad peccatum accedere festinas? Nonne ventris tumorem vides? intus infans exultat, tu verò tanquam ab omni culpa aliena, ipsamet culpa gaudes? Abi MARIA reuertere in domum tuam. Quære furtiuum tuum maritum; vna cum illo descriptor. * Alienam iniuriam * alienam iniuriam suscipiam? Non habes vllam tui supplicij defensionem. Atque ad Ioseph quidem MARIA sic ait. Quid quæris sponse mi? Quid me peccati condemnas? Quid malignis oculis vteri mei thalamum spectas? Quid me impudentiæ arguis? Quæ sim * gloria fœminarum, quæ vetericas omnes turpitudine liberaui. Euamque reuocaui, igneam flammeam transtuli. Tu verò peccatum meum cœlare properas? * Nemo quisquam est, qui pœnas à me repetere possit. Communem omnium Dominum in vtero gero. Quod si ego de me ipsa testimonium dico, non recuso quin habear inanis gloriæ cupida. Tu Ioseph bono tantisper animo esto, dum pastores tibi fidẽ faciant: Magi locupletes testes sint: stella tibi stuporem afferat: Angeli te compungant. Tu nunc mecum ex postulas, sed plane laudibus extollas cùm cœlestem militiam audies vna voce clamãtem: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tunc pronus in terra adorabis, neque me accusationibus obrues. Annon vides Ioseph iter nostrum vt se se habeat? Nullum omnino mortalium comitem nobis fuisse in via? Nonne vides solem splendidiùs inbar ex sese emittentem? Nonne vides montes exilientes? Nonne vides omnem creaturam exultantem? Nonne vides colles lætantes? Nonne vides exitus aquarum exundantes? Nonne vides Iordanum supra ripas defluentem? ex his signis de mysterio coniecturam facito. Tu verò Ioseph integram me, atque inuiolatam permanere dubitare nole, fœnore non turpidine affecta sunt. Virginitatem meam

* *fuisset*

* *sum*

*Lucæ 2.*

meam non maculaui, sed vterum inunxi. Tu verò Ioseph, noli ad ea, quæ ante oculos proposita sunt, incredulus esse. Cum mater vocauero, tunc qualis ego sim agnoscar. Nunc conuitijs, tunc laudibus efficiar. Nunc me quasi in culpa sim auersaris. Tunc tanquam sacta, vt iuxta mecum sis, hortaberis; sed neque eo te nomine magnũ esse iudicato, quòd me custodias, ego enim te custodio. Nam qui ventrem meum, quem inhabitaret elegit, hic vniuersarum creaturarum custos est. Eamus igitur, vt describamur, vt impleatur tunc militaris legislatio; tum regalis edictio. His verbis Ioseph placatus lubenter, atque hilari animo, reliquam viam confecit. Pedibusque terræ vestigia imprimebat, oculis verò super nubes exiliebat. Quid enim aliud Ioseph facere posset, quàm mente cœlestia meditari, cum omne datum optimum, è sursum detur? quæ causa fuit, vt in posterum Ioseph à Virginis latere nunquam discederet. Tunc vt auxiliator, tunc vt speculatòr futurorum esset; non quod auxilio indigeret Virgo, vel potius, qui Virginis vtero gerebatur, cum ipse omnium auxiliator sit, & ad eum clamaret, qui in hunc mundum clamat, *auxilium meum à Domino Altissimo*. Sed quod ad negotiationem dispensatio nis necesse esset, vt Ioseph auxiliator esset, qui Virgo sub viri potestate posita existimaretur, Diabolumque lateret. Quod sub eo velamine gerebatur. Neque id, quòd erat, intelligeret, Deum videlicet cum hominibus cõuersari decreuisse. Quare videamus, quid Lucas Euangelista loquatur. Pulchrum enim est, ea quæ restant intelligere. Tunc Ioseph munera sua obeuntem; tunc domuncula, in qua Virgo peperit Ecclesiæ typum suscipientem, in qua altera præsepe est, Sacelanus edituusque Ioseph. Diaconi pastores, Sacerdotes Angeli: Summus Pontifex Dominus. Thronus ipsa Virgo. Crateres mammæ, vellum incarnatio. Thuribula Cherubim, Liey-tus Spiritus Sanctus. Pater Palla, locum autem eum, in quo Virgo Dominum peperit Ecclesiæ typum repræsetasse. Audisti nuper ex Euangelista Luca, cùm diceret. Et *factum est cum eo ipsi venissent, vt implerẽtur dies, in quibus ipse filium suum primogenitum pareret, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio. Quod non esset eis locus in diuersorio.* O res mirabilis papè! quã magna mysteria sub tanta verborum humilitate latent. Factum est, vt cùm ibi essent ipsi, implerentur dies pariendi, ò rem mirabilem factor temporum diffinitum tẽpus expectauit, ne phantasma, aut visio iudicaretur, factum est in diebus illis, vt implerentur dies, & pareret ipsa filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio. Considera misticam Virginis parturitionem: ipsa peperit, ipsa eadem pannis inuoluit inter mundanos, alia parit, & alij pannis inuoluunt, in Virgine non sic. Ipsa peperit, ipsa eadem pannis inuoluit, ipsa sine vllo dolore mater, & sine vlla doctrina obstetrix. Neque enim passa est quemquam impuris manibus purissimum, sanctissimumque corpus Domini contingere. Ipsa per se ipsam, & eum, qui ex ipsa natus fuerat, & se ipsam curauit, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quod nõ esset ipsis locus in diuersorio. Vides amice locum Ecclesiæ multante graphycè descriptum. Vile subterraneum erat, in qua Virgo paperit, ea quæ semul vterum gessit; & secundùm nunquam genuit, iniuriæquè significationem nõ pertulit, quamuis quidam furore perciti, quod Lucam Euangelistam dicentem audierunt, & peperit filium suum primogenitum. Secundò, Virginem in vtero concepisse doceant, integritatemque ad corruptionem transferant, cum in suis dogmatibus affirment Dominum nequaquam primogenitum dictum iri, nisi secundo genitus consequtus fuisset. Quam ad rem aduersarij non modo Lucam suæ nequitiæ testem afferunt. Sed etiam Euangelistam Matthæum eadem attestari confirmant. Imò verò etiam manifestius, apertiusquè docere, eiusquè verba impiè in suis scriptionibus ita exponunt: dicimus Ioseph per visionem accepisse suprascriptum est Matthæo Euangelista dicente: Apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph dicens: surge, accipe MARIAM coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, ex Spiritu Sancto est. Surgens autem Ioseph, accepit vxorem suam MARIAM, & abierunt in Ægyptum, & non cognouit eam, quadusque pareret filium suum primogenitum. Quæ item verba aduersarij adducunt, vt probent Virginem secundo concepisse. Sed apage fœditatem sermonis. Virgineum enim seminium incontaminatum permansit secundùm cœlum nũquam est commaculatum. Vas illud, quòd Deum continuit, nunquam est conspurcatum. Dominus à Virgine primogenitus appellatus est, ac iure quidem optimo appellatus. Non quod aliquem secundùm similimodo genitum nominaret. Primogenitus enim idem est, ac sine vllo exemplo, ac comparatione genitus. Neque enim, quod Beatus Paulus dicat de generatione Dei à Patre, sine principio, qui est primogenitus omnis creaturæ continuò docerit * Patrem aliquem Domini naturalem extitisse. Porro, cùm ipsemet Paulus eundem Dominum primogenitum mortuorum appellauit, continuò, alium Domino consimilem significare voluit, qui ad eundem, quo Dominus, modum, infernum proculcarit. Quare tu, & sapienter audito, & piè credito Deum tuum

Psal. 120

Luc. 2.

ex

ex mortuis, tum ex Patre; tum ex Virgine primogenitum extitisse. Vt ex his omnibus locis intelligitur, vnica filiationis dignitas, & partus Dominicus exempli, ac totius comparationis expers. Qui enim fieri potest, vt partus esse dicatur, qui Matrem Virginem habuit. Ad eundem modum, cum Euangelista quoque Matthæus dicat de Ioseph: *Non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Verè enim eam non cognouit donec peperit filium suum primogenitum. Nam donec Virgo vterum gessit, non cognouit eam Ioseph. Hoc est non sciuit, quid ipsius vtero occultaretur, simulac verò peperit: Tunc planè Ioseph Virginem nouit, quænam esset Virginis vis, & quid pareret digna inuenta esset tunc cognouit; Mammam ab eo datam, nullamque venæ sectionem ab ea susceptam. Tunc cognouit insidias ab ea collocatas, & insidias non perceptas. Tunc nouit fœminam à summa excisa petra * exhibitam petræ intelligibili. Tunc nouit Ioseph de ea scripsisse Isaiam: *Ecce Virgo concipiet in vtero.* Quod hæc omnia sine vllo exemplo, & comparatione gesta sint. Est igitur IESVS primogenitus: si igitur verè de eodem Domino dicitur. Et vnigenitus ex Patre. Solus enim ex solo sine principio genitus est. Idem Dominus, & vnigenitus, & primogenitus: vnigenitus ex Patre: vnigenitus ex Matre propter dispositionem œconomiæ. Habet multos fratres, non natura, sed gratia. Et in Virgine, & in Patre, & in resurrectione habet fratres Dominus, quinam autem sunt hi? Supra omnes Apostoli, ad quos Dominus dicit: *Vado ad Patrem meum, & Patrẽ vestrum.* Ad quos Dominus dicit. *Vos cùm oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomẽ tuum.* In Christo IESV Domino nostro. Cui gloria, & imperium nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Matth.* 2 — *Isai.* 7. — *Ioan.* 16. — *Lucæ* 11.

# F. AVGVSTINVS ANCONITANVS.

## NOTA.

A B aliquibus *Augustinus de Ancona*, ab alijs *Augustinus Triumphus Anconitanus Præclarissimi sui Patris S. Doctoris Augustini, in litteris singularis discipulus, in sanctitate admirabilis filius, natus dicitur anno à Virgineo partu M. CCXLIII. gubernante Ecclesiam Innocentio IV. Pont. Max deinde liberalibus disciplinis eruditus, mundo vale dixit. Hic vnà cum Ægidio Columna Romano eiusdem instituti, Lutetiam Parisiorum ad audiendos D. D. Thomam Aquinatem, & N. Bonauenturam missus ad veræ doctrinæ, pietatisque apicem peruenit. Quamobrem, & patriam, & genus suum nobilitate clarum, & proprium Ordinem illustrauit. Ad Concilium Lugdunense adhuc iuuenis à Gregorio X. fuit euocatus. Quo in loco eius sanctitas, & doctrina habenda sit, pluribus docent, S. Antoninus, Ioannes Andræas, Turrecremata, Felinus, Decius, Renatus Chopinus, Vernerius, Ambrosius Coriolanus, Alphonsus ab Orozco, Thomas de Herrera, Thomas Gratianus, Martinus Nauarrus, Didacus Couarrubias, Melchor Canus, Ioannes Tritemius, Raphael Volaterranus, Sixtus Senensis, Hieronymus Siripandus, Iosephus Pamphilius, Robertus Belarminus, Aubertus Myræus, Antonius Possevinus, & alij quàm plurimi, omnia quæ hìc dicere poteram in eius claudunt ur breui Epytaphio.* Anno Domini M CCCXXVIII. die secũda Aprilis indictione prima, obijt B Augustinus Triumphus de Ancona, Magister in sacra pagina Ordinis Eremitarũ S. Augustini, qui vixit annis LXXXVIII. edidit suo Angelico

gelico ingenio triginta sex volumina librorum, Sanctus in vita, & clarus in scientia, vnde omnes habent sequi talem virum, qui fuit Religionis speculum, & pro eo rogare Dominum, *Is Milliloquium S. Augustini incæpit, sed morte præuentus, imperfectum reliquit, quòd postea Bartholomæus Vrbinus eiusdem Ord perfecit. Librorum materias recẽsent nomenclatores Gratianus, & Possevinus Gesnerus. Inter alia ad laudem, & gloriam Beatissimæ Virginis MARIÆ edidit:* In primum caput Lucæ super missus est. *Et super* Aue MARIA, *Et super* Canticum Magnificat. *Opuscula; quæ primo Lugduni per Magistrum Sixtum Alog Keugier Almanum sub hoc titulo de Laudibus Virginis gloriosæ super Euangelium Missus est, deinde R. P. Angelus Roccha à Camerino Augustinianus, è tenebris (vt ipse ait) eruit, & aucta, ac illustrata, typis mandauit Romæ, anno M. D. XC. alterum in Typographia Dominici Basæ, sub hoc titulo in Salutationem, & Annunciationem Angelicam Deiparæ præstantiam; Alterum Vincentij Accolti. Primum opusculum contuli cum altero manuscripto, quòd extat in Bibliotheca Toletana S. Ioannis Regum Seraphici instituiti.*

# IN CANTICVM DEIPARÆ MARIÆ SEMPER Virginis tractatus.

## PROEMIVM PRIMVM,

*De ijs, quæ Canticum B. MARIÆ semper Virginis commendabile reddunt: ac de ordine dicendorum vniuersali.*

*Psal.* 143 AVgustinus super illo verbo Psalm. *Deus Canticum nouum cantabo tibi: in Psalterio decachordo psallam tibi.* Dicit: Virginis gloriosæ Canticum quatuor reddunt commendabile.

Primum est noui Testamenti inchoatio, quando dicit: *Deus Canticum nouum.* Nam secundùm Augustinum: Nouum Testamentum, nouum Canticum appellatur: quia magna nouitas est, vt quis in baptismo dimittat vitam veteris hominis Adæ: & viuat vita Christi, noui hominis, & moriatur Diabolo, & viuat Christo, exuatur culpa peccati, & vestiatur gratia Dei. Istud autem Canticum licet in veteri testamento fuerit per Prophetas, & Patriarchas pronunciatum: quia Moy-

*Deut.* 31 ses dixit: *Scribite vobis Canticum istud, & docete filios Israel, vt memoriter teneãt.*

*Iere.* 31. Et Ieremias ait: *Consummabo super domum*
*Ps.* 95. & *Iuda testamentum nouum.* Et Dauid pluries
97. & replicauit: *Cantate Dominum Canticum nouum.* Solum tamen per Virginem Beatã fuit
149. Canticum istud inchoatum, & demonstratum: quando iam Christus in suo eius vtero benedicto conceptus, in domo Elisabeth cantauit, & dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Quod quidem nouum Canticum, Ioannes clausus existens, audiens, exultauit, & tripudium fecit.

Secundum est, vel fuit illius, cui cantauit, præmij remuneratio, quando ait: Cantabo tibi. Deo namque Virgo Beata cantauit: nõ homini, non mundo, sed Deo, qui fecit sibi magna, quia potens est, & sanctum nomen eius. Dicebat enim quod pater suus Dauid *Psal.* 143 prædixerat (vt ait Augustinus Cantabo Do- *Psalm.* 11 mino, qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini Altissimi: ac si diceret: Tibi Domine cantabo nouum Canticum, cordis lætitia, per vitam contemplatiuam: & operis efficacia, per vitam actiuam. Qui tribuit iam mihi bona, non ad humanum diem pertinentia, sed spiritualia, & æterna: alijs promissa, mihi exhibita, & præsentialiter data.

Tertium est instrumenti, in quo cantatur perfectionis explicatio, quando dicit: In psalterio decachordo, ac si diceret: In lege decem præceptorum tibi, Deus cantabo nouum cãticum: quia plenitudo legis est dile- *Psal.* 43. ctio charitatis: eo quòd in charitate Dei, & *Rom.* 13. proximi (dicẽte Saluatore) vniuersa lex pen- *Matt.* 22. det, & Prophetæ. Ideo in charitate Virgo sanctissima, nouum Canticum decantauit: qua qui caret, secundùm Augustinum, psalterium portare potest, cantare verò non potest.

Quartum, modi cantandi mentalis deuotio, quando ait: Psallam tibi: psallebat enim Virgo MARIA mente, cordis deuotione, ore, & vocis expressione, modo, quo dicit Apostolus. Psallam corde, psallam, & mente. Quia gaudium expressiuum signum erat *Cor.* 1. 6. & interioris cantici, sicut dicit Propheta: Gau- 14. debunt labia mea cùm cantauero tibi: & anima mea, quam redimisti. *Psal.* 70.

Si

Si ergo quæratur, quid Virgo Beata cantauerit? certè Canticum nouum, per noui testamenti inchoationem, & demonstrationem. Si verò quæratur, cui cantauit? certè tibi Deo: videlicet per eius præmij remunerationem. Si verò quæratur, in quo instrumento cantauit? certè in psalterio decachordo: per præceptorum legis explicationem. Sed si quæratur, quomodo cantauit? certè per mentis singularem deuotionem, quia psallam tibi. De isto igitur glorioso Cantico, canticum decachordum continente, & explicante, vnum tractatum, ad laudem Virginis, exponere disposui, post tractatum de *Aue MARIA*: vt sicut ego miser, & infelix homo, suadente fragilitate humana, quo tidie non cesso peccata peccatis adiungere: sic ipsa sua imperiali pietate apud suum filium non cesset pro me preces precibus cumulare. Prædictum siquidem tractatum sicut priorem, non per capitula distinguendo, sed per lectiones, litteralem, & moralem expositionem, ac dubitationes continentes, ordinabo. Et singulis Versibus Cantici prælibati, singula præcepta decachordi adaptabo, præstante ipso Domino IESV Christo, qui est æterni Patris Canticum, & cithara, cui semper sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

## *Proœmium alterum in Canticum B. MARIÆ semper Virginis de triplici effectu, ac fine Cantici spiritualis, necnon de dubitationibus ad Canticum pertinentibus explanandis.*

QVoniam in Cantico spirituali tria principaliter intenduntur: Primò, Dei & proximi dilectio: Secundò, Diaboli, ac mali spiritus effugatio: Tertiò, animæ cantantis delectatio. Ideo in Cantico decachordo, Virginis gloriosæ, seu decem versus continente, debemus intelligere ista tria per nostram tympanistriam esse cantata. Primò decem præcepta, quibus Deus, & proximus diliguntur. Secundò, decem plagas, quibus Pharao, vel Diabolus, & Dei inimici percutiuntur. Tertiò, decem sanctorum cantica, quibus animæ fidelium reficiuntur. Nam in decem præceptorum obseruatione Deus, & proximus diliguntur: quia in dilectione Dei, & proximi, vniuersa mandata continentur. Vnde dicitur: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* In decem verò plagarum percussione, Pharao, & Diabolus, & omnes Dei inimici submerguntur. Vnde dicitur, quòd Dauid psallente, & citharam percutiente, malus spiritus recedebat à Saul: & Saul melius se habebat. Sed in Canticorum Ecclesiasticorum, & sanctorum decantatione animæ fidelium reficiuntur, & delectantur. Ideo dicebat Propheta: Iucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino. Ante igitur quàm singulos versus Cantici Virginis litteraliter, & spiritualiter exponamus, quasi per modum prologi, quinque dubitationes possunt fieri, vt infra.

*Ioan.* 14.

1. *Reg.* 16

*Ps.* 103.

1 Vtrùm Canticum Virginis contineat decem versus, propter decem præcepta, quibus Deus, & proximus diliguntur.

2 Vtrùm eius Canticum contineat decem versus, propter decem plagas, quibus Pharao, & Diabolus: & omnes Christi inimici percutiuntur, & interficiuntur.

3 Vtrùm Canticum ipsius contineat decem versus, propter decem cantica sanctorum, quibus animæ sanctorum pascuntur, & delectantur.

4 Vtrùm componere cantica amatoria, & cantilenas amoris, sit mortale peccatum,

5 Vtrùm huiusmodi cantica amatoria audire, vel ipsa cantare, sit peccatum mortale.

## *Decem præcepta Decalogi, decem versibus Cantici non inconcinne respondent.*

### Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd tria sunt præcepta, quibus diligitur Deus. Nam Deus rectè diligitur: Primò fidelitate, & sic: Non habebis Deos alienos: Secundò Charitate: & sic: Non assummes nomen Dei tui in vanum. Tertiò quiete, & bonitate, & sic: Memento vt diem Sabbati sanctifices. Proximus vero septem modis rectè diligitur: primò naturæ, & beneficij receptione, & sic. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Secundò naturæ communicatione: & sic: Non occides. Tertiò personæ sibi coniunctæ, reuerentiæ exhibitione, & sic: Non mœchaberis. Quartò suæ vitæ conuersatione, & sic: Non furaberis. Quintò oris testificatione, & sic: Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. Sextò suorum bonorum ordinata affectione, & sic: Non concupisces domum proximi tui. Septimò prauæ concupiscentiæ prohibitione, & sic: Non desiderabis vxorem proximi tui. Ista sunt illa decem verba scripta in tabulis, quæ Dominus loquutus est ad Moysem, vt scribitur in Deuteronomio. Canticum igitur Virginis decem versus habet secundum decem præcepta in eis contenta. Non habebis Deos alienos, continetur in primo Versu: *Magnificat anima mea Dominum.* Quia plures Deos adorare, non est vnum Deum magnificare. Non assumes nomen Dei tui in vanum, continetur in illo Versu: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Qui

*Deut.* 10.

in

in salutari, & veritate Dei exultat, nomen Dei invanum non assumit: nec periurium incurrit. Memento vt diem Sabbati sanctifices, continetur in tertio Versu: *Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Ideo namque Virgo erat quieta, & diuino cultui mancipata: quia eius humilitas à Deo erat probata. Honora patrem tuum, & matrem tuam, continetur in quarto Versu: *Fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.* Nam Deus & parentes nobis magna faciunt. Deus animam creando: parentes corpora administrando. Ideo æquipollens eis reddere non possumus, tenemur tamen nomen Dei sanctificare, & parentes honorare. Non occides, continetur in quinto Versu: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Qui proximum occidit, misericordiam non seruat, sed credulitatem. Non mœchaberis, continetur in sexto Versu: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Quod est tantùm dicere, vt dicit Glossa, quantum fornicatores, & adulteros iudicabit Dominus. Non furaberis, continetur in septimo Versu: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Nam omni die conspicimus, secundùm Glossam, tyrannos aliorum bona rapientes, deponi, & deprimi, & pauperes exaltari: illos ad infernum demergi: istos ad cœlum eleuari. Non falsum testimonium dices, continetur in octauo Versu: *Esurientes implenit bonis: & diuites dimisit inanes.* Dicente enim Saluatore: Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur: & bonis implebuntur. Non concupisces domum proximi tui, continetur in nono Versu: *Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.* Nam Israel qui fuit Patriarcha Iacob, inordinatam concupiscentiam primo in fratre suo Esau supplantauit, & damnauit: per cuius supplantationem primogenita eius comparauit, vt scribitur in Genesi. Sed non desiderabis vxorem eius, continetur in decimo Versu: *Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in secula.* Nam de inordinato desiderio Saræ, vxoris Abrahæ, primo legimus Abimalech fuisse reprehensus, vt patet in Genesi. Igitur propter decem præcepta, Versus decem in Cantico Virginis continentur.

*Matt.* 5.

*Genes.* 25

*Genes.* 20

*Canticum B. MARIÆ semper Virginis ex decem Versibus constat, respondentibus decem Pharaonis plagis, quibus Pharao, Diabolus, & omnes Christi hostes percutiuntur, & occiduntur.*

Quæst. 2.

*Exo.* 7.

AD secundam dubitationem est dicendum, quòd sicut patet in Exodo ad litteram, Pharao, & Ægyptij decem plagis percussi fuerunt. Prima, aquarum in sanguinem conuersione: per quod spiritualiter, vt dicit Origenes, debemus intelligere Philosophorum, & hæreticorum idolatriam: qui gloriam incorruptibilis Dei mutauerunt in gloriam corruptibilis hominis. Secunda, ranarum multiplicatione: per quod debemus intelligere Rhetorum clamosam, & fabulosam eloquentiam: qui à veritate auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur. Tertia, sciniphum multiplicatione, in quorum productione defecerunt magi Pharaonis: per quod debemus intelligere dialecticorum fallaciam, & versutiam. Quarta, muscarum infectione: per quod debemus intelligere carnalium peccatorum petulantiam. Quinta, pecorum, & animalium pestilentia: per quod debemus intelligere peccatorum amentiam, & stultitiam. Sexta, vesicarum vlceratione: per quod debemus intelligere spiritualiter conceptam, & dolosam malitiam. Septima, grandinis, & pluuiæ fulguratione: per quod debemus intelligere rapinam, & furtiuam concupiscentiã. Octaua, locustarũ corrosione: per quod debemus intelligere inuidentium inconstantiam. Nona, tenebrarum obscuratione: per quod debemus intelligere veritatis ignorantiam. Decima, primogenitorum occisione: per quod debemus intelligere æternæ damnationis sententiam. Sicut igitur illis decem plagis corporaliter percussi sunt Ægyptij, ita spiritualiter per decem versus contentos in Cantico Virginis gloriosæ, percutiuntur omnes inimici Christi: & effugantur omnes Dæmones, & omnes nequitiæ spirituales.

*Ibid.* 8.

2. *Tim.* 4.

*Exod.* 9.

*Ibid.* 10.

*Ibid.* 11.

*Decem versus Cantici respondent decem Sanctorum Canticis, quibus eorum animæ pascuntur, ac delectantur.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd decem Cantica Sanctorum accipit Ecclesia de Sancto Canone: quæ in decem Versibus Cantici gloriosæ Virginis continentur. Primum namque est Canticum Salomonis, de Christi, & Ecclesiæ coniunctione. Vnde dicitur in dicto Cantico, in persona Ecclesiæ: Veniat dilectus meus, id est, Christus in hortum suum: vt comedat fructum pomorum suorum. Secundùm est Isaiæ, de Dei iracundiæ placatione. Dicebant enim aliqui sic Deum humano generi fore iratum, vt spes non esset amplius de eius placatione. Contra quos ait, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Tertium, Annæ matris Samuelis de suæ sterilitatis priuatione. Vnde statim

*Cap.* 5.

*Cant.* 8.

*Isai.* 18.

*Cant.* 5.

tim cùm dixit: Exultauit cor meum in Do-
*1. Reg. 26* mino, adiunxit: Donec sterilis peperit plu-
*Cant. 4.* rimos. Quartum est Ezechiæ, de suæ mortis
*Isai. 28.* prolongatione. Vnde dixit: Quæsiui resi-
*Cant. 5.* duum annorum meorum. Quintum est Moy
*Deut. 32* si, de beneficiorum Iudæorum, ac eorum ma
lorum testificatione, quando ait: Audite cœ
*Cant. 6.* li quæ loquor. Sextum est Iudæorum, de
*Exod. 15* Ægyptiorum submersione: quando dixe-
runt: Cantemus Domino: gloriosè enim,
*Cant. 7.* &c. Septimum est Habacuc de Christi in
cruce triumphali glorificatione. Dixit enim
quòd ibi, scilicet, in cruce, abscondita est
fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors.
*Cant. 8.* Octauum est Simeonis, de eius satietate, &
*Luc. 2.* desiderij adimpletione. Vnde dixit: Nunc
dimittis Domine seruum tuum in pace. No-
*Cant. 9.* num est Angelorum, de humanæ naturæ ad
vnitatem diuinæ personæ assumptione. Vn-
de dixerunt, Gloria in excelsis Deo. & in
*Cant. 10.* terra pax hominibus bonæ voluntatis. Deci-
mum est Zachariæ, de promissionis factæ an-
tiquis patribus obseruatione. Vnde dixit,
*Luc. 1.* Iusiurandum quod iurauit in Abraham pa-
trem nostrum.

*Cant. 1.* Primum ergo Canticum de Ecclesiæ, & Christi coniunctione, continetur in primo Versu. *Magnificat, &c.* Nõ potest fidelis ani ma plus magnificari quàm esse cum Christo
*Cant. 2.* coniuncta. Secundùm, de Dei placatione, continetur in secundo Versu: *Exultauit, &c.* Multum potest spiritus hominis exul-
*Cant. 3.* tare, cùm scit Deum esse placatum. Tertiũ, de sterilitatis priuatione, continetur in ter-
tio Versu: *Quia respexit, &c.* Non enim minus potuit Virgo dicere Canticum illud de fœcunditate ventris, quàm Anna: cùm propter fœcunditatem, & fructum ventris eius beatam eam dixerint omnes generatio-
*Cant. 4.* nes. Quartum de mortis, prolongatione cõtinetur in quarto Versu: *Fecit mihi, &c.* Magnæ namque potentiæ fuit prolongando vitam Ezechiæ quindecim annis: & quòd
*Cant. 5.* Sol decem lineis reuersus est retro. Quintum de Iudæorum beneficiorum, & eorum malorum testificatione continetur in quinto Versu: *Et misericordia eius à progenie in progenies.* Narrata namque fuit misericordia Dei circa Iudæos in mille generationes.
*Cant. 6.* Sextum de Ægyptiorum, & dæmoniorum submersione, continetur in sexto Versu: *Fecit potentiam in brachio suo, &c.* Septimũ
*Cant. 7.* de Christo in cruce triumphali glorificatione, continetur in septimo Versu: *Deposuit potentes de sede*: vt puta Pharisæos, & Dæ-
*Cant. 8.* mones: *Et exultauit humiles*, idest, Apostolos. Octauum, de optati desiderij adimpletione, continetur in octauo Versu: *Esurientes impleuit, &c.* Simeon namque desiderãs Christum videre, ante mortem repletus fuit bonis: Pharisæi, & Scribæ diuites in litte-

A rali sensu legis, dimissi fuerunt vacui. Nonum continetur in nono Versu: *Suscepit Israel puerum suum: recordatus, &c.* De fe- *Cant. 9.*
mine enim Israelitico, Dei filius humanam naturam suscepit: quod fuit gloria Angelorum, & pax hominum. Sed decimum continetur in decimo Versu: *Sicut locutus est ad patres nostros, &c.* Decem igitur versus cõ- *Cant. 10.*
tinentur in Cantico Virginis gloriosæ, propter decem præcepta, quibus Deus, & proximus diliguntur. Et propter decem plagas, quibus Diabolus, & inimici Christi percutiuntur, & effugantur. Et propter decem Cantica, quibus animæ fidelium delectantur.

B

## *Quo modo Cantica amatoria edi non possint citra peccatum mortale.*
### Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd tribus modis componere cantilenas amoris, & amatoria verba, potest esse peccatum mortale. Primò, si hoc fiat propter sui, vel alterius excitationem, & calefactionem. Obedit enim corpus nostrum imaginationi, quantum ad alterationem, & ad motionem. Vnde sicut excitantur oculi ad lachrymandũ, auditis aliquibus Hymnis, & Canticis, & Psalmis, sicut dicit Augustinus, quòd voces
C Psalmorum, & Hymnorum influebant auribus eius, & eliquabatur veritas in cor eius, & fluebant lachrymæ, & benè illi erat cum illis, sic membra carnis possunt inflammari, & excitari ad concupiscendum, auditis cantilenis, exprimentibus particulares operationes, & verba amatorum. Qui ergo tali fine, huiusmodi cantica componit, vt concupiscentia sua, vel alterius, inordinatè excitetur, & inflammetur, sine peccato esse non potest, & bene mortale. Quia plus est peccatum ore prorumpere, quàm corde concipere. Sicut plus est peccatum operari opere, quàm ore loqui: sed constat, quòd dicente Saluatore: Qui viderit mulierem ad concupiscendum
D eam, iam mœchatus est in corde suo. Ergo talem concupiscentiam ore, & cantu exprimere, amplius peccatum est. Secundò si fiat propter Dei amici debilitationem. Nam planum est, quòd si duo inimici ad inuicem bellarent, homo non posset auxilium præstare vni, sine iniuria alterius: quia auxilium amici, est debilitatio inimici. Nunc ergo caro nostra est amica huius seculi, & spiritus est amicus Dei; & sic inimicantur ad inuicem, vt (dicente Apostolo) semper ad inuicem pugnent. Cùm ergo per tales cãtilenas caro de- *Galat. 5.*
lectetur, & iubetur in his, quæ appetit, & desiderat, non potest carni tale auxilium præstari, sine iniuria spiritus, & sine debilitatione eius. Et sic (dicente Beato Iacobo) Ami- *Cap. 4.*

cus

cus huius seculi inimicus Dei constituitur. Oportet quòd qui tali fine Cantica amatoria componit, vt amicum debilitet, & inimicum Dei fortificet, peccatum incurrat. Tertiò, si istud fiat propter operationis virtuosæ, & spiritualis remotionem, & retractionem. Videmus enim ad sensum, quòd anima dedita spiritualibus, & speculabilibus, retrahitur á sensibilibus. Sicut cùm quis vehementer contemplatur aliquid, non videt transeuntem iuxta se. Sic eodem modo cùm quis multum afficitur circa cantilenas amoris, oportet quòd retrahatur à diuino amore, & ab operibus virtuosis. Vnde hac de causa Philosophi in Græcia ordinauerunt, quòd Poetæ fingentes, & componentes carmina amatoria, deberent de ciuitatibus illis expelli, in quibus moralis Philosophia docebatur, aduertentes, quòd studentes audientes talia retraherententur à studio, & contemplatione Philosophiæ. Igitur propter concupiscentiæ excitationem, & propter amici Dei debilitationem, & propter virtutis retractionem, componere cantilenas amoris carnalis, sine peccato esse non potest.

A

B

*Quomodo Cantica amatoria audiri, aut cantari possint citra mortale peccatum.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd Augustinus determinat hanc dubitationem super illum Psalmum: Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dicés: Quòd sicut Babylonij habentes filios Israel in captiuitate, interrogabant eos verba cantionum dicentes, deridendo: Dicite nobis cantica Dei vestri promittentis nobis aliam vitam quàm istam, & alia delectabilia quàm sint in mundo. Quibus responderunt: Quomo cantabimus Canticum Domini in terra aliena? cùm sanctum non sit dandum canibus: nec margarita sit ponenda ante porcos. Sic hodie amatores mundi totam spem eorum in delectationibus præsentis seculi ponentes, & de alia vita diffidentes, quasi deridendo interrogant bonos viros: quot captiuos faciũt dum operibus eorum consentire coguntur. Interrogant, inquam, verba cantionum, dicentes: Quid docuit Christus vester vos cantare? miseri estis si talia ereditis, delectemini, fruimini bonis, & delectationibus huius seculi, quia qui ista perdit, illis priuabitur. Quibus respondendum est, quod dicit Propheta: Si oblitus fuero tui Ierusalem: obliuioni dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero tui Ierusalem in principio lætitiæ meæ. Ex quibus verbis colligitur secundùm Augustinum, quòd cantilenas amoris, & alia delectabilia mundi, dicere, vel audire, tripliciter potest esse peccatum. Primò, si per hoc Ierusalem, id est, spiritualis delectatio obliuioni tradatur. Multi enim in talibus cantilenis, & ludis sic assuescunt, quòd totam diem in talibus finiunt: noctem etiam occupantes, & spiritualium bonorum omnino obliuiscentes. Talium enim (dicente Propheta) obliuiscetur dextera eorum, ideſt, vita æterna eis promissa: quia ipsa priuabuntur, vt dicit Augustinus. Secundò, si per hoc in spiritualibus canticis, & in spiritualibus delectationibus mutus efficiatur. Nam multis adhæret lingua faucibus suis, loquendo bona, & honesta, & audiendo bona verba, & sancta. Et habent aures apertas, & os apertum ad loquendum, & audiendum turpia, & corrumpentia bonos mores. De quibus dicit Spiritus Sanctus: Qui obturat aures suas ne audiat verba prudentiæ, & legem eius: oratio eius erit execrabilis. Tertiò, si per hoc delectatio in dicẽdo, vel audiendo huiusmodi cantilenas, delectationi Ierusalem, cœlestisque patriæ præponatur. Nam audire quandoque talia ad recreationem quandam, non est dicendum, quòd sit semper peccatum mortale: quia virtutis Eutrapeliæ est secundùm Philosophum vti ludis, & recreationibus corporalibus, secundùm debitum modum. Modus autem debitus est iste, vt homo propter talia, delicijs, & spiritualibus delectationibus non obliuiscatur, vt per ipsa in spiritualibus doctrinis non surdus, nec mutus efficiatur. Et vt semper delectatio spiritualis tanquam finis præfigatur, & omnibus mundi delectationibus præponatur.

C

D

Psal. 136.

Matt. 7.

Psal. 136.

Psal. 136.

Prou. 28.

Tob. 9. c. 3 & 5.

Exo. 20.

Deut. 6.

Matt. 5.

*DE PSALTERII CHORDA Prima, quæ in Cantico Beatæ MARIÆ semper Virginis consideratur.*

MAgnificat anima mea Dominum. Sicut supra dictum est, in decem versibus Cantici Virginis gloriosæ, decem chordæ Psalterij tanguntur. Prima igitur chorda, secundùm Augustinũ in libro de decem chordis, tangitur, cùm dicitur: Non habebis deos alienos coram me: Sed vnum Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. Vt dicitur Deuter. 6. Hanc igitur primam chordam Virgo gloriosa tetigit in primo versu sui Cantici, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Nam Dominum magnificare nõ est aliud, quàm vnum Deum Dominum adorare. Decebat enim, vt dicit Augustinus, vt statim Dei filio in vtero virginali concepto psalterium decachordum, & legem decem præceptorum, ipsa decantaret, ad demonstrandum, quòd mater illius effecta erat, qui non venerat legem soluere, sed adimplere. In omni autem cantu, & laude diuina, tria re-

qui-

quiruntur. Primò, operatio, per quã Deus laudatur. Secundò, virtus, & potentia, quæ laudat. Tertiò, obiectum, vt ipse Deus, qui laudatur. Ex parte igitur operationis, Virgo Beata tetigit laudis immensitatem, quan dixit: *Magnificat*. Nam alta, & magnifica debet esse operatio, per quam laudatur: nec posset esse sic magnifica, & sic magna, quòd sufficeret ad laudem eius. Vnde Eccles. 43.

*Eccl.* 43. Non laboretis, quia non peruenietis, magnificetis eum, quantumpotestis: maior est enim omni laude. Et subditur: Quis magnificabit eum? Sic enim ab initio multa sunt abscondita maiora ijs. Hac de causa Dauid Prophetarum eximius, videns, quòd solus sufficiens non erat Deum magnificare, alios sanctos adiutores ad hoc inuitat, dicens: Magnificate Dominum mecum, vt dicit Augustinus

*Psal.* 33. super dicto verbo. Imaginis verò laudantis proprietatẽ tangit, cùm dixit: *Anima mea*. Non est enim aliquid in nobis, quod Deum laudare possit, nisi anima, secundùm quam facti sumus ad imaginem, & similitudinem Dei. Omnia autem alia communia sunt nobis, & brutis. Vnde dicit Augustinus de Tri-

14. *de Trinit. cap.* 8. *tom.* 3. nitate, quòd in eo vnde excellimus omnia bruta, imaginem Dei quærere debemus. Et hæc est anima, quia tunc Dominus magnificat, quando ipsa magna efficitur. Nam Deus in se, nec magnificari, nec minui potest: Sed cum anima, imago Dei existens, magnificatur, & magna efficitur, cogitatione, locutione, operatione, Deum laudando, & eius præcepta seruando, tunc ipse Deus, cuius ipsa est imago, magnificatur, & grandis in nobis efficitur, sicut dicit Origenes super hunc locum. Tertiò tetigit eius, quem laudat, vnitatem, quando dixit: *Dominum*, & non Dominos. Nam licet Dominus sit Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; non tamen sunt tres Domini, sed vnus Dominus; nec tres dij, sed vnus Deus. Nec tribus laudibus debetur laudari, sed vna laude. Nec tribus adorationibus adorari, sed vna

*Homil.* 8. *in Lucam*

*Deut.* 6. adoratione. Vnde in Deuteronomio dicitur, Dominum Deum tuum adorabis. Et ista tim additur: Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est. Tria itaque commendant Canticum istius primæ chordæ Virginis gloriosæ. Primum est, operationis, per quam laudabat, & cantabat, alta immensitas, cùm dicitur: *Magnificat*. Secundùm est virtutis, imaginis, quæ laudabat, congrua proprietas, cùm additur, *Anima mea*. Tertium est eius, quòd laudatur, singularis vnitas, cùm adiungitur: *Dominum*. De ista ergo prima chorda, per quam Virgo Beata vnum Deum magnificauit, & primum legis præceptum decantauit, esse possunt quinque dubitationes.

1 Vtrùm primum præceptum legis sit, vnum solum Deum magnificare.

2 Vtrùm contra istud præceptum faciant sortilegi, & Dæmonum consultores.

3 Vtrùm contra istud præceptum faciant Astrologi, & futurorum diuinatores.

4 Vtrùm contra istud præceptum faciant creaturarum nimium amatores.

5 Vtrùm contra istud præceptum faciant Dei diuisores.

### *De primo legis præcepto, quòd primæ chordæ, respondet.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd vnum solum Deum magnificare, vt nullum post ipsum, vt Deum colere, quinque principaliter nos inducunt. Primum est vniuersalis, & suprema dignitas. Licet enim sint Domini multi participatiuè, essentialiter tamen, & vniuersaliter non est, nisi vnus Dominus. Et quia vniuersali Domino magnificentia, & vniuersalis reuerentia debet exhiberi, ideo sine iniuria talis Domini fieri non posset, quòd alius Dominus pro Domino haberetur, & coleretur, nisi ipse. Sicut sine iniuria Regis fieri non posset, quòd alius in Regno haberetur præter ipsum. Secundùm est beneficiorum eius largitas; omnia enim opera nostra, & beneficia nostræ operatus est in nobis: quia in eo viuimus, mouemur, & sumus, & stamus. Aperiente enim manum suam omnia implentur bonitate. Et Iacobus dicit, quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Multum autem esset ingratus, & multum stultus ille, qui talia beneficia sibi à Deo tributa, crederet ab alio sibi dari, & ab alio vellet cognoscere. Quòd fieret, quando alius Deus præter ipsum, vt Deus coleretur. Tertium est promissorum immensitas. Nulli enim nationi promittitur tam immensum beneficium, sicut Christianis vnum Dominum magnificantibus. Nam Saracenis fluuius lactis, & mellis fuit promissus per Mahometem. Et Iudæis timore, & carnaliter Deum colentibus, terra promissionis fuit promissa. Sed Christianis gloria Angelorum: Eritis sicut Angeli Dei in cœlo. Si ergo singulare beneficium promittit, singulariter est à nobis habendus, vt Deus. Quòd non esset, si alium præter ipsum coleremus. Quartum est nostræ promissionis firmitas. Promisimus namque sibi in baptismo fidelitatem, abrenunciando Diabolo, & pompis eius. Sicut ergo grauiùs esset puniendus, qui præstito iuramento alicui Domino, si præstaret auxilium, & fauorem inimico eius, quia proditor esset. Vnde in lege Moysi irritam faciens promissionem illius legis duobus, vel tribus testantibus absque vlla

*Iacob.* 1.

*Mat.* 22.

contradictione moriebatur. Ita multò magis, si quis non obseruat talem promissionem factam Deo, comburendus est, & lapidandus. Quintum est inimici Dei dominij grauitas. Nam stultus esset ille, qui vellet se subtrahere à dominio benenoli, & mansueti Domini, & cuius iugum esset suaue, & onus leue, & vellet supponere se dominio, & seruituti illius, cuius dominium esset sic graue, quòd semper vnum grauamen apponeret aliud, & tale est dominium Diaboli. In cuius figura Pharao, & Ægyptij in tantum aggrauabant filios Israel, quòd semper vnum grauamen super aliud apponebatur. Sic Diabolus semper vnum peccatum, quòd est maximum grauamen, apponit aliud, dicente Gregorio: Peccatum, quòd pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Talem autem subtractionem facit ille, qui vnum Dominum non magnificat, & qui alium Deum magnificat, præter ipsum. Ista ergo quinque superius dicta ostendunt vnum solum Deum magnificare, & post ipsum alium Deum non habere, esse primum præceptum legis. Quia sicut fides, dicente Apostolo, est substantia, & fundamentum omnium sperandarum rerum, & omnium spiritualium bonorum: ita vnum solum Deum magnificare, & plures deos non adorare (quòd super fidelitate fundatur) primum est omnium præceptorum.

*Mat.* 18.

*Exod.* 5.

*Sortilegi, ac Dæmonum consultores primo Præcepto Decalogi aduersantur.*

Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd Augustinus 2. de doctrina Christiana, hanc dubitationem diligenter pertractat, vbi ostendit sortilegos, & fascinatores, & vniuersaliter omnes Dæmonum consultores facere contra istud præceptum: Dominum Deum tuũ adorabis. Vel: Non habebis plures Deos coram me: quòd idem est. Quia affirmatio intelligitur in negatione. Nam omnes tales primò, Deum non magnificant, & honorem sibi debitum non impendunt. Secundò, Dæmones Christi, & Dei inimicos colunt. Tertiò, seipsos decipiunt. Et sic tripliciter contra istud præceptum faciunt. Quia ad hoc istud præceptum legis datum est, vt Deus magnificetur, & honoretur: vt Diabolus tanquam eius inimicus vitetur, & vt homo, cui præceptum datum est, non decipiatur. Quòd ergo Deus non magnificetur per tales, patet, quia fere omnia sortilegia, fascinationes, diuinationes fiunt per quasdam oblationes, & sacrificia quædam. Vnde aliqui super prædicta faciunt dici Missas: Aliqui verò super huiusmodi faciunt cantari Euangelium Sancti Ioannis, vel dici Pater A naster, aut aliquid tale. Planum est, quòd oblationes, & sacrificia non debent offerri, nisi soli Deo, quia honor, scilicet, Latriæ, quòd præcipuè in sacrificijs attenditur, est honor soli Deo exhibendus. Quòd ergo exhibetur talibus superstitionibus humana, & diabolica superstitione inuentis, sine peccato idolatriæ esse non potest. Et dato quòd aliquis faciens hoc non sit infidelis, veruntamen peccatum idolatriæ committit, quia dato, quòd non crederet talibus aliquid diuinitatis esse, quòd credendo conferetur infidelis: saltem honorem, debitum Deo, Dæmonibus exhibet, qui diuinos honores multum appetunt. In tantum, vt dicat Augustinus, de ciuitate Dei, quòd mirabilibus, & fallacibus signis hominibus persuadent, vt deos se esse ostendant: Ita vt quibuscumque signis, & modis omnibus, quibus possunt, inducunt ad faciendum, quòd homines postulant. Primò igitur tales honorem Deo debitum non exhibent: & ipsum vt verũ Deum cum gloriosa Virgine, non magnificat. Secundo, alios deos colunt: quia colunt Dæmones, quos colendo, non colunt Deum, quia vt dicit Apostolus: Non potestis esse socij Christi, & Dæmoniorum: nec participes mensæ Christi, & Dæmoniorum. Quod autem omnes tales sortilegi, & fascinatores, & signorum quorumdam obseruatores, vel breuiorum portitores, Dæmones colant, expresse dicit Augustinus supradicto libro de Doctrina Christiana: vbi ait, quòd omnes, pacta quædam significationum cum Dæmonibus, placita, atque fœderata faciunt. Ad quod genus pertinent libri magicarum artium, aruspicum, & augurum, omnes ligaturæ, & remedia: quibusdam præcantationibus, aut quibusdam nodis: vel characteribus præsignatæ siue quibusdam rebus, vel breuibus collo suspendendis, aut alligandis, vel alio modo. Ad istud genus similiter pertinent omnes signorum obseruatores: Vt si oculorum, vel membrorum aliquod saliat. Si cum homo se calciat, sternutauerit. Si cùm domum exit, limen calcauerit. Si cum vestes, vel caligas à soricibus corrosas inuenerit. Omnia enim hæc, & cuncta alia signa humana superstitione inuenta ideo significant, quia placent hominibus, diabolica fraude deceptis, quòd significent. Sicut Augustinus ponit exemplum de Beata, quòd Græca lingua est littera: Lingua verò Latina est quædam herba, & fortè lingua Hebraica, vel alia lingua, aliud significat. Tot autem significata Beata non habet ex se, sed ex placito hominum volentiũ tot significata habere. Et in omnibus talibus plures homines diabolica fraude decepti consueuerunt signum futuri mali timere, plusquam præsens damnum, vt dicit Augustinus. Vnde commendat ibi dictum Catonis:

B

C

D

1. *Cor.* 3.

qui

quicùm esset consultus á quodam quid arduum significaret, quòd caligæ eius corrosæ erant à soricibus, eleganter ille respõdit, dicés: Ego nullum arduum puto signum, quòd caligæ sunt corrosæ à soricibus: sed si caligæ corrodissent mures, hoc magnum signum reputarem. Quia igitur in omnibus talibus signis Dæmones se immiscent, per quædam secreta, & fœderata pacta: qui talia obseruant, Dæmones colunt, & inimicos Christi adorant. Vnde dicitur, quòd incantatores, & sortilegos tanquam inimicos Christi, insequi oportet: quia Dæmones, inimicos Christi colunt. Tertiò, Dæmones, homines per tales superstitiones, & obseruationes decipiunt: quia confidunt de eorum auxilijs, qui semper conantur ad eorum deceptionem.

*Eccles.* 12 Scriptum namque est: Inimico te ipsum non credas in æternum. Dæmones autem sunt inimici capitales totius humani generis. Vnde nunquam de eorum consilijs, & beneficijs obtentis, vel impetratis, est confidendum: quia vt dicit Augustinus de ciuitate Dei: Sunt spiritus nocendi hominibus cupidissimi, inuidentia inuidi, & fallacia callidi.

### *Quomodo Astrologi, & sortilegi primo præcepto aduersentur.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd Astrologi, & omnes futurorum diuinatores, triplic'ter faciunt contra primum præceptum. Primò, aliud quàm Deum rectorem animarum suarum constituunt. Si enim corpora cœlestia (vt dicunt) habent necessariam influentiam in eius productione, cùm operatio sequatur substantiam, & naturam rei, & sic ipsis stellis, & corporibus cœlestibus honorem diuinum tenentur exhibere. Qui fuit error antiquorum, qui Solem, & Lunam, & alias Stellas pro Dijs adorabãt. Vnde Moyses prohibuit Iudæis ne oculos suos leuarent, ne Solem, & Lunam, & alia corpora cœlestia, ad adorandum inducerentur. Secundò, quia nostra opera à Dei seruitio, & magnificentia subtrahunt. Si namque orti, vel nati sub diuersis constellationibus cogentur necessariò talia, & talia facere (vt dicunt) nostra opera tanquam coacta, & violenta Deo grata, & accepta non essent: nec digna laude, vel vituperio, sicut nec opera animalium brutorum. Vnde dicit Augustinus, quòd tantum malum incurrit, qui Astrologos super ijs, vel suis agendis negotijs consulit: quia ad ipsos ingreditur liber, & data pecunia ab eis regreditur seruus: cùm ipsum dicant seruum esse Veneris, Mercurij, vel Martis, vel alicuius stellæ, sub cuius influentia, & dominio ponunt ipsum esse natum: ac secundùm eius dominium, aduersa vel prospera sibi venire, cùm hoc quod ponunt, falsum sit. Quia Iacob, & Esau, gemini in vtero matris sub vna constellatione orti sunt. Et tamen (testante scriptura) Iacob multa bona, & prospera: Esau verò multa mala, & aduersa euenerunt. Fornicatores item animarum hominum constituuntur: quia eorum opera ab eius reuerẽtia, & magnificentia substrahunt. Tertiò, quia quod Dei est proprium, creaturis attribuunt. Nam omnia futura scire, principaliter Dei proprium est, cui omnia nuda sunt, & aperta. Vnde dicitur: Futura quæque nunciate nobis: & dicemus, quia dij estis. Consulere ergo alios quàm Deum super futuris sciendis, & cognoscendis, quòd proprium est Dei, ideo peccatum idolatriæ est velle alijs attribuere, quòd Dei est. Vnde reprehensus fuit Ocozias Rex, quòd misit nuncios ad consulendum Deum Acharon. Vtrùm deberet liberari de sua infirmitate, vel non, vt scribitur 4. Regum 1. Igitur Astrologi aliud quàm Deum rectores animarum nostrarum faciunt, & sic alium creatorem, & prouisorem, vel rectorem constituunt. Quia secundùm Damascenum putandum est creatorem rerum, & prouisorem, & rectorem. Secundò, nostra opera à Dei seruitio subtrahunt. Et tertiò, quòd est Dei proprium, alijs attribuunt. Et sic triplicem magnificentiam auferunt, vt supra dicebatur.

*Rom.* 9. *Isai.* 41. *4. Reg.* 1.

### *Quomodo amantes bona temporalia primo præcepto aduersentur.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd tria sunt genera bonorum temporalium. Aliqua enim sunt carnalia. Aliqua verò vtilia. Aliqua honorabilia. Circa quæ triplex idolatria committi potest. Nam nimium diligentes carnalia, vt filios, vxorem, vel corpus proprium, non magnificant vnum Deum: quia ex nimia carnalitate, talia pro Dijs colunt. Vnde dicitur in libro Sapientiæ, quòd acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui quasi homo mortuus fuerat, post modum tanquam Deum colere cœpit, & hoc fuit primum idolum mundi, quòd vocabatur Bel positum à Nino Rege Babyloniæ in memoriam patris sui Beli mortui, ad quod omnes malefactores concurrentes erant liberi; & exinde Diabolus in illam statuam ingrediens, cœpit idolatria, & postea fuit appellatũ Beelzebub, id est, Deus muscarum. De inordinata carnalitate proprij corporis dicit Apostolus: Quorũ Deus venter est. Igitur inordinata carnalitas filiorum, vxorum, seu aliorum carnalium, & proprij corporis istud præceptum facit non obserua-

*Sap.* 14. *Philip.* 3.

seruari. Quia nimis affecti ad talia, vnum verum Deum non magnificant. Imò filios vel illa, quæ nimis carnaliter diligunt, tanquam deos colunt, & tales reprobantur à Deo: quia dicente Saluatore: Qui diligit filium, aut vxorem, aut patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: quia vt dicit Hieronymus: Quod quisque magis diligit, & veneratur, hoc ibi Deus est. Secundò, circa bona vtilia committitur idolatria: quia auaritia facit pecuniam pro Deo haberi. Vnde Apostolus signanter de auaritia dicit, quòd est idolorum seruitus. Et sic inordinata cupiditas omnium bonorum temporalium nõ facit vnum Deum magnificare: sed quodlibet bonum temporale facit pro Deo coli, & pro Deo adorari. Est enim secundùm Augustinum cupiditas venenum charitatis, qua Deus diligitur, & proximus propter Deum diligitur: quia cùm in aliquo incipit regnare cupiditas, statim extinguitur charitas. Tertiò circa bona honorabilia committitur idolatria: quia superba tumositas facit, vt homo velit, vt Deus honorari. Sicut Nabucho donosor, & Pharao præceperunt pro dijs coli, & adorari. Et in persona Regis Tyri scribitur: Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde maris, cùm sis homo, & non Deus. Igitur nimium diligentes bona carnalia ex inordinata carnalitate: & nimium diligentes bona vtilia, & temporalia, ex auaritiæ cupiditate, & nimium diligentes bona honorabilia, ex superbiæ tumositate, contra istud præceptum faciunt: quia vnum Deum non magnificant: sed aliud præter Deum colunt, magnificant, & adorant.

*Matt.* 10

*Ebs.* 5.

*Ezec.* 28.

A

B

### *Quomodo integrè Deus amari debeat.* Quæst. 5.

AD quintam est dicendam, quòd principaliter sunt necessaria ad salutem hominis tria. Primum est integra fides credendorum: quia qui non credit integraliter, quæ ad fidem spectant, iam iudicatus est. Secundum est, integra obseruatio præceptorum: qui in vno offendit, factus est omnium reus, quantum ad pœnam damni. Ita enim damnabitur pro transgressione vnius præcepti, vt pote pro homicidio, sicut pro trangressione omnium: licet non quantum ad pœnam sensus. Tertium est, integra receptio sacramentorum. Omnes facientes diuisionem in credendis, vt credentes vnum articulum, puta, Patrem esse Deum alium à Filio, vel Spiritu Sancto: ita quòd credat Trinitatem in personis, sed non vnitatem in substantia, plures Deos faciunt. Facientes verò diuisionem in præceptis obseruandis vnum Deum non magnificant: quia ille idem, qui præcipit: Non furaberis præcipit. Non mœchaberis. Si ergo mœchatur, & furtum non facit: ita Deum contemnit, ac si omnia præcepta transgrederetur. Similiter facientes diuisionem in sacramentis recipiendis, non magnificant Deum: imò eum fallunt, & decipiunt. Vt si quis confiteatur peccatum vnum, & non aliud: vel quòd pœniteat de vno, & non de alio. Stultum namque est dimidiam à Deo sperare veniam: vult enim totum dimittere, non partem. Vel quòd quis vnum peccatum confiteatur vni sacerdoti, aliud alteri, diuidunt enim tales Sacramentum, quia Sacramentum pœnitentiæ est vnum, & vnum requirit ministrum; sicut habet vnum authorem. Vult enim sic confitens, aliquid latere Deum, & aliquid sibi esse manifestum. Et sic non perfectè vult habere vnum Deum. Dicit enim Propheta: Effundite coram illo corda vestra. Igitur diuisores credendorum, & diuisores præceptorum, & diuisores Sacramentorum, vnum Deum non magnificant, nec vnum Deum perfectè colunt, quòd est contra primam chordam tactam in Cantico Virginis gloriosæ.

C

D

### *SECVNDA CHORDA SECVNDO Præcepto respondens.*

EXultauit *spiritus meus in Deo salutari meo*. Secunda chorda Psalterij est: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Tunc autem (vt ait Augustinus) nomẽ Dei in vanum non assumitur, cùm animus in veritate, & iustitia eius delectatur. Vnde dixit Zacharias Spiritu Sancto plenus: Seruiamus Domino in veritate, & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Hanc autem secundam chordam Virgo gloriosa tetigit in secundo versu sui Cantici, dicens: *Exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo*. In quibus verbis monstratur, quòd lætitia Virginis, quam de diuini nominis veritate, & æquitate perceperat, seu conceperat, fuit vocalis, fuit spiritualis, fuit salutaris. In quantum igitur fuit vocalis, dixit: *Exultauit*: Differt enim gaudium mente conceptum, & voce expressum, vt dicit Glossa Augustini super illo verbo: Exultabunt sancti in gloria. Quia lætitia est gaudium mente conceptum: exultatio verò voce expressum. Gaudium igitur Virginis fuit mente conceptum, & voce expressum: quia in auribus Elisabeth facta fuit vox eius salutationis: & in domo eius istud Canticum decantauit. In quantum verò fuit spiritualis, dixit: *Spiritus meus*. Multorum namque gaudium, benè potest dici exultatio: quia voce exprimitur: sed non spirituale, quia carethonestate, & bonitate, quale est gaudiũ peccatorum. In quorum

*Lucæ* 1.

perso-

*Prou.* 1. persona dicitur in Prouerbijs: Lætantur cùm malefecerint: & exultant in rebus pessimis. Talibus enim dicit Iacobus in sua Canonica: *Iacob.* 4. Nunc exultatis in superbijs, & iactantijs vestris. Sed omnis exultatio talis maligna est: quia per tales nomen Dei peruratur, & abnegatur tota die. Sed inquantum fuit salutaris, dixit: *In Deo salutari meo.* Nam benè multorum gaudium esse potest spirituale: si de bonis rebus, & honestis, & spiritualibus est, & non de temporalibus, & peccatis. Non tamen eorum gaudium est in Deo salutari nostro: quia nō est propter Dei laudem, & Dei veritatem manifestandam: sed magis propter humanam gloriam acquirēdam. Gaudent enim benè multi de ieiunijs, orationibus, eleemosynis, & alijs bonis, quæ faciunt, quæ spiritualia gaudia dici possunt, sed non sunt salutaria: quia non gaudent in talibus, vt Dei veritas manifestetur, sed vt eorum fama, & gloria diuulgetur. Vnde super illo verbo Lucæ: *Luc.* 10. Nolite gaudere, quia spiritus subijciuntur vobis, sed magis, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis: dicit *Glossa in Luc.* 10. Glossa, quòd lætitia, qua Christus vidit Apostolos lætos, inanem gloriam sapiebat. Quia gaudebant, quòd Dæmonibus, & hominibus erant terribiles effecti: ita vt omnes reuererentur, & timerent. Ideo talem lætitiam damnauit, dicens: Nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur. Lætitia ergo solum vocalis, & corporalis est peccatorum. Lætitia verò spiritualis, & non salutaris, est hypocritarum, & simulatorum. Sed lætitia habens omnia ista, scilicet, quòd sit vocalis, spiritualis, & salutaris, est solum sanctorum, & iustorum. Et quia lætitia Virginis MARIÆ, qua secundam chordam tetigit, & cantauit, fuit vocalis: quia *Exultauit*: fuit spiritualis, quia *spiritus meus*, & fuit salutaris, quia *in Deo salutari meo*. Ideo nomen Dei in vanum non assumpsit: Sed Dei veritatem dilexit. Iniquitatem (inquit Psalmus) *Psal.* 118 odio habui, & legem tuam dilexi.

Sciendum tamen est, quòd Vanum quantum ad præsens, quinque modis accipi potest. Primò, quòd ad laudem Dei non ordinatur. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sap.* 13. *Psal.* 11. Secundò, quòd falsè, & dolosè pronunciatur. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum: labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. *Psal.* 93. Tertiò, quòd inutiliter, & infructuosè agitur, & cogitatur. Dominus scit cogitationes hominum: quia vanæ sunt. Quartò, quòd in- *Iob* 11. iustè, & nequiter affirmatur. Vnde: Vir vanus erit in superbia. Et in Psalmo: Qui accipit in vano animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo. Quintò, quòd promittitur *Psal.* 23. non obseruatur. Vnde legitur de Rege Assyriorum ad Populum Israel dicente: Vos nō *2. Par.* 32 decipiat Ezechias: neque vana persuasione deludat. Beata igitur Virgo non exultauit in vanum, vel frustra: quia exultauit propter diuinæ gloriæ manifestationem, propter veritatis Dei assertionem: propter rei necessariæ, & communis procurationem, propter iustitiæ obseruationem, & propter promissionis diuinæ impletionem.

De istis igitur quinque, possunt fieri quinque dubitationes.

1 Vtrùm non iurantes propter Dei gloriam, & non exultantes in Deo salutari nostro, assumant nomen Dei in vanum.

2 Vtrùm non iurantes verum, assumant nomen Dei in vanum.

3 Vtrùm non iurantes vtile, & necessarium, assumant Dei in vanum.

4 Vtrùm non iurantes iustum, & actum virtuosum, assumant nomen Dei in vanum.

5 Vtrùm non implentes vota promissa, assumant nomen Dei in vanum.

### *Quomodo nomen Dei ad suam ipsius gloria, & laudem sit à nobis assumendum.*
### Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd sex modis quantum ad præsens, nomen Dei assumendum est à nobis ad gloriam, & laudem Dei. Primò, in veritatis confessione, & confirmatione, sicut in iuramento per quod fit Deo reuerentia, quia ex hoc confitemur primam veritatem esse in Deo: ideo dicitur in Deutor. 6. per nomen Dei tui iurabis. Nam vt manifestetur gloria Dei, & propter laudem eius, veritas est confitenda, & pandenda. Vnde dicitur in Iosue: Confitere peccatum tuum Achor fili mi, & da gloriam Deo *Iosue* 7. Israel. Secundò, in nostræ animæ sanctificatione. Nam in nomine Dei sanctificamur, & iuramus renunciare Diabolo, & pompis eius in baptismo. Vnde Apostolus dicit: Vos abluti estis, & sanctificati, propter nomen Do- 1. *Cor.* 6. mini. Omnia enim sacramenta in nomine Domini nos sanctificant, & à peccato mundant. Tertiò, in nostri aduersarij expulsione, scribitur Prouerb. 18. Turris fortitudinis nomen Domini. *Prou.* 18. Quartò, in nostræ locutionis inuocatione, dicitur enim: Nomen Domini inuocatum est super nos, ne derelinquas nos, Domine Deus noster. *Ierem.* 14. Quod in Completorio seruat Ecclesia: ideo congruè debemus laudare nomen Domini, iuxta illud Psalmi. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. *Ps.* 112. Quintò, in nostræ conuersationis demonstratione, scribitur enim Isaiæ: Vestimentis nostris operiemur, tantummodo nomen tuum inuocetur super nos: aufer opprobrium nostrum. *Isai.* 4.

Sexto, in nostri operis inchoatione. Dicit Apostolus: Quodcumque facitis in verbo, vel opere, in nomine Domini facite. Istis sex modis, quibus nomen Domini assumitur ad laudem Dei, & in Deo salutari nostro, similiter assumitur quandoque in vanum, & in nostram damnationem. Primo, namque in veritatis confessione assumunt in vanum nomen Dei hypocritæ, & simulatores: qui non confitentur, nec iurant veritatem propter gloriam Dei, & laudem, sed magis propter gloriam hominum, diligentes (vt dicitur Ioan. 12.) gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei. Contra quos dicebat Propheta: Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Secundò, in animæ sanctificatione, in vanum assumunt nomen Domini omnes peccatores: quia eodem præcepto præcipitur nomen Domini in vanum non assumendum: Et nomen Domini non esse polluendum, vbi scribitur: Non periurabis in nomine meo: nec pollues nomen sanctum meum. Polluitur autem, immundatur, & inficitur nomen Domini per peccatores: quia munditiam, & pulchritudinem, quam ex nomine Dei consecuti sunt, non seruant: & iuramentum in baptismo promissum frangunt. Vnde ex quolibet peccato mortali scienter perpetrato, non est dubium, quòd homo periurat in nomine Domini, & polluit nomen sanctum eius. Tertiò, in aduersarij expulsione. In vanum assumunt nomen Domini omnes Dæmonum inuocatores. Stultum namque esset quando homo vadit ad bellũ, quòd inuocaret bellando, nomen aduersarij Domini sui, & sui Principis, cuius signo insignitus est. In toto autem bello humani generis, aduersarius nostri Principis est Diabolus. Vnde pernicioſum est ipsum nominare, vel inuocare in pugna nostra. Recitat enim Gregorius, quòd cùm diceret quidam volendo suum famulum appellare: Veni Diabole, trahe mihi caligas, subitò vehementi celeritate cæperunt caligæ dissolui. Quod ille percipiens diabolico opere fieri, ait. Non vocaui te Diabole, non, sed meum mãcipium. Quarto, in nostræ locutionis inuocatione, assumunt nomen Domini in vanum omnes maledici, & blasphematores, per tales enim cum nomen Domini deberet laudari, iuxta illud: Laudate nomen Domini, iugiter omni die nomẽ Domini, per os eorum blasphematur, sicut conqueritur Isaias. Non solum enim tales maledici, assumunt nomen Dei in vanum, ipsum non laudando, & magnificando: imò opprobria, & vituperia nominis diuini pronunciando. Quintò, in conuersationis demõstratione. Non enim omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum. In vanum assumunt nomen Domini omnes clerici, & religiosi, siue religionum professores: qui ex ipso clericatu, & religionis habitu, nomen Domini deberet laudari, glorificari, & magnificari per doctrinæ, & bonæ vitæ exempla. Igitur quando per eos contrarium fit, in vanum religiosi vocantur: Quia (vt dicit Iacob.) Si quis putat se religiosum esse, & non refrenat linguam suam: sed seducit cor suum, per mala verba, & per mala opera, & exempla: huius vana est religio. Sextò, in operis inchoatione, in vanum assumunt nomen Domini, omnium carnalium, & mundialium insecutores, præponentes enim temporalia, & carnalia spiritualibus, & prius curantes temporalia, quàm spiritualia in vanum nomen Dei accipiunt: quia nõ operantur spiritualia propter se, sed vt benè sit eis in temporalibus, & carnalibus bonis. Et quia non operantur in illo, qui est A, & Ω, principiũ, & finis omnis operis. Supra dicti omnes ex quo non exultant in Deo salutari nostro, in vanum assumunt nomen Domini per os suũ, & faciunt contra istud præceptum: Non assumes nomen Dei tui in vanum.

*Exod. 10.* *Leu. 19.* *Psal. 112.* *Isai. 52.* *Matt. 7.* *Iac. 1.*

### *Quomodo iurantes falsum, secundo præcepto aduersentur.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd iurare falsum, siue dicere mendacium, est assumere nomen Dei in vanum: quia assumitur in testimonium falsitatis, & mendacij. Possumus dicere, quòd sic iurans in vanum assumit nomen Domini: quia iniuriam facit Deo, sibi ipsi, & proximo. Primò, namque facit iniuriam Deo: quia ex quo assumit Deũ in testimonium mendacij, & falsitatis: credit Deum nescire verum, & falsum. Et sic ponit in Deo ignorantiam, cùm tamen omnia aperta sint, & nuda oculis eius, & ipse nouit decipientem, & ipsum, qui decipitur: vt dicitur in Iob. Aut credit, quòd ipse diligat mendacium, & defendat falsum. Cùm tamen Propheta dicat: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Et scribitur: Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium, id est, mendacem. Vtroque ergo modo iurans mendacium, iniuriam facit nomini diuino. Secundò, iniuriam facit sibi: quia iurans per Deum, vel per Euangelium, sic esse, nihil aliud iurat, nisi ita eueniat mihi: si sic non est, obligat se æternæ pœnæ, falsum vel mendacium iurando. Vnde ista fuit petitio Salomonis, completo templo Domini, quòd iurans falsum, puniretur iudicio Dei tali maledictione: qualem volebat per mendacium, super fratrem, vel proximum inducere. Sic enim orauit: Si peccauerit Domine quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrixerit, tu exaudies de

*Iob 22.* *Psal. 1.* *Prou. 8.*

de cœlo, & facies iudicium seruorum tuorum, ita vt reddas iniquo iuxta viam suam in caput suũ, & vlciscaris iustũ, retribuẽs ei secũdũ iustitiam suam. Tertio, facit iniuriã proximo. Nam secundùm Apostolum ad Hebræos: Finis omnis controuersiæ est iuramentum. Omnia enim litigia, & omnes discordiæ, quæ oriuntur inter proximum, & proximum, finiuntur, & terminantur per iuramentum. Omnes similiter pactiones, & confederationes hominum ad inuicem conuersantium, firmantur, & stabiliuntur per iuramentum. Propter quod si iuramentum contingat esse falsum, & mendacium, nec litigia proximorum, nec pacta determinabuntur: & considerationes ad inuicem conuersantium firmitatem non habebunt. Et sic cessaret omnis amicitia, & societas hominum. Igitur iurantes falsum, nomen Dei in vanum assumunt, seu accipiunt, quia faciunt iniuriam Deo, proximis, & sibi ipsis.

*Quomodo in veteri Testamento iurare tantum falsa prohibitum sit: in nouo autem iuramentum omnino prohibeatur.* Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd in veteri lege prohibitum fuit, non esse falsum iurandum. In lege verò Euangelica Saluator, non esse iurandum omnino, id est, vniuersaliter, & indifferenter mandauit. Quia sine vtilitate, & necessitate cogente iurandum non est. Et possumus tripliciter ostendere: quia non iurando vtile, & necessarium, est assumere nomen Dei in vanum. Primò, ex parte iurantis. Secundò, ex parte eius, per quem iuratur. Tertiò, ex parte iuramenti. Primum sic patet: Nam in iurando propter defectum, & lapsum linguæ relata pericula possunt accidere: quia credendo iurare verum, quandoque iuratur falsum. Dicitur enim, quòd si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Et causam subdit: Quia omnis natura bestiarum, domata est à natura humana: linguam autem nullus vnquam domare potuit, est inquietum malum, plena veneno mortifero. Ne ergo homo incurrat periurium absque magna vtilitate proueniente, & necessitate magna cogente iurare non debet. Vnde scribitur: Iurationi non assuescat os tuum. Secundum sic declaratur. Nam homo iurat per Deum: quia nullus infallibiliter confirmare potest veritatem, nisi Deus. Sed Deus cum magna reuerentia est in confirmatione veritatis inducendus, & cum magno tremore: quia ipse testis est, & iudex, iuxta illud: Ego testis, & iudex, dicit Dominus. Non igitur sine magna vtilitate, & necessitate iurandum est: Quia sic in vanum, & irreuerenter nomen Dei assumeretur. Tertium sic ostenditur: Nam iurrare, non est per se appetendum, sicut per se est appetendum dare eleemosynam. Non enim habet periculum annexum, sicut iurare habet periculum coniunctum, puta quòd iuretur falsum: quod ex multis causis posset in iuramento accidere. Vnde sicut medicina non est appetenda, nisi per sanitatem, aliter in vanum, & frustra appeteretur: Sic iuramentum non est appetendum nisi propter euidentem vtilitatem, & cogentem necessitatem, aliter frustra, & in vanum nomen Dei assumitur.

*Matt. 5.* *Iac. 4.* *Eccl. 19.* *Hier. 16.*

*Quænam sint, quæ faciunt licitum, & illicitum iuramentum, & quodnam sit obseruandum, quodnam verò non.* Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd sicut scribitur: Iurandum est in veritate, in iudicio, & iustitia. Et isti sunt tres comites, sine quibus iuramentum illicitum habetur, & nomen Dei in vanum assumitur, vt dicit Hieronymus. Ita quòd iuramentum debet habere veritatem inquisitionis, & intentionis ex parte iurantis: iudicium discretionis ex parte modi iurandi, & iustitiam concessionis ex parte rei, de qua fit iuramentum, quòd fiant de re licita, & honesta, partes tamen iustitiæ duæ sunt. Quarum est vna declinare à malo. Secunda verò, facere bonum, iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum. Igitur iurare, furtum facere, hominem occidere, parentes non honorare, seruandum non est: quia â talibus malis declinandum est, per vnam partem iustitiæ. Et tamen sic iurans periurus est: Non dare eleemosynam, non intrare Ecclesiam, non orare: quæ homo debet facere per aliam partem iustitiæ, iurare non facere, seruandum non est tale iuramentum. Et tamen sic iurans periurus est. Vnde periurus fuit Herodes, Ioannem interficiens, sicut dicitur: Igitur iurans contra iustitiam, vel non declinare à malo, vel non facere bonum, nomen Dei in vanum assumit, & periurium incurrit: Quia iurans falsum, periurus est. Ita iurans contra aliquam partem iustitiæ, periurus efficitur. Vnde cùm quis iurat facere homicidium, sic iurans dicitur periurus, etiam implendo iuramentum: quia implere nõ tenetur, puta quia talis non dicitur periurus, quia iuramentum non impleuit, sed magis quia iniustũ, & peccatum facere iurauit. Quia sicut iurans falsum periurus est (vt dicebatur) sic iurans iniustum periurus efficitur. Aliás si propter nõ implẽdum iuramẽtum incurreret periuriũ, iurans facere homicidium teneretur implere, quod non est dicendum: quia maius peccatum periurium est, quàm homicidium.

*Psal. 33.* *Matt. 7.*

*Fractio iuramenti quo modo tribus præceptis aduersetur, iuxta tria in iuramento considerata.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd votum tria importat principaliter. Primò, spontaneam promissionem Deo factam. Secundò, perpetuam obligationem. Posset enim quis sponte aliquid promittere: sed non perpetuò se ad illud obseruandum obligare. Tertio, dicit rei sacræ obligationem. Non enim quæcumque res est voto offerenda, sed solùm talis quæ Deo possit in oblatione offerri, vel consecrari. Sicut corporis continentiam, abstinentiam, vel alia opera virtuosa, quæ diuino seruitio dedicari possunt. Igitur voti fractio quantum ad spontaneam promissionem est contra præceptum: Dominum Deum tuum adorabis, vel non habebis plures deos coram me. Quia talis fractio pertinet ad infidelitatem. Vnde dicitur: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, quia est meliùs non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Et causam ibi subdit: Quia displicet Deo infidelis, & stulta promissio. In quantum igitur fractio promissionis pertinet ad infidelitatem, est contra primum præceptum. Fractio verò voti quantum ad perpetuam obligationem, est contra secundum præceptum. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Quia in fractione voti iuramento solemnizati incurrit periurium. Vnde super illo verbo: Reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea, dicit Glossa: Quæ iuramento labia mea affirmauerunt perpetuò seruare. Ideo quia facere irrita, quæ procedunt de labijs nostris, est in vanum assumere nomen Domini. Isto modo fractio voti est contra secundum præceptum. Sed quantum ad rei sacræ obligationem, & ad cultum Dei dedicationem, fractio voti est contra tertium præceptum: Memento vt diem Sabbati sanctifices. Dedicare enim aliquid ad cultum Dei, pertinet ad sanctificationem diei Sabbati. Dicitur enim in Leuitico: Quod semel voto aliquid consecratum est Deo, mutari non potest. Igitur fractio voti, seu voluntariæ promissionis, est contra fidelitatem primi præcepti. Fractio verò perpetuæ obligationis est contra veritatem secundi. Sed fractio rei sacræ obligationis, est contra quietem tertij præcepti.

*Ecclesi. 4.*

*Psal. 65.*

*Exod. 10.*

*Leu. vlt.*

*TERTIA CHORDA TERTIO Præcepto respondens.*

Exod. 20.

QVia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Tertia chorda psalterij est, vt diem Sabbati sanctifices. Diem autem Sabbati sanctificare, nihil fuit aliud, quàm diem illam diuinis vsibus, & diuino seruitio dedicare: quia tali die mandauit Dominus ab omni opere cessare, & hominē se totum diuino cultui mancipare. Hanc igitur chordam Virgo glorioſa tetigit in tertio versu sui Cantici, dicens: *Quia respexit humilitatem, &c.* Nam in hoc humilitatem Virginis respexit, ipsam suo seruitio, & obsequio dedicādo: matrem sui benedicti filij faciendo: vt illum suo vtero conciperet, pareret, & vltimò lactaret: quem ab æterno de sua substantia æqualē sibi genuit. Ex quo merito beatam ipsam dixerunt omnes generationes. Et commendat Virgo Beata hanc suā humilitatem, per quam fuit diuino seruitio, & diuino cultui dedicata, tripliciter. Primò, ex parte Dei, à quo fuit magnificata, dedicata, & approbata cùm diceret: *Respexit humilitatem* Nam super illo verbo: Respexit in orationem humilium, dicit Augustinus, quòd hoc est humilitatem alicuius respicere, preces eius non spernere, sed ipsas efficaciter exaudire. Secundò, ex parte sui aliqua fuit omnibus exemplariter demonstrata, cùm dicit: *Ancillæ suæ.* Non enim melius potuit exemplo sui humilitatem notificare, & demonstrare, quàm in Dominam hominum, & Angelorum vocatam, se ancillam nominando. Obseruās illud: Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiā. Tertiò, ex parte aliorum, à quibus fuit laudata, & beatificata. Quia, vt dicitur: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Ex quo omnes superbi, ab initio Deo non placuerunt: sed humilium, & mansuetorum sibi semper placuit deprecatio, vt scribitur: Cū humilitas Virginis à Deo laudata, in tantum vt in matrem sui filij fuerit vocata: & ad suum obsequium deputata: merito ab omnibus debuit laudari, & prædicari: quia honorari, & laudari debet: quem Deus honorat, & laudat. Sic honorabitur quemcūque Rex voluerit honorare, vt scribitur Esther. Igitur Virginis humilitas, per quam tanquam dies Sabbati cultui diuino fuit dedicata, à Deo fuit magnificè approbata: quia *respexit humilitatem* Ab ipsamet fuit exemplariter omnibus demonstrata: quia *ancillæ suæ.* Et ab omnibus gentibus fuit laudata, & beatificata: quia *beatam me dicent omnes generationes.* De ista igitur tertia chorda per Virginem MARIAM tacta, sex dubitationes possunt fieri.

*Psal. 101*

*Eccles. 3.*

*Iob 13.*

*Iudit. 9.*

*Esth. 6.*

1 Vtrùm dies Sabbati fuerit sanctificata: quia tali die Deus riquieuit à suo opere.

2 Vtrùm talis quies, & talis sanctificatio, nunc facienda sit die Dominico, & non die Sabbati.

3 Vtrùm

3 Vtrùm specialiter dies Sabbati laudibus Virginis sit deputata.

4 Vtrùm maius peccatum sit die Dominico ludere, vel saltare, quàm arare, vel semi nare,

5 Vtrùm maius peccatum sit die Dominico à cultu diuino vacare, quàm opera mechanica, & corporalia exercere.

6 Vtrùm semper sit peccatum mortale facere opera corporalia, & seruilia die Dominico.

*Dies Sabbati quo modo fuerit sanctificata à Deo, qui eo die ab opere cessauit.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quôd Moyses triplicem causam videtur tangere, quare Dominus mandauerit diem Sabbati esse sanctificandam, & diuino cultui dedicandam. Prima, propter Dei quietationem. Secunda, propter talis diei benedictionem. Tertia, propter eius sanctificationem. Sic enim dicitur: Memento, vt diem Sabbati sanctifices. Et præterea subditur: Sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Et requieuit die septimo. Idcirco Dominus diem Sabbati benedixit, & sanctificauit illum. Igitur vna ratio, quare dies Sabbati, mancipata cultui sit, diuino est, Dei quietatio: quia in die Sabbati, vel die septima Deus requieuit ab omni opere suo, quod fecerat. Quod Augustinus super Genesim ad litteram tribus modis exponit. Primò modo, quòd intelligatur tali die requieuisse propter nouæ creaturæ producendæ cessationem. Quia omnia genera creaturarum Deus produxit illis sex diebus. Die verò septima, cessauit nouas creaturas condere. Cessauit ergo, & quieuit die septima à nouæ creaturæ productione, non tamen à creaturæ productæ cõtinua gubernatione: quia semper Deus continuat suam virtutem in creaturis productis. Aliter in ictu oculi totus mundus cessaret, si solum per instans suam operationem subtraheret, vt dicit Augustinus. Et de ista continuatione operis Dei in creaturis loquitur Christus in Ioanne: Pater meus, vsque modo operatus est: & ego operor, sicut inibi dicit Augustinus. Secundò, propter nostræ mentis in Deo quietationem, vt sit sensus: Quieuit Dominus die septimo: quia hominem, quem creauerat, quiescere fecit, sicut scribitur in Genesi: Nunc cognoui, quôd Abraham timuerit Deum: idest, nunc feci cognoscere homines, quôd Abraham Deum timeat. Quieuit ergo Deus die septimo: quia nos in eo quiescere fecit. Tertiô, propter vniuersi terminationem, & Dei legis sibi datæ obseruationem. In sex enim diebus totum vniuersum fuit productum. Sed à die septimo in posterum totum vniuersum, & quælibet pars vniuersi tenuit suam legem, & suum ordinem sibi datum à Deo: ita vt quæque creatura ageret secundùm ordinem, & legem sibi datam. Quia igitur die septimo Deus quieuit à suo opere, propter nouæ creaturæ productionis cessationem, vel propter nostræ mentis quietationem, vel propter vniuersi datæ sibi legis seruationem. Ideò talem diem Dominus mandauit sanctificandam, & suo esse seruitio deputandam. Et hoc, vt dicit Augustinus, multum congruè. Primò, propter erroris gentilium improbationem. Voluerunt philosophi gentiles probare mundum fuisse ab æterno, ad cuius erroris exterminationem mandauit Dominus diem septimum, in qua facta est consummatio vniuersi, semper in memoria haberi. Secundò, propter humanæ cupiditatis reprehensionem. Corpus enim terrenum de sui natura terrena appetit, & semper ad terrena tendit, nisi conetur eleuare se ab eis: & ideò oportet habere certum tempus, quo liceat ei vacare ab operibus, & dare se spiritualibus: sicut enim corpus indiget aliquo tempore ad refectionem sui, quæ fit per comestionem, & somnum, ita anima indiget quietè, & refectione spirituali, ne deficiat. Præuidit autem Deus tantam esse hominum cupiditatem, vt nisi esset aliqua dies quieti animæ, & corporis deputata, homo non daret quietem sibi, nec suis famulis, & animalibus. Vnde, statim dicto hoc: Memento, vt diem Sabbati sanctifices, subditur: Non facies in ea opus aliquod tu, & filius tuus, & ancilla tua, & iumentum tuum, & aduena, qui est intra domos tuas. *Exod.* 20

Secunda ratio principalis fuit, quôd talis dies cultui diuino fuit deputata, propter eius benedictionem. Nam Deus benedixit hanc diem, & non solum quieuit. Ipsa autem benedictio secundùm Augustinum non fuit aliud, quàm multiplicatio beneficiorũ Dei. Licet enim in sex diebus res, & omnes creaturæ fuerint creatæ, & distinctæ, & virtutibus ornatæ, non tamen ante diem septimam, cæperunt seipsas multiplicare: vt capra produceret hyrcum, gallina gallum, & planta plantam. Sed per diem septimum tunc omnes creaturæ dederunt operam productioni, & multiplicationi sibi similium, vt se multiplicarent, & vnumquodque produceret, & generaret sibi simile, excepto homine, qui tanquam decoratus diuina scientia, eius spirituale mandatum debebat expectare, quando Deo placeret, vt generationi operam daret. Omnes enim species creaturarum fuerunt productæ à Deo in sex diebus per creationem. Sed post diem septimum, seipsas incæperunt multiplicare, vt gallina produceret ex ouo gallum, & vnumquodque generaret simile, secundùm genus suum conueniẽs.

*Ioan.* 5.

*Cen.* 22.

Er-

Ergo dignum fuit, vt talis dies, in qua data fuit creaturis talis benedictio, ad cultū Dei dedicaretur. Tertia ratio est, propter eius sanctificationem. Non enim Dominus tali die requieuit, & non solum talem diem benedixit, verum etiam prædictam diem sanctificauit. Et secūdùm Augustinum, vel quia ex tunc talis dies sanctis vsibus, & sanctis operibus fuit deputata, vel quia sanctitas bonorum, qui remoti sunt à mundo, & vacant
*Luc.* 10. Christo, sicut MARIA, quæ sedebat secus pedes eius, & audiebat Verbum illius, est demonstrata: vel quia firmitas, & sanctitas corporis Christi in sepulchro fuit sanctificata. Nam tota die Sabbati Christi caro iacuit in sepulchro incorrupta. Igitur propter Dei quietationem, propter diei Sabbati benedictionem, & propter eius sanctificationem fuit talis dies diuino seruitio dedicata.

*Cur, & quomodo sanctificatio Sabbati in veteri Testamento mandata, nunc in die Dominico sit obseruanda.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quôd triplex ratio tangitur ab Augustino in diuersis locis: quare quies, & sanctificatio, quæ fiebat in veteri lege, nunc fienda sit in Dominica die. Prima, ratione creationis. Secunda, ratione præcepti imitationis. Tertia, ratione figurationis. Prima est talis: In veteri enim lege, quies, & sanctificatio cultus diuini fiebat die Sabbati in memoriam operis creationis: quia vt supradictum est, in sex diebus Deus perfecit opus creationis, & in septimo quieuit à nouis creaturis condendis. Sed Christus in noua lege perfecit opus recreationis die Dominico, & renouationis.
*Galat.* 5. Dicitur autem ad Galatas, quôd in Domino IESV Christo, neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Innouatio autem hominis, & recreatio spiritualis perfecta est, per gloriam resurrectio-
*Rom.* 6. nis, dicente Apostolo: Sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris: ita nos in nouitate spiritus ambulemus. Igitur sicut Iudæi in veteri lege celebrant Sabbatum in memoriam operis creationis, sic nos in noua lege debemus celebrare diem Dominicum in memoriam perfectionis nostræ redemptionis, regenerationis, & renouationis, quod gratia, & gloria resurrectionis perfectum est.

Secunda ratio est talis: Nam in obseruatione præcepti celebrationis Sabbati aliquid fuit morale: & ideô per consequens mansiuum, & perpetuale, non recipiens dispensationem, puta quòd dies aliqua laudibus, & seruitio Dei sanctificaretur, & deputaretur ad laudem eius. Aliquid verò ceremoniale, & significatiuum solum, & perconsequens mutabile, recipiens dispensationem, puta terminatio talis diei, vel temporis.

Primum igitur in celebratione Sabbati semper manet: quia sicut illi vna die vacabant cultui diuino, & deputabant illam diem ad Dei laudem, & obsequium eius, sic nos facimus. Sed secundum non manet: quia non manet determinatio talis, & talis diei, vt puta non essentialis ad cultum Dei. Vnde nec Deus dixit: Memento, vt custodias diem Sabbati, sed vt diem Sabbati sanctifices, dans intelligere, quôd sanctificatio erat quid essentiale in præcepto, non custodia determinata diei: quia dies ille erat mutandus in diē Domini, quem figurabat, vt dicetur. Tertia ratio est talis: Nam quies, & sanctificatio, quę fit die Dominico, significat requiem animarum, & corporum, quam expectamus in octaua ætate. Vt sic die octaua, puta die Dominico, quiescimus ab omni opere, & vacamus laudibus Dei. Sic in octaua ætate generalis resurrectionis quiescimus anima, & corpore ab omni labore, iuxta illud: Sedebit po
*Isai.* 32. pulus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta. Sed quies, quam figurat dies Sabbati, est requies solum animarum, quæ nunc in septima ætate quiescunt. Quantò ergo quies animarum, & corporum, erit perfectior animarum solum: tantò quies, & sanctificatio, quæ fit die Dominica per Christianos, perfectior est requie, & sanctificatione, quæ per Iudæos fiebat die Sabbati.

*Cur dies Sabbati Beatæ MARIÆ semper Virginis laudibus sit deputata.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd in Virgine gloriosa tria possumus considerare. Primò, fidei firmitatem. Nam fides, quôd Christus esset verus Deus, & verus homo in triduo mortis Christi ab omnibus recessit: solùm autem quieuit, & sepulta fuit in Virgine gloriosa. Secundò, doloris acerbitatem. Nulli namque dubium esse debet, quòd toto illo triduo passionis Christi percussa fuerit illo gladio, de quo dixerat Symeon:
*Luc.* 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quamuis enim ipsa Christum, vtpotè Dei Filium, spontanea morte mori, ipsam mortem nostram sua morte victuram non dubitaret: ex sua tamen carne procreatum, non potuit eum videre crucifigi sine affectu materni doloris, vt dicit Origenes. Tertiò, ad Christum maternalem propinquitatem. Sicut enim inter matrem, & filium nullum est medium: quia nihil fit propinquius filio, quàm mater. Sic Virgo immediatè absque vllo medio fuit coniuncta Christo. Et propter ista tria multum est pium, & sanctum, ac magnæ deuotionis Virginis signum, quòd die

dies Sabbati sit dedicata laudibus Virginis singulariter. Primò, propter Ecclesiæ fidei in ea quietationem, vt sicut caro Christi tota die Sabbati requieuit in sepulchro: sic tota fides Ecclesiæ in illo die, quæ perdita, & mortua fuerat, in Virgine sola intelligatur quieuisse, & in ea tanquam in monumento sepulta fuisse. Secundò, propter doloris eius participationem. Scribitur de consecratione, distinctione tertia, toto illo viduò ab hora sepulturæ Christi, vsque ad horam resurrectionis eius, Apostolos omnes fuisse in mœrore, & tota die Sabbati ieiunasse. Quia Sabbatum inter tristitiam passionis, & lætitiam resurrectionis notatur esse inclusum. Multò igitur magis est credibile, toto illo die Sabbati Virginem gloriosam, vtpotè matrem Christi, ieiunasse, & in mœrore fuisse. Volentes ego participes esse gaudij, & lætitiæ Virginis, dignum est, vt digno illo eam socient, in eius tristitia, & mœrore per ieiunium, & carnis macerationem. Tertiò, propter eius ad Christum immediatam appropinquationem. Sicut enim dies Sabbati præcedit diem Dominicum: sic dignum est, quòd laus Virginis præcedat laudem Christi. Vnde Ecclesia laudes, & Officium Virginis ante Officium Christi, & aliorum sanctorum ordinauit. Missæ igitur celebratio, & deuota oratio, quæ correspondet fidei in Virgine quietationi: & ieiunium, & carnis maceratio, quæ correspondet Virginis doloris participationi: & eleemosynæ largitio, tam spiritualis, quàm corporalis, quæ correspondet appropinquationi eius ad Christum: pium, & sanctum est, quòd singulariter ad laudem Virginis fiant die Sabbati specialiùs, & feruentiùs alijs diebus.

*De consecrat. dist. 3. In religiosa, c. 2.*

### *Cur maius peccatum sit ludere, vel saltare die Dominico, quàm arare, & id genus alia facere.* Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd ratione, & auctoritate probari potest, quòd minus peccatum est diebus Dominicis, & in solemnitatibus sanctorum arare, vel fodere, quàm ludere, vel saltare, aut aliud facere, quę dissolutionem animarum inducant. Ratio quidem talis est: Nam die Dominico opera seruilia facienda non sunt: quia sic præcepit Dominus omnipotens: Opus seruile non facies in eo. Sed opera seruilia dicuntur opera corporalia, quia talia opera nos faciunt seruos mundo, vel hominibus, eo quòd in operationibus corporalibus homo potest cogi, vel constringi, vt in talibus seruiat, & obediat quadam violentia, & necessitate. Anima verò in suis operationibus cogi non potest. Dicuntur similiter opera seruilia ipsa peccata, quæ dissolutionem, & immunditiam in animam inducunt. Nam qui facit peccatum, A seruus est peccati. Et quidem prima opera seruilia, vtpotè opera carnalia, quæ faciunt hominem seruum mundo, vel alteri homini. Secunda verò, ideſt, ipsa peccata faciunt hominem seruum diabolo. Sed longè peius est, & magis periculosum esse seruum diaboli, quàm mundi, vel hominis: quia seruitus mũdi, vel hominis est quandoque sine peccato, seruitus verò diaboli nunquam. Igitur maius peccatum est saltare, & ludere, & alia facere, quæ inducunt, vel inducere possunt hominem ad dissolutionem, & inhonestatem, quàm arare, vel fodere, & alia, vt puta corporalia exercitia. Auctoritas verò est Augustini, qui expressè dicit, quòd minus malum est B die Dominico (qui nunc colitur loco diei Sabbati) arare, & fodere, quàm ludere, vel saltare. Et Gratianus ponit, quòd diebus Dominicis, & in sanctorum solemnitatibus, diuinis officijs sine saltationibus, & cantilenis populi debent vacare. Sed Christus Saluator noster in quatuor casibus dispensauit super ijs operibus corporalibus, quæ de sua natura non sunt mala, nisi quia prohibita. Primò, in corporis necessitate excusans discipulos euellentes spicas die Sabbati, exemplo Dauid, qui cùm esuriret, comedit panes propositionis. Secundò, in proximi charitate, cùm hominem in die Sabbati curauit. Tertiò, pro Ecclesiæ vtilitate de operantibus in templo, C quæ necessaria erant in die Sabbati, sine crimine. Quartò, ex superioris potestate, cùm Circumcisionem in die Sabbati fieri posse, absque Mosaicæ legis solutione. Ex quibus casibus colligitur, aliqua opera corporalia in die Dominico fieri posse, absque peccato, ob causas prædictas, vt etiam fusiùs dicetur.

*Ioan. 8.*

*S. Thom. 2. 2. q. 122.*

*De consecrat. d. 3. c. Ieiunia.*

### *Cur maius peccatum sit diebus festis à diuino cultu vacare, quàm opera mœchanica, & corporalia exercere.* Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd principaliter tria mandauit Dominus fieri die Sabbati. Primò, sacrificiorum oblationem. Sicut dicitur: Die Sabbati offeretis mane, & alteram vespere. Secundò, eleemosynarum largitionem. Sic enim scribitur in Esdra, quòd congregato populo die Sabbati dixit Esdras, audiẽte vniuerso populo: Comedite pinguia, & bibite mulsum: * & mittite partes illis, qui non habent: quia dies Domini sanctus est. Tertiò, legis, & Prophetarum recitationem. Sic enim dicit Paulus: Viri fratres audite: Principes nostri ignorantes IESVM, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt. Ista igitur diebus Dominicis, & festiuis abundantiùs, & perfectiùs debent fieri, quàm in veteri lege, vel alijs diebus. Primò, sa-

*Esdræ 2. c. 8.*

*Actor. 13*

*Psal. 50.* sacrificiorum oblatio in peccatorum contritione, iuxta illud: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et cor contritum, in orationis deuotione, iuxta illud: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Ps. 140.* In Missarum celebratione. Vnde dicitur de consecratione distinctione secunda, quòd die Dominico Missam ex integro omnes seculares audiant. Secundò, eleemosynarum largitio: dicentes cum Dauid: Tua enim sunt Domine, omnia, quæ habemus: & quæ de manu tua *1. Par. vlt.* accepimus, hæc ipsa offerimus tibi, & abundantius, quàm alijs diebus, propter communem lætitiam resurrectionis. Vnde Dominus duplicatas decimas die Sabbati iussit offerri, vt patet in libro Num. *Num. 28* Tertio, sacræ Scripturæ, expositio, prædicatio, & intellectio: quia omnis, qui est ex Deo, verba Dei audit. Vacantes ergo ab istis, vel non occupati in istis, puto quòd maius peccatum incurrunt, quàm si opera carnalia exercerent: propter periculum negligentiæ: quia multa mala docet otiositas. Et specialiter natura humana: quia ex sua libertate potest multa, & vana cogitare, non occupata licitis, & honestis, statim inclinatur ad illicita. Et propter periculum diabolicæ fraudulentiæ. Legimus enim in libro Machabæorum, quòd quidam Iudæi occultauerunt se die Sabbati, nolentes pugnare cum inimicis. Tunc aduersarij subitò irruentes super eos, inuenientes eos impræparatos, multos ex eis occiderunt. *1. Mach. 2.* Alij verò postmodum remanentes, calefacti, & remoti ab otio, dixerunt omnes, qui venient ad nos diebus Sabbatis, pugnemus contra eos. *Ibidem.* Sic boni viri, & bonæ dominæ, non debent otiosi stare, etiam Dominicis diebus: sed aliquibus bonis se calefacere, & contra diaboli insidias pugnare. Tertiò, propter periculum prauæ locutionis, & operationis. Multum namque melius est homini, vel mulieri etiam die Dominico occupare se aliquo labore corporali licito, & honesto, quàm loqui modo cum vno, modo cum alio verba inhonesta, murmurationis, partialitatis, & vanitatis: quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, & praua. *1. Cor. 15* Vnde bonum est festa celebrare, & illa præsertim, quæ Ecclesia mandat esse custodienda. Honor namque regis iudicium, & discretionem diligit, & requirit: Vnde discretè creatura suum Creatorem debet honorare, nunc per spiritualia, nunc per corporalia opera: quia corpus, & animam, totumque ab ipso habemus: & totum ad eius laudem debemus impendere. Aliter nostra festa, nec à Deo approbantur, & à dæmonibus irridentur. Vnde super illo verbo: Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata nostra, dicit Glossa: Maligni spiritus videntes vocationis nostræ otium, ad cogitationes illicitas protrahunt, & sic deludunt. Quod, vt ait, Canonicis, Monachis, & omnibus, qui Dei vacant ministerijs, valdè est cauendum, ne non solùm ab æterno iudice eorum Sabbata reprobentur, sed etiam ne ab hostibus irrideantur.

### *Quomodo opera corporalia die Sabbati citra peccatum mortale fieri possint.*
Quæst. 6.

AD sextam est dicendum, quòd opera corporalia, quæ de sua natura sunt peccata, vt fornicari, & inebriari: & alia huiusmodi strictiùs in noua lege prohibentur fieri, quàm in veteri die Sabbati. Sed alia opera corporalia, quæ de sua natura non sunt peccata, non sic strictè prohibita sunt hic, sicut ibi, seu prohibenda. Maximè, quia inuenimus nostrum Saluatorem, in quatuor casibus specialiter talia concessisse. Primò, in corporis necessitate. Vnde excusauit discipulos vellentes spicas die Sabbati, dicens Pharisæis reprehendentibus eos: Non legistis quid fecerit Dauid, quando esurijt: quomodo intrauit templum Domini, & panes propositionis comedit, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus? *Mat. 12.* Secundò, in proximi sanitate, & necessitate. Vnde dicitur, quòd curauit hominem habentem manum aridam, & increpauit Pharisæos tale opus die Sabbati factum calumniantes, dicens: Cuius vestrum asinus, aut bos cadet in puteum die Sabbati, & non continuò extrahet illum? Itaque licèt benefacere etiam die Sabbati. *Mat. 12.* Tertiò, in Ecclesiæ vtilitate. Christus exemplum ponit de sacerdotibus, qui faciebant omnia, quæ necessaria erant in templo, die Sabbati; & sine crimine erant. *Mat. 18.* Quartò, in superioris potestate, vel auctoritate. Vnde Saluator mãdauit fieri Circumcisionem die Sabbati: nec propter hoc soluebatur lex Moysi, cùm esset etiam Dominus Sabbati. *Ioan. 7.* Igitur propter corporis necessitatem, propter proximi sanitatem, propter Ecclesiæ, & Reipublicæ vtilitatem, & propter superioris auctoritatem, opera corporalia, sine peccato fieri possunt die Sabbati.

## *QVARTA CHORDA QVARTO Præcepto respondens.*
Exod. 20.

*QVIA fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Quarta chorda Psalterij decachordi est. Honora patrem tuum, & matrem tuam: vt sis longæuus super terram, quàm Dominus Deus daturus est tibi. Patrem autem, & matrem honorare, non est aliud, quàm beneficia ab eis recepta, non dissimulare, sed cognoscere: & in gratiarum actione prorumpere. Dicit enim Seneca in li- *De benefic. lib. 3.*

libro de beneficijs, quòd primus ingratitudinis gradus est beneficia recepta dissimulare. Recipit autem homo à patre carnali particulariter, sed à Deo Patre spirituali, & cœlesti integraliter, & vniuersaliter, tria beneficia, quæ tenemur confiteri, & in gratiarum actione surgere. Primò, esse naturale, & substantiale, quo generatur. Secundò, esse nutrimentale, quo gubernatur. Tertiò, esse doctrinale, quo ad cultum Dei dedicatur. Si quis ergo tantam gratiam haberet, & tantam gratiam Deus sibi faceret, quòd suum genitorem generaret, suum nutritorem nutriret, & lactaret, suum gubernatorem gubernaret, & suum instructorem instrueret, & doctorem disciplinaret, & sibi imperaret, non deberet hanc gratiam dissimulare: quia sic transgrederetur istud præceptum: Honora patrem tuum, &c. Sed deberet confiteri, & in actione gratiarum prorumpere. Sed Virgo beata singulariter istam gratiam à Patre cœlesti est consecuta. Ideò ipsa tangens istam chordam quartam Psalterij, in quarto versu sui Cantici, ait: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Si autem quæratur quænam magna Deus fecerit Virgini, dicit Theophilus: Credo, vt creatura crederet Creatorem, famula dominum generaret, vt per eam Deus mundum redimeret: illuminaret, & ad vitam reuocaret. Secundò, confitetur, quòd ipsa suum gubernatorem nutriuit, & lactauit, cùm ait: *Qui potens est.* Magnæ namque potentiæ fuit, vt Glossa dicit, ipsius Dei in Beata Virgine, vt mater fieret, quæ erat Virgo: & maternum cibum daret illi, à quo cibum sumebat ipsa, & omnis creatura. Tertiò confitetur, quòd suum instructorem, & doctorem instruebat, & disciplinabat, quãdo ait: *Et sanctum nomen eius.* Nam nomen Dei semper est sanctum. Tunc tamen sanctum apud nos efficitur, cum eius sanctitate sanctificamur, illuminamur, & docemur. Et sic Beata Virgo Christum in sua pueritia instruendo instruebatur, & sanctificando, & ad cultum Dei dedicando sanctificabatur. Vnde super illo verbo: Ibant parentes eius per singulos annos in Ierusalem, in die solemnis Paschæ, dicit Chrysostomus, quòd in solemnitatibus Hebræorum, non solum tempus, sed etiam locum lex iusserat obseruare. Ideò parentes Christi extra Ierusalem, quæ erat ciuitas sancta, Pascha celebrare nolebant, sed omnia, quæ mandata erant, ad cultum Dei pertinentia, circa Christum implere cupiebant. Igitur Beata Virgo suum genitorem generauit: suum gubernatorem, & nutritorem materno cibo substentauit: & suum instructorem ad cultum Dei dedicauit. Vnde propter primum dixit: *Fecit mihi magna.* Propter secundum: *Qui potens est.* Propter tertium dixit: *Et sanctum nomen eius.* De ista quarta Chorda, quinque dubitationes esse possunt.

*Luc. 1.*

1 Vtrùm in dilectione proximi, honorare parentes sit primum præceptum.

2 Vtrùm teneantur filij aliud exhibere parentibus, quàm honorem.

3 Vtrùm ex præcepto diuino teneantur aliquos tanquam parentes honorare.

4 Vtrùm parentes teneantur remouere filios ab illis, qui impediunt, vt parentes honorentur.

5 Vtrùm filij parentes honorantes, consequantur aliud præmium, quàm longitudinem vitæ.

### *An in dilectione proximi Præceptum primum sit honorare Parentes.* Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd in ordine dilectionis proximi, primum præceptum Deus dedit de honore parentum, sicut patet. Et sic intelligitur Verbum Apostoli, dicens: Honora patrem tuum, & matrem tuam, quòd est primum mandatum in lege, quòd ergo conueniens fuerit esse primum mandatum honorare parentes, in dilectione proximi, tribus modis ostenditur. Primò, ex ordine naturæ. Secundò, ex ordine charitatis. Tertiò, ex ordine ipsorum præceptorum. Primò sic: Natura primò naturaliter agit in sibi propinqua: vt ignis naturaliter calefacit partem aëris sibi propinquam, magis quàm remotam. Cùm natura filiorum propinquior sit naturæ parentum, quàm aliorum: vt potè immediatè orta, & deriuata ab eis, inclinantur, vt citiùs subueniant, & aganr in naturam parentum, quàm aliorum. Vnde dicit Basilius, quòd Cyconiæ naturali instinctu, cùm vident parentes confectos senectute, in volatu supportant, plumis calefaciunt, & alimenta eis procurant. Ista ratio tangitur per Spiritum sanctum, vbi dicitur: Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento, quòd nisi per illos, non fuisses: & ideò retribuas illis, quomodo, & illi tibi. Secundò, sic verba charitatis ordinata esse debent, iuxta illud: Ordinauit in me charitatem. Super quo verbo dicit Ambrosius, quòd peccat, qui præposterum agit. Sed omnes proximos ex charitate debemus diligere. Quia sicut Ioannes dicit: Debemus diligere non lingua, vel verbo, sed opere, & veritate. Ergo in tali dilectione ordo seruandus est, vt primò Deum, secundò parentes, tertiò domesticos, quartò omnes alios diligamus. Et hanc rationem tangit Ambrosius. Tertiò, sic: Efficacia, & virtus omnis præcepti in hoc consistit, vt fugiamus malum, & faciamus bonum. Sed malum non facere alicui, est in potestate nostra. Bonum verò cuilibet facere

*Exod. 20. Ad Ephes. 6.*

*Eccles. 7.*

*Cant. 2.*

*1. Cant. cup. 3.*

cere non est in potestate nostra: Quia vel non habemus facultatem faciendi, vel non habemus possibilitatem. Vnde dicit Augustinus: Quòd omnes debemus diligere, & nulli nocere. Sed cum omnibus hominibus prodesse non possumus, ijs potissimum consulendum est, & subueniendum, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs nobis, quadam quasi sorte iunguntur, vt parentibus, & alijs domesticis: Quia, vt dicit Apostolus: Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quàm regulam Christus seruauit, quia cùm suæ matris curam habere non potuit, relinquens mundum, & vadens ad patrem, Ioannis Euangelistæ eam curæ commisit. Ergo honorare parentes est primum mandatum, ex ipso ordine præcepti, & vigore.

*De Doct. Christ. libro 4. c. 12. tom. 3*

*1. Tim. 5.*

*Ioan. 18.*

*Quænam sint illa tria, quæ parentibus à filijs debentur pro ijs honorandis.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd filij tria recipiunt á parentibus. Primò, esse, & generationem. Secundò, doctrinam, & exortationem. Vnde peccant parentes non instruentes filios in lege Dei, & actibus virtuosis. Et qui delectantur in malitijs, & nequitijs filiorum, erunt testes nequitiæ eorum in damnationem ipsorum. Vnde dicitur, quòd ex iniquis parentibus, omnes filij, qui nascuntur, & testes erunt nequitiæ, & aduersus parentes in interrogatione sua. Tertiò, substentamentum, & nutritionem: quia nudi nascuntur, nihil nutrimenti, vel vestimenti portantes. Propter ista tria ergo, quæ filij à parentibus recipiunt, tenentur eis tria impendere, quæ in hoc præcepto includuntur: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Primò, namque pro esse, & generatione, debent parentibus honoris reuerentiam, maiorẽ, quàm dominis terrenis, à quibus recognoscunt, vel fortè recipiunt bona temporalia. Secundò, pro doctrina, & exortatione, debent eis subiectionis obedientiam. Dicit enim Apostolus: Filij obedite parentibus vestris, præter illa, quæ essent contra Deum. In omnibus alijs filij tenentur parentibus obedire. Tertiò, pro substentamento, & nutritione, quàm recipiunt in iuuentute, debent eis in senectute cum dilectione, & sine improperatione, vel contristatione, sed cum gaudio, necessaria ministrare. Vnde dicitur: Fili suscipe senectam patris tui. Quòd autem ista tria includantur in hoc præcepto: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Patet per Spiritum sanctum, vbi dicitur: Honora patrem tuum, & matrem tuam: vt veniat tibi benedictio. Et statim subdit in quibus iste honor consistat dicens: In opere, & sermone, & omnipotentia. Vt intelligamus filios parentes debere honorare. In opere honoris, & reuerentiæ, propter receptam generationem. In sermone, subiectionis obedientiæ, propter receptam exortationem. Et in omnipotentia subuentionis sufficientiæ, propter receptam nutritionem. Solùm ergo honor debetur à filijs parentibus. Sed iste honor includit ista tria superius dicta.

*Sap. 2.*

*Ephes. 6. & Col. 3.*

*Eccles.*

*Eccle. 3.*

*An ex præcepto diuino aliquæ personæ sint honorandæ tanquam parentes.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd ex præcepto sacræ Scripturæ, quinque generibus personarum honorem paternum tenemur exhibere. Primò, Apostolis, & sanctis Doctoribus, doctrina quorum illuminamur, & in vita spirituali regeneramur. Dicit enim Apostolus: Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, non tamen multos patres: in Christo enim IESV, per Euangelium ego vos genui: hos enim tenemur honorare, non solum verbo, sed imitatione, vt nihil sentiamus de scriptura, nisi quod ipsi senserunt: non transgrediendo terminos eorum. De istis patribus dicit Propheta: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: propterea populi confitebuntur tibi. Secundò, prælatis, & pastoribus, quorum regimine in vita, & in moribus regulamur. Sunt enim ministri Dei, in ministrando nobis dona, & sacramenta Dei. Ideò sicut patres debemus eos honorare, præcipiente ipso Saluatore: Qui vos honorat, me honorat: & qui vos spernit, me spernit. Et Apostolus dicit: Obedite præpositis vestris. Magnum enim bonum est subditis habere tales patres bonos, non minus quàm patres carnales. Vnde scribitur: Gloria filiorum sunt patres eorum. Tertiò, regibus, & doctoribus, quorum potentia protegimur, & à rabie tyrannorum liberamur. Vnde dictum fuit Naaman Principi, Regi Asyriorum per seruos suos: Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras. Et Apostolus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quartò, nostris primoribus, & benefactoribus, quorum beneficio viuimus, & sustentamur. Tales enim debemus, vt patres honorare, & appellare. Vnde dicitur: In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris Filius Altissimi. Quintò, senibus, & nostris antiquioribus, quorum narrationes audiuimus, & gestis instruimur, & informamur. Interroga (inquit Moyses) patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Vnde præceptum fuit: Coram cano capite consurge: & honora personam se-

*1. Cor. 4.*

*Luc. 10.*

*Heb. vlt.*

*Prou. 17.*

*4. Reg. 5.*

*Rom. 13.*

*Eccles. 32.*

*Deut. 32.*

*Leuit. cap. 19.*

senis. Omnibus istis supradictis, Scriptura sacra honorem paternum præcipit exhiberi.

*Quænam sint illa, quæ filios reddunt inobedientes.* Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd duo sunt, quæ faciunt filios non reuerentes, & non obedientes suis parentibus. Primum est, superbia, & contumacia. Postquam enim incipiunt habere rationis vsum, & corporis valetudinem, statim credunt, quòd sint digni dominari, & alijs imperare: & putant se valere plusquam valeant. Ideò monita, & præcepta parentum contemnunt, & paruipendunt. Secundum est, eorum luxuria, & incõtinentia. Postquam enim incipiunt esse passionum insecutores, & vacare comessationibus, & ebrietatibus, conuiuijs, & luxurijs, nõ curant honorare parentes, sed vxori, & vni vilissimæ concubinæ, plus reuerentiæ, & honoris impendunt, quàm patri, & matri. Quod tamen est vitium detestabile. Quia licet bonum delectabile, secundùm virtutis debitum quærendum sit in vxore, bonum tamen honorabile exhibendum est patri, & matri magis, quàm alicui, præter Deum. Vnde pro istis duobus lex Moysi mandauit filium esse lapidandum, si ab eis ex mandato parentum se retrahere nolebat. Sic enim scribitur:

*Deut.* 21. Si genuerit homo filium proteruum, & contumacem, qui non audiat patris, aut matris imperium, & correctus obedire contempserit: Apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis: & ad portam iudicij dicent ad eos: Filius noster contumax, & proteruus est, & monita nostra audire contemnit: hoc quantum ad superbiam. Et comessationibus vacat, & luxurijs, atque conuiuijs: Hoc quantum ad incontinentiam, lapidibus obruent illum populi ciuitatis, & morietur. Tenentur parentes ex præcepto diuino, imò ex scripto iuris naturalis, filios suos potissimè ab istis duobus vitijs in iuuentute eorum retrahere, ne efficiantur diuini præcepti transgressores, quo præcipitur eis, vt debeant parentes honorare. Primò, à superbia, & contumacia assignat Philosophus tres rationes, *Lib. 7. Pol.* quare filij non debent proteruire, & superbire contra imperia parentum. Prima est, quia præcipiunt eis propter bonum suum, & salutem ipsorum. Et quilibet tenetur obedire eis, quos sciunt præcipere sibi bonum. Secunda, quia cùm venerit ad ætatem perfectam promptè, & absque erubescentia poterit ipse alijs imperare, seipsum in exemplum inducendo. Tertia, quia nullus est bonus præceptor, nisi prius fuerit bonus obediens. Sicut nullus est bonus Magister, nisi prius fuerit bonus discipulus, vnde dicitur: Miserum est illum fieri magistrum, qui nunquam nouit se esse discipulum. Secundò, debent eos retrahere ab incontinentia. Est enim complexio iuuenilis sicut cera, quæ facilè recipit omnem figuram: sic iuuenes, dum in iuuentute existunt, si retrahantur à luxurijs, comessationibus, & conuiuijs, efficiuntur continentes, & virtuosi; vnde scribitur, quòd quia Eli *1. Reg. 4.* sacerdos Domini, neglexit in iuuentute corrigere filios suos, de istis duobus vitijs præcipuè, ipsi vna die omnes mortui sunt, & ipse Eli cadens in terra de sella templi, fractis ceruicibus, mortuus est.

*Filij parentes honorantes quænam præmia consequantur.* Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd sacra Scriptura, quinque valdè desiderabilia, & appetibilia promittit filijs, parentes honorantibus. Primum est, vitæ præsentis elongatio. Secundum est, filiorum iucundatio. Tertium est, bonæ famæ, & boni nominis diuulgatio. Quartum est, diuitiarum temporalium cumulatio. Quintum est, diuina recordatio, & æternæ gloriæ acquisitio.

Primum præmium namque longa vita promittitur filijs honorantibus parentes. Statim *Exod. 20* cum dictum fuit: Honora patrem tuum, & matrem tuam, adiunctum est, vt sis longæuus super terram, & dicitur: Qui honorat pa- *Eccl. 13.* trem suum, & matrem suam, vita viuet longiore. Et oportet accipere longam vitam nõ sempet annorum, vel dierum multiplicatione, sed & pro virtuosa operatione. Tunc enim vita hominis est longa, quando est plena virtute, & bona operatione. Si enim vnus faceret mercaturas vno anno, & tantum lucraretur, quantum ille, qui feciſſet sexaginta annis, longior esset mercatura istius, quàm illius, non annorum computatione, sed lucri compensatione, seu consecutione: Sic iuuenis viginti annis virtuosè benè operando, plus viuit, quàm viuens sexaginta sine virtuosa operatione, vnde dicitur: Consummatus in breui expleuit tempora multa. Et hoc, *Sap. 4.* quia per virtutem placita erat Deo anima illius. Nam prolongatio vitæ in multitudine annorum, quandoque magis est acquisitio mortis, quàm vitæ, sicut fuit in Iuda. Vitæ igitur elongatio promittitur honorantibus parentes, sed nõ honorãtibus debetur mors. Sicut milites proditores Regis merentur amittere feudum: Sic multô magis dehonorantes, & iniuriam facientes parentibus, debent amittere vitam. Vnde dicitur in Pro- *Prou. 30.* uerbijs: Qui subsannat patrem, perdit oculum, & qui despicit partum matris, effodient eum corui de torrentibus, ideſt, Officiales, & Rectores, & comedent eum filij aquilæ, ideſt, Reges, quorum imperio sit iustitiatus. Dato tamen, quòd euadant, quãdoque mortem

tem temporalem, spiritualem tamen non effugiunt, quia transgressi sunt præceptum Dei.

Secundum præmium est in eorum filijs iucundatio. Dicitur enim, Qui honorat patrem suum, in filijs iucundabitur. In pluribus enim hoc contigit, quòd illi, qui honorant parentes, magnam lætitiam vident de filijs eorum. Dicitur enim de quodam, qui ex nimia senectute patris, expulit eum de mensa sua, & scutellam, & omnia, quæ sibi dabantur, voluit esse separata. Quod aduertens filius eius dixit patri: Sic ego pater faciam tibi, cùm fueris senex. Et satis congruè, quia dicente Saluatore: Illa mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

*Ecclesi.3.*

*Marc.4. & Matth.7.*

Tertium præmium est boni nominis, & bonæ famæ diuulgatio. Si namque melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, econuerso mala fama est multum timenda. Vnde dicitur: Quàm malæ famæ est, qui relinquit patrem, & maledictus à Deo, qui exasperat matrem.

Quartum præmium est diuitiarum cumulatio. Dicitur enim, quòd benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris, eradicat fundamenta. Ideò Iacob pro magno dono habuit, quando à matre fuit benedictus.

*Eccles.3.*

Quintum præmium est diuina recordatio, & æternæ vitæ consecutio. Sic enim Saluator noster de suis ministris recordabitur obseruantibus eius præcepta, dicens, Volo pater, vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus. Sic non obseruantium obliuiscetur, vnde dicitur, Memento patris, & matris tuæ, cùm in medio magnatorum consistis, ne fortè obliuiscatur te Deus in cõspectu illorum.

*Ioan. 12.*

*Eccl. 23.*

## *QVINTA CHORDA QVINTO Præcepto respondens.*
### Exod.20.

*ET misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Quinta Chorda Psalterij est, Non occides. Proximum autem occidere est, sibi non misereri, & misericordiam erga ipsum non habere. Vnde Saluator in Euangelio, seruo volenti suum debitorem occidere, & suffocare, dixit: Serue nequam, nonne oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et: Solus ille, qui vulneratum, & percussum à latronibus sanauit, & alligauit vulnera eius, dictus est facere misericordiam in eo. Hanc ergo chordam Virgo glorioſa tetigit in quinto versu sui Cantici, dicens, *Et misericordia eius à progenie in progenies timẽtibus eum.* Ostendens, quòd misericordia Dei in non occidendo proximum, fuit à progenie in progenies timentibus eum, vt intelligatur, quòd talis misericordia, quam tenemur habere circa proximum in non occidendo ipsum, sed magis sibi miserendo, & misericordiam circa ipsum habendo, fuit à progenie legis naturæ communiter inchoata. Nam ex instinctu legis naturæ inclytæ menti cuiuslibet hominis, inclinatur quilibet, non facere alteri, quod sibi nollet fieri, & alteri facere, quod sibi vellet fieri. In quo planum est contineri, Non occides. Quia quilibet vellet ab alio nõ occidi, sed magis sibi misereri, & misericordiam erga ipsum haberi. Et sic lege naturæ tenetur suum proximum non occidere, sed sibi misereri. Et misericordiam erga ipsum habere. Fuit in progenie legis scriptæ talis misericordia explicata: quia Exodo explicitè mandauit proximum nõ esse occidendum. Et sic particulariter intelligatur esse mandatum sibi, esse misericordem. Sed fuit timentibus Deum, in lege noua, perfecta, & consummata. Vnde dicitur, Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, quòd omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. In quo non solum occisionem, sed animi commotionem, quæ est radix homicidij, prohibuit. Quòd ergo misericordia Dei in non occidendo proximum fuerit à progenie legis naturæ communiter inchoata, tetigit Virgo benedicta, cùm dixit: *Et misericordia eius à progenie.* Quòd verò fuerit in progenie legis scriptæ particulariter explicata, tetigit, cùm ait: *In progenies.* Sed quòd fuerit timentibus Deum in lege noua perfecta, & consummata, tetigit dicens: *Timentibus eum.* De ista ergo Chorda quinta, quinque dubitationes esse possunt.

*Exod.20*

*Mat.25.*

1 Vtrùm in non occidere, sola occisio hominis sit prohibita.

2 Vtrùm solum occisio hominis tollat misericordiam Dei, à progenie in progenies, timentibus eum.

3 Vtrùm omnis occisio hominum sit æqualiter peccatum.

4 Vtrùm omnis occisio hominum infidelium sit licita Christianis.

5 Vtrùm lex Euangelica debuerit prohibere radicem omnis occisionis.

### *An in præcepto: Non occides, sola hominis occisio sit prohibita.*
### Quæst.1.

AD primam, est dicendum, quòd in hoc præcepto, Non occides, aliqui tripliciter errauerunt. Quia aliqui hoc dictum nimis extenderunt dicentes in non occidere, omnia animalia, & cuncta animantia, quæcunque vniuersaliter includi. Ita quòd non liceret occidere quæcumque animalia, non solum perfecta, vt oues, & boues, verum etiam animalia minuta, vt muscas, araneas, ci-

cimices, & pulices. Iste autem intellectus est falsus, & pro hæresi pernicioſa habendus, quod patet diuina auctoritate, & philoſophica veritate. Nam ſtatim poſt diluuium dixit Dominus ad Noe, & filijs eius: Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quòd carnem cum ſanguine non comedetis. In ſignum, (vt dicit Gloſſa) quòd conſcientia ſanguine peccatorum ſuffocanda non erat, ſed per confeſsionem effundenda, & pandenda. Planum eſt autem, quòd animalia, quæ mouentur, & viuunt, comedi non poſſunt, niſi occidantur. Igitur diuina auctoritate habetur, quòd licet occidere animalia. Philoſophica item ratio hoc perſuadet. Quia Philoſophus expreſsè dicit, quòd iuſtè poſſumus venari animalia, & iuſtum bellum ineſt homini contra cuncta animalia ſibi ſubiecta; quia ſicut plantæ veniunt in cibum animalium, ſic animalia veniunt in cibum hominum: licèt igitur nobis occidere quæcumque animalia in noſtram vtilitatem, nec aliquod peccatum eſt, niſi eorum occiſio fieret in nocumentum noſtrum. Aliqui hoc dictum, non occides, extorſerunt dicentes, non licere quacumque auctoritate publica, vel priuata. Et iſte intellectus falſus eſt, & erroneus, quia ſic Dei miniſtri, vt iudices, & rectores, interficientes maleficos, & latrones eſſent homicidæ. Quinimo ipſe Deus homicida eſſet, cuius auctoritate miniſtri eius interficiunt dignos morte. Dictum namque fuit Moyſi ore Domini: Non patieris maleficos viuere ſuper terram. Et quia omnes miniſtri legis, Dei miniſtri ſunt, iuxta illud: Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Et, Omnis poteſtas á Deo eſt. Ideò occidentes hominem publica fungentes auctoritate, non cenſentur homicidæ. Quia vt dicit Auguſtinus: Si obeditur imperatori, & interficitur hoſtis eius auctoritate, ſine peccato eſt: nec punitur pœna homicidij, imò puniretur, ſi non occideret, multò magis ſine peccato, obeditur Deo omnium Creatori. Sed aliqui hoc dictum reſtrinxerunt dicentes, licere hominem interficere ſeipſum, quod probant. Quia, vt dicit Auguſtinus primo de ciuitate Dei: Sanſon ſeipſum cum hoſtibus interfecit. Quędam ſimiliter fœminæ volentes fugere illos, qui volebant earum pudicitiam violare, in fluuium ſe proiecerunt. Narrat etiam ibi, quòd quædam matrona Romana, Lucretia nomine, cùm violenter eſſet oppreſſa à filio Regis, hoc viro, & conſobrino ſuo viris fortiſsimis primò indicauit, & conſtrinxit, vt vindictam facerent, poſtmodum tanquam fœdi in ſe cõmiſsi ægra, ſe ipſam interfecit. Cato (vt ibi ait) ſe ipſum occidit. Et omnes iſtæ perſonæ in venerabili memoria habentur. Ad

*Geneſ. 9.*

*De ciuit. Dei, lib 1 c. 20. t. 5.*

*Polit. lib. 1. cap. 4. prope fi. nem.*

*1. Opinio.*

*Exod. 22 cap.*

*Prou. 8.*

*Rom. 13.*

*1. de ciuitate Dei, c. 19. t. 5.*

*Cap. 23.*

*Cap. 19.*

*Cap. 13.*

A quod reſpondet Auguſtinus, quòd Sanſon, & Iepte, qui filiam in ſacrificio occidit offerendam, non aliter excuſari debent, niſi quia iuſſu Spiritus ſancti hoc fecerunt. Et ſi perſonæ aliæ ſunt nominatæ, ſi tali iuſſu Spiritus ſancti ſe occiderunt, in memoria debent celebrari, aliter non. Vnde concludit Auguſtinus, quòd nec propter malorum perſecutionem fugiendam, ſicut Sanſon, nec propter aliorum peccatorum vitationem, ſicut virgines timentes deflorari, nec propter peccatorum præteritorum deſperationem, ſicut Iudas, nec propter melioris vitæ acquiſitionem, ſicut multi hæretici. Omni-
B bus iſtis modis non licèt interficere ſe ipſum. Gloſſandum eſt ergo ſic: Non occides hominem tibi coniunctum humana ſocietate. Et ſic excluduntur animalia. Non occides hominem, priuata tua auctoritate, & voluntate. Et ſic excluduntur Iudices, & miniſtri legis. Non occides hominem, in quo eſt imago Dei repræſentata: Et ſic ipſemet homo excluditur. Quia cùm ſit ipſe ad imaginem Dei factus, ſe ipſum occidere non debet. Vnde ſcribitur: Sanguinem humanum non effundas, quia ad imaginem Dei factus eſt homo. Et ideo de manu omnium ſanguinem hominum requiram. *Cap. 21.* *Geneſ. 9.*

C *Hominis occiſio quot damna ſecum afferat, & bona auferat occidenti.*

Quæſt. 1.

AD ſecundam eſt dicendum, quòd ſola occiſio hominis tollit Dei miſericordiæ præceptum. Tollit miſericordiæ Dei ſubiectum. Tollit miſericordiæ Dei effectum. Nam primò tollit miſericordiæ Dei præceptum. Mandat enim Saluator: Eſtote miſericordes, ſicut, & Pater veſter miſericors eſt. Super quo verbo dicit Auguſtinus, quòd pater cœleſtis ſic eſt miſericors, quòd vniuerſaliter vitam non tollit, ſed pro culpa pœnam apponit. Eſt enim in poteſta-
D te Dei tollere vitam animæ per annihilationem, longe amplius, quàm ſit in poteſtate hominis tollere vitam corpori per occiſionem. Sicut ergo Pater noſter miſericors eſt, non auferendo vitam animæ, ſic homo miſericors eſſe debet, non auferendo vitam corpori. Aliter dicente Iacobo in Canonica ſua, iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam. Secundò tollitur per occiſionem miſericordiæ ſubiectũ. Nam propriè ſubiectum miſericordiæ eſt homo. Non enim eſt aliud, eſſe miſericordem, quàm miſerum, & pium cor habere erga proximum, vt nõ lapideum, ſed mole, & carneũ cor habeamus ad proximi compaſsionem. Sed habere cor ſic compaſsiuum, & ſic mole erga proximum, non pertinet ad Angelos, *Luc. 6.* *Iacob. 2.*

nec ad animalia irrationabilia, sed solum ad homines. Vnde solùm cor humanum est subiectum misericordiæ. Qui igitur occidit hominem, tollit ex toto misericordię subiectũ. Et hoc à progenie in progenies, quia destructis primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum remanere. Destructo namque homine, amplius non remanet possibilitas in eo ad generandam progeniem filiorum, & nepotum, & aliorum, qui Deum timere possent, & diuino cultui dedicari. Tertiò, tollitur per occisionem, misericordiæ effectus. Nam effectus misericordiæ est, aliorum miseriæ compati, & condolere. Qui autem alicui aufert bona fortunæ, vel temporalia, vt diuitias, non aufert misericordiæ effectum ex toto ab eo, quia sanitas corporis, & bona corporalia, quæ sibi seruantur, meliora sunt, & pretiosiora bonis temporalibus, eo quòd non est censum super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium. Similiter, qui aufert alicui sanitatem corporalem, & omnia bona corporalia, dummodo seruet sibi vitã, ita quòd per mortem non separet animam à corpore, adhuc non vniuersaliter tolleret ab eo misericordiam, seu misericordiæ effectum. Vnde postquàm diabolus bona temporalia abstulerat à Iob, petijt tangere carnem eius. *Iob.2.* Quod Deus concessit, dummodo seruaret animam eius, scilicet, quòd eum non occideret. Sed qui occidit hominem, vniuersaliter tollit misericordiæ effectum ab eo, quia ex quo tollit sibi vitam, & animam à corpore separat, tollit bona corporalia, & bona temporalia. Et hoc à progenie in progenies, quia nunquam remanet sibi spes in hoc seculo, vbi est opus misericordiæ, sibi misereri. Igitur sola occisio hominis tollit Dei misericordiæ præceptum, tollit misericordiæ subiectum, tollit misericordiæ effectum.

### *An omnis occisio hominum sit æqualiter peccatum.* Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd occisio hominis potest esse triplex. Primò, corporalis. Secundò, spiritualis. Tertiò, vtroque modo. Occisio namque corporalis est, quando separatur anima à corpore. Spiritualis est, quando separatur à Deo, & à gratia eius. Corporalis verò, & spiritualis est, quando vtroque modo. Maior igitur culpa est spiritualis occisio, quàm corporalis. Vnde maior homicida est diabolus, qui sua instigatione separat animam à Deo, quàm homo, qui gladio separat animam à corpore: propter quod de eo dictum est, quòd homi- *Ioann. 8.* cida erat ab initio. Occisio autem spiritualis, & corporalis, maior est culpa, quàm spiritualis tantùm. Vnde magis est homicida, qui interficit puerum, vel puellam in ventre prægnantis, quàm si interficeret iam natum, & adultum, quia antequam nascatur baptizari nõ potest, & Christo incorporari. Propter quod si in ventre interficiatur, dummodo sit animatus anima rationali, separatur anima à corpore, & separatur anima à Deo. In qualibet tamen occisione multiplex gradus culpæ inuenitur. Quia potest quis occidere aliquem corporaliter consensu, eo quòd posset impedire, ne occideretur, & non impediuit, & talis occidere dicitur, quia in ijs, quæ per se mala sunt, non solum facientes, sed etiam, qui consentiunt facientibus, digni sunt morte, vt dicit Apostolus. Secundò, potest *Rom. 1.* quis alium occidere corporaliter verbo, vel prouocando aliquem ad occisionem, vel accusando, vel detrahendo, vel consulendo, vel auxilium præbendo, seu præstando. De talibus occisoribus dicit Propheta: Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & *Psal. 56.* lingua eorum gladius acutus. Tertiò, potest quis alium occidere manu, & opere. De quibus dicitur, manus vestræ sanguine plenæ sunt. Igitur culpa est occidere opere, magis, *Isai. 1.* quàm verbo solo, & magis verbo, quàm solo consensu. Et talis distinctio est facienda in occisione spirituali. Similiter in occisione spirituali, & corporali eodem modo facienda est distinctio ex parte occisi, quia maior culpa est cæteris paribus, si occidatur clericus, quàm laicus: maior si prælatus, vel Princeps, quàm subditus, maior si persona vtilis pro republica, quàm aliter conditionata. Et sic non omnis occisio hominis est æqualiter peccatum.

### *An omnis occisio hominũ infidelium sit Christianis licita.* Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd infideles occidere, licèt Christianis, quatuor dumtaxat conditionibus appositis. Primò, quòd nobiscum nolunt pacificè viuere, & conuersari. Vnde mandauit Dominus Moy- *Deut. 20* si, si quando ingressus fueris ad expugnandum ciuitatem aliquam, offeres primum ei pacem. Si acceperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur. Et sicut erant Gentiles respectu Iudæorum, sic nunc sunt infideles respectu Christianorum. Secundò, si nobiscum nollent stare sine contumelia nostri Creatoris, & absque eo quòd eorum conuersatione, persuasione, vel seductione vellet trahere fideles ad ritum ipsorum. Vnde hac de causa, mandauit Moyses occidi mulieres, & paruulos Madianitarum, dicens: Cur fœminas re- *Num. 16* seruastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel, & præuaricari fecerunt vos in Domino? Tertiò, si nobis seruire, &

tri-

tributa soluere essent parati. Vnde Dominus mandauit Moysi, vt gentes, quas suo dominio subiugabat, sibi tributarias facerent. Et dicitur, quòd dispar nimis est Iudæorum, & Saracenorum causa, quia in Saracenis, qui Christianas persequuntur, & de proprijs vrbibus pellunt, iustè pugnant. Iudæi vbique nobis seruire, & tributa soluere sunt parati. Quartò, quia iura nostra, & ciuitates nostras violenter ab eis vsurpata parati erunt restituere, & de iniurijs illatis nobis plenè satisfacere. Nam propter istam causam non solum contra infideles, imò etiam contra fideles iustum bellum committi potest, quia per Augustinum dicitur: Tunc gens, & ciuitas iustè per bella plectenda est, quando vindicare neglexerit, quod improbè à suis factum est, vel reddere, quod per iniurias ablatũ est. Nec differt secundùm Augustinum, quantum ad iustitiam, seruata tamen fide à parte pugnæ, vel dolo, & insidijs vti ad impugnandum hostes. Quia ex quo iustum bellum committitur, iustè potest decipi aduersarius. Et eodem modo, vt notat Glossator ibi, aduocatus defendens iustitiam, & iustam causam, licitè potest vti deceptionibus, & insidijs ad conuincendum aduersarium. His ergo quatuor conditionibus supradictis seruatis, puto, quòd non licet Christianis infideles occidere.

*An lex Euangelica debuerit prohibere omnis occisionis radicem.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd radix occisionis hominis est ira propter tria. Primò, propter prouocationem. Ex ira namque quis prouocatur ad iniuriandum fratri suo, vel signo, cùm nihil dicit, vel verbo expresso, cùm dicit, famæ, vel facto, cùm percutit, & verberat. Secundò, propter subiectionem. Ex ira namque homo amittit libertatem, & liberum iudicium rationis, & efficitur seruus passionis, vt non possit discernere, quod bene, vel maledictum, vel factum sit. Ideò de ira faciliter currit in occisionem, perdita ratione, & libertate, quæ est frœnum bestialium, & irrationabilium passionum. Tertiò, propter rationis, & odij contemptionẽ. Ex ira namque, nisi statim euellatur de corde, concipitur odium. Ille autem, qui odit, non taxat vindictam, sicut facit iratus, sed tantum infert de malo ei, quem odit, quãtum potest. Et quia occisio est vltimum malum, cùm ex ea sequatur mors, quæ est finis malorum, & omnium terribilium; ideò ex ipsa producta ad odium radicaliter nascitur. Hanc ergo radicem occisionis hominis lex Euangelica prohibet. Vnde dicitur, audistis, *Matt. 5.* quia dictum est antiquis, non occides. Ego autem dico vobis: omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Decens autem fuit legem Euangelicam, hanc radicem occisionis hominis prohibere, quod non facit lex Moysi propter tria. Primò, quia maiori pretio fuit acquisita. Illa namque sanguine hircorum, aut vitulorum acquisita, & data populo Iudæorum; hæc autem Christi sanguine acquisita, & data populo Christianorum. Secundò, quia maiori præmio est remunerata, quia illa præmiata est, & remunerata bonis terrenis, & temporalibus; hæc autem præmiata est, & remunerata bonis cœlestibus, & æternis. Tertiò, quia maiori Doctore est diuulgata. Quia illa per Moysen, qui fuit purus homo; hæc autem per Christum, qui fuit Deus, & homo. Lex enim per Moysem data est; sed gratia, & veritas per IESVM Christum facta est. Propter ista ergo tria decens est, quòd Euangelica præcepta Dei cum maiori, & superabundantiori iustitia obseruetur, quàm lex Moysi, vnde dicitur: Nisi abũ- *Matt. 5.* dauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Et quia lex illa prohibet occisionem, dicens: Non occides; lex Euãgelica debuit prohibere radicem occisionis, quæ est ira, vt dictum est.

*SEXTA CHORDA SEXTO legis Præcepto respondens.*
Exod. 20.

FEcit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Sexta Chorda Psalterij est, non mœchaberis. Vt nomine mœchiæ intelligatur prohibita omnis operatio carnalis, præter matrimonialem copulam, sicut dicit Augustinus: Hanc Chordam Virgo gloriosa tetigit in sexto versu sui Cantici, dicens: *Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui.* In quibus verbis tetigit Virgo quatuor remedia ad vitandam mœchiam, & omnem carnalem operationem mœchiæ nomine prohibitam. Primum est diuinæ potentiæ auxilij imploratio. Sic enim est forte bellum carnis tentatio, vt nisi homo iuuetur Dei potentia specialiter, victoriam habere non possit. Vnde dicitur: Cùm essem bonus, veni ad corpus coinquinatum, & sciui, experimentaliter cognoscendo, quòd aliter non possum esse continens, nisi Deus det. *Sapiẽt. 8.* *Eccles. 7* Inueni mulierem amariorem morte: quia laqueus venatorum, & sagena piscatorum est cor eius: Vincula enim sunt manus eius. Et postea subditur: Qui timet Deum, effugiet illam; qui verò peccator est, capietur ab illa. Ista autem imploratio diuinæ potentiæ specialiter consistit in tribus. Primò, in lectionibus diuinorum, quòd homo semper diuinis lau-

laudibus in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus insistat. Sunt enim talia quędam frena ad vincenda carnalia desideria, vnde dicitur: *Isai. 48.* Laude mea infrenabo te, ne intereas. Secundò, in exortationibus proximorum. Sic enim Deus ordinauit, quòd qui vult sibi dimitti peccata, debet suis debitoribus dimittere. Sic qui vult à Deo iuuari in suis tẽtationibus, debet & ipse, & alios iuuare, & exortari. Exortetur in exortando, & iuuetur in iuuando. Tertiò, in doctrinis magistrorum, vt semper delectetur audire verba Dei. *Lib. cõf. tom. 1.* Vnde dicit Augustinus, quòd statim perlecto illo verbo Apostoli: *Rom. 13.* Induimini Dominum IESVM Christum, subito factum est sibi carere suauitatibus peccatorum suorum, & quas sibi dimittere erat metus, postmodum gaudium præstabat. Ad ista tria auxilia diuinæ potentiæ hortatur Apostolus Timotheum semper cogitare, & meditari: *1. Tim. 5.* Dum venero ad te, attende lectioni, exortationi, & doctrinæ. Et præterea subdit hæc, præmeditare, & in ijs esto. Secundùm est Christi passionis recordatio. Vt sicut claui fixerunt carnem Christi in Cruce, sic homo reducendo ad memoriam Christi illusiones, irrisiones, tormenta, & passiones, quasi quibusdam clauis crucifigat carnem suam, cum vitijs, & cõ- *Galat. 5.* cupiscentijs. Vnde dicit Apostolus ad Galatas, qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Multum enim valent verba diuinæ sapientiæ, qualiter ipsa sapientia Dei est incarnata, & passa, pro salute humani generis. Leuat enim hominem in altum, & separat à carnalibus, vnde dicitur: *Eccl. vlt.* Verba sapientum sunt quasi claui in altum defixi. Tertiùm est diabolicæ suggestionis expulsio. Secundùm *Tomo 1. epist. 22.* enim Hieronymum in epistola ad Eustochium: Summum remedium ad vincendam carnem est, diabolicas suggestiones statim expellere, quia carnaliter cogitare de carnalibus delectationibus, multum incendit carnem, & prouocat ad libidinem. Vnde ille laudatur, & prædicatur beatus, qui statim, vt incipit cogitare interficit cogitatus, & allidit eos ad petram: petra autem erat Christus. Quartùm est humanæ mentis virtuosa occupatio. Dicit enim Chrysostomus, quòd abscisio membri non ita comprimit tentationes carnis, sicut occupate mentem in bonis *Eccl. 23.* cogitationibus, & honestis laboribus. Et ideò dicitur, multam malitiam docuit otiositas. *Philip. 4.* Et tale remedium ponit Apostolus dicens: De cætero fratres, quæcumque verba sancta, quæcumque pudica, quæcumque casta, quæcumque amabilia, quæcumque bona, quæcumque bonæ famæ, si qua laus, si qua virtus, hæc cogitate. Igitur diuinæ potentiæ auxilij imploratione tetigit Beata Virgo, cùm dixit: *Fecit potentiam.* Christi verò passionis

A rememorationem tetigit cùm ait: *In brachio suo.* Nam brachium Dei patris filius eius est, quo mediante facit quidquid facit, *De essentia Dei, tom. 4.* vt dicit Augustinus in libro de essentia Dei, diabolicæ suggestionis expulsionem tetigit cùm adiunxit: *Disperfit superbos.* Dæmones, scilicet, impugnantes, vt dicit Glossa. Seu humanæ mentis virtuosam occupationem tetigit cùm postposuit: *Mente cordis sui.* De ista ergo Chorda sexta, quinque dubitationes esse possunt.

1 Vtrùm mœchari, vel adulterari sit maius peccatum, quàm occidere, vel homicidium facere.

2 Vtrùm mulier in adulterando, vel mœchando maius, & grauius peccatum committat, quàm vir.

B 3 Vtrùm vir plus peccet frangẽdo fidem matrimonij, quàm mulier.

4 Vtrùm homo carens vxore possit cognoscere suam ancillam, vel aliam mulierem solutam sine peccato mortali.

5 Vtrùm operatio copulæ carnalis per virum, & vxorem possit exerceri sine peccato veniali.

*An mœchari, vel adulterari sit maius peccatum, quàm homicidium perpetrare.* Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd vnum peccatum potest dici maius, & grauius alio tripliciter. Primò, si proximus plus læditur, & charitati proximi magis opponitur. Secundò, si per eum maius bonum, tollitur, vel destruitur. Tertiò, si per euidentiam eius aliquid peccatum licitè committatur antequam illud perpetretur. Propter igitur ista tria hominem occidere est maius peccatum, quàm mœchari, vel adulterari. Nam per occiderem offenditur homo in persona propria, & tollitur vita personæ propriæ; per mœchari verò offenditur in persona coniuncta, quæ est quasi vna caro cum eo. Constat autem, quòd magis repugnat charitati proximi offendere eum in persona propria, & destruere vitam eius, quàm in persona coniuncta; quia mœchari procedit ex ardore carnalitatis, occidere verò ex liuore crudelitatis. Et multum plus repugnat charitati proximi liuoris crudelitas, quàm ardoris carnalitas, grauius enim peccatum est occidere, quàm mœchari, vel adulterari. Secundò, hoc patet, quia per mœchari destruitur bonum prolis nascendæ, & producendæ, per occidere verò tollitur, & destruitur homo iam natus, & productus. Et cõstat, quòd maius bonum est homo iam natus, & productus, quàm futurum produci, vel nasci. Maius ergo bonũ destruitur per homicidium, quàm per adulterium. Tertiò, sic ostenditur: quæritenim

Au-

1. *de Trinit. c 23. tom. 3.* Augustinus, si mulier non potest aliter vitare corruptorem, nisi interficiat ipsum, debet ne eum interficere, antequam se permittat violari, vel corrumpi? Et respondet Augustinus, quòd castitas mentis tolli non potest per violentiam corporis, imò magis coronatur, vnde dixit Beata Lucia Paschasio, si me inuitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Sed dato, quòd dubitaret, quòd in talt commixtione corporis (esto, quòd violenta) accederet consensus mentis, deberet ne sic timendo occidere corruptorem? Et respondet Augustinus, quòd istud non est aliud dicere, quàm nunc perpetremus, ne forte præterea peccemus. Et nunc perpetremus homicidium, ne forte incidamus in adulterium. Quod est (vt ait) indetestabile scelus, & damnabile facinus. Hinc cõcludit Augustinus ibi, quòd sanctius, & minùs malum est de futuro adulterium, quàm de præsenti homicidium certum. Et subdit causam. Quia sanctius est flagitium committere, quòd pœnitendo sanetur, quàm tale facinus, vbi locus salutis pœnitentiæ non relinquitur. Et istud expressè etiam dicit Glossa *Deut. 23* super illo verbo, si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam in oculis eius, scribat in manu eius libellum repudij, & dimittat eam. Vide (inquit) quantum malum homicidium, pro quo vitando adulteria multa tolerantur.

A terantem, & actualiter mœchantem. Et dico, quòd lex humana, & ciuilis, quia lege diuina, quæ humanæ legi non est subiecta qualiter cumque vxorem interficiat, tanquam homicida puniendus est. Igitur adulterium mulieris est graue peccatum, quia prouocatur, & incitatur vir ad occisionem sui, & illorum, cùm quibus adulterata est. Tertiò, efficitur sacrilega, quia post multiplicationem humani generis ad cultum Dei dedicandi, licitum fuit vni viro plures vxores habere, sicut fuit de Abraham, & Iacob, & alijs antiquis patribus, sed numquam lege diuina licuit vni mulieri plures viros habere. Vnde mulier mœchans, & adulterans vniuersaliter secundum B omne tempus est præuaricatrix legis diuinę, & violatrix legis Christi, & legis Mosaicæ. Sed non sic secundùm omne tempus efficitur sacrilegus vir mœchans, & adulterans. Igitur tria arguunt adulterium mulieris magis, quàm viri, scilicet furtum, homicidium, & sacrilegium.

*An adulterium sit grauius peccatum in muliere, quàm in viro.*

Quæst. 2.

AD secundam est dicẽdum, quòd mulier mœcha, & adultera maius peccatum, & grauiùs committit, quàm vir, propter tria. Primô, quia ad mulieris adulterium tria mala concurrunt. Primò, furtum. Secundò, homicidium. Tertiò, sacrilegium. Ita quòd omnis mulier mœchans, & adulterans est furatrix, est homicidij prouocatrix, & est sacrilega. Est autem furtum acceptio rei alienæ inuito domino. Quia igitur filijs debetur pa- D terna hæreditas, ex quo mulier adulteratur, hæreditatem paternam dat filijs alienis, & hoc inuito domino, scilicet viro. Et sic furtum committit. Vnde quãdo talis casus euenerit, solicitè deberet procurare, quòd tales filij ex adulterio generati efficerentur religiosi. Aliter furti iudicio condemnanda esset. Secundò est prouocatrix homicidij, quia *Genes. 2.* cum vxor cum viro suo sit vna caro, non potest vir maiorem iniuriam accipere, præter suam propriam, quàm audire, vel videre adulterium vxoris. Vnde propter magnum incẽtiuum, quod habet vir de adultera, & mœcha vxore, lex ciuilis pœnam homicidij nõ apposuit viro interficienti vxorẽ actualiter adul-

*An vir plus quàm mulier in frangenda matrimonij fide peccet.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicẽdum, quòd aliud est quærere, quis maius peccatũ cõmittit, mulier, vel vir adulterans, & aliud est quærere, quis horum plus peccet. Quia maius peccatum refertur ad operationem, & actum peccandi; sed plus peccare refertur ad conditionem, & statum peccantis. Maius peccatum committit mulier, & vxor adultera, quàm vir adulter, propter illa tria, quæ dicta sunt, quæ arguunt adulteriũ mulieris magis, quàm viri. Sed plus peccat vir, quàm mulier adulterando, propter triplicem conditionem, qua vir præcellit mulierem. Primò, namque vir est Deo propinquior. Secundò, est complexione fortior. Tertiò, est in doctrina, & ratione doctior. Fuit enim vir immediatè creatus à Deo sine medio, sed mulier producta est mediante viro. Vnde dicit Apostolus, quòd mulier debet velare caput suum, quia est gloria viri, sed vir non debet velare, quia est gloria Dei. In complexione verò est fortior. Est enim propria passio mulierum carnalis concupiscentia, & ex debilitate complexionis, non sic faciliter vitare potest, & vincere, sicut homo. Vnde mulier fragilior est in natura, quàm vir. In doctrina verò, & ratione est doctior, & efficacior. Ideô dicit Apostolus, *1. Cor. 14* mulieres in Ecclesia taceant. Sed si quid volũt discere, domi viros suos interrogẽt. Sed plus peccat prælatus, quã subditus, plus clericus, quã laicus, & plus religiosus, quã secularis eodem genere peccati. Quia sunt superiores, quantum ad statum, & Deo propinquiores. Ergo eodem modo plus peccat

vir adulterus, quàm mulier, quia est ipsa superior, & Deo propinquior. Secundò, plus peccat vir, quàm mulier, quia est ipsa fortior. Vnde si ipse, qui fortior est, non vincit concupiscentiam carnalem, excusatur mulier saltem à tanto, plus quàm vir, si ipsa non vincat. Tertiò, plus peccat, quia debet ipsam instruere, cùm teneatur ipsam docere. Vnde si eodem genere peccati plus peccat magister, quàm discipulus, sic plus vir adulterus, quàm mulier. Debent ergo illud seruare mulieres de seruanda continentia, quod Christus dixit Iudæis de Scribis, & Pharisæis: *Mat.23.* Quæcumque dixerint vobis, scilicet docendo, seruate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim viri vxoribus suis, quòd seruent continentiam, sed ipsi non faciunt, & imponunt eis onera grauia, & importabilia, & suo ipsorum digito nolunt ea mouere.

*An fornicatio simplex sit peccatum mortale.* Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd quibusdam visum est fornicationem simplicem non esse peccatum mortale, quia indifferenter dicitur omnibus: *Genes.* 1. Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Similiter & lex ciuilis dicit: Quod in nullius est bonis, occupanti conceditur, vt insula nata in mari, quia in nullius bonis est, occupanti licitè conceditur. Sed mulier soluta carens viro in nullius bonis est, occupanti ergo licitè conceditur vti: ergo vti ea ad vsum, ad quem facta est, nullum peccatum videtur esse, & maximè vti re sua: ergo cùm quis vtatur ancilla sua ad actum generationis, cùm ad hoc mulier sit facta, non videtur esse mortale peccatum. Ad hoc respondet Augustinus in libro de decem chordis dicens, simplicem fornicationem esse contra ius naturale, quia est contra istud præceptum legis naturæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Quod quidem præceptum (vt ait) extendit se ad dilectionem Dei, & proximi: quia homo non debet facere proximo, quod sibi nollet fieri. Et multò magis Deo non debet facere, quod nollet sibi fieri. Aliter (vt ait) charior esset homini proximus, quàm Deus. Sed ideò adulterium est peccatum mortale, quia homo facit proximo, quod nollet sibi fieri. Corrumpit enim vxorem eius, & tamen suam nollet ab aliquo corrumpi. Ergo eodem modo fornicatio simplex erit peccatum mortale, quia facit homo Deo, quod nollet sibi fieri. Nam corrumpitur domus, & templum Dei, & tamen domum, & templum suum nollet ab aliquo corrumpi, vel deturpari. Si enim aliquis habere tabulam aliquam tersam, & impollutam, vbi imago sua depicta esset, nollet (vt A dicit Augustinus) ab aliquo ipsam immundari, vel deturpari. Domus autem Dei, & templum, in quo Deus habitat, est anima nostra, cuius corpus est sibi in Baptismo consecratum. Et per gratiam est in illa anima imago Dei depicta. Corrumpendo ergo ipsam, facis Deo, quod nolles tibi fieri, ac per consequens facit contra præceptum legis naturæ. Vnde dicit Apostolus: Nescitis, quòd *1. Cor. 3. & cap. 6.* corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et præterea subdit, qui ergo violauerit templum Dei, disperdet illum Deus, & ratio est, quia, vt idem Apostolus dicit: Fornicatores, & adulteri Regnum Dei non consequentur, sed non excluditur aliquis à Regno B Dei, nisi propter peccatum mortale. Vnde error est dicere, fornicationem simplicem nõ esse peccatum mortale, eo quòd sit secũdùm inclinationem naturalem: Ideò hæc opinio ab Ecclesia, tanquam hæresis est condemnata in Clementina ad nostram, extra de hæreticis. Et ratio est secundùm Glossam, ibi: Quia fornicatio est contra Dei præcepta. Nam vbi dicit, non mœchaberis, à septuaginta interpretibus expositum est, nõ fornicaberis. Vnde, simplex fornicatio computatur inter pec- *22. q. 1. cap. prædicandũ.* cata mortalia, vt sæpius Paulus ponit in suis epistolis. Communiter etiam assignatur causa, quare est peccatum mortale, quia est contra bonum prolis, quia prolis educatio, & C eius instructio ad Dei cultum requirit perpetuam habitationem, & indissolubilem adhæsionem viri, & vxoris per totam humanam vitam. Ratio tamen Augustini est melior, vt habetur in libro de bono coniugali, quæ ratio posita in 32. q. 4. cap. Sicut, est ista: Sicut satius est fame mori, quàm idolathicis vesci, ita satius est defungi fine liberis, quàm ex illicito concubitu stirpem quærere. Dicitur tamen satius esse mori fame, quàm vesci idolathicis, sed si non fiat in veneration em idoli, licèt idolathica comedere propter famẽ, quia necessitas non habet legem, ita propter necessitatem famis licet furari, sed nulla ne- D cessitas excusat à fornicatione, vt ait Glossa. Quod verò dictum est, crescite, & multiplicamini, & replete terram, dictum est hoc post formationem Euæ, & institutionem matrimonij Et si ante dictum est, fuit propter operum sex dierum continuationem, non propter præcepti executionem. Quod autem subditur, occupanti conceditur, quod non est in bonis alicuius, intelligitur de ijs, quorum dominium datum fuit homini, non de mulieribus, vel hominibus. Talibus enim ex peccato prouenit, quòd homo dominetur, vt dicit Gregorius. Vel intelligitur, occupanti ad vsum licitum, non ad vsum illicitum. *De bono coniugali tom. 6. & 32. q. 4. cap. ineo. Genes. 1.*

An

*An copula carnalis inter virum, & vxorem exerceri possit absque peccato.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd coniunctio viri, & vxoris in operatione carnali, & in copula matrimoniali, quandoque est opus gratiæ, quandoque opus iustitiæ, quandoque opus indulgentiæ, & quandoque potest esse opus adulterij. Nam quando talis coniunctio fit principaliter causa procreandæ prolis, dato quòd concurrat delectatio, est opus gratiæ, & meritorium. Quãdo verò fit causa reddendi debitum, tunc est opus iustitiæ, quia reddere alicui, quod suum est, debitum est iustitiæ. Corpus namque viri est vxoris, & è conuerso. Ideò altero petente reddendum est, tanquam suum. Quãdo verò fit causa explendæ libidinis, stando infra limites matrimonij, quòd fit cum vxore, quòd non cum alia, tunc enim est opus indulgentiæ, & est peccatum veniale. Vnde cum Apostolus dixisset: Vnusquisque suam habeat vxorem propter fornicationem, scilicet vitandam. Statim subdit, hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Sed quando fit causa libidinis explendæ extra limites matrimonij, ita quòd consensum suum ita extenderet, & ita faceret cum alia, sicut cum sua, cum meretricalibus impudicitijs finem suum in illa brutali voluptate ponendo, tunc est opus adulterij, & est peccatum mortale, vt dicit S. Hieronymus, & communiter cæteri Doctores.

1. *Cor.* 2.

*SEPTIMA CHORDA SEPTIMO legis Præcepto respondens.*
Exod. 20.

*Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Septima Chorda Psalterij est, non furtum facies. Ad vitandum autem furtum duo præcipuè requiruntur. Primò, tyrannorum violentiæ depressio. Secundò, iustorum, & innocentum exaltatio. Propter enim ista duo factæ sunt leges humanæ. Vnde dicit Isidorus, & ponitur in decretis, quarta distinctione, factæ sunt autem leges, vt metu earum humana coerceatur audacia, quantum ad tyrannorum, & prauorum violentiæ represionem. Tutaque sit inter reprobos innocentia, & quantum ad innocentum, & bonorum humilitatis exaltationem. Propter ista duo etiam beatus Petrus monet, omnes regibus, & potestatibus esse subiectos in sua Canonica: Subiecti autem estote Regi quasi præcellenti, & ducibus ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Propter quæ duo facienda, scilicet, propter vindictam malefactorum, & laudem, & conseruationem bonorum decuit regiam potestatem armis esse decoratam, ad vindictam, scilicet, malefactorum, & legibus esse ornatam, & armatam ad laudem, & conseruationem bonorum, vt dicitur in principio institutionum. Et de istis duobus commendat se Iob dicens: Conterebam dentes iniqui, & à dentibus illius auferebam prædam, quantum ad tyrannorum, & malorum depressionem. Pater eram pauperum, & tamen quæ nesciebam, diligenter inuestigabam quantum ad pauperum, & humilium subleuationem. Ista ergo duo, per quæ vitatur omne furtum, & omne violentum, & malè ablatum, Beata Virgo tetigit in septimo versu sui Cantici dicens: *Deposuit potentes de sede*, quantum ad superborum, & tyrannorum depressionem: *Et exaltauit humiles.* Quantum ad pauperum, & humilium subleuationem, hoc, vt dicit Glossa, statim Dei filius in principio sui aduentus monstrauit. Quia Scribas, & Pharisæos aliena rapientes deposuit, & damnauit, dicens eis: Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas facientes. Propter hoc amplius recepistis iudicium. Apostolos verò piscatores manu, & arte humili, atque deiecta, sibi quærentes victum, sublimauit, & exaltauit. Et tunc impletum est illud: Liberauit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Quia ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum, eo quòd talia peccata incurrissent, si in mundo stetissent. Et honorabile fuit nomen illorum coram illo, nomen, scilicet, Apostolatus, vt dicit Glossa. De ista ergo septima Chorda quinque dubitationes esse possunt.

*Iob.* 29.

*Mat.* 23.

*Psal.* 71. *cap.*

1 Vtrùm furtum sit grauius peccatum, quàm homicidium, vel adulterium.

2 Vtrũ nomine furti prohibeatur vsura.

3 Vtrùm nomine furti prohibeatur omne malum ablatum.

4 Vtrùm nomine furti prohibeatur omne fraudulenter venditum, vel comparatum.

5 Vtrùm furtum sit rem quamcumque inuentam non restituere.

*An furtum sit maius peccatum, quàm homicidium, vel adulterium.*
Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quôd aliud est quærere, an furtum sit grauius peccatum, quàm homicidium, vel adulterium: Et aliud, an sit periculosius. Planum est enim, quôd homicidium, vel adulterium grauius est, quàm furtum ex parte illis, qui offenditur. Et ista tria, homicidium, furtum, & adulterium in tantum sunt peccata inquantum per ea proximus offenditur. Planum est autem, quôd homo, vel proximus magis offenditur

1. *Pet.* 2. *cap.*

ditur per homicidium, quàm per adulterium, & magis per adulterium, quàm per furtum. Quia per homicidium offenditur in propria persona, eo quòd tollitur vita eius: per adulterium verò offenditur in persona sibi coniuncta, quæ est quasi vna caro cum ipso, sed per furtum offenditur in rebus exterioribus. Sed ex parte offendentis periculosius est furtum, quàm homicidium, vel adulterium. Quod tripliciter probatur. Primò, quia peccatum difficiliùs homini dimittitur. Secundò, quia in plures deriuatur. Tertiò, quia homicidio, & adulterio assimilatur. Primò sic: Nam peccatum non remittitur, nisi homo pœniteat satisfaciendo. De homicidio verò, & adulterio, statim cessante ira, & ranchore pœnitet, & satisfacit, & cessante libidine similiter. Sed de furto dato, quòd homo pœniteat, non faciliter satisfacit, potissimè cùm homo teneatur reddere non solum, quod furtiuè recepit, sed etiam damnum, quod proximus inde est consecutus, & super hoc tenetur portare pœnitentiam de peccato. Ideò Spiritus sanctus imprecatur mala furtum facientibus, dicens: Væ qui multiplicat non sua. Adde etiam, quòd non solum principalis tenetur restituere, sed etiam omnes participantes. Vnde:

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*

*Mutus, non obstans mediator, non manifestans.*

Secundò, faciens furtum non solum perdit ipse animam, sed si non restituit, perdit animas filiorum, & suorum hæredum quibus hoc dimittit, cùm & ipsi teneantur restituere. Non autem sic est de homicidio, vel adulterio; quia anima, quæ peccat tali peccato, ipsa moritur, nec in alios deriuatur, sicut furtum. Tertiò furtum est causa homicidij, & adulterij. Cùm enim homo absque rebus exterioribus in hac vita sensibili non possit substentari, si contingat aliquam, vel aliquem exterioribus rebus expoliari, vita eius amittitur, vel homo cogitur facere homicidium, vt possit viuere. Et mulier cogitur facere adulterium, sicut videmus in terris tyrannorum, in quibus multi homines efficiuntur homicidæ expoliati per ipsos: & multæ mulieres efficiuntur adulteræ, & meretrices.

A vxorem, vel filiam, quæ sunt personæ sibi coniunctæ, non diceretur furari. Secundum est, quòd sit acceptio rei alienæ. Nam si quis deponeret rem suam apud aliquem, & postmodum reciperet, non diceretur furari, quia reciperet, quod suum est, non alienum. Tertium est, quòd sit receptio occulta inuito domino, & nesciente domino rei, vel vniuersaliter, vel secundùm aliquem modum. Nam qui proijcit merces in mari tẽpore tempestatis, facit inuite, tamen secundùm aliquem modum facit voluntariè, vt saluetur. Vnde tale volitum Philosophus appellat mixtum, quia simpliciter, & absolutè inuoluntarium est, licèt secundùm aliquem modum sit B voluntarium. Est igitur propriè furtum exceptio rei exterioris possessæ alienæ inuito domino, & nolente. Quantum ergo ad ista tria, nomine furti prohibetur vsura. Primò, quia in vsura accipitur res exterior possessa. Nam propriè vsura committitur circa pecuniam, & numismata, quorum vsus transfertur cum substantia, & natura rei. Et planum est, quòd pecunia sic est res possessa, quòd non pertinet ad integritatem personæ, vt manus, vel pes, nec ad personam coniunctam sibi, vt vxor, vel filia. Secundò, quia in vsura accipitur alienum. Si enim mutuo alicui pecuniam, sua est, postquam mutuata est, totum enim periculum pertinet ad debitorem tanC quam de re sua. Cuius signum est, quia si perderetur, damnum eius esset, cui est mutuata. Si ergo ego, qui mutuaui, volo accipere lucrum de tali pecunia mutuata, accipio alienum, qui accipio lucrum de re, quæ non est mea, sed alterius. Vnde vsura est acceptio rei alienæ. Tertiò est ibi inuito domino, vel nolente. Licèt enim dans vsura alicui pro pecunia mutuata, det volens ratione necessitatis, quia indiget mutuo; vniuersaliter tamen dat nolens, & inuitus, propter quod explicitè propter ista tria nomine furti prohibetur vsura. Quia est acceptio rei alienæ exterioris, nolente Domino.

*An furti nomine, vsura item prohibeatur.* Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd tria complent rationem furti. Primum est, quòd sit acceptio rei possessæ, vel exterioris, quia si quis acciperet alicui manum, vel pedem, vel aliud membrum, faciens ad integritatem personæ, non diceretur propriè facere furtum. Similiter si sibi acciperet

D *An furti nomine, omne male ablatum prohibeatur.* Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd accipere rem alterius, quinque modis potest contingere. Primò, per ignorantiam illius, à quo accipitur. Et sic propriè nominatur furtum. Nam secundùm Isidorum, furtum dicitur à furuo, quod est fuscum, eo quòd nocti tempore accipitur, nesciẽte Domino rei. Cui concordat, quod Christus dixit: Si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique. Secundò, per violentiam. Sic propriè vocatur rapina, sicut mali tyranni, & mali Principes inferentes violentiam alijs rapiunt aliena, de quibus dicitur in Scriptura: *Mat. 24.*

Qui-

Omnes Principes eius, quasi lupi rapientes prædam. Tertiò per iniustitiam. Sic vocatur *Ezec.* 22 latrocinium. Tales enim sunt iudices, & Domini terrarum, vel rectores, qui condunt leges iniustas, & iniusta faciunt statuta ad extorquendam pecuniam pauperum hominum, qui volunt vti artibus suis. Talibus enim dicitur. Væ vobis, qui conditis leges iniquas, scribentes iniustitias, vt opprimatis *4. de ciu. Dei c.4. tom. 5.* pauperes. Secundum enim Augustinum: Remota iustitia, regna, & regimina non sunt aliud, quàm quędam magna latrocinia. Vnde commendat, quendam pyratam mirabiliter, & eleganter respondisse Alexandro Imperatori. A quo cùm fuisset comprehensus, & interrogatus ab eo, cur mare faceret infestum, Respondit: Et tu cur totum mundum facis infestum? Sed quia ego hoc paruo nauigio facio, vocor latro, tu qui magna præda, vocaris Imperator. Quartò, per illatam irreuerentiam. Et sic vocatur sacrilegium. Nam secundùm Isidorum, sacrilegus dicitur, eo quòd legit, & furatur rem sacram. Accipere ergo res sacras, vestes, calices, cruces, vel alia Deo sacrata, & cultui diuino dedicata, vocatur sacrilegium. Quintò, per negligentiam, seu neglectam malitiam. Et sic est mercedis operariorum detentio. Scriptum fuit in lege: Non maneat merces operarij tui apud te vsque mane. Quicumque ergo non statim reddit mercedem suis operarijs, siue laicus, siue Clericus, siue Subditus, siue Prælatus, tenetur ad restitutionem damni, quod sui operarij consequuntur ex tali retentione, & de hoc debent portare pœnitentiam. Vnde dicitur: Plorate nunc diuites, ecce merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ detenta est â vobis, clamat ad Dominum: Et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit: Omnia igitur ista sunt male ablata. Siue per ignorantiam, & vocetur furtum: siue per iniustitiam, & vocetur latrocinium: siue per rei sacræ irreuerentiam, & vocetur sacrilegium: siue per negligentiam, seu neglectam malitiam, & vocetur mercedis detentio. Hæc omnia prohibentur nomine furti, cùm dicitur: Non furtum facies.

*Leuit.* 19 *Iacob.* 5.

*An furti nomine omne fraudulenter venditum, vel comparatum prohibeatur.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd fraudulentia potest cõmitti in vẽditione, emptione, & occupatione. In vẽditione quidem, vel fraudulenter rem, quam quis vendit colorando, vel fraudulenter mensurando, vel fraudulenter defectus, quos habet, occultando, & pretium non diminuendo. In emptione autem fraus potest committi, dignitates A pretio emendo temporales, vel spirituales. Nam cùm omnis potestas sit à Deo, tàm temporalis, quàm spiritualis, & omnis, qui potestatem, & dominium habet, sit Dei minister, vt dicit Apostolus: Qui pretio vult dominium spirituale, vel temporale habere, vult pretio esse minister Dei. Sed Deus suis ministris prohibuit accipere munera, dicẽs: Non accipietis munera, neque personas, quia munera excæcant oculos sapientum, & peruertunt verba iustorum. Et: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est, & latro. In occupatione fraus committitur, quando iniusto titulo, & dolo vel metu, quis villam, possessiones, castra, vel ciuitates, sicut tyranni, vel diuites faciunt, de bonis pauperum trahentes eos ad iudicia, tamdiu litigant cum eis, vel causam inueniunt contra eos, quousque occupant bona ipsorum. Sicut fecit Achab, qui inuenta causa, dolo, & fraude, contra Naboth, possedit vineam suam, vt patet: Omnes enim tales tenentur ad restitutionem. Igitur omne fraudulenter emptum, & fraudulenter venditum, & fraudulenter occupatum, prohibetur nomine furti, cùm dicitur: Non furtum facies.

*Rom.* 18. *Deut.* 16. *Ioan.* 10. *3. Reg.* 21

*An furti nomine, cuiuscumque rei inuentæ detentio prohibeatur.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd de re inuenta ab aliquo triplex est distinctio facienda. Prima est, quòd res inuenta numquam fuerit in bonis alicuius, saltem de propinquo. Sicut gemmæ, & lapides pretiosi inuenti in littore maris, & sicut thesauri inuenti in agro, quorum nullus possessor existit. Tales res licitè potest homo retinere, nec committit furtum: Excepto, quòd secundùm leges ciuiles, si homo inueniat res tales in agro alterius, tenetur dare medietatem Domino agri. Secunda est, quòd res inuenta de proximo fuerit in bonis alicuius, nec pro derelicta habetur à Domino eius. Tunc si homo talem rem inuenit, & recipit animo restituendi ei, cuius est, vel fuit, si sibi appareat, vel notificetur, absque peccato furti potest ipsam recipere, & retinere tali intentione. Et si alijs pro eleemosynis daret, hac intentione debet dare, & retinere. Quòd si ille, cuius fuit, appareat etiam post annos præscriptionis, puto quòd secundùm Deum, vel ipse, vel ille, cui dedit, teneatur restituere, nisi fortè esset res adeo modica, puta vnus denarius, vel aliquid tale, quòd verisimiliter crederetur, quòd ille, cuius erat, libenter dedisset pauperibus. Tertia est, quòd si res inuenta fuit de proximo alicuius, & homo recipit ipsam, non animo restituendi, etiam si appareret ille, cuius fuit, & sibi notificare-

tur,

tur, tunc rem sic inuentam retinere, vel alijs dare furtum est, & rapina, secundùm quem modum loquitur Augustinus, & ponitur 14. quæst. 5. Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti. Cuius causam subdit: Quia qui alienum negat, si posset, etiam tolleret. Deus autem cor interrogat, non manum.

## *OCTAVA CHORDA OCTAVO legis Præcepto respondens.*
Exod. 20.

*Esurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Octaua Chorda Psalterij est: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Ad vitandum autem falsum testimonium, & omne mendacium contra proximum, duo potissimè requiruntur. Primum est veritatem, & iustitiam diligere, & esurire. Sicut enim non vitatur malum, & iniustum, nisi per bonum, & iustum, sic non euitatur falsum, nisi per verum. Vnde dicitur *Prou. 8.*: Veritatem meditabitur gutur meum, & labia mea detestabuntur impium, id est, falsitatem, quæ hominem fallit. Secundùm est diuitias, & munera contemnere, & odire, dicente Apostolo *1. Tim. 6.*: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, id est, falsitatem, & laqueos Diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Nec mirum, quia scribitur *Eccl. 10.*: Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam, quia talis animam suam venalem habet, & multò magis habet venalem veritatem ipsam. Ista ergo duo, per quæ vitatur falsum testimonium contra proximum, tetigit Beata Virgo in octauo versu sui Cantici, quia veritatis, & iustitiæ esuriem, & dilectionem tetigit, cum dixit: *Esurientes impleuit bonis.* Replet enim Deus desiderium illorum, qui veritatem, & iustitiam esuriũt, dicente Psalmista *Psal. 14.*: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet: Qui loquitur veritatem in corde suo, nec egit dolum in lingua sua. Sed diuitiarum, & munerum odium, & despectionem tetigit cum ait: *Et diuites dimiſit inanes.* Vere namque diuites dimittuntur inanes, & vacui, quia vt dicitur *Eccles. 5.*: Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui: perdunt enim in afflictione pessima, quia sicut venit nudus, ita reuertetur, nihil secum præter peccata portans: Et maximè diuitiæ, quæ congregantur ex mendacijs, & falsis testimonijs, & deceptionibus circa proximum. Inanes, & inutiles sunt, quia de talibus non possunt fieri eleemosynæ, nec sacrificia, propter quæ diuitiæ hominibus deseruiunt: immo diuitias sic congregantes tenentur ad restitutionem. De ista igitur octaua Chorda quinque dubitationes fieri possunt.

A 1 Vtrùm nomine falsi testimonij prohibeatur falsa iudicis sententia.

2 Vtrùm nomine falsi testimonij prohibeatur omnis inordinata locutio contra proximum.

3 Vtrùm nomine falsi testimonij prohibeatur omne mendacium.

4 Vtrùm dicere falsum testimonium semper sit peccatum mortale.

5 Vtrùm testimonium alicuius in iudicio sit admittendum sine præstito iuramento.

### *An nomine falsi testimonij, falsa iudicis sententia prohibeatur.*
B Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd in omni iudicio quatuor personas necesse est esse, dicitur 4. quæst. 4. cap. 1. Nullos Iudices, scilicet, electos. Accusatores idoneos, Defensores congruos, & testes legitimos. Nam iudices debent vti iustitiæ æquitate, quia eis ore Domini præcipitur: Quod iustum est, iudicate, siue ciuis, siue peregrinus *Deut. 8.* si t ille, non erit aliqua distãtia personarum. Accusatores verò debent vti vitæ sanctitate, & honestate, quia vt dicitur: Personæ infames, & criminosæ accusare alios non possunt. Infames autem, & criminosas personas leges humanæ appellant, vel sententia, vt C quæ fuerunt sententiatæ, & conuictæ de aliquo crimine, vel ex genere pœnæ, vel ex genere delicti: Vnde præceptum fuit in lege *Leuit. 19* Moysi: Non eris susurro, & criminator in populo. Defensores autem debent vti causæ congruitate, vt non defendant incongruum, & iniustam causam, quia talibus Dominus imprecatur malum: Vt qui dicitis malum *Isai. 5.* bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, ponentes dulce in amarum, & amarum in dulce. Sed testes debent vti veritate, quia testis falsus non erit *Prou. 5.* impunitus, vt dicitur in Prouerbijs. Nomine igitur falsi testimonij, cum testimonium semper feratur in iudicio, prohibentur ista D quatuor, scilicet: Iudicis falsa sententiatio. Accusatoris falsa accusatio. Defensoris falsa defensio. Et testis falsa testificatio.

### *An omnis inordinata locutio contra proximum nomine falsi testimonij prohibeatur.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd quinque genera locutionum contra proximũ specialiter prohibentur nomine falsi testimonij. Primò, locutio detractorum. Secundò, detractionum auditorium. Tertiò, blanditorum. Quartò, susurronum. Quintò, murmura,

muratorum. Nam detractores, dicente Apostolo, sunt Deo odibiles, quia per detractionem fama hominis læditur, & perditur, quam A destruens non restituit, saluari non potest. Vnde Maria soror Moysi, & Aaron: quia Moysi detraxit, percussa est à Deo lepra.

*Num.* 22 Audientes verò libenter verba detractionis, non minus peccant, quàm loquentes, quia

*Ps.* 100. qui libenter detractores audiunt, detractioni consentire videntur. Vnde dicit Propheta: Detrahentem secretò proxo suo, hunc persequebar. Persequendi ergo sunt, & fugiendi detractores, & non audiendi. Vitanda similiter est locutio blanditorum, quia aut blanditur amico, aut inimico. Si amico, cùm ipse confidat, decipitur blandimento B

*Prou.* 29 suo. Vnde dicitur: Homo qui blandis, factisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit pedibus eius. Si verò inimico, tunc benedicitur, & laudatur, qui á te oditur. Et sic laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Susurratorũ autem locutio vitanda est: quia Susurro, & bilinguis maledictus multos perturbat pacem habentes. Differunt susurrones á detractoribus, quia susurrones non detrahunt, sed quidquid ab alijs audiunt, recitant, vt possint discordiam, & litem seminare, & inter proximos ponere. Tales (dicente Spiritu

*Prou.* 6. Sancto) odit Dominus. Sex, inquit, sunt quæ odit Dominus, & septimum penitus detestatur, eum scilicet, qui seminat inter fratres discordias. Sed locutio murmuratorum non C

1. *Cor.* 10 minus est vitanda, quàm aliæ supradictæ. Quia vt dicit Apostolus: Propter murmurationem multi perierunt, & ceciderunt vna die 23. millia. Et potissimè subditi, & minores contra maiores, est magnum periculum murmurare. Quia cùm omnis potestas sit à Deo: murmurare contra superiores, est mur

*Exod.* 6. murare contra Deum. Vnde dixit Moyses Filijs Israel: Audiui enim murmur vestrum contra Deum. Nos enim quid sumus, quia murmurastis contra nos? non enim cõtra nos, sed contra Deum est murmur vestrum. Omnia ergo ista genera locutionum, cùm sint D contra proximum, intelliguntur prohibita nomine falsi testimonij.

### *An omne mendacium nomine falsi testimonij prohibeatur.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd nomine falsi testimonij, prohibetur omne mendacium propter quatuor. Primò, propter Diaboli assimilationem. Secundò, propter humanæ societatis dissolutionem. Tertiò, propter famæ priuationem. Quartò, propter animæ perditionem. Nam sicut loquentes veritatem dicuntur filij Dei, & assimilantur Deo, quia Deus veritas est: sic mendaces sunt filij Diaboli, & assimilantur Diabolo, quia ipse mendax est, & pater eius. Primò, namque ipse mentitus est homini: Nequaquam inquit moriemini. Ex loquela igitur vera, vel falsa cognoscitur, cui homo assimilatur, Deo, vel Diabolo: sicut ex loquela cognoscitur, de qua gente, vel patria est. Non debet ergo homo velle mentiri omne mendacium, vt dicit Spiritus Sanctus, quia ex mendacio homo Diabolo assimilatur. Secundò, dissoluitur humana societas, & violatur, quia naturaliter ad inuicem viuunt, & socialiter conuersantur, & si sibi ad inuicem mentirentur, socialiter ad inuicem non viuerent, nec ad inuicem conuersarentur. Vnde Petrus in Canonica sua: Deponentes mẽ- 1. *Petr.* 2

dacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Tertiò, ex mendacio fama hominis perditur: quia non creditur sibi, etiam si verum dicat. Vnde statim cùm quis audit aliquid, quærit, quis hoc dixit? quia si ab aliquo consueto mentiri audiat esse dictum, immediatè deridet, & falsum reputat, sicut, & authorem, à quo dictum est. Quartò, anima perditur, quia Propheta dicit: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Vnde non est putandum leue esse peccatum mendacium, ex quo pro ipso Deus hominem perdit, & damnat.

### *An dicere falsum testimonium semper sit peccatum mortale.*
Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quia tunc falsum testimonium est peccatum mortale, quando est contra iustitiam, & contra iustum iudicium. Et potest esse tripliciter: Quia potest homo ferre falsum testimonium contra iustitiam Dei. Sicut quando diceret quis falsum testimonium in ijs, quæ sunt fidei, & in ijs, quæ pertinent ad sacram Scripturam, sicut multi faciunt, vt videantur sapientes. Contra quos scribitur in Iob: Num- *Iob* 13.

quid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos. Secundò, potest homo ferre falsum testimonium contra iustitiam proximi, vt ex tali testimonio iustitia proximi perdatur, & occultetur. Quod pro- *Eccles.* 7.

hibet Spiritus Sanctus, cùm ait: Noli mentiri aduersus proximum tuum. Tertiò, potest homo facere falsum testimonium contra iustitiam suimet. Et homo, vel ex humilitate cùm in confessione dicit se fecisse, quod non fecit. De quo dicit Augustinus: Quòd sicut summopere cauendum est, ne homo taceat, quod fecit, sic cauendum est, ne homo dicat, quod non fecit: est enim nequam talis humilitas, de qua scriptum est: Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.

Vel

Vel ex vtilitate, cùm mentitur alicui volendo aliquid consequi ab eo. Talis enim in mẽdacio ponit suam spem, vt dicit Isidorus. Omnibus istis modis falsum testimonium est peccatum mortale, quia semper est contra iustitiam, & rectum iudicium, & prohibetur nomine falsi testimonij.

*An testimonium alicuius in iudicio sine præstito iuramento sit admittendum.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd in iudicio testis debet admitti iurare propter tria. Primò, propter ipsius testis timorationem. Secundò, propter testimonij certificationem. Tertiò, propter mendacij vitationem. Plus namque timet homo peccare contra mandatum Dei, quàm peccare contra mandatum proximi. Et quia dicere falsum testimonium est contra proximum; periurium verò est cõtra Deum: ideo satis plus timet homo Deum, vel periurium, quàm falsum testimonium. Vt igitur testis timeat falsum testimonium dicere contra proximum in iudicio, semper debet admitti iurare. Secundò, hoc patet ex testimonij certificatione. Nam testimonium hominis roboratur, & certificatur veritate humana, quæ falli potest, & fallere. Iuramentum verò firmatur, & certificatur veritate diuina, quæ nec fallit, nec fallitur. Vt igitur testimonium testis sit infallibile, vt non fallat, nec fallatur in iudicio, iuratus semper est admittendus. Tertiò, declaratur homo ex mendacij vitatione. Nam si alicui fieret iniustitia, & falso modo iudicaretur, posset quis sine peccato ad releuandam iustitiam eius falsum testimonium dicere, quia licet diceret falsum, nõ tamen diceret contra proximum, nec tolleret iustitiam proximi, immo conseruaret ei. Tamen, quia iuratus admittitur, vt dicat veritatem, & in tali casu mentiri nõ debet: quia licet non peccaret, quia mendacium non dicit in nocumentum proximi, tamen peccaret, quia periurium incurreret. Igitur in iudicio semper est iuramentum testimonio adiungendum.

## *NONA CHORDA NONO legis Præcepto respondens.*
Exod. 20.

*SVscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Nona Chorda Psalterij est: Non concupisces domum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. Ad vitandam autem inordinatam concupiscentiam rerum proximorum, duo sunt potissimè necessaria. Primò, diuinorum dilectio, & repletio. Fecit enim Deus cor humanum ad capiendum Deum: ideo nihil minus Deo potest humanum cor replere, & satiare. Et hæc est causa quare nulla res creata, nec diuitiæ temporales, nec honores mundiales, nec delectationes carnales possunt nostrum desiderium, & nostram concupiscentiam finire, & terminare. Quia cùm omnia ista sint minora Deo, ex quo nostrum desiderium, & nostrum cor factum est ad recipiendum Deum, nullo alio modo potest repleri, & terminari, vel finiri, nisi receptione Dei. Et versa vice, quando cor, & desiderium alicuius est plenum dilectione, & receptione diuinorum, omnia tũc temporalia, & mundialia concepta, & desiderata despicit, & contemnit. Vnde dicebat Apostolus, Deus replet desiderium nostrum secundùm diuitias suas in gloria, in Christo IESV. Et signanter dicit in Christo IESV, quia ipse est (vt dicit Propheta) qui replet in bonis desiderium tuum. *Psal.* 102
Secundùm est misericordiæ proximorum rememoratio, & recordatio. Nam qui memor est misericordiæ proximorum, res eius nequaquam inordinatè concupiscit, sed suas proprias sibi elargitur. Vnde cùm legis peritus quæsiuisset á Domino: Quis est meus proximus? Saluator parabolam de homine incidente in latrones, & vulnerato ab eis, introduxit: quem cùm pertransiissent Sacerdos, & Leuita, & solus Samaritanus curam eius peregisset, ex ore legis periti iudicatum, & sententiatum est, quòd illorum trium solus Samaritanus proximus fuit hominis vulnerati, eo quòd solus misericordiam fecisset in eo. Ista igitur duo, per quæ vitatur omnis inordinata cõcupiscentia proximorum, Beata Virgo tetigit in nono versu sui Cantici dicens: *Suscepit Israel puerum suum.* Hoc quantum ad diuinorum dilectionem, & repletionem. Quia tunc Iacob ab Angelo vocatus est Israel, quando vidit Deum, & quando deuicta lucta, & pugna rerum carnalium, & temporalium, & inordinata concupiscentia mũdanorum. Vnde dicitur, quòd vir, qui luctabatur cum eo vsque mane, & videret, quòd eum superare non posset, benedixit eum, & dixit: Nequaquam vltra vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Quia si contra Deum fortis fuisti, multò magis contra mundum, & contra homines prænalebis. Sed misericordiæ proximorum rememorationem, & recordationem tetigit Virgo sanctissima, cùm ait: *Recordatus est misericordiæ suæ.* Nam sic Deus recordatus est misericordiæ suæ, quia pro seruo redimendo filium tradidit, iuxta illud Gregorij: O ineffabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, Filium tradidisti. Sic vnusquisque suorũ proximorum misericordiæ debet recordari, quòd tunc fit quando aliena non concupiscit, *Genes.* 32

cit,

cit, & propria elargitur. Ideo Saluator dixit: Estote misericordes, sicut, & pater ve-
*Lucæ 6.* ster misericors est. De ista igitur nona chorda, quinque dubitationes esse possunt.

1 Vtrùm lex Mosaica prohibuerit concupiscentiam rei alienæ.

2 Vtrùm lex humana, & ciuilis puniat concupiscentiam animorum.

3 Vtrùm lex Christi hanc concupiscentiam debuerit prohibere.

4 Vtrùm nomine concupiscentiæ domus proximi, & omnis concupiscentia inordinata prohibeatur.

5 Vtrùm omnis concupiscentia rei alienæ sit peccatum mortale.

*An lex Mosaica prohibuerit concupiscentiam rei alienæ.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd in lege Mosaica prohibitam fuisse concupiscentiam rerum proximorum, dupliciter potest intelligi. Primò, quantum ad legislatoris intentionem, & expressionem. Secundò, quantum ad pœnæ transgressionum taxatio-
*Exod. 20* nem, & impositionem. Primò modo planum est, quòd lex Mosaica prohibet. Quod tripliciter patet. Primò, quia lex illa à Deo data fuit, vt patet. Sed Deus plus diligit munditiam cordis, quàm operis. Et plus est quando odit iniquam cogitationem, quàm operationem. Ergo Deus in lege illa non solum alienæ rei actualem acceptionem, verum etiam inordinatam cogitationem accipiendi, vel concupiendi prohibuit. Vnde dicit
*Lib. de decem chordis 10. 9.* Augustinus in libro de decem chordis: Tangas nonam chordam, & interficitur bestia cupiditatis. Secundò, quia omnia præcepta illius legis, tam affirmatiua, quàm negatiua inducunt hominis ad operationem virtuosam, & maximè ad dilectionem Dei, & proximi. Quæ dilectio est forma omnium virtutum. Sed dilectio virtuosa magis consistit in interiori intentione, & cogitatione, quàm operatione exteriori. Non enim quis dicitur iustus ex eo, quòd iusta opera facit, sed si iustè, & iusto animo facit: nec dicitur misericors ex hoc, quòd eleemosynam dat, sed si recto animo dat. Ergo necessarium est, quòd lex illa prohibeat inordinatam intentionem, & concupiscentiam interiorem, aliter virtutis opera non præcepisset. Tertiò, quia illud præceptum: Non concupisces domum proximi tui, inter alia præcepta illius legis numeratur. Et vult Augustinus in libro de de-
*In lib. de decem chordis 10. 9.* cem chordis, quòd non furari, & non concupiscere aliena sint duo præcepta legis: Quia sicut aliud est alienam rem non furari, & non accipere, & aliud est ipsam non appetere, vel non concupiscere, sic aliud est vnum A præceptum, quàm aliud. Sed secundò modo verum est, quia lex Moysi non prohibuit concupiscentiam, nec cohibuit animum, sed manum, quia pro peccato interioris concupiscentiæ, & interioris cogitationis, pœnam non taxauit, nec imposuit sicut taxauit, & posuit pœnam pro peccato exterioris operationis. Oculum pro oculo, dentem pro dente, quinque boues pro vno bouc, & quatuor oues pro vna oue: Et sic intelligitur, quòd lex Moysi prohibeat manum, & non animum.

*An lex Christi concupiscentiam debuerit prohibere.*

B Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd lex humana in puniendo transgressores, in tribus videtur differre à lege diuina. Primò, quantum ad punitionem, quia lex diuina omnia mala vniuersaliter punit, vel docet esse punienda. Sed humana multa mala concedit, & multa impunita relinquit. Vnde di-
*1. de libr. arb. 10. 1.* cit Augustinus, quòd lex, quæ pro regendis ciuitatibus fertur, multa mala concedat, & multa impunita relinquit, quæ per diuinam legem punientur. Secundò, quantum ad modi puniendi explicationem. Quia lex humana solum punit dicta, & facta, non autem cogitata, quia cogitata non possunt hominii in
C iudicio esse nota, cùm videat, quæ foris patent; solus autem Deus intuetur cor, vt scribitur. Vnde in cogitationibus homo solum
*1. Reg. 16* subijcitur legi Dei: sed in cogitationibus, vt prorumpit in dicta, vel facta, homo subijcitur legi humanæ, vt ore duorum, vel trium possit conuinci, vel iudicari. Tertium, quantum ad pœnæ impositionem, quia lex humana imponit pœnam solum temporalem: quia non potest plus esse diuturna pœna legis, quàm ipsa lex: humana autem lex non erit æterna, sed solum in hac vita sensibili, & animali duratura est, postmodum necessaria non erit. Diuina verò lex imponit pœnam
D æternam sicut ipsa est æterna: quia cœlum, *Luc. 21. & Mat. 14.* & terram transibunt, verba autem Dei, ex quibus est lex eius, integra in æternum durabunt. Patet ergo, quòd lex ciuilis pro concupiscentijs, & interioribus peccatis non punit transgressiones, nec prohibet. Et in hoc differt humana lex à lege Moysi: quia licet illa non taxarer pœnam pro interioribus concupiscentijs, saltem prohibuit quando dixit: Non concupisces.

Quod lex humana non facit.



An

*An nomine concupiscentiæ domus proximi, omnis concupiscentia inordinata prohibeatur.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd lex Euangelica prohibet dicta, facta, & cogitata. Quia lata est ab illo, qui est scrutator cogitationum, & intentionum cordis. Et non solum prohibet, verum etiam punit; quod patet de homicidio, pro quo taxauit lex Moysi pœnam talionis, vt occidens occideretur. Sed lex Christi pro interiori ira, & rancore proximi taxat æternam pœnam, dicens: Omnis, qui irascitur fratri sui, reus erit iudicio, scilicet, æterno: Vt sicut iudex istius legis æterna promittit in hac lege obseruantibus ipsam, sic transgressoribus æternam pœnam taxat, & imponit. Lex autem Moysi solum bona temporalia promittebat obseruatoribus eius. Vnde soùlm pœnam temporalem transgressoribus debebat taxare, ac per hoc cogitata, & peccata interiora non poterat punire, quæ humana, & temporali pœna puniri non possunt, cùm non sint in iudicio nota secundùm probata, & allegata. Conuenienter lex Christi prohibet, & punit æterna pœna inordinatam concupiscentiam rei alienæ, & cupiditatem diuitiarum propter sex mala, quæ ex tali concupiscentia inordinata nascuntur. Nam primò ex hoc oritur appetitus infinitas. Stultum namque est incipere, quod homo non potest finire: cupidus autem, & auarus numquam impletur, & numquam eius concupiscentia terminatur. Secundò, oritur appetentis pœnalitas, quia concupiscentia diuitis non finit eum dormire, nec omnum capere; cuncti enim dies eius pleni sunt doloribus, & ærumnis, vt dicitur. Tertiò, rerum appetitarum inutilitas, quia cupidus non vtitur diuitijs, nisi acquirendo, & acquisita conseruando. Vnde nec sibi, nec alijs sunt vtiles: homini enim cupido, & tenaci sine ratione est substantia, vt dicitur. Quartò, acquiritur iustitiæ peruersitas. Nihil est enim, quod tantùm peruertat rectitudinem iustitiæ, sicut munera, & diuitiæ. Addunt enim talia amicos diuiti, & auferunt pauperi. Quintò, per cupiditatem necatur, & suffocatur charitas, quia secundùm Augustinum venenum charitatis est cupiditas. Cùm enim in aliquo augetur cupiditas, diminuitur charitas. Sextò, sequitur ex ipsa omnis iniquitas, dicente Apostolo: Radix omnium malorum est cupiditas. Incidunt enim concupiscentes diuites in tentationem, & in laqueos Diaboli, & inserunt se doloribus multis.

*Matth. 5*

*Eccles. 2.*

*Lib. 83. qq. 37. tom. 4.*

*1. Tim. 6.*

*An omnis concupiscentia rei alienæ sit peccatum mortale.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd sicut dicitur, scilicet, in Ioanne. Concupiscibile est triplex. Delectabile, quod pertinet ad concupiscentiam carnis. Vtile, quod pertinet ad concupiscentiam oculorum. Et honorabile, quòd pertinet ad superbiam vitæ. Igitur concupiscentia inordinata boni delectabilis prohibetur in decimo mandato: Non cõcupisces vxorẽ proximi tui. Sed alia duo, vt inordinata concupiscentia diuitiarum, & boni vtilis, & vt inordinata concupiscentia dignitatum, & boni honoris prohibetur in hoc nono præcepto: Non concupisces domum proximi tui. Nam domus duo principaliter habet: primò, altitudinem, per quã significantur dignitates, & superbæ elationes: & latitudinem, per quam significantur diuitiarum congregationes, iuxta illud: Gloria, & diuitiæ in domo eius. Omnis igitur inordinata concupiscentia honoris, & dignitatis, & diuitiarum cupiditatis, nomine concupiscentiæ domus prohibetur.

*1. Ioan. 2.*

*Ps. 111.*

*An lex ciuilis, & humana puniat concupiscentiam animorum.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd concupiscentia quantum ad præsens, quatuor modis potest accipi. Primo, vt est nobis innata. Secundò, vt est rationabiliter ordinata. Tertiò, vt est in nocumentum proximi deliberata. Quartò, vt est opere consummata. Primo modo non est peccatum mortale, sed solum veniale. Nobis namque nolentibus caro cõcupiscit aduersus spiritum. Quia enim sensibilia, & delectabilia mundi audata, vel visa, aut imaginata semper se offerunt nobis ad cogitandum, & imaginandum de eis, & caro statim subitò, vt talia delectabilia, & cogitabilia, seu imaginata, visa, seu audita concupiscat, non expectando iudicium rationis, & deliberationem voluntatis: ideo talis concupiscentia non potest esse peccatum mortale, quia non est voluntaria. Secundò, concupiscentia potest esse rationabiliter ordinata, vt si quis concupiscit rem aliquam visam vtilem, vel delectabilem, seu honorabilem secundum Dei mandatum, & beneplacitum, & propter bonum virtuosum, & iusto titulo, non in nocumentum alterius, non est tunc peccatum, sed fortè veniale: quia eo ipso, quòd animus implicatur cogitatione temporalium, retardatur à feruore spiritualium bonorum. Sed tertio, & quarto modo concupiscentia si sit in nocumentum proximi deliberata, & si sit contra Dei mandatum, & contra charitatem proximi opere consummata,

mata, peccatum mortale est. Nam vt dicitur: Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem. Consummatum intelligit omne peccatum, non solum per operis executionem, verum etiam per consensus deliberationem.

## *DECIMA CHORDA DECIMO legis Præcepto respondens.*

Exod. 20.

*Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula.* Decima Chorda Psalterij est: Non concupisces vxorem proximi tui. Ad vitandam autem carnalem concupiscentiam tria potissimè nos debent inducere. Primum est antiquorum
*Genes.* 39 Patrum imitatio. Scribitur in Genesi, quòd cùm vxor Phutipharis Principis militiæ Pharaonis videret Ioseph pulchrum facie, & decorum aspectu, & diceret sibi: Dormi mecum; ille abhorrens facinus, dixit: Dominus meus omnia mihi tradidit, & nihil est, quòd non sit in mea potestate, præter te, quæ vxor eius es. Quo modo ergo possum
*Tob.* 4. hoc malum facere? Tobiæ verò quarto habetur, quòd inter alia documenta, quæ Tobias dedit filio, hoc specialiter dixit: Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem non patiaris crimen scire. De
*Iob* 32. hoc similiter gloriabatur Beatus Iob, vbi ait: Si deceptum est cor meum super mulierem, & si ad ostium amici mei insidiatus sum seorsum, sit alterius vxor mea, & super illam
*Genes.* 20 incuruentur alij. Secundùm est transgressorum correptio, scribitur in Genesi, quòd cũ Abraham ingrederetur Ægyptum, dixit vxori suæ: Noui, quòd pulchra fis mulier, & cùm viderint te Ægyptij, dicturi sunt, vxor eius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis. Quod sic factum est: quia Rex Ægypti concupiuit eam. Et sublata est vxor Abrahæ in domo Pharaonis. Cui Dominus apparens dixit: Morte morieris, quia vxorem alterius accepisti. Nec tamen mentitus est Abraham, quia vere soror eius erat, filia, scilicet, fratris. Sed veritatem tacere voluit, & mendacium non dicere, vt dicit Augustinus, & ponitur 2. quæst. 2. Et hoc licet facere sine peccato, saltem extra iudicium. In Daniele etiam scribitur, quòd illi duo senes, qui propter ardorem concupiscentiæ rem turpem voluerunt agere cum Susanna vxore Ioachim, iudiciali sententia à Deo interfecti sunt. Tertium est, Christi prohibitio: Vnde ait Saluator:
*Matth.* 5 Audistis, quia dictum est: Non mœchaberis. Sed ego dico vobis, quòd omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Ista ergo tria, quæ nos debent inducere ad vitandam concupiscentiam carnalem, tetigit Beata Virgo in decimo versu sui Cantici. Quia antiquorum patrum imitationem tetigit, cùm ait, *Sicut locutus est ad patres nostros.* Nam locutio Dei in patribus antiquis, nostra imitatio esse debet, iuxta illud Apostoli ad Romanos: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Transgressorum verò correctionem tetigit, cùm ait, *Abraham.* Sicut dictum est in vxore Abrahæ Patriarchæ, concupiscentia alterius vxoris est à Deo correcta. Sed Christi prohibitionem tetigit, cũ ait: *Et semini eius in secula.* Semen namque Abrahæ in seculum duraturum, quo tam concupiscentia, quàm alia vitia fuerunt extirpata, & virtutes omnes, ac dona plantata, fuit Christus. De quo dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. De ista igitur decima chorda possunt esse quinque dubitationes. *Rom.* 15. *Gen.* 7. & 18. & 22.

1 Vtrùm aliquis sanctorum post peccatum fuerit sine concupiscentia carnali.

2 Vtrùm concupiscentia carnis fuerit per legem prohibita.

3 Vtrùm consensus in carnalem copulam semper sit peccatum mortale.

4 Vtrùm interior concupiscentia, & morosa, & diuturna sit peccatum mortale.

5 Vtrùm concupiscentia aliquibus remedijs possit iuuari.

### *An aliquis sanctorum post peccatum fuerit sine concupiscentia carnali.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd quærere an aliquis sanctorum fuerit sine carnali concupiscentia, est quærere an fuerit sine peccato? Hanc ergo dubitationem mouet Augustinus, dicens, quòd aliud est quærere, an aliquis sanctorum fuerit sine peccato, aliud an esse possit, & aliud, an si possit esse, cur non sit? Nam ad primum articulum, an fuerit? Planum est, quòd non, præter Christum, & Matrem eius. Quia vox sanctorum
*Psal.* 14. est illa: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Similiter vox sanctorum est illa: Dixi confitebor aduersum
*Psal.* 31. me, & tu remisisti impietatem peccati mei. Quod patet, quia statim subditur: Pro hac orabit ad te, scilicet, iustitia, vel remissione peccati omnis sanctus in tempore opportuno. Etiam vox sanctorum est illa: Si dixeri-
1. *Ioan.* 2. mus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: Vnde dicit ibi Augustinus: quòd illa 144. millia, qui cum mulieribus non fuerunt coinquinati, qui sine macula fuerunt ante thronum Dei, scriptum est de
*Apoc.* 14. eis, quòd in ore ipsorum non est inuentum mendacium. Et tamen si se ipsos dixissent

fuisse

fuisse sine peccato, mendacium in ore ipsorum fuisset. Ad alium verò articulum. Si nõ fuerint, an possint esse, respondetur, quòd per gratiam Dei posset, cooperante libero arbitrio: quia mandata Dei sine gratia Dei seruari non possunt. Vnde cùm Propheta
*Psal.118.* dixisset: Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis. Statim adiunxit: Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Per quod dedit intelligere non esse in potestate eius custodire, vel obseruare mandata Dei, sine directione diuinæ gratiæ. Quia nemo optat obtinere, quod est in sua potestate facere.

Sed quo ad tertium articulum: Si potest esse, cur non est, nec fuit? Respondet, quòd Deus hoc permittit, quòd non fit propter reprehensionem humanæ superbiæ, & propter conseruationem diuinæ gratiæ. Post peccatum igitur nullus sanctorum præter Christum, & Matrem eius carnalem concupiscentiam euadere potuit.

*An concupiscentia carnis fuerit in lege prohibenda.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd concupiscentia potest accipi tripliciter. Primò, vt est inchoata, non est lege prohibita, nec prohibenda, quia talis concupiscentia surgit in nobis ex surreptione, & naturæ corruptione, & inchoatur in nobis absque nostra voluntate, nec est in nostra potestate, quòd resurgat. Vnde non potest lege aliqua prohiberi; quia lege prohibetur, quod per nostram voluntatem vitare possumus. Est tamen concupiscentia inchoata, vel initiata cohibenda, ne progressum faciat, & ne tantùm insurgat, quòd iudicium rationis peruertat. Secundò verò concupiscentia, quæ est per consensum rationis deliberata, benè est lege prohibita, & prohibenda: quia lex semper datur habenti rationis vsum, & liberum consensum. Vnde ex quo per rationis consensum concupiscentia, quæ insurgit in nobis, potest approbari, & non approbari, & ei consentire, & non consentire, potest similiter talis concupiscentia lege prohiberi, ne per rationem sibi consentiatur, & approbetur, secundum quem modum prohibetur quando dicitur: Non concupisces vxorem proximi tui, ac si diceret lex: Concupiscentiam insurgentem in vobis de vxore proximi, seu aliqua inordinata delectatione non deliberetis per rationis consensum esse faciendam, sed statim illam reprimatis, & sibi non consentiatis per voluntatem, cuius velle Deus pro facto reputat. Sed concupiscentia opere exteriori consummata est puniendaz quia tunc potest esse nota in iudicio humano, quia iam per opus consummata est, & completa, cùm homo illa debeat punire, quæ foris apparent, & quæ sibi possunt esse manifesta in iudicio probationis, & allegationis. Igitur concupiscentia inchoata est cohibenda. Concupiscentia deliberata est lege prohibenda. Sed concupiscentia opere consummata est lege humana, & diuina punienda.

*An consensus in carnalem concupiscentiam sit semper peccatum.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd concupiscentia carnis quandoque est sine veniali, & sine mortali peccato. Quandoque verò est solum cum veniali sine mortali. Sed quandoque est cum mortali. Nam si insurgat aliqua motio, & calefactio in sola carne, non insurgente ex tali motione membrorum aliqua cogitatione in mente, nec complacentia in voluntate, immo displicentia, sicut plerumque contingit, tunc talis concupiscentia est sine veniali, & mortali peccato: quinimo est meritoria: quia est materia, & causa exercendæ virtutis: secundum quem modum loquebatur Apostolus: Virtus in infirmitate perficitur. Si verò talis motio, & calefactio sic insurgat in carne, quòd etiam cogitatio surgat in mente, & complacentia in voluntate citra consensum rationis, & deliberationem voluntatis, tunc talis concupiscentia est cum veniali peccato; quia non tollit nobis finem, nisi quod est simpliciter voluntarium. Ex quo talis cogitatio, & complacentia est citra consensum, & deliberationẽ, non est omnino voluntaria, & per cõsequens non tollit finem. Sed si sic insurgat talis motio, & calefactio, quòd insurgat cogitatio, & complacentia voluntatis cum consensu rationis, & determinatione liberæ voluntatis, tunc est cum mortali, quia tunc quantum in nobis est, & in reputatione diuina, est peccatum consummatum, & completum.
*1.Cor. 1.*

*An concupiscentia carnis interior morosa sit peccatum mortale.*
Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd morosa concupiscentia, & complacentia insurgens in carne, vel potest dici morosa temporis duratione, vel consensus deliberatione. Primo modo non causat mortale peccatum: quia si duraret per vnum diem, & homo semper dissentiret, & complacentiam illam non acceptaret per rationis iudicium, non esset tunc mortale peccatum. Isto modo loquitur Hieronymus de mora insurgentis concupiscentiæ in epistola ad Eustochium, loquens de

de se ipso dicens: Memini me clamantem diem crebro cum nocte iunxisse, nec prius cessasse à pectoris verberibus, quàm rediret increpante Domino in me tranquilitas. Vnde hac de causa (vt ait) cellulam suam tanquam malis cogitationibus conscium pertimescebat. Sed secundo modo, quòd concupiscentia sit morosa, consensus deliberatione, ita quòd tamdiu duret complacentia illa donec sibi consentiatur, planè, & deliberate per rationis iudicium, tunc puto, quòd sit peccatum mortale, quia plenè completum est. Et quantum ad hominis deliberationem, & quantum ad diuinam reputationem, quæ velle hominis determinatum, & deliberatum pro facto reputat.

*An carnalis concupiscentia aliquibus remedijs vitari possit.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd quia carnalis concupiscentia tanquam hostis interius inclusus, & familiaris inimicus difficillimè vitatur. Ideò sancti multa remedia conati sunt inuenire ad reprimendam ipsam. Ad præsens tamen non adducemus, nisi quatuor, quæ Hieronymus ad Eustochium in epistola ponit. Primum est, particulariter in cogitationibus operationem, animum nō figere: quia cum particularia desideria multum moueant, statim caro inflammatur, & sensualitas tota incenditur, quæ incensa trahit rationem, & voluntatem ad consensum, sicut sphæra trahit sphæram. Secundum est, quòd statim cùm cogitationes carnalis concupiscentiæ veniunt ad mentē, ipsas interficere debet. Vnde ait in prædicta epistola, quòd ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim cùm incipit cogitare, interficit cogitatus, & allidet eos ad petram: petra autem erat Christus. Tertium est, praua colloquia, consortia, & conuiuia mulierum fugere. Vnde ait idem Hieronymus mulierum colloquia, officia, consortia, salutationes, & conuiuia tanquam quasdam catenas fugias voluptatum. Quartum est discursus, & vagationes ex toto spernere. Vnde ait in prædicta epistola: Caue ne domum exeas, & velis videre fœminas alienæ regionis sicut fecit Dina filia Iacob, quia quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israel patre lætaris sicut Dina lætabatur, quæ egressa tamen corrupta est, & violata, & subdit: Nolo te quærere Christum sponsum per plateas, & vicos, & angulos ciuitatis, ne fortè inueniantte custodes, & vigiles, & percutiant te, & vulnerent, & tollant pallium tuum.

*Psal.* 136

*Cant.* 3.



A *EPILAGVS CANTICI.*

*SCribite vobis Canticum istud, & docete filios vestros, vt memoriter teneant, & ore decantent. Et sit mihi Canticum istud pro testamento coram filijs Israel.* Beatus Augustinus in libro nouo Cantico ait: Volentes cum Virgine nouum Canticum decantare, debent corde credere, ore confiteri, & ipsum opere adimplere, quia dicente Apostolo Petro: Melius est viam veritatis non nouisse, quàm post cognitionem retro aspicere. Vnde dicitur de vxore Loth liberata à Sodomis. Retrospiciens, quòd euaserat perdidit: quia versa est in statuam salis, & non immerito, vt suo exemplo fatuos condiret. Sunt autem quinque necessaria ad obseruationem meritoriam noui Cantici per Beatam Virginem decantati. Primum est, vt Dei dilectio corde scribatur. Quia secundùm Augustinum, qui dilectionem non habet, Psalterium portare potest, cantare verò non potest. Secundum est, proximi charitatiua affectio, vt intellectum doceatur. Vni cuique autem Deus mandauit de proximo, vt eripiat enm ab omni iniquo. Et scribitur: Si tibi est intellectus, responde proximo, eum scilicet, in diuina lege instruendo. Tertium est ipsius Cantici recordatio, vt memoriter teneatur. Vt simul cū Propheta dicatur: Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Quartum est vocis decantatio, vt ore confiteatur, dicente Apostolo: Corde creditur ad iustitiam, sed ore confessio fit ad salutem. Quintum est operis testificatio, vt Deus non decipiatur. Nam sicut dicit Ioannes: Si quis dicit: Deum diligo, & mandata eius opere non seruat, mendax est, quia talis mentitur Deo, & eum decipit quātum in se est. Ista igitur quinque fore necessaria ad obseruationem istius Cantici. Moyses spiritu prophetico repletus tetigit in persona Virginis verba supra posita in Deuteronomio. Nam vt Dei dilectio, in qua Virgo Canticum istud cantauit, corde scribatur, tetigit cùm ait: *Scribite vobis Cāticum istud.* Quòd verò proximus intellectu doceatur, tetigit cū ait: *Docete filios vestros.* Quòd autē memoriter teneatur, tetigit cum dixit: *Et memoriter teneāt.* Quòd verò ore cōfiteatur cū dixit: *Et ore decātēt.* Sed quòd opere cōpleatur tetigit, cū postposuit: *Vt sit mihi Cāticum istud in testimonium corā filijs Israel.* Id est, coram Deum videntibus: Qui non solum istud Canticum ore cantauerunt, verum etiam opere impleuerunt, ac per hoc tantum videre meruerunt.

*Deut.* 31.

*De cant. nouo tomo* 9.

2. *Pet.* 2.

*Genes.* 19

*Libr. de nouo Cantic. to.* 9.

*In Psal.* 143. *tomo* 8.

*Eccles.* 5.

*Psal.* 136

*Aom.* 10.

1. *Ioan.* 1.

De obseruatione ergo, & digna decantatione Cantici Virginis gloriosæ, quinque dubitationes per modum Epilogi fieri possunt.

1 Vtrùm istud Canticum cantare sint charitate, sit meritorium.

2 Vtrùm præceptum de charitate Dei sit distinctum à præceptis primæ tabulæ, quę data sunt de Deo.

3 Vtrùm ad obseruationem præceptorum Dei necessarium sit Deum ex toto corde diligere.

4 Vtrùm præceptum de dilectione proximi, sit distinctum à præceptis secundæ tabulæ, quæ data sunt de proximo.

5 Vtrùm ad obseruantiam de dilectione proximi necessarium sit proximum sicut nos ipsos diligere.

### *An Canticum sine charitate cantare sit meritorium.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd cantare istud canticum sine charitate, esse meritorium dupliciter potest intelligi. Primò, effectiuè, quòd quis cantando istud Canticum sine charitate possit mereri æternũ præmium, & meritum efficere, & sic non potest: quia qui nõ habet charitatem, manet in morte. Planum est autem, quòd mortuus motionem vitæ habere non potest. Est enim charitas secundùm Augustinum vita animæ, & sic anima est vita corporis. Et secundùm hunc modum intelligitur dictum Augustini quando ait: Quôd sine charitate potest quis Psalterium portare, sed nõ cantare. Secundo modo, potest intelligi dispositiuè, quòd quis cantando istud Canticum possit se ad merendum disponere, & præparare. Et sic patet. Continentur ista quatuor principaliter in hoc Cantico, quæ disponunt hominem ad merendum, & diligendũ. Primum est, exultatio, & magnificatio, & auditio diuinorum. Secundum est, memoratio, & recordatio Dei beneficiorum. Tertium est, separatio, & contemptio temporalium bonorum. Quartum est, toleratio, & supportatio aduersorum, & firma expectatio promissorum præmiorum. Experimur enim in nobis, quôd cum audimus aliquem hominem laudari, & commendari, & magnifica, ac virtuosa de eo nunciari, accendimur statim in amorem eius, & plerumque contingit, vt quem prius odiebamus, propter audita verba diligere incipiamus. Et si hoc contingit de homine de quo notum est homini, quòd falsa esse possunt, quæ dicuntur, multò magis cõtingit de Deo. Vnde scribitur in actibus Apostolorum, quôd loquente Petro verba Dei, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Frequenter enim accidit, quôd in prædicationibus multi peccatores charitate carentes, audientes prędicari verbum Dei, & nunciari eius magnifica, & mirabilia, dicta, & facta, accenduntur in eius amore, & accipiunt charitatem, quam per peccatum amiserant: potissimè, quia sciunt, quôd ea, quæ de Deo dicuntur, falsa esse non possunt. Est enim secundùm Prophetam ignitum eloquium Domini, & penetrat intima cordis. Vnde scribitur in Actibus, quôd cùm Rex Agrippa audiret Paulum diu predicantem Christum, dixit ad Paulum. In modico (inquit) Paule persuades me fieri Christianum. Et Paulus respondit: Opto apud Deũ in modico, & in magno, non tantùm te, sed omnes, qui audiunt fieri Christianos. Secundô, ad recipiendam charitatem disponunt nos, meditari beneficia Dei, quæ nobis contulit. Multum enim durus est, & lapideus animus hominis, quando cogitat, quòd à Deo est creatus, recomparatus, gubernatus, & de multis periculis liberatus, si in eius amorem non accenditur. Immo totus homo interior deberet liquefieri, modo quo dicebat Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Et dato, quôd homo nollet diligere Deum propter se, ad minus propter illa, quæ sibi fecit, deberet ipsum diligere. Vnde dicit Augustinus, quôd durus est animus hominis, quòd si dilectionem Deo non vult impendere, si nolit rependere. Bonæ igitur cogitationes, & meditationes beneficiorũ Dei multum nos disponũt ad diligẽdũ Deũ, ficut malè multũ nos à Deo separant. Vnde dicitur: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Tertiò, ad diligendum Deum disponimur per contemptum, & separationem temporalium bonorum. Naturale namque est, quôd quantò quis separatur ab vno contrariorum, tantô plus coniungitur reliquo, vt quantò plus receditur à nigro, tantô plus approximatur albo. Amor autem mundi, & Dei contrarij sunt. Ideo quantò magis animus separatus est á mundo, tantò magis accenditur Dei amore. Vnde dicitur in Machabæis, quôd Sol refulsit, qui prius erat in nubilo: & accensus est ignis magnus. Quod exponens Augustinus ait: Sol refulgens in homine, est intellectus, & affectus eius, qui tunc est in nubilo, cum terrenorum amore est implicatus, & tunc accenditur ignis magnus, quando Dei amore inflammatur, & à temporalibus separatur. Quarto, toleratio aduersorum, & expectatio præmiorum bonorum multum nos disponũt ad diligendum Deum, quia cùm homines multa aduersa patiuntur, & patienter tolerant, credentes talia sua peccata mereri, eleuãtur, & accenduntur in amorem Dei ad expectandum bona promissa. Vnde dicitur in Genesi, quòd aquæ multiplicatæ sunt, & eleuauerunt arcam in sublime. Quod spiritualiter secundùm Augustinum tunc fit quando aduersitates, & persecutiones patienter portant arcam, id est, Ecclesiam, vel animam cuiuslibet fidelis eleuant ad amorem, & contem-

*Actor. 10* *Actor. 16* *Psal. 38.* *Isai. 1.* *1. Mach.* *Genes 8.*

templationem diuinorum. Primum istorum continetur in hoc Cantico, cùm dicitur: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Secundum, cùm dicitur: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, & misericordia eius à progenie in progenies.* Tertium, cùm dicitur: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis.* Sed quartum, cùm dicitur: *Suscipit Israel puerum suum. Et sicut locutus est ad patres nostros.*

*An præceptum de charitate Dei sit distinctum à præceptis primæ tabulæ, quæ data sunt de Deo.*

Quæst. 2.

*Libr. de decẽ chor dis tom. 10.*

AD secundam est dicendum, quòd Augustinus in libro de decem chordis hãc dubitationem determinat, ostendens tripliciter præceptum de dilectione Dei non distingui à præceptis primæ tabulæ datis de Deo. Primò ex Christi probatione. Nam

*Mat. 22.* cùm quæsitum fuisset à Christo per legis peritum, quòd esset magnum mandatum in lege. Respondit: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum. Et statim subdit: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Præcepta ergo legis data de Deo in dilectionis mandato includuntur. Secundo, hoc ostendit ex charitatis perfectione. Nam si Deus debet perfectè diligi à nobis, oportet, quòd diligatur fideliter, veraciter, & reuerenter, aliter non esset perfecta dilectio. Si ergo fideliter. Sic non habebis Deos alienos. Non enim Deus patitur societatem in corde hominis, sicut vir non patitur in vxore quando zelat, & de qua zelotipiam habet, nullam patitur societatem. Vnde statim dato hoc mandato: Non habebis deos alienos, dixit in Exodo: Ego

*Exod. 20.* sum Deus zelotes. Si verò veraciter: Sic non assumes nomen Dei tui in vanum: falsitas autem, &

*Psalm. 4.* periurium quædam vanitas est, iuxta illud: Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Si autem reuerenter: Sic memento, vt diem Sabbati sanctifices: Multum est enim irreuerens Deo ille, qui nullo tempore vult sibi honorem impendere. Perfecta igitur dilectio illa tria præcepta includit. Tertiò, ostendit hoc ex præceptorum præmiatione. Nam obseruantibus præcepta Dei, vita æterna pro præmio datur, iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Sed nulli operi, nec alicui mandato debetur præmium vitæ æternæ, nisi inquantum includit charitatem. Ergo dilectionis mandatum non ponitur in numerum cum alijs mandatis, datis de Deo, sed includitur. Itaque in eis diuersa mandata de Deo non sunt, nisi diuersi modi diligendi Deum.

*An ad obseruationem præceptorum Dei necessarium sit Deum ex toto corde diligere.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd quatuor debemus Deo dare, si perfectè ipsum diligimus. Quolibet illorum deficiente, non est perfecta dilectio. Primò, totum cor. Secundò, totam animam. Tertiò, totam mentem. Quartò, totam fortitudinem? Vnde legis peritò dixit: Diliges Dominum Deum *Mat. 13.* tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua, & ex tota virtute tua. Secundùm autem Augustinum cor sumitur pro intentione. Nam intentio tantæ virtutis est, vt omnia opera nostra trahat ad se. Ita quòd si bona opera, & mala intentione fiant, conuertantur in malum. Vnde Saluator dixit: *Lucæ 11.* Si oculus tuus, id est, intentio tua, simplex fuerit, & rectus, totum corpus tuum (id est congeries operum) lucidum erit. Cor ergo id est, intentio nostra, recta, & simplex est Deo primo danda, aliter perfectè non diligitur. Propter quòd singulariter de intentione recta gloriabatur Apostolus, quando *2. Cor. 1.* dicebat: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Anima verò sumitur pro recta voluntate. Potest enim quis rectam intentionem habere, & tamen deficit ei bona voluntas. Vt si furetur, vt pascat pauperes: intentio quidem bona est, & voluntas mala. Vnde dicit Apostolus, quòd iusta est damnatio illorum, qui dicunt: Faciamus mala, vt eueniat bona. Anima igitur, id est, bona voluntas Deo est danda, vt diligatur. Pro mente autem accipitur intellectus. Multi enim non peccant in opere, tamen placet eis mala cogitare in agibilibus, & proterui, ac superui sunt in speculabilibus, cùm omnem intellectum debeat homo dirigere in Deum, & obsequium Christi. Vnde vtrũque prohibetur, & malorum intellectus cogitatio, cùm dicitur: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Et proterua, ac superba elatio, cùm dicitur: Ne initeris prudentiæ tuæ. Mens ergo, id est, intellectus dandus est Deo, vt verè diligatur. Sed virtus accipitur pro fortitudine. Multi enim sunt fortes, non quidẽ ad virtutũ operationẽ, sed ad peccatorũ perpetrationẽ. De quibus dicitur: Væ qui fortes estis ad bibendum vinum, & viri potentes ad miscendam ebrietatem. Tota igitur virtus, id est, fortitudo, est Deo danda, vt perfectè diligatur. Debemus ergo Deũ diligere, si præcepta eius volumus implere. Ex toto corde, id est, ex tota intentione, sine nequitia. Ex tota anima, id est, ex tota voluntate, sine malitia. Ex tota mẽte, id est, ex toto intellectu, sine malorum complacentia, & proterua superbia. Ex tota virtute, id est, ex tota fortitudine, sine boni operis negligentia.

*Prou. 3.* *Isai. 1.* *Prou. 3.* *Isai. 5.*

*An præceptum de dilectione proximi sit distinctum à præceptis secundæ tabulæ, quæ data sunt de proximo.*

Quæst 4.

*In lib. de decē chor dis, tom. 10.*

AD quartam est dicendum, quòd Augustinus in libro de decem chordis dicit, quòd si Christus dixisset solùm: Diliges Dominum Deum tuum, & non dixisset, & proximum tuum sicut te ipsum, non esset tunc Psalterium decachordum, sed trichordum. In dilectione igitur proximi omnia septem præcepta data de proximo includuntur, quia aliter non esset Psalterium decachordum.

*Rom. 13.* Vnde dicit Apostolus: Qui diligit proximum, legem impleuit, & postea concludit: Plenitudo legis est dilectio. Facit autem secundùm Augustinum dilectio Dei in nobis quatuor, propter quæ omnia præcepta data de proximo in tali dilectione includuntur. Primò, diuini amoris integrationem. Nam qui Christum integraliter diligit, oportet, quòd diligat filios, & membra eius. Stultum esset dicere alicui: Diligo te, & filios tuos, & membra tua odio. Sed filij Dei, & membra Christi sunt omnes fideles. Ergo non integraliter diligit Christum, qui proximum in aliquo mandato à Christo dato odit, vel non diligit. Secundò, facit eius discipulatus cognitionem. Nam per nihil aliud cognoscimur, quòd sumus Christi discipuli, nisi per mutuam ad inuicem dilectionem. Nec propter mortuorum suscitationem, nec cæcorum illuminationem, seu aliorum membrorum operationem. Vnde Ioannes sic ait: In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli,

*Ioan. 14.* si dilectionem habueritis ad inuicem. Non dixit: Si mortuos suscitaueritis, vel cæcos illuminaueritis. Sed planum est, quòd discipuli Christi eius mandata seruauerunt, iuxta illud: Si præcepta mea seruaueritis, verè discipuli mei eritis. In mutua ergo dilectione

*Ioan. 15.* proximi, omnia mandata includuntur, quæ de proximo data sunt. Tertiò, facit in nobis naturæ communicationem. Nam quorum est vna comunicatio in natura, eorum mutua est dilectio, quia naturaliter omne aliud diligit simile sibi in natura, & non diligere repugnat naturali dilectioni, vel inclinationi. Sed per omnia illa septem mandata data de proximo naturalis communicatio destruitur. Ideo in dilectione mutua illa omnia includuntur. Quartò, facit vtilitatis consecutionem. Nam per dilectionem mutuam, quæ sunt vnius, communicantur omnibus. Et hæc est maxima vtilitas, quòd quilibet est particeps omnium bonorum sanctorum, sicut dicebat Propheta: Particeps ego sum omnium

*Psal. 118.* timentium te. Sed talem vtilitatem non consequitur aliquis præcepta data de proximo non seruando. Igitur in dilectione proximi omnia illa præcepta includuntur.

*An ad obseruantiam de dilectione proximi necessarium sit proximum diligere sicut nos ipsos.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd homo tenetur diligere se ipsum veraciter, sapienter, efficaciter, & perseueranter. Veraciter quidem, vt non diligat se ad opera vitiosa. Talis enim qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Nam dilectio boni vtilis, *Psal. 19.* & delectabilis vera non est, quia decipit hominem. Sed dilectio boni vtilis, & virtuosi vera est, quia diligentem non decipit. Secundò, homo debet se diligere sapienter: vt non diligat se plusquam Deum, nec aliquid sicut Deum. Tertiò, debet se diligere efficaciter, vt diligenter vitet omnia nociua animæ, & corpori, & procuret omnia proficua. Quartò, debet se diligere perseueranter: quia perfecta dilectio non est quæ defecit in aduersis: ijs ergo quatuor modis homo tenetur diligere proximum sicut se ipsum, aliter non impleret præcepta de Dei, & proximi dilectione. Primò, veraciter, vt quilibet diligat suum proximum in operibus virtuosis, & non vitiosis. Nec propter bonum vtile, vel delectabile, quorum dilectio hominem decipit. Sed propter bonum honestum, & virtuosum. Secundò, sapienter, vt non diligat proximum plusquam Deum, vel tanquam Deum, quia *Matt. 10* qui diligit patrem, aut filios plusquam me, non est me dignus. Tertiò, efficaciter, vt sic homo diligenter, & attentè procuret bona, & remoueat mala circa proximum sicut circa se ipsum. Quartò, perseueranter: quia omni tempore diligit, qui amicus est. *Prou. 17.* Perseuerantia autem dilectionis inter proximos potissimè operatur patientia in aduersis, & humilitas in prosperis, quia inter superbos, & impatientes perseuerantia esse non potest.

Sicut ergo in Dei dilectione, istud Canticum Virginis gloriosæ fuit initiatum, & est terminatum, sic ad eius dilectum Filium precibus eius, in hora mortis anima nostra perducatur, Amen.

## *IN SALVTATIONEM, ET Annuntiationem Angelicam, ad Deiparam Virginem, ex Euangelij B. Lucæ, cap. 1.*

### PROOEMIVM.

*De quatuor rebus, quæ Authorem à scribendo dehortantur.*

QVatuor sunt, quæ mihi timorem, ac tremorē faciūt loqui de Virgine gloriosa. Primum est propriæ naturæ fragilitas. Nam si narrare diuinam iustitiam, & assumere per os Dei scripturam, & Dei sapientiam

inhibetur peccatori : quia peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? multò magis intelligere debeo, inhibitum etiam mihi Matrem diuinæ sapientiæ, candorem lucis æternæ, speculum sine macula, per spurcissimum os meum, & per polluta labia mea reuoluere, & assumere.

*Psal. 49.*

Secundum est, laudis eius immensitas. Quis enim dignè valeat iura gratiarum, & laudum præconia * impendere illi, quæ singulari suo assensu, mundo succurrit perdito? Si enim, vt ait Augustinus, omnium membra hominum verterentur in linguas, nullus eam laudare sufficeret: quia latior terra, altiùs cœlo, profundior abysso est illa, quæ suo vtero gestauit: quem nec cœlum, nec terra, nec omnis creatura capere poterat.

** al. rependere*

*In ferm. 18. de sanctis, qui est 2. de Annunc. in fine, tom. 10.*

Tertium est, partus eius fœcunditas. Nam si de partu Elisabeth mirati sunt, ac stupefacti vniuersi, dicentes: Quis putas puer iste erit? quæ tamen non Deum, sed purum hominem peperit: & diuulgabantur verba hæc mira, & stupenda super omnia montana plebis Iudæorum, solùm quia de sterili natus erat. Quanto magis humanam mentem timor, & tremor debet apprehendere, loqui de partu illius, quæ nec more humano, nec solum hominem, sed Deum verum, & veram hominem, humano generi edidit Saluatorem, Virgine concipiente, Virgine parturiente, & Virgine post partum remanente?

*Lucæ 1.*

Quartum est humanæ complacentiæ cupiditas. Vt enim verbis Hieronymi vtar: Multum timeo, & valde pertimesco, dum hominum profectibus parere cupio: ne forte sicut improbus, ita & indignus laudator inueniar: * maximè, cùm nec sanctitas, vel facundia * suppetat, vt Virginem Beatam, ac singulariter gloriosam dignè laudare quam.

*Serm. de Assumptione epi. 10. ad Paulam, & Eustochiũ tom. 9.*

** al. profecto*

** al. supeditet.*

*De quatuor item rebus, quæ Authorem ad scribendum cohortantur.*

QVatuor item mihi timorem adimunt. Primum timorem tollit à me Spiritus Sanctus: cuius inspiratione dictum est. Cum luxurioso loqueris de continentia, cum tenaci de largitate, & cum superbo de humilitate. Quomodo ergo melius possum purgari de mea immunditia, quàm Beatæ MARIÆ singulari virginitate, quæ attingit vbique propter suam munditiam, lauando, tergendo, & nihil inquinatum in ipsam incurrit? Et quomodo melius possum purgari de mea cupiditate, quàm Beatæ MARIÆ singulari largitate, quæ esurientes implent bonis, & diuites dimisit inanes? Et quomodo melius possum purgari de mea fumosa superbia, quàm Beatæ MARIÆ singulari humilitate, quæ in matrem æterni Regis ab Angelo vocata, ait: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum?* Sicut namque turpe, & immundum non lauatur, nisi pulchro, & mundo: sic nihil turpius, nihil immundiùs est me misero peccatore. Sicque nullo possum melius purgari, & lauari, quàm Beatæ, ac gloriosæ MARIÆ Virginis, Virginitatis, & puritatis flore, & candore.

A

Secundum timorem à me remouet doctor reuerendus Chrysostomus, dicens: Nequaquam Virginis laudis præconia explicare possumus: nec idcirco resistemus, quin quæ possumus, dicamus: quia hoc est maximum genus laudis, cùm orationis copiam virtus suppetit, & magnitudo laudati. Sicque in laudibus Virginis gloriosæ vinci, multò nobis gloriosius est, quàm vicisse. Nam ideo vincimus cùm vincimur: quia nunquam deficit materia laudis, eo quòd nunquam deficit copia laudatoris.

B

*Super Matth. cap. 1. tom. 2.*

Tertium timorẽ à me tollit egregius Doctor Augustinus, dicens: Valet Virgo sanctissima loquenti de suo mirabili, atque inenarrabili partu, sapientiæ præbere igniculum, quæ totius sapientiæ plenitudinem, castissimo portauit in vtero: valet quoque cuilibet efficaciam verbi tribuere, quæ Verbum, per quod facta sunt omnia, Virginis visceribus corporatum gestauit.

*Ser. 5. de Assumpt. tom. 9.*

Sed quartum timorem à me tollit sanctissimus Doctor Ambrosius, dicens: Semper Virgo benedicta nostras laudes quantumcumque indignas, apud Filium suum dignas facit, quia ipsa nunquam fastidiuit humilem, nunquam derisit debilem, numquam despexit pauperem. Ex precibus ergo tantæ Virginis assumpta fiducia, de Angelica eius Annunciatione, vnum tradamus ex sententijs Patrum, ne tota die in foro inueniar otiosus, componere curaui. Non quidem, sicut moris est, per capitula distinctum, sed per Lectiones exponere litteram, ac dubitationes continentes diuisum: quatenus volentibus per se studere, aut alijs legere, de qualibet particula Angelicæ salutationis, statim, quòd quæritur, occurrat. Gratiam suam præstante ipso Filio suo Domino IESV Christo, precibus matris, cui sit semper laus, honor, & gloria, Amen.

C

D

## *LECTIO I.*

### De Angeli Gabrielis Missione.

*Missus est Angelus Gabriel à Deo.*

IN qualibet salutatione quinque per ordinem considerandæ sunt. Primum est, personæ salutantis conditio. Secundum est, loci in quo fit salutatio, notificatio. Tertium est, per-

*Luc. c. 1.*

personæ salutatæ nominatio. Quartum est A ipsius salutationis formatio, & expressio. Quintum est rei, quæ per salutationem nunciatur, certificatio. Ista igitur quinque per ordinem continet salutatio Angelica, ac per hoc continet quinque principales partes. Secunda ibi: *In Ciuitatem Galilææ.* Tertia, ibi: *Ad Virginem desponsatam.* Quarta ibi: *Et ingressus Angelus.* Quinta ibi: *Quæ cùm audisset.* Notincat autem Euangelista personam salutantem, quantum ad tres conditiones. Primò, quantum ad sui officij proprietatem. Secundò, quantum ad sui effectus congruitatem. Tertiò, quantum ad mittentis authoritatem. Quantum autem ad primum dicit: *Missus est Angelus.* Nam secundùm Isidorum in libro de summo bono, Angelorum B nomen officij est, non naturæ: quia secundùm naturam, & substantiam ipsorum spiritus nuncupantur, dicente Propheta: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Quando verò ad annunciandum de cœlo hominibus mittuntur, ex ipsa annunciatione Angeli vocantur. Vnde dicit Damascenus: Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, suæ potestatis, arbitrioque libera, incorporea, Dei ministra, per gratiam non natura immortalitatem consecuta, & inadeptiua pœnitentiæ: quoniam, quòd hominibus mors, hoc Angelis est lapsus: * eo quòd post casum C pœnitere non possunt. Quantum verò ad secundum, dicitur *Gabriel.* Nominatur autem quilibet Angelus nomine illo, quod conuenit ei secundùm operationem, & effectum, quem facit, vel annunciat. Vnde, quia iste Angelus, qui nunciauit Virgini Dei filij incarnationem, fortia, & grandia nunciabat: ideo Gabriel est nominatus, qui interpretatur fortitudo Domini. Quia verò Angelus, qui nunciabat Tobiæ suam curationem, & sanitatem, talem effectum operabatur, ideo Raphael nominatur, qui interpretatur sanitas Domini, vel medicina Domini. Et quia Michael iudicium, & dominium Dei exercet in animabus hominum: sic nominatus est Michael, qui interpretatur, quis vt Deus, vel quis est sicut dominator? Et vniuersaliter semper Angelus nominatur secundùm conuenientiam effectus, quem in creatura operatur. Sed quantum ad tertium, ait, *A Deo.* Nam licet vnus bonus Angelus, vel malus possit mitti ab alio Angelo secundùm prælationem, & subiectionem existentem in eis, vniuersaliter tamen authoritatem mittendi Angelos tam bonos, quàm malos, non habet, nisi solus Deus: quia etiam quando vnus Angelus mittitur ab alio, non mittitur, nisi authoritate Dei, & potestate officij: ergo proprietas notatur, cùm dicitur, *Missus est Angelus.* Effectus verò congruitas notatur, cum additur: *Gabriel.* Sed mittentis authoritas, cùm postponitur: *A Deo.* Circa istam lectionem tamen possunt esse sex dubitationes.

*De sum. bono. Et Greg. Homil. 34. tom 3. Psal. 103.*

*2. lib sentent. id est de fide orthodoxa. cap. 2.*

*Eodē lib. c 4. in calce, & huius rei rationē, & causam enarrat Clicthoueus in com. 3. c.*

*Hæc de nominib. Ang. à S. Greg. 34. Hom. to. 2. Et Hugo de Sancto Vict. lib. 4. de claustro animæ tom. 2.*

Prima, vtrùm conueniens fuerit Angelum ad Virginem mitti.

Secunda, vtrùm talis Angelus debuerit esse Gabriel.

Tertia, vtrùm iste Gabriel fuerit ille, qui pugnauit cum Principe Persarum pro liberatione Danielis, & Iudæorum.

Quarta, vtrùm talis Angelus debuerit esse de supremo ordine.

Quinta, vtrùm talis Angelus debuerit immediatè mitti à Deo.

Sexta, vtrùm Angeli omnes possint dici missi, vel aliqui sint, qui nunquā mittantur.

## *Quatuor de causis Angelus ad Deiparam Virginem missus est.*

### Quæst. 1.

AD primam quæstionem est dicendum, Angelum missum esse ad Virginem, vt nunciaret Dei Filij incarnationem, fuisse congruum.

Primò, propter seruandam Dei ordinationem. Ipse enim Deus miro ordine Angelorum mysteria, hominumque dispensat: ita vt diuina secreta, mediantibus Angelis, hominibus pandantur, quem ordinem, Altissimus Creator in reuelando suæ Incarnationis mysterium, seruare voluit. *Libr. de Angelica Hierarchia.*

Secundò, propter insinuandam Angelicæ ruinæ reparationem. Nam per Incarnationem Christi reparata est ruina Angelorum, quæ per decimam drachmam significata est. *Lucæ 15.* Non quòd decem fuerint ordines Angelorum, & decimus ordo sit perditus: sed tot, creditur, cecidisse Angelos, qui si permansissent, decimum ordinem potuissent constituere. Per Incarnationem ergo Christi homines saluati reparabunt Angelicam ruinam: quia assumuntur ad loca illorum, in quolibet ordine, qui ceciderunt. Non igitur de Incarnationis Christi mysterio Angeli debuerunt D esse ignari, sed per eos erat nunciandum: vnde & ordo Saluatore, cantauerunt: Gloria *Lucæ 2.* sit Angelis Dei in excelsis, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Tertiò, propter humani generis redemptionem signandam. Nam sicut humani generis perditio, mali Angeli voce serpentina est mulieri nunciata: ita congruebat, quòd humani generis saluatio, boni Angeli voce columbina, MARIÆ Virgini nunciaretur. Quartò propter demonstrandam MARIÆ Virginis conseruationem. Congruè enim Angelus ad MARIAM mittitur: quia semper Angelis est cognata Virginitas; profectò in carne, præter carnem viuere, non terrena vita est, sed

cœle-

cœlestis. Primam igitur rationem assignat Dionysius: Secundam Augustinus: Tertiam Beda: Quartam Gregorius.

*Tribus de causis Gabriel ad Deiparam Virginem mitti debuit.*
Quæst. 2.

*Tom.* 1. AD secundam dubitationem est dicendum, quòd hanc dubitationem determinat Bernardus super Missus est, dicens, quòd Gabriel fortitudo Dei interpretatur. Per fortitudinem virtus amici manifestatur: virtus inimici debilitatur, vel deletur, & virtus timidi, & verecundi confortatur. Propter ista igitur tria, vt ait, congruum fuit Angelum nunciantem incarnationem Filij Dei Gabrielem nominari. Primò, quia Dei virtutem incarnandam manifestabat: est enim ipse Christus Dei virtus, & sapientia, iuxta illud Apostoli: Prædicamus Christum Dei virtutem, & sapientiam: igitur virtus Dei non nisi per fortitudinem Dei manifestanda erat. Secundo, quia Diaboli virtutem debellandam nunciabat. Nam fortis armatus Diabolus, non nisi per fortiorem, vt puta per Christum, erat debellandus: vnde, & in aduentu eius ad inferos, dictum est. Quis est iste Rex gloriæ? Per ipsos Dæmones, quibus per sanctos patres, quos venerat liberare, responsum est: Dominus fortis, & potens. Dominus fortis in prælio. Fortitudo ergo Domini, aduentum talis Domini debuit nunciare. Tertiò, quia Virginem timidam, & verecundam de insolita salutatione, vel apparitione confortare debebat: timidum namque non confortatur, nisi fortitudine, nec seruatur, nisi per fortem. Cum ergo Virgo sanctissima tremenda, & timida fienda prouideretur per nunciationem Angeli, & Ioseph similiter super grauidatione Virginis: ideirco congrue ad confortationem vtriusque fortitudo Domini mittitur. Nam Virgini dicitur per Gabrielem: *Ne timeas MARIA.* Et Ioseph per eundem: Noli timere Ioseph accipere MARIAM coniungem tuam.

1. *Cor.* 1.

*Pſal.* 23.

*Lucæ* 1.

*Matth.* 1

*De discordia bonorum Angelorum sine peccato, & de Gabriele, qui cum Principe Persarum pro Danielis, & Iudæorum liberatione pugnauit.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd inter bonos Angelos dicitur esse discordia sine peccato; præsunt enim ipsi Angeli boni diuersis Regnis, & diuersis Principatibus, & ciuitatibus, & quilibet Angelus vult salutem populi, cui præest: quia ad hunc finem Deus gloriosus constituit Angelos prælatos hominum, vt eorum salutem procurent. Angelus ergo, qui præerat populo Persarum, vel Babylonico, in quorum captiuitatem erat Iudæi ducti propter eorum peccata, bonus Angelus erat, qui prouocabat eos, vt dimitterent idola, & adorarent vnum Deum. Et Angelus, qui præerat populo Iudæorum, bonus Angelus erat, inter quos legimus in Daniele fuisse discordiam; quia Angelus Indæorum volebat liberare Iudæos de illa captiuitate, propter preces Danielis, & aliorum sanctorum, sed Angelus Persarum hoc impediebat, quia viderat multa bona prouenisse Persis ex resistētia Danielis, & aliorum cum eis. Nam Daniel propter suam sanctitatem, Bel, quòd erat idolum ipsorum, destruxit: sacerdotes occidit, ac draconem interfecit, nec non ipse cum socijs de camino ignis ardentis, & de lacu leonem liberati sunt, & alij loco eorum intromissi sunt, & multa somnia Regis Babylonis prudenter, & sapienter interpretatus est. Propter quæ credendum est, quòd multi de illis Persis conuersi sunt ad Deum. Vnde Angelus eorum, qui præerat eis, impediebat liberationem Iudæorum. Tamdiu durauit ista pugna, & ista discordia inter istos Angelos bonos, quàmdiu diuina volūtas voluit super hoc determinare: quia determinauit, & voluit liberationem Iudæorum. Non enim omnia Dei iudicia, quæ sunt abyssus multa, nota sunt Angelis: vnde quilibet bonus Angelus potest velle, & procurare salutem sui populi, cui præest, suppositō, quòd Deo placeat talis procuratio: dato quòd in ea vnus Angelus contrarietur alteri, tamdiu durat, donec diuinum beneplacitum reueletur, & manifestetur eis: vnde non debet videri mirum, vel esse peccatum si in aliquo Collegio, vel Cōciliovnus homo cōsulat, vel loquatur cōtrarium alterius, quod alius loquitur: quia quilibet potest moueri bono animo, & spiritu recto. Eodem namque vento videmus naues ad contraria loca tendere, aliter, & aliter velis positis, & ordinatis. Sic eodem bono spiritu, homines possunt contrariari ad inuicem in locutione, vel in electione aliqua, aliter, & aliter eorū conscientias ordinando. Cum ergo quæritur, num Gabriel iste fuerit, qui pugnauit cum Principe Regni Persarum pro liberatione populi Iudæorum de captiuitate Babylonis? Dicēdū, quòd sic: quod patet auctoritate, & ratione. Nam in Daniele habetur expressè, quòd Daniele orante, dixit: Ecce Gabriel Angelus, quem ego videram à principio, tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & dixit mihi: Nunc egressus sum, vt docerē te: noli timere, quia exaudita sunt verba tua, & ego veni, vt liberem populū tuum propter sermones tuos: Princeps tamen Regni Persarum restitit mihi viginti vno diebus: Et nullus adiutor meus est, nisi Michael Princeps

*Dan.* c. 9 & 10.

noster: nũc tamen reuertar, vt prælier cum Principe Regni Persarũ. Ratioverô est talis: Nã satis est probabile, quòd quia Deus promiserat de semine, & populo Iudæor, ũsuum Filium esse nasciturum, quôd per eundem Angelum, puta Gabrielem, & salutem illius populi procuraret, & incarnationis mysterium Virgini, de qua nasciturus erat, nunciaret.

*Angelus ad Deiparam Virginem missus est ex ordine supremo.*
Quæst. 4.

*Homil. 34. in Euangel. tom. 3.*

AD quartam est dicendum, quòd Gregorius expressè dicit: Ad MARIAM Virginem Angelus mittitur, non quicumque, sed Gabriel Archangelus: quia ad hoc mysterium summum Angelorum venire dignum fuerat: qui summum omnium nunciabat.

*Distinctio Hierarchiarum Angelorum, & ordo Dion. de cœl. Hierar. c. 4.*

Sciendum ergo secundùm Dionysium, quòd in Angelis sunt tres Hierarchiæ, vel tres sacri Principatus, qui distinguuntur secundùm diuersum modum reuelationum, vel illuminationum: quia si talis reuelatio, vel illuminatio fit immediatè à Deo, constituit primam Hierarchiam. Si verô fit abvno Angelo, constituit secundam. Si fit ab Angelo homini, constituit tertiam. Tres ergo sunt principatus Angelorum: quia tres modi illuminationum, vel reuelationum diuinorum. In quolibet tamen principatum sunt tres ordines Angelorum: ita quod sunt nouem ordines Angelorum, qui distinguuntur secundùm diuersum modum operationum. Nam operatio primæ Hierarchiæ est secretorum Dei commissio. Secundæ verò totius vniuersi dispositio, & ordinatio. Tertiæ autem singularum Prouinciarum, & personarum salutis procuratio.

Ad hoc autem, quôd secreta Dei committantur aliquibus, tria requiruntur. Primò, amare: quia per amorem quis sua secreta reuelat alicui. Secundô scire: quia discreto, & scienti, non stulto sunt secreta pandenda. Tertiò, quietè sententiare, & iudicare, quòd reuelatum est. Primum ergo pertinet ad Seraphinos ab amore, & ardore charitatis nominatos. Secundum pertinet ad Cherubinos à plenitudine scientiæ appellatos.

Tertium pertinet ad Thronos, à quiete iudicandi, & sententiandi, sic dictos. Tres igitur ordines in prima Hierarchia sunt, secundùm ista tria, quæ requiruntur ad commissionem secretorum.

Ad dispositionem verò, & ordinem vniuersi tria requiruntur. Primô, imperare. Secundô, impedimenta remouere. Tertiò, imperata remotis impedimentis, executioni, & effectui demandare. Primum pertinet ad Dominationes. Secundum ad Virtutes, quarum est arcere Dæmones, & remouere impedimenta. Tertium pertinet ad Potestates. Tres igitur ordines sunt in secunda Hierarchia secundùm ista tria, quæ requiruntur ad vniuersi dispositionem, & ordinationem.

Sed ad singularum prouinciarum, & personarum salutis procurationem requiruntur similiter tria. Primum est, quòd procuretur salus totius Vniuersi, Prouinciæ, & Regni, vel populi. Secundùm est, quôd procuretur salus vnius personæ, prout pertinet ad vtilitatem totius. Tertium est, quôd procuretur salus vnius personæ, prout pertinet ad suum proprium bonum. Primum pertinet ad Principatus. Secundum pertinet ad Archangelos: Vnde sinia mysterium Incarnationis sic faciebat ad salutem Virginis, quod tamen spectabat ad salutem totius mundi: ideo Archangelus Gabriel ad Virginem nunciandum hoc missus est, qui summus fuit in ordine Archangelorum, vt Gregorius dicit, non simpliciter summus inter omnes ordines. Sed tertium pertinet ad Angelos. Tres igitur sunt ordines in tertia Hierarchia, secundùm quôd tria requiruntur ad prouinciarum, vel personarum salutis reconciliationem, vel procurationem.

*Angelus à Deo immediatè ad Deiparam Virginem missus, & edoctus fuit.*
Quæst. 5.

*S. Bernd. hom. 1. tom. 1.*

AD quintam est dicendum, quôd Bernardus in Homilia super Missus est, duplicem prærogatiuam nominat, seu notat, super illo verbo: *Missus à Deo*, vnam quantum ad Angelum missum. Secundam, quantum ad Virginem, cui missus. Nam secundùm communem modum mittendi Angelos, illi Angeli mittuntur ab alijs, qui illuminantur ab eis, & docentur ab ipsis de diuinis secretis. Et quia Angeli de inferiori Hierarchia docentur ab illis de media, & illi de media ab illis de suprema, de mysterijs, & secretis diuinis, ideo Angeli superiores mittunt medios, & medij inferiores, vt nuncient diuina secreta. Inter ipsos etiam Angelos supremæ Hierarquiæ vnus docetur ab alio, ac per hoc vnus potest dici mitti ab alio. Vnde Dionysius super illo verbo: Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, exponit quantum ad doctrinam: quia alter petebat doceri ab altero. Quia Angelus ergo iste Gabriel immediatè fuit doctus à Deo de mysterio Incarnationis, non mediantibus superioribus Angelis, secundùm communem modum docendi ipsorum Angelorum: ideo signanter Euangelista dixit: *Missus est à Deo*, quia in tali missione non est seruatus modus communis mittendi, seu docendi, seu reuelandi diuina

*De cœlesti Hierarchiarum cap. 10.*

secre-

secreta. Sed hanc prærogatiuam Deus singulariter fecit huic Angelo, quòd immediatè tale sibi secretum reuelauit, & immediatè eum ad Virginem destinauit. Secundam prærogatiuam notat Bernardus in hoc verbo quã tum ad Virginem, cui missus est. Nam si Gabriel Angelus fuisset missus ab aliquo superiori Angelo, & ab alio fuisset instructus de Incarnationis mysterio, prius ille superior spiritus sciuisset secretum Dei consilium de Incarnatione, seu reconciliatione humani generis, quàm Virgo, & hoc non decebat: quia sicut ipsa erat immediatè Dei filium concepturа, & paritura; ita decens erat, vt immediatè per Angelum edoceretur, sine scitu, & reuelatione aliorum Angelorum.

*Homil. 1. tomo 1.*

*An omnes Angeli mitti dici possint, vel aliqui sint, qui nunquam mittantur.*
Quæst. 6.

AD sextam est dicẽdum, quôd mitti Angelos, dupliciter potest intelligi. Primò, intrinsecus ad diuina secreta reuelanda. Secũdò, ad exteriora opera exercẽda. Primò modo omnes Angeli supremi de superiori hierarchia, qui secundùm Dionysium dicũtur assistentes, illuminando alios inferiores, & reuelando eis diuina secreta, mittuntur. Sed secundo modo mutando locum de cœlo ad terram, circa homines aliqua opera exercendo, mittuntur soli Angeli inferiores communiter loquendo, & ex officio ipsorum; quia officium superiorum est assistere. Inferiorum verò est mitti, & dico communiter, quia ex aliqua suborta causa, & pro arduo negotio, quandoque ad talia opera exercenda circa homines, etiam superiores Angeli mitti possunt. Quæ omnia possunt probari, & auctoritate, & exemplo. Nam quòd omnes mittantur quantum ad diuina secreta reuelãda, patet per illud quod dicit Apostolus ad Hebræos, omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Qui verò quantum ad exteriora exequenda circa homines, non omnes mittuntur. Sed quòd aliqui ex officio tali mittantur, & aliqui assistant, patet per illud, quod scribitur in Daniele: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Sed quòd ex arduo negotio, vel ex causa suborta etiam superiores quandoque ad exteriora opera exercenda, mittantur, patet per illud, quod scribit Isaias, vbi dicit volasse ad se vnum de Seraphim, quem incendit calculo ignito. Ex quo etiam patet, quia sicut videtur in hac Ecclesia militanti, quæ secundùm Dionysium est deriuata ab illa hierarchia Angelica secundùm ordinationem Angelicam. Nam Apostoli Christo principaliter astiterunt antequàm cœlum ascenderet, in quo tempore repræsentabant conditionem Angelorum assistentium. Secundò post Ascensionem Christi ipso præcipiente: Euntes in mundum vniuersum, per vniuersum mundum, siue Orbem, missi sunt, in quo repræsentabant conditionem Angelorum, qui ex officio mittuntur. Et talis repræsentatio postmodum in successoribus remansit; quia Cardinales, qui semper assistunt Papæ, repræsentant personas Apostolorum, qui Christo præsentialiter astiterunt. Episcopi verò per vniuersum Orbem missi, repræsentant personas eorum, qui post Christi Ascensionem per mundum ad prædicandum missi sunt. In hac ergo hierarchia nostra ex officio aliqui sunt assistentes, & aliqui missi, verum tamen ex aliqua subborta causa etiam Cardinales assistentes quandoque à Papa mittuntur. Et sic de hoc Gabriele multi tenent, quòd propter hoc arduum negotium Incarnationis Filij Dei, quo nullum fuit excellentius, vnus fuerit missus de illis superioribus assistentibus primæ Hierarchiæ.

*Hebr. 1.*

*Dan. 7.*

*Isai. 6.*

*Hæc est opinio Magistri sent. lib. 2 dist. 10. Cardinales repræsentant Apostolos. Vide hunc Doctorem in lib. de potestate Papæ q. 8. art. 4. diffusius hoc pertractantem. Hos etiam tenet Scot. in 2. dist. 10. q. 1.*

## *LECTIO II.*

De loci notificatione, necnon de Beatæ MARIÆ semper Virginis Conceptione, & sanctificatione.

*In Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.*

POsita conditione personæ salutantis, in parte ista, vt supra dicebatur, Euangelista ponit loci, in quo salutario facta est, notificationem, & manifestationem, dicens, quôd Angelus salutans Virginem missus est: *In Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Interpretatur autem Nazareth munditia, vel sanctitas, vnctio, vel consecratio. Conuenientissimè autem in tali loco facta est salutatio Virginis, propter eius munditiam, sanctitatem, & consecrationem, vel sanctificationem. Nam, vt scribitur, Deus nõ propter locum gentem, sed propter gentem, locum elegit, locus autem sanctus, & mundus, & sacer electus est propter sanctitatem, & munditiam, vel consecrationem Virginis gloriosæ, quæ in dicto loco, vt in Ciuitate Nazareth, dupliciter fuit mundata, sanctificata, vel Deo consecrata. Primò, quantum ad eius in vtero conceptionem, quando scilicet fuit in vtero materno formata. Secundò, quantum ad eius conceptus productionem, quando scilicet fuit ab Angelo salutata. De quibus duabus munditijs, vel sanctificationibus, seu consecrationibus, potest exponi illud: Rigabo hortum meum plantationum. Et hoc quantum ad Virginis in vtero sanctificationem:

*2. Machab. 1.*

*Eccl. 24.*

nem: Et inebriabō partus mei fructum, quā- A sexus, à principio mundi, vsque ad finem, indiguit Redemptore, solum propter peccatum originale, vt dicit Leo Papa in sermone de Natiuitate, quòd vna cunctis lætitiæ communis est ratio, quia sicut Dominus noster IESVS Christus peccati, mortisque destructor, nullum à peccato liberum reperit; ita pro liberandis omnibus venit. *Serm. de Natiuit. Christi.*

† *Virgo MARIA fuit concepta in peccato originali, vt ait Doctor noster Ægidius 2. sent. dist. 29. art. 2. dub. lat. 4. dist. 30. q. 1. art. 3. Et dist. 31. q. 1. art. 2. Sed fusissime quidem Quol. 6. q. 20. Idem S. Bonauent. 3. sent. dist. 3. art. 1. q. 1. Vbi agitur de eius festi celebratione, atque institutione.* B *Idem ait, ac tuetur S. Thom. idem probat efficacissimis rationibus S. Bernardus in epist. 174. scribens ad Canonicos Lugdunenses.*

*Contrarium huius tuetur Scotus, & Tho. Argen. 2 sent. dist. 30. q. 1. art. 3. & alij.*

*Synodus autem Trident. hanc controuersiam non determinat, sess. 5. de peccato originali; sed Constitutiones Sixti IIII. Sub iisdem pœnis innouat: Nam in extrauaganti comm. lib. 3. de reliquijs, & vener. sanct. C. Graue nimis, Sixtus Pont. IIII. excommunicat eos, qui dicunt eos esse excommunicatos, qui asseuerant vnam, aut alteram opinionem, ideſt, Beatam Virginem esse conceptam, aut non conceptam in peccato originali. Vtraque enim teneri potest, nec incurritur excommunicatio, nec peccatum.*

## *An Beata MARIA semper Virgo, fuerit in peccato originali concepta?*
Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd dubium nō est, quin Dei Filius potuerit formare vnam mulierem ex nihilo, vel de natura aliqua, sine aliquo peccato originali, sicut fecit primam mulierem, & de illa potuisset carnem accipere, si voluisset. Sed non erat congruum, quia Dei filius venit in mundum, vt naturam humanam per peccatum primorum parentum vitiatam purgaret, ideò Beata Virgo MARIA, quæ secundum carnem, Christum erat conceptura, ex semine descente ex Adam per carnis copulam erat propaganda. Et quia omnes, qui per carnis concubitum concipiuntur, peccatū originale contrahunt, vt dicit Augustinus de fide ad Petrum, ideò multi Doctores antiqui tenuerunt, Beatam Virginem in vtero matris peccatum originale contraxisse, quia omnes, qui nascuntur ex Adam, secundum seminalem propagationem, secundum Apostolum nascuntur filij iræ, & indigent gratia Dei. *Ephes. 2.*

† Dicamus ergo, quòd Beata Virgo, si nō fuisset in peccato originali concepta, tria inconuenientia sequerentur.

Primum, quia non fuisset ipsa ex semine Adæ, & Abrahæ, & aliorum patrum propagata, & sic Christus non accepisset semen Abrahæ, quod est contra Apostolum ad Hebræos: Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. *Hebr. 2.*

Secundum, quia non fuisset per commixtionem maris, & fœminæ formata; quia ex tali commixtione contrahitur peccatum originale. Et hoc non est verum, quia tale priuilegium reseruabatur soli Christo, quòd assumeret carnem ex Adam secundum corpulentam substantiam, & non secundum rationem seminalem.

Tertium, quia quantum ad indigentiam Redemptionis, non fuisset cum populo Dei annumerata, quia omnis populus vtriusque

## *An Beata MARIA semper Virgo, fuerit in vtero sanctificata.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd (sicut dicit Anselmus in libro de conceptu Virginali) quamuis Dei Filius de mundissima Virgine sit conceptus verissimè, non tamen tali necessitate hoc factum est, quòd de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari non posset. Sed quia decebat, vt illius hominis Christi conceptio de matre purissima fieret, quia decens erat, vt ea puritate Beata Virgo niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi. Quòd ergo Beata Virgo fuerit in vtero matris sanctificata, auctoritate Canonis Bibliorum, vel sacræ Scripturæ probare non possumus, quia de ea non fit mētio. Sed probatur hoc Ecclesiæ approbatione, & sanctorum ratione. Nam Ecclesia celebrat, solemnizatque Virginis gloriosæ Natiuitatem, quod nequaquam approbaret, nisi firmiter teneret, ipsam in vtero fuisset sanctificatam; quia secundùm Augustinum, in omnibus sanctis vniuersaliter (qui non fuerunt in vtero sanctificati) nouimus illum diem coli, quo illos post consummationem la- *Concepta Virginali tom. 3.* *In Serm. Natiuit. beati Ioan. Baptist. ser. 1. in initio, t. 10.*

laborum, & deuictum, trium phatumque mũ dum in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturijt. Igitur si non fuisset in vtero sanctificata, minimè eius Natiuitas colenda
*Ephes. 2.* esset; quia omnes, vt dicit Apostolus, nascimur filij iræ. Sanctorum autem rationes ad hoc ostendendum, multæ inueniuntur. Sed præcipuè ratio Augustini talis est: Plus fuit Dei Filiũ personaliter generare, & ipsum in vtero portare, quàm eum vaticinio prophetare, & manibus baptizare. Sed tale priuilegium fuit concessum Ieremiæ, qui suo vati-
*Ierem. 31* cinio Christum prophetauit: Nouum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum, qui in vtero matris sanctificatus est,
*Ierem. 1.* iuxta illud: Antequam exires de ventre, sanctificaui te. Et quamuis alij prophetæ de Christo vaticinati sint maiores, & minores, ipse tamen singulariter de Christi conceptu in vtero mentionem fecit, dicens, quòd in vtero mulier circumderet virum, statim,
*Lucæ 1.* quòd Virgo sanctissima, dixit: Ecce ancilla Domini, immediatè portauit, & circumdedit virum, non per interualla temporum, vel propter passionem Christi, per quam ipse sanctificauit, & mundauit Ecclesiam, de Ieremia expressè fecit mentionem. Similiter tale priuilegium concessum fuit Ioanni Baptistæ, qui Christum manibus suis baptizauit,
*Luc. 1.* iuxta illud Lucæ: Spiritu sancto implebitur adhuc ex vtero matris suæ: igitur multò magis conueniens fuit, vt hoc priuilegium concederetur Virgini gloriosæ, quæ ipsum personaliter genauit, & in vtero portauit.

### *An Beata MARIA semper Virgo per talem sanctificationem fuerit totaliter ab omni peccato mundata.*
### Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd ex peccato originali ex parentibus contracto tria mala consequimur. Primò, diuinæ visionis carentiam, quia sicut Adam stante in originali iustitia, in qua fuit creatus, seipsum, & omnes posteros admisisset ad beatitudinem, & ad visionem diuinam; sic eo cadente, per peccatum ab illa iustitia, & seipsum, & omnes posteros propagandos ab eo, priuauit beatitudine, & visione diuina. Secundò, consequimur sensualitatis, & virium inferiorum ad rationem resistentiam, quia ex tali peccato, dicente Apostolo:
*Rom. 7.* Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ratione enim nolente, & contradicente, multi inordinati motus insurgunt in carne nostra, & in viribus nostris, non solum præuisi à ratione, verum etiam contra rationis iudicium, & voluntatis imperium, sicut quilibet experitur. Tertiò, ex tali radice originalis peccati consequimur actualem inordinatam concupiscentiam, quia multa inordinatè concupiscimus, & inordinatè appetimus, & si quidem talis inordinata concupiscentia tollit à nobis ipsum Deum, est peccatum mortale, si verò non tollit nobis finem, sed feruorem tendendi ad ipsum finem, est peccatum veniale. Ab istis igitur tribus defectibus Beata Virgo per sanctificationem in vtero, fuit mundata.

Primò ab ipso peccato originali, in quo fuit concepta, vt inducebat diuinæ visionis carentiam, quia sicut baptizati, si moriuntur, admittuntur ad visionem diuinam; sic Beata Virgo, si fuisset mortua, postquam in vtero fuit sanctificata, non fuisset pro peccato originali damnata. Vnde hoc contulit Spiritus sanctus de speciali priuilegio sanctificatis in vtero, quod confert baptismus de lege communi omnibus baptizatis. Istud tamen beneficium communiter collatum fuit Ieremiæ, Ioanni Baptistæ, sicut Beatæ Virgini.

Secundò, Beata Virgo fuit mundata à peccato originali, vt inducit sensualitatis, & virium inferiorum ad rationem resistentiam, & rebellionem. Quia licet post istam sanctificationem in vtero potuissent insurgere in Virgine aliqui motus non præuisi à ratione, vt quidam dicunt: nullus tamen motus in ea insurgere potuit contra rationis iudicium, & contra voluntatis imperium, quia in ea fomes concupiscentiæ erat ligatus. Aliqui dicunt, quòd propter superabundantem sanctificationem in ea fomes erat totaliter extinctus, ita quòd nullum motum sensualitatis, nec carnis rebellionem sentiebat. Et tale priuilegium non fuit collatum, nec Ieremiæ, nec Ioanni Baptistæ, nec alicui Sanctorum.

Tertiò, Beata Virgo mundata fuit à tali peccato, vt inducit actualem inordinatam concupiscentiam, quia ex tunc nunquam potuit concupiscere aliquid inordinatè, quòd esset peccatum, non solum mortale, verum etiam veniale. Et tale priuilegium similiter non fuit concessum Ieremiæ, nec Ioanni, nec alicui Sanctorum; quia omnes sancti tam Apostoli, quàm sanctificati in ventre, saltem venialiter peccauerunt, vel peccare potuerunt. Sola autem Beata Virgo isto priuilegio fuit à Deo decorata, quòd ab omni peccato originali, & actuali, etiam veniali immunis fuit. Propterea dicit S. Bernardus in sermone de Conceptione: Decuit nimirum *Epistol. 174. t. 2.* Virginem singulari priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dũ peccati, mortisque peremptorem pareret, vitæ, & iustitiæ munus omnibus obtineret. Non enim conueniens fuisset, vt sanctissimus Dei Filius in aliquo tabernaculo maculato habitasset, & carnem peccato corruptam assumpsisset, qui veniebat omnium peccata

*Cant.* 4. cata tollere. Tota ergo fuit pulchra Beata Virgo, & macula non fuit in ea.

*An Beatæ MARIÆ semper Virginis conceptio possit celebrari ratione sanctificationis.*
Quæst. 4.

AD quartam dicendum, quòd conceptio Virginis tripliciter potest accipi. Primò, quando fuit concepta conceptione corporalis substantiæ. Secundò, quando fuit concepta conceptione rationalis animæ. Tertiò, quando fuit concepta conceptione spiritualis gratiæ. Prima conceptio, quando concipiebatur conceptione corporalis substantiæ non est celebranda; quia cõceptio nullius celebranda est, nisi propter sanctitatem conceptus, & prolis: planum est autem, quòd cõceptus dum concipitur, & formatur per mẽbra, non est sanctitatis capax, antequam infundatur, vel introducatur anima rationalis; quia nec dum est in specie humana: homo enim, vel mulier magis est anima, quàm corpus, & ideò talis conceptio per se nullo modo est celebranda, nisi fortè propter miraculum factum in Anna sterili, quæ nunquam filios genera uerat, & propter eorum sanctitatem à Deo fuerunt isto miraculo priuilegiati, sicut de Zacharia, & Elisabeth sterili, & conceptionem miraculosam legimus; ita de Virgine in ventre S. Annæ, quæ ex diuino miraculo est concepta, quæ sterili dedit cõceptum. Secunda verò conceptio celebranda non est, quia in ipsa conceptione animæ rationalis cum libidinosa carne contrahitur peccatum originale, in quo Beata Virgo cõcepta fuit, vt dictum est. Nam infectionis peccati originalis subiectum non potest esse caro libidinosa secundùm se, nisi per contrapositionem rationalis animæ, quæ peccati, & gratiæ sola capax esse potest. Vnde ex quo Beata Virgo peccatum originale contraxit, quod in ipsa conceptione animæ cum carne libidinosa contrahitur, conceptio Virginis, qua fuit concepta conceptione animæ rationalis, celebranda non est. Tertia autem conceptio, qua fuit concepta conceptione spiritualis gratiæ, congruè celebrari potest, quia per infusionem gratiæ Beata Virgo fuit à peccato originali mundata, vt dicebat diuinæ visionis carentiam, vt dicebat sensualitatis ad rationem rebellionem, & resistentiam, & vt dicebat actualem inordinatam concupiscentiam. Nec oportet dicere solùm propter instans temporis, Beatam Virginem in peccato originali, in quo fuit concepta, stetisse, sicut aliqui curiosè, & superuacuè conati sunt instans diuidere per signa, in quorum vno Beata Virgo in peccato originali stetit, & in alio fuit sub gratia, imò per aliquod temporis spatium, pium est credere Beatam Virginem fuisse sub peccato originali post infusionem animæ, & post contractionem prædicti originalis peccati, vt probaretur ipsa etiam Christi membrum, & verè indiguisse Redemptore, sicut ipse Saluator, & Redemptor secundùm Augustinum verè per quadraginta horas iacuit in sepulchro, & per quadraginta dies post resurrectionem cum Discipulis est conuersatus, vt verè per suam passionem, & verã mortem, & veram resurrectionem probaret, se esse verum Redemptorem omnium, & glorificatorem. Constat enim, quòd Beata Virgo nouem mensibus in vtero matris stetit, sicut * communiter stant alij conceptus. Vnde absque diuisione instantis per signa imaginaria possumus dicere, per spatium temporis fuisse in matris vtero sub originali peccato, & post modum infusa gratia, fuit à tali peccato mundata antequam extra vterum nasceretur. Nec in aliquo derogat munditiæ Virginis dicere ipsam per spatium temporis fuisse sub originali peccato; quia talis infectio, vt erat principium inordinatæ concupiscentiæ, vel inordinatæ resistentiæ ad rationem, erat solùm habitualis, vel potentialis, ex qua non poterat sequi actus peccati mortalis, vel venialis, nisi per consensum liberi arbitrij, quod nec in Virgine, nec in alijs completur communiter, nisi post natiuitatem extra vterum.

*In paruo libello de Symbolo. Et super Ioan. ser. 64. Sed melius libro 4. de Trinit. c. 6. tomo 3.*
*al. corporaliter.

*An Beata MARIA semper Virgo iterum sanctificari debuerit, quando ab Angelo fuit salutata.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd aliquã sanctificationem consecuta est Beata Virgo cùm fuit ab Angelo nunciata, qua ex toto redderetur idonea effici mater Dei, & in suo vtero recipere illum Filium, quem à principio vniuersitas creaturæ habuit Dominum. Vnde dicit Damascenus, quòd post cõsensum Beatæ Virginis Spiritus sanctus descendit in ipsam iuxta verbum Angeli, imprægnans eam, & virtutem diuinitatis Verbi susceptiuam Dei Verbi tribuens simul & generatiuam. Vnde cùm Angelus ei dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, voluit dicere: Non concipies humano modo, sed diuino, quia non virtute seminis virilis, sed virtute Spiritus sancti. Sciendum ergo est, quòd inordinata concupiscentia sensibilis appetitus ad rationem est lex membrorum, & fomes originalis peccati, cum quo Virgo Beata fuit concepta. De concupiscentia dicit Apostolus, quòd caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Tripliciter potest considerari. Primò, quantum ad

*Libro 3. cap. 2.*

*Gal. 5.*

eius

eius bonam inclinationem, quantum enim est de se, talis concupiscentia semper inclinat ad malum, sed per gratiam adiutricem potest inclinare ad bonum. Secundò, quantum ad ligationem, quamuis enim talis appetitus cõcupiscibilis, vt exijt in actum, & in opus, semper sit peccatum mortale, vel veniale saltem; si tamen ligetur, vt nullo modo possit exire in actum, & in opus ordinatum, non incurrit per eum, nec mortale, nec veniale peccatum. Tertiò, potest considerari quantum ad personalem infectionem. Videmus enim, quòd per Baptismum Beati purgantur, necnon Pater, & Mater á peccato originali, vt dicit infectionem personæ, & naturæ secundùm se consideratæ, vnde si morerentur iam baptizati, non punirentur pro tali peccato, tamen si filios generant, semper eos concipiunt cum peccato originali. Et hoc ideò, quia licèt Baptismum purgauerit eos á prædicto peccato, vt erat infectio personalis, & naturalis secundùm se; non tamen purgauit eos à tali peccato, vt erat in eis virtus propagatiua, & productiua filiorum; sicut videmus, quòd quandocumque homo purgat granum frumenti à palea; si tamen seminatur semper producit granum frumenti cum palea, quod pro tanto est, quia granum frumenti purgatum fuit à palea, vt erat aliquid in se; non tamen, vt in eo erat virtus pullulatiua ad productionem aliorum. Dicunt ergo aliqui, quòd in prima sanctificatione in vtero Beata Virgo fuit purgata ab omni peccato originali, tollendo pronitatem ad malum, & confortando ad bonum inclinationem. Sed in secunda, quando fuit ab Angelo nunciata, sanctificatio talis contulit in bono cõfirmationem. Aliqui verò dicunt, in prima sanctificatione Virginem fuisse consecutam fomitis, & concupiscentiæ ligationem, vt deinceps non posset exire in actum peccati mortalis, vel venialis, sed in secunda consecuta fuit talis cõcupiscentiæ totalem extinctionem, vel extirpationem. Sed aliqui dicunt, quòd per ipsam primam sanctificationem Virgo Beata fuit totaliter, & vniuersaliter purgata à tali fomite, vt considerabatur secundùm se, quantum ad naturæ, & personæ infectionem; sed in secunda fuit purgata à fomite prædicto quantum ad virtutis propagationem, & conceptus productionem. Et hoc videtur consonum rationi ex dictis Augustini in libro de natura, & gratia, vbi sic ait: Cùm de peccatis agitur, de Virgine gloriosa nullam volo habere quæstionem, & subdit: Inde enim scimus plus gratiæ sibi collatum esse ad vincendum ex omni parte peccatum, quòd concipere, & parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Et inferius ait, vt illud, quod nascebatur ex ea, tantum modo generis, & non criminis originem duceret.

*De nat. & grat. cap. 36. tomo 7. Mag sen. lib. 3 d 3. c. Quòd autem.*

A Vt igitur Christus sine peccato originali conciperetur, & nasceretur ex ipsa, indiguit sanctificari secundo, quando fuit ab Angelo nunciata.

## *LECTIO III.*

De personæ salutatæ nominatione, atque interpretatione.

*Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis, MARIA.*

POsita personæ salutantis conditione, & loci, in quo est salutata, notificatione, in parte ista, vt supra dicebatur, Euangelista ponit personæ salutatæ nominationem, dicens, quod *Angelus missus est ad Virginem desponsatam Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis, MARIA.* Virgo namque fuit secundùm Augustinum, non tantum corpore, sed etiam mente, necnon voti promissione, siue professione. Nam virginitas voto Deo promissa, est magis meritoria, & virtuosa, quàm non voto seruata, vt igitur Virginitas MARIÆ omni merito, & virtute polleret, votum quidem Virginitatis, ante desponsationem, sub conditione emisit, si hoc Deo esset placitum, post desponsationem verò pariter cum sponso, prædictum votum firmauit. Igitur nominata est Virgo voti professione.

*Tomo 3. lib. 4. de doctrina Christiana, c. 21. allegans Ambrosiũ de virginib. lib. 2. in princip. t. 4.*

Nominata est desponsata, suæ famæ conseruatione. Ipse enim Deus, qui mandauit per Spiritum sanctum, curam habendam esse de bono nomine, & de bona fama, curare debuit suæ matris famam conseruare illæsam. Planum est autem, quòd nullus potuisset videre Virginem grauidam non desponsatam, qui non cogitasset ipsam fuisse adulteram. Maluit ergo, secundùm Ambrosium, Dei Filius de suo ortu dubitare aliquos, an si natus esset de matrimonio, & modo aliorum hominum, quàm quòd fama suæ matris modo aliquo læderetur, ac etiam, vt generatio Verbi texeretur per viros, non per fœminas; ideò dicit, quòd Ioseph erat de domo Dauid, ac etiam propter fragilitatem matris, quæ si nõ habuisset adiutorium suum virum, non potuisset sola Filium gubernare, & in Ægyptum fugere. Fuit desponsata Ioseph, secundùm * Bernardum, ex Patriarchæ Ioseph assimilatione; quia sicut ille fratrum inuidia fuit venditus, & ductus in Ægyptum; sic iste Herodis inuidia, fugiens, Christũ in Ægyptum duxit, & sicut ille domino fidem seruans, dominæ noluit commisceri; sic iste Domini sui matrem Virginem agnoscens, per eius continentiam fideliter conseruauit. Ille frumenta seruauit omni populo Ægyptiorum, iste panem viuum seruandum accepit sibi,

*Prou. 5.*

*Ambros. tomo 3 super cap. 1 Luc. lib. 2. statim post initiũ libri.*

** Super missus est tomo 1. homil. 2.*

sibi, & omni populo Christianorum. Illi data est intelligentia omnium somniorum, isti datum, est conscius, & participem fieri cœlestium Sacramentorum.

Nominata est ista Virgo MARIA diuinorum, & humanorum illuminatione. Interpretatur enim MARIA illuminata, vel illuminatrix, aliter stella maris, seu amarum mare, vel Syrica lingua interpretatur Domina. Vnde de isto nomine MARIA, secùdùm quinque, quæ importat eius interpretatio, quinque dubitationes esse possunt. Et prima est.

Vtrùm Virgo fuerit creatura à Deo illuminata.

2 Vtrùm fuerit ipsa singulariter illuminatrix omnium.

3 Vtrùm fuerit singulariter stella maris.

4 Vtrùm ipsa fuerit propriè amarum mare.

5 Vtrùm ipsa fuerit Domina hominum, & Angelorum.

## *An Beata MARIA semper Virgo fuerit creatura à Deo illuminata.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum secundùm Augustinum, quòd illuminatio magis propriè inuenitur in spiritualibus, quàm in corporalibus. Importat enim illuminatio quandam manifestationem, quia omne quod manifestatur, lumen est, vt dicit Apostolus, manifestare autem, & patefacere, quæ dubia sunt, & obscura, propriè pertinet ad spiritualem naturam, quæ duplex est, Angelica, & humana. Fuit ergo Beata Virgo illuminata super omnem creaturam Angelicam, scilicet Dei secretorum cognitione. Super omnem creaturam humanam, futurorum pronunciatione. Nam dicuntur Angeli istam prærogatiuam habere super homines, quia Dei secreta cognoscunt, & mediantibus Angelis, Deus ipsa nobis manifestat. Inter cætera autem Dei secreta, potissimum fuit eius mysterium Incarnationis, quod quidem secundùm Dionysium, licèt non latuerit Angelos, quod fiendum esset, modus autem fiendi, & qualiter Dei Filius in vtero Virginis esset concipiendus, non plenè cognouerunt; vnde vult Dionysius in persona Angelorum intelligendam esse quæstionem illam, quæ ponitur in Isaia: Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de bosra? quia licèt scirent Angeli incarnationem Dei esse futuram: Inuestigabilem tamē modum Conceptionis eius, qualiter Dei Filius totus erat vbique, totus erat in Virginis cellula, non cognouerunt, sed scire cupiebant. Et dato, quòd scirent, vel scire possent Virginem non esse corruptam, cùm videbant ipsam esse grauidam, modus tamen concipiendi, vel grauidationis eius, latuit tam bonos Angelos, quàm malos. Istud autem secretum Dei consilium Virgo Gloriosa cognouit, vidit, probauit, & palpauit. Vnde super illo verbo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Dicit Bernardus: Angelus, qui nunciabat Virgini Incarnationem Filij Dei, modum concipiendi nesciuit sibi explanare; quia qualiter Verbum inuisibile in Virgine esset incorporandum, & qualiter lumen inaccessibile se accessibile fecit, vt vterus Virginis eum ferre posset, non cognouit, sed tantùm dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te*, ac si Angelus respondeat Virgini: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, & fœliciter scies, sed illo Doctore, quo & Authore: ego autem missus sum Virginalem conceptum nunciare, non creare, nec potest doceri nisi à donante, nec potest addisci nisi à suscipiente. Igitur Beata Virgo fuit illuminata super omnes Angelos Dei secretorum cognitione. Secundò fuit illuminata super omnes homines, futurorum prænunciatione: tempore enim Beatæ Virginis nouum testamentum per homines non cognoscebatur; quia necdum erat scriptum, vel prædicatum, solum autem scire poterat Virgo Beata. Vetus autem testamentum, in quo Virginitas plangebatur, non consulebatur; vnde scribitur, quòd filia Iepte petiuit à Patre antequam moreretur, vt cum sodalibus suis plangeret Virginitatem suam duobus mensibus. Sterilitas maledicebatur, quia maledicta sterilis in Israel, solum autem in nouo testamento datum est consilium de Virginitate seruanda. Et hoc sciuit Virgo MARIA, ante quam prædicaretur, vel scriberetur. Vnde dicit Bernardus: Quis te docuit Virgo Beata, Virginitatem Deo placere? Quæ lex, quæ iustitia? Quæ pagina veteris testamenti præcipit, aut consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? Vbi legeras: Sapientia carnis mors est. Et: Virgines sequuntur Agnum quocumque ierit? Et: De Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Et: Multi propter Regnum cœlorum se castrauerunt. Nunquam enim in aliqua scriptura non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum inueni, vnde hoc habuisti? Nisi quia sermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, ante tibi factus est Magister, quàm Filius, & prius instruxit mentem, quàm induxerit carnem. Conuenienter igitur Virgo dicta est MARIA, ideſt, illuminata, quia illuminata super omnem creaturam, vt sibi verè dicatur, quod scribitur: Luce fulgida splendebis, quantum ad eius singularem illuminationem, & omnes fines terræ adorabunt te, quantum ad reuerentiæ exhibitionem, quia beatam ipsam dicunt omnes generationes.

*Ephes.* 5.

*Isai.* 63.

*4. hom. sit per missus est, t. 1.*

*Super missus est, homil. 4. tomo 1.*

*Iud.* 11.

*Homil. 3. super missus est, tomo 1.*

*Rom.* 8. *Apoc.* 14. *1. Cor.* 7. *Mat.* 19.

*Hebr.* 4.

*Tob.* 14.

*An*

### *An Deipara Virgo fuerit omnium singulariter illuminatrix.* Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd Beata Virgo fuit illuminatrix omnium hominum, non quidem per modum prædicationis, & publicæ exortationis, quia dicit Apostolus: *1. Cor. 14* Mulieri docere in Ecclesia non permitto, *1. Tim. 2.* sed per modum informationis, & cuiusdam familiaris locutionis. Ad cuius intellectum est sciendum, quòd Apostoli specialiter fuerunt illuminati doctrinæ Euangelicæ veritate. *Luc. 8.* Eis namque dictum est ore Saluatoris: Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Martyres verò illuminati sunt specialiter, fidei Catholicæ firmitate, quia in persona eorum scribitur: *2. Machab. 7.* Parati sumus magis mori, quàm veritatem fidei, & leges Dei præuaricari. Confessores autem specialiter sunt illuminati, recepti talenti fœcunditate, quia talentum receptum à Deo, non absconderunt in terris, sicut malus seruus, sed multiplicatum, & fœcundatum Deo reddiderunt, vt dicitur. *Mat. 25.* Super quo dicit Gregorius: *Greg. homil. 9. in Euangel. tomo 3.* Quòd sicut abscondere talentum Domini, est acceptum à Deo ingenium, terrenis actionibus implicare, sic multiplicare talentum, est receptum intellectum, cœlestium contemplationibus occupare. Sed Virgines sunt specialiter illuminatæ, mentis, & corporis puritate, *Apoc. 14.* quia ipsæ propriè sequuntur Agnum quocumque ierit.

Possumus ergo dicere, quòd Beata Virgo exemplariter, & per modum familiaris illuminationis, illuminauit Apostolos, Euangelicæ doctrinæ veritate. Vnde dicit Hieronymus in sermone de Assumptione, quòd in choro Apostolorum Beata Virgo post resurrectionem Domini erat intrans, & exiens, sicut legimus, quòd erant perseuerantes omnes in oratione cum matre Domini IESV, cùm quibus familiarius conferebat de Christi incarnatione, & passione, & omnia, quæ circa eum acta fuerant, tantò siquidem verius, quantò ab initio plenius per Spiritum sanctum eundem omnia cognouerunt, ipsa tamen certius, & verius omnibus. Martyres illuminauit fidei Catholicæ firmitate, quia secundùm Hieronymum in prædicto sermone, sola Virgo MARIA fuit illa, quæ interemit vniuersam hæreticam prauitatem. *Hicrony. ibidem.* Ex quo verbum acceptum est, quod cantat Ecclesia: *Cantic. Ecclesiæ.* Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Confessores autem illuminauit talenti recepti fœcunditate, quia sicut ipsa corpus, & animam à Deo receperat unquam duo talenta, sic ipsa multiplicata reddidit Deo. Quia secundùm Augustinum in libro de sancta Virginitate: Beatior fuit MARIA percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi, quia materna propinquitas nihil MARIÆ profuisset, nisi fœlicius corde, quàm carne gestasset Christum. Sed Virgines illuminauit munditiæ puritate, quia cùm in maleuolam animam diuina sapientia intrare non possit, nec habitare in corpore subdito peccatis, vt dicitur, Beata Virgo, quæ Dei sapientiam debebat recipere, & cum ipsa personaliter habitare, munda debebat esse corporis castitate, sensuum integritate, & animæ synceritate, dato quòd in ijs tribus, in quibus consistit vera Virginitas, Virgines omnes possint per Virginem MARIAM illuminari, & possint ipsam imitari; est tamen aliquid in ea, in quo eius lumen recipere non valent, quia ipsa simul fuit Virgo, & mater. Igitur Virgo sanctissima nominata est MARIA, ideſt, illuminatrix, quia illuminauit Apostolos, Euangelicæ doctrinæ veritate. Martyres, fidei Catholicæ firmitate. Confessores, recepti talenti fœcunditate, & Virgines, munditiæ puritate, vt de ipsa intelligatur dictum, quod scribitur: *Eccl. 24.* Ego feci in cœlis, ideſt, in omnibus sanctis, vt oriretur Sol, lumen eis indeficiens, Beata Virgo, quãtum ad eius vniuersalem illuminationem, & sicut nubecula texi omnem carnem, ideſt, omnia carnalia vitia, quantum ad eius sanctam conuersationem.

*Sancta Virginitate, cap. 3. tomo 6.*

*Sap. 1.*

### *An Deipara Virgo fuerit singulariter stella maris.* Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd nautica stella, quæ vulgariter dicitur tramontana, ad quatuor videtur deseruire Nauigantibus per mare. Primò, ad portus ostensionem. Secundò, ad ventorum, & tempestatum cognitionem. Tertiò, ad temporis, & horarum distinctionem. Quartò, ad tenebrarum expulsionem. Sequitur enim talis stella semper polum, licèt in polo non credatur esse alia qua stella; multum enim prædicta stella est propinqua superiori polo. Visa enim tali stella, statim nautæ sciunt, in qua parte sunt, & ad quem portum debeant declinare. Et quia sicut polus mundi, quem sequitur talis stella, mouet vltimum mobile ab Oriente in Occidens, deinde ab Occidente in Oriens, cùm ventos naturales, quos Nautæ appellant Leuantem, & Ponentem, possunt ipsi, visa tali stella, cognoscere vnde habeant ortum venti, & fluctuationes maris. Et quia per diuisionem talis motus, fit diuisio inter diem, & noctem; ideò visa tali stella, possunt scire, quando sunt prope diem, vel prope noctem, seu distantes; apparente similiter tali stella, se-

securi sunt tenebras esse fugatas. Possumus ergo dicere, quòd Beata Virgo meritò est dicta stella maris, quia Nauigantibus per hoc seculũ tanquã per mare periculosum, & tempestuosum, ista quatuor auxilia confert. Primò, portus ostensionem, quia portus nostræ salutis est Christus, via verò ducens, & portans nos ad istum portum, est Virgo Beata. *Glos. super Isai. cap. 30.* Vnde super illo verbo: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram, dicit Glossa, quòd sicut nullus vadit ad terminum, nisi portetur per rectam viam, sic nullus vadit ad Christum, nisi portetur per matrem Christi, quæ ipsum portauit. Secundò, est vétorum, & tempestatum cognitio; nam ex qua parte, vel causa nobis proueniant tempestates, & tribulationes, vtrùm per patientiæ probationem, an peccatorum correptionem, vel diuinæ gloriæ ostẽsionem, per nullum possumus scire, nisi per Virginem, quæ in dubijs nos certificat, & iuuat postquam certificauit; vnde dicit Bernardus super missus est: *Super missus est homil. 2. tomo 1.* Si venti tentationum insurgant, si iracundia, auaritia, luxuria, vel tristitia nauiculam tuam concutiant; respice ad MARIAM, & in angustijs, & rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM inuoca, non recedat ab ore, nec à corde, vt impetres eius orationis suffragium, non deseras eius conuersationis exemplum, ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia, peruenis, ipsam sequens, non deuias. Et sic in te ipso experieris, quàm meritò dictum sit: *Et nomẽ Virginis, MARIA.* Tertiò, confert temporis distinctionem, ante ortum Virginis, & antequam oriretur stella ista, non poteramus videre diem, sed semper eramus in nocte. Sed *Super illud Psal. 117. t. 8.* orta ista stella, statim sciuimus esse nos prope diem; vnde de ipsa exponit Augustinus, super illud Psalmi: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Quartò, confert tenebrarum expulsionem, quia cum non sit comparatio lucis ad tenebras, statim tali stella illustrante cor, & mentem nostrorum peccatorum, tenebræ effugantur. *Rom. 13.* Vnde de istis duobus auxilijs, quæ ista stella nobis confert, dicit Apostolus ad Romanos: Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Signanter igitur Beata Virgo nominata est, MARIA, idest, maris stella, vt de ortu istius stellæ intelligatur illud, quod scribitur: Noua lux oriri visa est, quantum ad eius ortum generosum, gaudium, honor, & tripudium apud omnes populos, quantum ad eius fructum gaudiosum.

*An Beata MARIA semper fuerit amarum mare.* Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Hieronymus in sermone de Assumptione, *Hier. in serm. de Assumpt. epist. 10. ad Paulam, & Eustoch. tomo 9.* hanc dubitationem determinat, dicens, quòd Beata Virgo fuit amarum mare plusquam aliquis martyr, amaritudinem doloris, & afflictionis patiendo, quod probatur triplicitèr. Primò, propter filij amissionem. Secundò, propter eius passionem. Tertiò, propter eius ascensionem, & absentationem, dicitur enim, quòd Virgo sanctissima inuento suo filio in medio doctorum dixit: Fili quid feciſti nobis sic? Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, super quibus verbis dicit *Lucæ 2. Origenes hom. 19. in Lucã tomo 3.* Origenes, quòd benè sciebat prædicta Virgo Ioseph patrem Christi non fuisse, sed ne aliqua suspitio pollet in cordibus Iudæorum suboriri, patrem eum nominauit, nec filium amissum putauit, cùm firmiter sciret eum esse Deum. Cur ergo doluit dicens, dolentes quærebamus te? Et respondet, quòd vehemẽter doluit, quia vehementer amabat, & plus doluit de eius amisione, quàm aliquis martyr dolorem sentiat de animæ à corpore separatione. Primò, quia materno affectu, cùm lamentis, dolorosam inquisionem faciebat, non enim fides, qua sciebat ipsum esse Deum, tollebat ab ea maternam affectionem. Secundò, quia dubitauit ne cœlos ascendisset, vnde venerat, ex quo oporteret eius præsentia carere. Tertiò, quia dubitauit, ne ab Herode inuentus fuisset, qui eum in eius pueritia ad perdendum quæsierat. Igitur propter maternam affectionem, & propter eius absentationem, & propter Herodis perditionem, Beata Virgo fuit amarum mare in filij amissione. Secundò, fuit amarum mare in eius passione; *Lucæ 2. Origenes in Lucam hom. 17. tomo 3.* nam super illo verbo: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, dicit Origenes, quòd nullà historia docet Beatam Virginem gladij occisione migrasse, præsertim cùm non anima, sed corpus soleat interfici; vnde restat intelligi gladium Dominicæ Passionis eius animam pertransisse, quæ etsi Christum, vtpotè Dei Filium, non dubitaret sua voluntate moriturum, & sua potentia ipsam mortem victurum, ex sua tamen carne procreatum non sine doloris affectu potuit videre crucifigi, & sic crudeliter à Iudæis tractari, imò iste dolor, vt dicit Hieronymus, & Damascenus, excesit omnes dolores omnium martyrum tripliciter. Primò, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis est, vt in anima per compassionem, alij sancti solum in corpore passi sunt; ideò atrocius passa est gladio, quàm aliquis martyr. Secundò, quia plus quàm aliquis martyr dilexit, ac per hoc plus doluit, quia vt dicit Augustinus: In amissione

*Serm. de Assumpt. epist. 10. ad Paulam, & Eustoch. tomo 9.*

ne rerum tantus erit dolor, quantus inhæserat amor. Tertio, quia passionem Filij, omnino suam fecit ex viscerosa compassione. Fuit ergo amarum mare in Filij passione. Tertio fuit amarum mare, in Filij Ascensione. Dicit enim Hieronymus: Pẽsate fratres, quibus beata Virgo afficiebatur doloribus post Christi in cœlos ascensum, expletis illis, quæ de ipso erant ab Angelis prædicta, a Prophetis præfigurata, virtutibus, & miraculis decorata. Et subdit, quòd quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ adhibeas, non sufficiet cogitare, quanto cremabatur desiderio, puri amoris præsentia Filij gaudere, absentia verò contristari, maximè cum iam nihil esset in ea mundani affectus, quod vitam eius delectare posset, mori igitur sibi erat in desiderio, & viuere in languore. Rectè ergo beata Virgo nominata est MARIA, id est amarum mare propter Filij perditionem, propter eius passionem, & propter eius ascensum in cœlos & absentationẽ, vt ipsa verè possit dicere quod scribitur: Nolite vocare me Noemi, idest pulchram, propter affluentiam consolationis; sed Mara, id est amaram, vocate me: quia amaritudine repleuit me Dominus, propter abundantiam doloris, & passionis.

*In Ser. de Assumpt. epist. 10. ad Paulam, & Eust. to. 9.*

*Ruth. 1.*

*An Deipara Virgo & hominum, & Angelorum Domina dicenda sit.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd MARIA lingua syra interpretatur Domina. Possumus ergo dicere, quòd Virgo beata rationabiliter nominanda est Domina propter tria. Primo propter filij dignitatem, ipsa enim meruit generare Dominum cœli, & terræ: vnde ipsa hominum, & Angelorum Domina dicenda est, quia priuilegio viri & sponsi, sponsa gaudere debet. Vnde in digestis dicitur, quòd Augustus legibus subiectus non est. Augusta verò subiecta, tamen dignitate & reuerentia Augusti legibus subijcienda non est: ipsa autem Virgo beata, sponsa, & mater Imperatoris, & æterni Regis est, ideo Domina vniuersaliter omnium est appellanda. Secundo propter peccati immunitatem: nam dicente Ioanne: Qui facit peccatum, seruus est peccati: sicut nullus vnquam fuit, nec erit immunis ab omni seruitute: sola autem Virgo MARIA ex toto fuit immunis ab omni peccato: ac per hoc ex toto Domina appellanda est. Tertio propter progenitorum nobilitatem & libertatem, quia ex nobilibus progenitoribus orta est. Et ex tribu nobilissima processit, & ex semine Patriarcharũ: vnde cantat Ecclesia, quòd fuit ex semine Abrahę, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid. Ex regali progenie Dauidica orta refulsit. Merito ergo nominanda est MARIA, id est, Syro sermone, Domina, & propter filij dignitatem, & propter peccati immunitatem, & propter progenitorum nobilitatem. Vnde rectè cuilibet seruo peccati conuenit illud dicere, quod scribitur in Genesi: Reuertere ad Dominam tuam, id est, ad beatam MARIAM per peccatorum contritionem: & humiliare sub manu eius per eius misericordiæ implorationem.

*Ioan. 8.*

*Gen. 15.*

## *LECTIO IIII.*

De Angeli ad Deiparam Virginem ingressione.

*Et ingressus Angelus ad eam, dixit.*

POstquam Euangelista posuit personæ salutantis cõditionem, & loci, in quo facta est salutatio, notificationem, necnon personæ salutatæ dignam nominationem. In parte ista, vt supra dicebatur, Euangelista ponit ipsius Angeli ad Beatam Virginem ingressum, & apparitionem. Et primo ponitur Angeli ad Virginem ingressio. Secũdo ponitur eius salutatio, quando dicitur: *Aue gratia plena.*

Ad intellectum autem primæ partis est sciendum, quòd antiquitus valde erat magnum, quòd Angeli apparerent hominibus, & quòd ingrederentur ad eos, & loquerentur eis, & ad magnam laudem hominum reputabant, quòd Angelis possent reuerentiam impendere. Vnde in maximam laudem ipsius Abrahæ recitatur in Genesi, quòd Angelos hospitio recepit, eos adorando pronus in terra, pedes lauando, & reuerentiam eis exhibendo. Sed quòd ipsi reuerentiam facerent hominibus, nunquam est auditum, nisi postquam salutauit Virginem: nec postmodum passi sunt consuetam reuerentiam ab hominibus, & mulieribus deinceps recipere. Vnde in Apocalypsi scribitur, quòd cùm Ioannes cecidisset ad pedes Angeli, qui sibi futura mysteria reuelabat, vt eum adoraret, & reuerentiam pristinam exhiberet, Angelus non permisit. Sed ait: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Ingressus ergo fuit Angelus ad Virginẽ cum magna reuerentia, quando eam salutauit, & quando dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Circa cuius ingressum quasi in eius exordio quærẽdæ sunt dubitationes quinque.

*Gen. 18.*

*Apoc. vl.*

Prima est, vtrum in Angelica salutatione sex verba solum contineantur.

2 Vtrum Angelus in forma hominis Virginem salutauerit.

3 Vtrum Angelus per ostium clausum ad Virginem intrauerit.

4 Vtrũm cõrpus, in quo Angelus apparuit Virgini, fuerit verum corpus.

5 Vtrùm illud corpus fuerit formatum de igne, vel de aere.

*An sex tantùm verba in Angelica Salutatione contineantur.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd secundum Augustinum opus nostræ redemptionis initiatum est per Angelicam salutationem: illa autem, quæ fuerunt in nostra redemptione, debent correspondere illis, quæ fuerunt in mundi creatione. Quia cum omnia facta sint propter hominem, & nihil nobis nasci profuit nisi redimi profuisset, proportionabiliter opera redemptionis, operibus creationis, respondere debent. Opus autem creationis sex verbis, & sex diebus factum est, nam in septimo die nullum opus Deus fecit, sed requieuit ab omni opere suo. Verum est, quòd creatio cœli & terræ facta estante omnem diem, & ante omne tempus, cuius partes sunt dies, mensis: & annus vnum de quattuor cœuis ponitur. Nam cœlum empyreum, natura Angelica, materia prima, & tempus dicuntur esse simul creata: vnde creatio istorum non in die, sed ante omnem diem facta est: In primo igitur die, & primo verbo facta est lucis productio, & eius a tenebra diuisio. In secundo die, & secundo verbo, Fiat, factum est firmamentum, & aquarum superiorum ab inferioribus separatio. Tertio autem die, & tertio verbo, Fiat, facta est terræ demonstratio, & omnium aquarum in vnum locum congregatio. Quarto autem die, & quarto verbo, Fiat, facta est luminarium in cœlo positio, & situatio. Quinto die, & quinto verbo, Fiat, facta est herbarum germinatio, & omnium aliarum ex semine propagatio. Sed sexto die, & sexto verbo, Fiat, facta est hominis formatio. Sicut ergo sex diebus, & sex verbis factum est opus creationis, ita decens erat, quòd sex verbis fieret opus nostræ redemptionis. Nam per primum dictum, quod dicitur, *Aue*, vel *salue*, intelligitur Virginis tanquam lucis productio, & eius ab Eua, tanquam a tenebra diuisio. Sicut enim, *Aue*, sonat salutationem & benedictionem, sic Eua interpretatur, væ, aut calamitas, & sonat tristitiam, vel maledictionem: vnde dicit Augustinus, quòd maledictio Euæ in benedictionem mutatur MARIÆ, cùm dicitur *Aue*, pro inobedientia eius, obedientia commutatur, fides pro perfidia cõpensatur. Quia mater nostri generis pœnã intulit mundo: *Aue*, genitrix Domini nostri, salutem attulit mũdo: hæc igitur fuit mutatio dexteræ excelsi. Propter secũdum verò dictũ in salutatione, tamen scire debetis quia omnia ista sex verba quod dicitur, *MARIA*, intelligitur firmamenti institutio, & aquarum ab aquis separatio. Nam MARIA fuit firmamentum, vel fundamentum omniũ sanctorũ, & per ipsam solam facta est diuisio aquarum ab aquis, quia ante institutionem fundamenti, omnes erant commixti nube densa peccatorum, boni & mali, saluandi & damnandi, fideles & infideles, eo quod nullus poterat apparere saluandus, cùm omnes damnarentur. Per MARIAM igitur facta est, tanquam per firmamentum, separatio aquarum inferiorum a superioribus. Propter tertium verò dictum, *Gratia plena*, intelligitur aquæ congregatio, quia ideo Virgo beata fuit plena gratia, quia omnes aquæ, & omnes virtutes Patriarchãrũ, & Prophetarũ, & omnium Patrum veteris testamenti in locum vnum, scilicet in vtero Virginali fuerunt congregatæ. Et tũc apparuit esse terra illa, quæ dedit fructum suum. Propter quartum vero dictum, *Dominus tecum*, intelligitur luminarium productio: fuit enim Dominus cũ Virgine propter duo luminaria, luminare minus, sicut luna quantum ad humanitatem, & luminare maius quantum ad diuinitatem. Quia Christus secundùm veram diuinitatem, & secundùm veram humanitatem quæ duo luminaria intelliguntur, fuit personaliter in vtero Virginis. Propter quintum autem dictum, *Benedicta tu in mulieribus*, intelligitur volatilium animalium ex se inuicem propagatio. Ex hoc enim Virgo sanctissima secundum Augustinũ fuit benedicta inter omnes mulieres, quia Dei genitrix dignitatem obtinuit, & Virginalem pudicitiam non amisit. Per igitur benedictionem Virginis, omnes incœperunt seipsos generare, & propagare spiritualiter, quia per ipsam accepimus potestatẽ Dei filios fieri. Ante istã salutationẽ nulla erat generatio spiritualis, sed solùm carnalis. Sed data Virgini ista benedictione, Baptismus iam incœpit initiari, per quẽ homines se ipsos generant spiritualiter. Sed propter sextũ dictũ, *Benedictus fructus vẽtris tui*, intelligitur hominis Christi in vtero Virginali formatio, qui fuit fructus, ventris benedictus, in quo benedicẽtur omnes gẽtes terræ. Sicut dictũ est Abraæ: In semine tuo benedicẽtur omnes gentes: tũc ergo perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorũ. Sex igitur verbis positis in Angelica salutatione, facta est humani generis redemptio, sicut sex verbis, in sex diebus facta est totius mũdi creatio, quia *Aue*, respõdet lucis productioni. *MARIA*, firmamenti institutioni, vel fundationi. *Gratia plena*, aquarũ cõgregationi. *Dominus tecum*, luminarium productioni. *Benedicta tu in mulieribus*, animaliũ seu rerum propagationi. *Et benedictus fructus ventris tui*, hominis formationi. Verũ

*Ioan. 1.*

*Gen. 22.*

non

non expressit Angelus, quando Virginem salutauit quia non posuit Mariam in salutationis principio: quod fortè ideo fuit, quia nõdũ Angelus familiaris factus erat Virgini in principio salutationis, & ideo nomẽ tunc eius nõ expressit. Sed infra in familiari locutione nõminauit ipsam, dicens: *Ne timeas MARIA.* Ita etiã nos cõsueti nõ sumus nominare personas, nisi iam sibi familiares facti. *MARIA* ergo positum est in salutatione Angelica per Ecclesiam, quia nos iam sumus facti ei familiares. Similiter, & vltima dictio: *Benedictus fructus ventris tui*, posita est per Elisabeth matrem Ioannis Baptistæ. Sed quia Spiritus sancti reuelatione, ex istis sex verbis, salutatio est integrata: patet quòd sex verba in salutatione Angelica continantur, de quorum quolibet auxiliante Deo faciemus vnam lectionem.

*An Angelus in forma hominis Beatam MARIAM semper Virginem salutarit.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd communiter Doctores dicunt in forma hominis Angelum Virgini apparuisse. Nam Augustinus in persona Virginis loquens, dicit: Venit ad me Gabriel Archangelus facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis. Hoc idem dicit Bernardus super Missus est. Et Hieronymus in sermone de Assumptione. Possumus autem dicere quòd multum rationabiliter factum est, vt in forma hominis Angelus Virginem salutaret, propter quattuor. Primo propter Dei Filium, a quo Angelus mittebatur: missio nãque ministri debet esse conformis Domino mittenti: sed Dei Filius, qui est naturæ inuisibilis, formã hominis visibilem veniebat assumere, & visibiliter in humana specie apparere, cũ hominibus conuersari, iuxta illud Baruch: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est: ergo Angelus minister eius in tali forma eius aduentum debuit nunciare. Secundo propter hominem, ad quem saluandũ mittebatur. Et quia primum hominem Diabolus non veniebat saluare sed perdere, non instruere, sed decipere, ideo in ea forma visus est apparere ei, quæ perditioni, & tentationi conueniebat, vtputa in forma serpentis. Sed quia Angelus hominem perditum per Dei Filium saluandum, & redimendum nũciare venerat, congruè in forma hominis, per quam saluandus erat, apparere debebat. Tertio propter Virginem, ad quam salutandam mittebatur. Nam debebat Virgo beata concipere Christum in mente per fidei illuminationem, & ventre per eius corporis ex suo benedicto sanguine formationem: ideo congruum erat, vt interius in mente intelectuali visione Angeli illuminaretur: quod factum fuerat ante, pluribus vicibus: quia secundum Hieronymum crebris visitationibus Angelicis Virgo fuerat visitata, vt exterius per corporis sensus corporali visione Angeli lætificaretur, quia erat Dei Filium corporaliter conceptura. Quartò propter certitudinem rei, quæ annunciabatur. Nam inter omnes sensus visus certior est: dicitur enim in Metaphysica, quòd hic sensus, scilicet visus, maximè nos cognoscere facit, & multas rerum differentias demonstrat. Vnde Apostoli Christum corporalibus sensibus videntes, dicebant postea: Non possumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui. Et Ioannes in sua canonica dicit: Quod vidimus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, annunciamus vobis. Beata igitur MARIA, vtpote iusta, & naturalis, atque corporalis mater Christi, certificanda erat de eius conceptione, & nutritione, quòd scilicet verum corpus nõ imaginarium ex ipsa Dei Filius erat assumpturus. Vnde congruum erat, quòd inuisibili & corporali specie hominis ipsam salutaret.

*An Angelus per ostium clausum ad Beatam Mariam semper Virginem fuerit ingressus.*
Quæst. 3.

AD Tertiam est dicendum, quòd sicut dicit Bernardus super Missus est, ostium clausum tenebat Virgo, quando Angelus eã salutauit, & hoc (vt ait) Angelo conueniebat salutanti, & Virgini salutatæ. Nam Angelus sic Virgini apparebat, vt se Angelum monstraret, non hominem. Si autem ostium apertum inuenisset, intrasset, cùm in forma hominis sibi appareret, non monstrasset se esse Angelum, nec Virginem in admirationem, & stuporem duxisset, quia per ostium apertum ita potest intrare homo, & tamen Angelus hoc intendebat, & se Angelum demonstrare, & Virginem in admirationem ducere: vnde super illo: *Ne timeas MARIA*, dicit Bernardus: Ne, inquit, timeas, quia nõ homo, sed Angelus; homo namque per ostiũ clausum ad te intrare non potest. Sed mihi parietes non obsistunt, qui subtilitate meæ naturæ omnia penetrare possum. Et si quæratur, an Angelus cum corpore assumpto per ostium clausum intrauit? Magis est credendum, quòd postquam intrauit, illud corpus formauit, quia sicut subitò Angelus potest corpus assumptũ deponere, ita potest illud subitò assumere, & formare. Nã cũ corpus illud dimẽsionatũ & spissatũ fuerit, & tãgibile, sine miraculo fieri nõ potuisset, quòd dimẽsiones dimensionibus nõ restitissent. Post quam verò intrauit, illud corpus formauit, & peracta salutatione illud deposuit subitò.

*Seper Missus est. to. 1. Hierõ. in serm. de Assumpt. epist. 10. ad Paulã & Eustochiũ. to. 9.*

*Baruc. 3.*

*Inser. de Assumpt. epist. 10. Ad Paulam, & Eustoch. to. 9.*

*1. Metaphysic. in Proœmio*

*Act. 4.*

*1. Io. 1.*

*Super Missus est, homi. 3. to. 1.*

*Ibidem.*

Vel potest dici, quòd antequam intrauit, formauit corpus tale, quia cùm corporalis substantia obediat Angelo ad nutum, in potestate sua est, vt corpus in quo apparet, cedat alteri, vel non cedat, sicut placet, vel miraculo hoc fieri potuit, quia vt scribitur in Actibus Apostolorum, qui habebant vera corpora, existentibus in carcere clauso, Angelus apparuit dicens: Ite constanter, loquimini verba vitæ in templo: qui carcere clauso exierunt, ac si fuisset apertum, cuius signum fuit, quòd ministri Iudæorum dixerunt: Clausam inuenimus carcerem cũ omni diligentia, ipsos verò non inuenimus. Cõueniebat hoc similiter Virgini salutatæ, quia vt dicit Bernardus: In proposito quidẽ Virginis erat semper hominem fugere, & frequentia vitare eloquia, vel colloquia, & minus sola sibi esse videbatur, quando sola non erat, ne hoc orantis silentium perturbaretur, aut ne continentis tentaretur: potissime illa hora tamen, vt ait, super se habitaculum clauserat, vt nulli alteri, nisi sibi soli incarnationis mysterium pãderetur. Legimus enim in laudibus illius sanctæ Viduæ Iudith, quòd in superiori parte domus, secretum sibi habitaculum fecerat, & ibi clausa manebat tempore orationis, quod in laudem cuiuscumq; mulieris inuenitur scriptũ. Virginis laudibus subtrahendũ non est, quia sic cõueniebat Angelo salutãti, & Virgini salutatę.

*Act. 5.*

*Super Missus est eadem homil. 4. to. 1.*

*Iudith 8.*

A membra cerui, non differunt, nisi quia animæ eorum differunt: igitur verum corpus hominis est, quod informatur vera anima hominis. Sed constat, quòd corpus hominis, in quo apparet Angelus, non informatur vera anima hominis, quia Angelus apparens in tali corpore, non est anima hominis. Tertio, si tale corpus esset verum corpus hominis, non ita cito, nec ita subito esset formabile, & dissolubile: quia verum corpus hominis habet determinatum tempus suæ formationis, vt infra dicetur. Apparent ergo in corpore assumpto ab Angelo, aures, oculi, manus, & pedes, sed non sunt vera membra humani corporis: nec Angelus ad hunc finem formauit tale corpus, vt veritatem corporis humani ostendat, sed solum, vt in tali corpore, in quo apparet, faciat opus, quod ducat in veram cognitionem Angeli tamquam ministri Dei, & non tamquam principalis agentis. Vnde non est aliqua fictio, vel falsitas in tali apparitione, quia semper fit illud, quod principaliter intenditur.

*Aner. 1. de anima comẽ. 53.*

B

*An verum fuerit corpus illud, in quo Angelus Deiparæ Virgini apparuit.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd corpus, in quo apparuit Angelus Virgini, & vniuersaliter omne corpus humanum, in quo Angelus apparuit hominibus, non fuit verũ corpus hominis, quod tribus ostenditur. Primo, quia verum corpus hominis formare nõ potest. Secundo, quia verum corpus hominis non potest animare. Tertio, quia verum corpus hominis tam subito, & tam cito non potuisset transformare. Habet enim verum corpus hominis determinatum modum formandi, quia determinatum locum, vt matricem femellæ, & determinatum agens, quia non generat hominem, nisi sol & homo, vt dicitur in Physicis. Vnde Angelus, qui non potest in productione rerum & formatione veram substantiam producere, nisi tantùm adhibendo semina, vt dicit Augustinus de Trinitate, verùm hominis corpus formare non potest. Secundo, non est verum corpus hominis, quia non potest tale corpus verè animare. Vera enim corpora animalium perfectorum non sunt verè talia, nisi quia animæ informantes sunt verè tales, quia vt dicit Commentator de anima, membra leonis, &

*2. Physic. cõtex. 26*

*Augusti. 2. de Trinit. to. 3.*

C

*An corpus illud, in quo Angelus apparuit, de igne, vel de aere fuerit formatum.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd inter cætera elementa, aer videtur esse facilior & habilior ad motionem, & ad formationem, & ad dissolutionem, vel depositionem: & quia Angeli corpora, in quibus apparent, cito mouent, vt festinanter compleant opus, propter quod explendum talia corpora assumunt, subito talia corpora formant, & subito ipsa deponunt. Vnde de illo Angelo, qui sociauit filium Thobiæ, scribitur, quòd loquendo cum eis, ab aspectu eorum sublatus est, & vltra eum non viderunt. Ideo dicendum est, quòd de aere Angeli formant corpora in quibus apparent. Et hoc expresse dicit Isidorus in libro de summo bono, cap. de Angelis. Vbi ait, quòd de superiori parte aeris Angeli formant corpora, vt aspectibus hominum se demonstrent, quod est intelligendum quantum ad maiorem partem.

*Thob. 12. Isidor. de sum. bono capit. de Angelis.*

D Oportet tamen, quòd aeri immisceantur aliqui vapores grossi, & terrestres, vt talia corpora per inspissationem aeris ex commixtione huiusmodi grossorum vaporum sint tangibilia & palpabilia, & aliqua vapores lucidi, & ignei, vt similiter ex commixtione talium, sint talia corpora visibilia, & diuersimodè colorabilia, sicut nubes sunt diuersis coloribus, siue apparent propter commixtionem diuersorum vaporum. Vnde Augustinus dicit, quòd Angelus, qui salutauit Virginem, erat facie rutilãs, & veste coruscans. Et in Matthæo scribitur, quòd Angeli aspectus, qui apparuit mulieribus, erat sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Non tamen illa

*Mat. vl.*

cor-

corpora habent mixtionem perfectam quatuor elementorum, sicut corpora nostra, quia talia Angeli formare non possunt. In forma ergo hominis ingressus est ad Virginem, & in corpore habente formam, & similitudinẽ humani corporis, de aëre formati, vt de tali ingressu Angelico intelligatur dictum in persona Virginis loquentis Angelo illud, quod
*Gen. 24.* scribitur in Genesi: Ingredere benedicte Domini benedictionem mihi missam à Deo nunciando. Cur foris stas? Angelicum aspectum propter forinsecam substantiam mihi occultando. Angelus itaque Gabriel in forma hominis apparuit, & salutauit Virginem, & in tanto splendore, & pulchritudine, quod explicari non posset, & ita vt Virgo expauerit, sicut habetur in Euangelio:
*Luc. 1.* Et expauescit Virgo de lumine, quia Angeli in natura sua sunt sicut luminaria splendidissima.
*Dion. de diu. nom. cap. 4.*

## *LECTIO V.*

### De salutationis Angelicæ forma, & expressione.

*Aue MARIA gratia plena; Dominus tecum, &c.*

POsita nuncij ad Virginem ingressione, nunc in parte ista Euangelista ponit salutationis formam. Et primò ponitur verbum salutationis. Secundò, verbum personæ nominationis. Tertiò, verbum gratiæ impletionis. Quartò, verbum diuinæ habitationis. Quintò, verbum benedictionis. Sextò, verbũ fructus conceptionis. Quæ sex verba, per quę factum est opus nostræ redemptionis, correspondent sex verbis, per quæ factum est opus
*Vide supra in q. 1. lect. 4.* creationis, vt supra dictum est. Ponitur ergo primò verbum salutationis cũ, dicitur: *Aue.* Et meritò præmittitur: *Aue, & Salue*, quia per istam nunciationem Angelicam initiata est humani generis saluatio, & redemptio, quæ respõdet lucis productioni, & à tenebris diuisioni factæ. Primò igitur, vt intelligatur de Virgine sic salutata dictum, quod scribitur
*Gen. 1.* in Genesi: Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quòd esset bona, & diuisit eam à tenebris, vt dicatur Beata Virgo esse lux facta à Deo ad opus nostræ redemptionis, quãtum ad eius singularem electionẽ, & productionem. Dicatur, vidit Deus lucem, quòd esset bona quantum ad eius singularem approbationem, & acceptionem. Dicatur, quòd diuisit eam à tenebris quantum ad eius ab Eua, & à tenebra separationem. Fuit enim Virgo Beata singulariter ad opus nostræ redemptionis à Deo electa, & approbata, quod non fuit Eua, quæ non per se, sed in adiutorium viri
*Gen. 2.* ad opus creationis est facta, iuxta illud: Faciamus homini adiutorium simile sibi. Fuit singulariter à Deo approbata, & acceptata, quod nõ fuit Eua, imò à Deo fuit reprobata, cùm multiplicauit ei ęrumnas, & dolores. Fuit à Deo singulariter à tenebra separata, quod non fuit Eua, quæ fuit mater tenebrarum, & peccatorum. Facta est Beata Virgo lux, quia ad opus nostræ Redemptionis fuit electa, & præordinata, propter suam Virginitatem, ex qua meruit lux appellari. Visa est à Deo, quòd esset bona, quia à Deo fuit approbata, & acceptata propter suam humilitatẽ. Multæ enim sunt virgines à Deo non visæ, quia ab ipso non approbantur, nec acceptantur. Et diuisa est à tenebris, quia à Deo fuit ab omni peccato separata, propter suam maternam fœcunditatem, vt sicut Eua auctrix peccati fuit, sic MARIA auctrix meriti. Et sicut illa occidendo obfuit, sic MARIA viuificãdo profuit: per hoc ergo verbum *Aue*, siue *Salue* habetur personæ necessariæ ad nostram redemptionem electio, approbatio, & ab Eua separatio, quod respondet operi creationis primæ diei. Circa quam salutationem sex dubitationes esse possunt.
*Aug. de Sanctis serm. 28. tomo 10.*

1 Vtrùm Beata Virgo ante fuerit tali salutatione salutata.

2 Vtrùm genu flexo, & cum reuerentia hanc salutationem angelus fecerit.

3 Vtrùm salutatio sit negãda alicui propter excommunicationem.

4 Vtrùm salutatio sit neganda propter prædicationem.

5 Vtrùm salutatio sit neganda propter odium, & rancorem.

6 Vtrùm Angelus per hoc verbum, *Aue* nouam salutationem nunciare intenderet.

### *An salutatio Beatæ MARIÆ semper Virgini facta ab Angelo fuerit insolita.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd ista salutatio insolita, & peregrina fuit, nec tali salutatione vnquam antea fuerat salutata. Qualiter autem, & per quem modum fuerit peregrina, & insolita, an ex parte Angeli salutantis, vel rei nunciatæ, seu virginis salutatæ, diuersimodè dicitur à Doctoribus.

Nam Bernardus videtur dicere insolitam, & peregrinam fuisse salutationem hanc, propter nouam Angeli apparitionem: Apparuit enim Angelus in forma hominis, & cum ingenti lumine; vnde quia Virgo sciebat, Angelum Sathanæ posse se transformare in Angelũ lucis, dubitauit, ne homo esset, qui operatione Sathanæ ad ipsam intrasset, & sic eam salutasset.
*Opinio homil. 3. super missus est.*

Ambrosius dicit super Lucam fuisse insolitam hanc salutationem, propter nouam annunciatam benedictionem. Sciebat enim
*Opinio libro 2. c. 1 super Lucam.*

Beata Virgo MARIA, quòd Virgo, & sterilis in Israel non benedicebatur; imò potius maledictioni, & contemptui erant subiectæ, & quia ipsa votum virginitatis emiserat, cùm mulierem propter prolem solùm, sciret esse benedictam, seu benedicendam, quando audiuit ab Angelo: *Benedicta tu in mulieribus*, nouam, & peregrinam benedictionem audiuit, nũquam alicui Virgini, seu sterili factam; imò nec alicui alteri, nec sibi, vt dicit Ambrosius: Benedictionis nouam formulam mirabatur Virgo, quæ nunquam est ante cõperta, soli Virgini hæc salutatio seruabatur, quia si sciuisset MARIA ad aliam quempiam similem esse factum sermonem, vtpotè, quæ habebat legis scientiam, nunquam eam quasi peregrinam talis salutatio expauisset. Non igitur secundùm Ambrosium insolita, & peregrina fuit Virgini ista salutatio ratione Angeli apparentis; quia consueta erat Angelorum apparitionibus, & collocutionibus, sed fuit peregrina, & insolita sibi propter nouam nunciationem, & benedictionem. Ita quòd fuit nouus modus salutandi, quem nunquam Angelus fecerat, nec tenuerat talem modum, salutando eam, vel aliam personam.

Sed Hieronymus dicit insolitam fuisse hanc salutationem propter Virginis humiliationem; bene namque Virgo sciebat Prophetiam Isaiæ, qua dicebatur, quòd Virgo erat paritura, sed propter eius nimiam humilitatem non putabat de se tam grandia, & alta, quòd ipsa esset illa, quæ posset esse Mater, & Virgo. Vnde volens Angelus in admirationem ipsam attollere, & eleuare supra id, quod de se existimabat, laudes eius in salutatione coniunxit, dicens, quòd erat gratia plena, & Dominus erat cum ea. Nam, vt dicit Hieronymus: Animo humili nihil mirabilius esse videtur, quàm quòd magna, & grandia esse narrentur de ipso.

*Isai.* 7.

*An Angelus flexo genu, & cum reuerentia Beatam MARIAM semper Virginem salutarit.* Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd antequam Angelus Virginem salutaret, nõ legitur Angelum alicui homini reuerentiam fecisse, nec alicui mulieri, quia semper maior recipit reuerentiam à minori, & non exhibet ei. Angelus autem erat maior omni humana natura, quantum ad tria. Primò, quantum ad dignitatem, quia Angelus est naturæ spiritualis, iuxta illud Psalmi: Qui facit Angelos spiritus, homo verò naturæ corporalis, & corruptibilis. Vnde congruum non erat, quòd Angelus homini reuerentiam faceret, sed magis ab ipso reciperet. Vnde dicebat Abraham, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis. Secundò, quantum ad diuinam familiaritatem, quia Angelus erat Deo familiarior homine, assistens ei in secretis, & collocutionibus familiaribus, & ministrans in obsequijs, & beneplacitis eius, iuxta illud Danielis: Millia millium ministrabant ei, & decies cẽtena millia assistebant ei. Ideò homo Angelum reuerebatur, tanquam familiarem regi æterno, & non Angelus hominẽ, quia homo est elongatus à Dei familiaritate, & propter peccatum, & propter naturam. Vnde dicebat propheta: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Tertiò, quantum ad gratiæ vbertatem. Quia Angelus lumen gratiæ participat in quodam lumine, & in quadam vbertate, & plenitudine splendoris. Vnde semper apparet cum lumine, & splendore, quando apparet. Sed homo lumen percipit in quadam obscuritate, iuxta illud Apostoli: Videmus nunc per speculum, & in ænigmate. Et ideò decens erat, quòd homo Angelo reuerentiam exhiberet, non Angelus ei. Ideò Christus cum laudaret Ioannem Baptistam, quòd inter natos mulierum non surrexit maior, statim subiunxit, sed qui minor est in cœlo, scilicet Angelus de minoribus, maior est illo. Et ideò dicunt aliqui Doctores, quòd Virgo, quæ erat humilis, statim cognoscens Angelum Dei aduenisse, fecit ei reuerentiam. Sed statim Beata Virgine nata, inuentum est in natura humana, quòd in ijs tribus excesit omnes Angelos ipsa Beata Virgo, quæ primò excesit Angelos in dignitate, quia statim fuit electa, vt fieri deberet mater Dei, & Domina omnium Angelorum ab æterno, sicut Scriptura ait: Ab initio, & ante secula creata sum, & hoc ab initio mundi, quando Angeli fuerunt creati à Deo, fuit illis reuelatũ. Vnde Angelus parentibus Beatæ Virginis prædixit, quòd nomen filiæ nascituræ debebat esse MARIA, quod Syra lingua Domina interpretatur, in signum, quòd electa erat Domina hominum, & Angelorum, propter quod cantat Ecclesia:

*Aue regina cœlorum,*
*Aue Domina Angelorum.*

Congruum ergo fuit, quòd cum summa reuerentia Angelus Virginem salutaret, vtpotè sicut Dominam factam, & electam, sicut congruum est, quòd seruus veneretur dominam suam. Secundò, Beata Virgo excesit Angelos in diuina familiaritate, quia vicinior, & secretior, & familiarior fuit Virgo Deo, quàm aliquis Angelorum. Ideò signanter dixit Angelus: *Dominus tecum*, ac si diceret: Non mireris, si genuflexo, & cum maxima reuerẽtia ego saluto te, & si ego exhibeo omnem reuerẽtiam, quia Dominus est tecum aliter, quàm mecum. Nam Dominus cœli, & terræ est mecum, sicut Dominus cũ seruo suo, & sicut Creator cum creatura sua.

*Pſ.* 103.

*Geneſ.* 18

*Dan.* 8.

*Pſal.* 54.

1. *Cor.* 13

*Mat.* 11.

*Eccl.* 24.

sua. Sed tecum est, sicut filius cum sua matre, & sicut genitus cum sua genitrice. Et planum est, quòd nihil est familiarius matre; quia filius est genitus ab ea, & potissimè in sua pueritia, quando nihil filio patitur esse occultum, quod ipsa nolit videre, tangere, & pertractare, imò naturale est, quòd mater cum maiori securitate, & auiditate scrutetur omnia secreta filij, quàm suæ naturæ, vel propriæ personæ. Tertiò, Beata Virgo excessit omnes Angelos in gratiæ vbertate, quia vbertas gratiæ Beatæ Virginis excessit omnem gratiam Angelorum, ideò dixit: *Gratia plena*, ac si diceret: Mihi & cuilibet Angelo, & omnibus sanctis alijs per partes infusa est diuina gratia, sed tibi tota plenitudo gratiæ donata est. In tantum, vt ipsius fontis gratiæ merueris esse mater; ideò meritò facio tibi reuerentiam. Dicamus ergo, quòd Angelus cum maxima reuerentia Virginem salutauit, propter eius supra ipsum dignitatem, familiaritatem, & gratiæ vbertatem.

### *An salutatio sit neganda alicui propter excommunicationem.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd quis potest scire aliquem excommunicatum tribus modis. Primò, per sacramentalem cõfessionem. Secundò, per iudiciariam inquisitionem. Tertiò, per publicam sententiæ nũciationem. Primò modo puto, quòd si quis in confessione sacramentali sciat aliquem esse excommunicatum, salutationem sibi negare non debet, nec eum tenetur vitare in alijs actibus iure prohibitis, quia nescit talem esse excommunicatum, vt homo, sed vt Deus. Nec confessio sacramẽtalis, per quam scit eum esse hæreticum, ordinatur ad condemnationem pœnæ, sed potius ad absolutionem. Et planum est, quòd excommunicatio pœna est.

Si verò aliquis sciat talem excommunicatum esse per iudiciariam inquisitionem, credo, quòd ei salutationem debet denegare; & ipsum vitare in omnibus actibus prohibitis in iure, quia scit vt homo, & quia iudiciaria inquisitione ordinatur ad condemnationem pœnæ; vnde quantumcumque talis sciat priuata inquisione ipsum esse excommunicatum, ex quo scit vt homo, tenetur eum vitare.

Sed tertio modo, si quis sciat aliquem excommunicatum per publicam sententiæ nũciationem, salutationem ei debet negare, & ipsum vitare, non participando cum ipso in diuinis, aut in crimine, nec post aggrauatam sententiam de participatione, nec ex contemptu clauium Ecclesiæ; quia in talibus participando, puto quòd incideret sententiam, & mortaliter peccaret. Vnde dicit Ioãnes in Canonica sua: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec *Aue* ei dixeritis. Qui enim dicit illi: *Aue*, communicat operibus eius malignis. Hæc Ioannes, sed si quis salutet aliquem excommunicatum non participando in crimine, nec post sententiam aggrauatam, nec ex contemptu, sed ex quadam verecundia, vel timore quodam, ne videatur eum contemnere, puto quòd non peccaret mortaliter, nec incideret sententiam excommunicationis saltem maioris. 2. *Ioan.*

### *An salutatio sit neganda alicui propter prædicationem.*
Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd ista quæstio non est dubia propter dictum Elisæi Prophetæ, & Christi. Nam Elisæus cùm misisset Giezi ad suscitandum puerum, vel filium sunamitis mulieris, mandauit ei, dicens: Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quispiam, non respõdeas ei. Christus verò in Luca, quando misit discipulos ad prædicandum, mandauit eis: Neminem per viam salutaueritis. Videtur, quòd propter prædicationẽ, & propter talia opera pietatis explenda, salutatio sit negãda. 4. *Reg.* 4. *Luc.* 10.

Sed cùm Paulus Apostolus in suis epistolis mandauerit fideles Christi esse salutandos, dicit: Salutate vos inuicem in osculo sancto. Ipse etiam Saluator postquam præceperat discipulis, vt neminem per viam salutarent, statim addidit: In quancumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Et hoc est quoddam salutare. *Ephes.* 4. *Luc.* 10.

Ideò sciendum est, quòd secundùm Cyrillum, Saluator non prohibuit simpliciter salutationem prædicatoribus, sed voluit, quòd tempus prædicandi, vel prædicationi competens, non expẽderent frustra in locutionibus inutilibus. Sunt enim ipsæ salutationes principia mutuæ locutionis, & inquisitionis de prosperis, & aduersis, de Filijs, & propinquis, in quibus occupare tẽpus prædicationi Dei Verbi necessariũ, non posset fieri sine peccato. Sicut opus Dei intermittere propter opus hominis, non sine peccato esse potest, & maximè in Ecclesia primitiua, quando propter multitudinem infidelium semper occurrebat tẽporis opportunitas ad prædicandum. Voluit igitur Saluator dicere: Recto tramite incedite, non alternãtes benedictiones benedictionibus, quia damnum est expendere tempus, prædicationibus competens frustra, præter quàm in rebus necessarijs. *Cyrillus.*

Ambrosius verò dicit, quòd Dominus non prohibuit neminem salutare, quòd ei displiceret beneuolentiæ officium, sed quòd plus *Amb. super* 10. c. *Luc. lib.* 7 *tomo* 3.

plus deberet eis placere prædicationis verbum, quàm humanæ beneuolentiæ obsequiũ, ac si diceret: Non sitis soliciti in alienis verbis, sed blanditias, & colloquia hominum fugite. Propter gloriam ergo diuini Verbi secundùm Cyrillum, neminem salutare, est prædicationi competens, colloquijs hominum non occupare. Secundum verò Ambrosium, neminem salutare, est fauoribus, & blanditijs hominum magis, quàm verbis diuinis non delectari.

*Ambros. ibidem.*

*An salutatio sit neganda alicui propter odium, & rancorem.*

Quæst. 5.

AD quintam est uicendum, quôd salutationem esse negandam alicui, dupliciter potest intelligi. Primô, propter odium, & rancorem augmentandum. Secundò, propter odium, & rancorem proditoriè non occultãdum. Primo modo, salutatio est neganda, propter odium, & rancorem augmẽtandum. Frequenter igitur homines adinuicem conuersantes, humana fragilitate proleui causa irascuntur, & quia irati propter impetum passionis perdunt iudicium rationis, & tunc non possunt præuidere, quid sit melius, & rationi consonum. Concipiunt subitò odium, vel rancorem, contra quem irascuntur, quem rancorem, si statim non deponunt, illum non amplius salutando, vel cum eo amplius non conuersando, volunt, quôd illa subitanea ira crescat in odium, & (dicente Augustino) trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Quod sine peccato mortali esse non potest, quia sicut non salutare est fraternam charitatem negare. Vnde dicit Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram. Igitur negare alicui salutationem propter odium, vel rancorem augmentandum, vt quôd quis appetat odium, vel rancorem cõceptum crescere inter eum, & proximum, sine graui peccato esse non potest. Secundo modo negare salutationem alicui propter odium, vel rancorem non occultandum proditoriè, dicendum est, quôd minus peccatũ est, & minus malum, illum, contra quem homo habet odium, vel rancorem non salutare, & non conuersari cum ipso, quàm sub signo salutationis, & sub specie amicabilis conuersationis proditoriè eum decipere, ostendens se diligere eum, quem odit; quia peccatum proditionis est peccatum, vel circunstantia multum aggrauans peccatum. Vnde aggrauatum est multum peccatum Iudæ, qui sub signo salutationis, & osculi, quæ sunt signa beneuolentiæ, Christum tradidit. Dicit ergo Origenes super illo verbo in Matthæo: Aue Rabi, & osculatus est eũ, quôd omnes proditores veritatis, & amare veritatem fingẽtes, osculi, & salutationis signo vtuntur. Et Ambrosius super Lucam ait: Amoris pignore vulpus infigere, & salutationis vel osculo, tã quam pacis instrumento, mortem irrogare, maximum est peccatum. Proditores namque non vitantur, sed tantùm manifesti inimici vitari possunt.

*August. in regula, tomo 1.*

*Ephes. 4.*

*Orig. in Mat. 26. tomo. 3.*

*Ambr. in Luc. t. 3.*

*An Angelus per hoc verbum, Aue, nouam salutationem nunciare intenderet.*

Quæst. 6.

AD sextam, vtrũm Angelus per hoc verbum, *Aue*, aliquam nouam salutationẽ Virgini nuntiare intenderet, dicendum, quôd væ importat maledictionem, & quia triplex maledictio in alijs mulieribus propter peccatum reperitur, à quibus omnibus MARIA fuit præseruata, & ideò nouã salutationem sibi annuntiauit Angelus, cũ dixit, *Aue*. In virginibus enim est væ sterilitatis, & in coniugatis væ corruptionis, & subiectionis, in viduis væ desolationis, à quibus Beata MARIA fuit immunis, quia fuit Virgo sine sterilitate, cõiugata sine corruptione, & subiectione, vidua cum virginitate, & sine desolatione. Item in matribus est triplex væ culpæ, & pœnæ; est enim eis libido in concipiẽdo, grauitas in portando, dolor in pariendo; à quibus omnibus MARIA fuit immunis; quia concepit sine libidine, grauida sine grauamine, & peperit sine dolore. Item in omnibus hominibus, & mulieribus est triplex væ, culpæ scilicet originalis, mortalis, & venialis, & triplex væ pœnæ, scilicet, pœnæ infernalis, pœnæ purgatorij, & pœnæ mortis, à quibus omnibus MARIA fuit præseruata; ideò *Aue* nouam salutationem Angelus nuntiauit.

## *LECTIO VI.*

De nomine personæ salutatæ.

### *MARIA.*

POsito verbo salutationis, in parte ista Euangelista ponit verbum personæ salutatæ nominationis, dicens, quôd persona illa vocata est *MARIA*, quod nomen interpretatur stella maris, vt supra dictum est. Et cõuenit id nomẽ, per quod factum est opus nostræ redẽptionis, firmamẽti institutionis, & fundationis, quod fuit opus creationis factũ secũda die, vt de tali firmamento intelligatur, quod scribitur in Genesi: Fiat firmamẽtum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Ita quôd MARIA dicatur firmamẽtũ fidei fundatione, & dicatur positũ in medio aquarũ virtuosa operatione, & dicatur diuidere aquas ab aquis, bonorũ à malis separatione. Fuit nãque MARIA fundamentum, seu firmamentum fidei fundatione, quia gene-

*Genes. 1.*

*Eccl. c. 1.*

neratio Sanctorum ante aduentum Christi præterijt: & generatio Sanctorum post eius aduentum aduenit, non stando firmi in fide. Sed Beata Virgo tanquam firmamentum firmum stetit in æternum. Vnde ipsa fuit verè illud sanctuarium, & illud firmamẽtũ, quod firmauerunt manus Domini, qui regnat in æternũ, & vltra, vt dicitur in Exo-
*Exod.* 15 do. Fuit autẽ illud firmamentum positum in medio aquarum virtuosa operatione. Nam stare in medio aquarum, est stare in medio diuersorum populorum, quia aquæ multæ, populi multi, vt scriptura testatur, non de-
*Apoc.* 17. clinando à dextris, vel à sinistris sine operatione virtuosa esse nõ potest. MARIA autẽ semper in medio stetit, scilicet, Iudæorum prauæ, & peruersæ nationis, & tamen semper stetit recta ad modum quadrati, lucens inter eos, sicut vera maris stella. Fuit enim simplex, sine querela, & sine reprehensione in medio prauæ, & peruersæ nationis, inter
*Phil.* 2. quos refulxit sicut luminare in mundo, vt dicit Apostolus de ipsa ad Philippenses: Sed diuisit aquas ab aquis, per bonorum à malis sequestrationem. Ante enim Beatam Virginem commixtæ erant aquæ superiores cum inferioribus, id est, boni cum malis: cùm nullus posset bonus apparere tyrãnicæ potestati subiectus. Sed MARIA fuit mediatrix, & sequestrix inter istas aquas, quando deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, sicut ipsa cecinit in suo Cantico. Et quia su-
*Maria in suo Cant. Luc.* 1. periùs quæsitum fuit de isto nomine *MARIA* quantum ad eius interpretationem, nunc quæratur de tali nomine quantum ad litteras, quibus tale nomen integratur. Nam constat, quòd hoc nomen integratur quinque litteris, scilicet M.A.R.I.A. Quinque igitur dubitationes possunt fieri.

1 Vtrum MARIA fuerit singulariter mater omnium sanctorum.

2 Vtrùm fuerit singulariter aduocata omnium peccatorum.

3 Vtrùm fuerit singulariter regula omnium virtutum, & morum.

4 Vtrùm fuerit interfectrix singulariter omnium vitiorum.

5 Vtrùm fuerit singulariter armarium donorum Spiritus Sancti,

### *An Deipara Virgo fuerit singulariter Mater omnium Sanctorum.*
Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd Beata Virgo mater fuit omnium sanctorum quatuor modis. Primò, quia omnibus sanctitatem fundauit. Secundò, quia omnibus sanctitatem generauit. Tertiò, quia omnibus sanctitatem manifestauit. Quartò, quia omnibus sanctitatem impetrauit. Nam super illo verbo Psalmi: * Mater Syon dicet: Homo, & homo * natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus, dicit Augustinus in libro de Symbolo, quòd quia domum Dei decebat sanctitudo in lõgitudine dierum, ideo prius Dei Filius voluit Virginem suam matrem sanctitate fundare, quàm in ea corporaliter habitare, & eius sanctitatem tanquam fundamentum omnibus sanctis voluit ordinare, quia in tempore plenitudinis gratiæ fundata. Nullius enim sanctitatem sancta mater Ecclesia colit, vel celebrat, quàm Beatæ Virginis: ita quòd celebratio sanctitatis Beatæ Virginis fundamentum primordiale est celebrationis sanctitatis omnium Sanctorũ. Verum namque est, quòd in veteri Testamento multi fuerunt sancti viri Patriarchæ, & Prophetæ, sed quia illi non fuerunt tempore plenitudinis gratiæ, ideo sanctitatem eorum sancta mater Ecclesia non solemnizat. Sed sicut tempus plenitudinis gratiæ initiatum fuit in Virgine, quia priùs fundanda erat domus Dei, quàm Dei Filius ipsam inhabitaret: ideo sanctitas Beatæ Virginis fundamentum sanctitatis omnium Sanctorum est, qui tempore plenitudinis gratiæ solemnizantur per Ecclesias. Vnde per suam natiui-
*Eodem in loco supra citato.* tatem, & per sanctitatem eius natiuitatis Beata Virgo omnibus sanctis sanctitatem fundauit. In eius verò Annunciatione, omnibus sanctis sanctitatem aggenerauit, quia tunc secundum Augustinum in libro de Symbolo, quando Gabriel Angelus ipsam salutauit, tunc eam Spiritus Sanctus fœcundauit, tunc illa femina virum sine viro concepit, tunc repleta est gratia, tunc Dominum suscepit, vt esset in ea, qui fecerat eam. Hæc Augustinus. Scribitur enim in Daniele, quòd cùm
*Dan.* 9. Daniel existeret in captiuitate Regis Babylonis cum alijs Iudæis, de quorum populo Christus erat nasciturus, & continuè orationibus, & ieiunijs postularet à Deo, vt liberaret eos de captiuitate illa, peccata, quibus illã pœnã meruerat, remittẽdo, & Saluatorẽ Christũ eis promissum mittẽdo; responsum est sibi per Angelũ dicente ei: Quia vir desiderio-
*Ibidem.* rũ tu es, ideo ego veni, vt indicarẽ tibi, quæ ventura sunt. Tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam Ierusalem, vt consummetur prænaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophætia, & vngatur Sanctus sanctorum, id est, nascatur Christus, qui sua conceptione vnctus fuit oleo sanctitatis, & lætitiæ præ omnibus participibus suis. Si ergo Sanctus Sanctorum fuit Christus, quem Bea-
*Hebr.* 1. ta Virgo generauit, benè dictum est ergo, quòd ipsa fuit Mater omnium Sanctorum,

om-

omnibus sanctitatem ipsam generando, id est, Christum. Tertiò, sanctitatem Beata Virgo omnibus Sanctis manifestauit, & præsentauit, & hoc in sua Purificatione, quia tunc sanctitatem omnes Sanctos sanctificantem manifestauit mundo. Vnde Sanctus Simeon accepit eum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare mei, salutare tuum. Tale, inquit, salutare, quòd est lumen ad reuelationem gentium, & est gloria plebis tuæ Israel. Quartò, omnibus sanctitatem impetrauit, & hoc in sua Assumptione, vnde dicit Gregorius in collecta: Subueniat plebi tuæ, quæsumus Domine, Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præsenti seculo migrare iussisti, vt ipsam pro nobis in cœlesti gloria interceder sentiamus. Sunt enim quatuor, quæ homines sanctos faciunt. Primum est dilectio proximorum, quia qui proximum diligit, legem impleuit. Secundum est, timor transgressionis diuinorum mandatorum, quia si volumus ad vitam ingredi, oportet seruare mandata. Tertium est, cognitio credendorum, sine fide namque impossibile est placere Deo. Quartum est, expectatio præmiorum, vt firmiter expectet quis se præsentaturum ante tribunal Christi, recepturum præmium, siue pœnam, quam meruit. Omnium istorum mater est Virgo MARIA. Vnde ipsa dicit: Ego mater pulchræ dilectionis, scilicet proximorum: timoris, scilicet, transgressionis mandatorum, & agnitionis, scilicet, credendorum, & sanctæ spei, scilicet, expectationis præmiorum, propter quod omnibus sanctis potest ista condonare, & impetrare. Et ideo Beata Virgo est mater omnium sanctorum, quia omnibus sanctis sanctitatē fundauit in sua Natiuitate, & in vtero suæ matris sanctificatione, omnibus sanctis sanctitatem generauit in sua Annuntiatione, omnibus sanctis sanctitatem manifestauit in sua Purificatione, omnibus sanctis sanctitatem impetrauit in sua Assumptione. Vt sibi ab omnibus sanctis intelligatur esse dictum, quòd scribitur in Iudith: Nunc ergo ora pro nobis, quantum ad orationum suffragium: quoniam tu mulier sancta es, quantum ad eius potestatis, & sanctitatis patrocinium.

*Luæ 2.* *Quæ tegitur in festo Assumptionis.* *Rom. 13.* *Mat. 19.* *Hebr. 11.* *2. Cor. 5.* *Eccl. 24.* *Iudit. 8.*

A B C D

*An Deipara Virgo fuerit singulariter aduocata omnium peccatorum.*

Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd secundùm Isidorum volēs aduocare pro alijs, quinque conditiones debet habere. Primò, Iudicis confidentiam, vnde prima cautela, quam Philosophus ponit in Rhetoricis est, quòd homo faciat sibi iudicem fauorabilem, & benevolum. Secundo, pietatis clementiā. Nam per Spiritum Sanctum dicitur Iudici, & Aduocato: In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens. Tertiò, rei indigentiam, quia aduocatus necessarius est impotentibus, & oppressis, & molestatis à fortioribus eis. Quartò, importunam perseuerantiam. Nam perseuerantia est multum necessaria in petendo, potissimè, quando non dubitatur de benignitate iudicis. Vnde dicit Chrysostomus: Petentis negligentia reprehenditur, quando de dantis misericordia non dubitatur. Quintò, aliorum reuerentiam. Cùm enim aliquis aduocatus habetur in reuerētia, & timore ab alijs, non accipiunt illi causam, & quæstionem cōtra ipsum, sed potius eum in causa illa iuuant. Ista autem quinque per ordinem habet Virgo MARIA, ex quibus meritò dicitur aduocata peccatorum. Primò, iudicis confidentiam. Nam filius est iudex viuorum, & mortuorum, cuius confidentiam tantam habet Beata Virgo de omni re, quam petit, vt etiam si sibi negare videatur, non dubitat exaudiri. Vnde dicit Augustinus super Ioannem, quòd quando Virgo dixit Christo: Vinum non habent; & Christus respondit: Quid mihi, & tibi est mulier: nondum venit hora mea; non propter hoc mater dubitauit exaudiri. Sed ait Ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite: ac si diceret, vt ait Augustinus, licet negare videatur, quod peto, finaliter tamen non patietur filius meus coram tot astantibus me confundi: vt in mea petitione erubescentiam habeam. Hæc Augustinus. Firmiter namque credendum, quòd de omni eo, quod petit mater Filio, hoc sibi respondet, quòd Salomon respondit matri: Pete mater mi à me, quod vis, neque enim fas est, vt auertas faciem tuam à me. Secundò, habet pietatis clementiam, & hoc ex natura. Quia mulier naturaliter clementior est viro, & magis pium cor habet, & passiuum, quàm homo. Ex gratia, quia sicut omni gratia, sic omni pietate, & clementia plena fuit. Et ex doctrina, quia memor doctrinæ filij semper est, qua dixit: Misericordiam volo, & non sacrificium. Vnde quilibet experitur, quòd in omni tribulatione positus, magis inclinatur ad auxilium matris, quàm ipsius Filij, vel alterius Sancti implorare, dicendo: Sancta MARIA inua me: ac si innatum esset quilibet ad illam Dominam recurrere, cui proprium est misereri, & de afflictis, & tribulatis compassionem habere. Tertiò, habet rei indigentiam, quia signanter ipsa aduocata extitit pro peccatoribus, & oppressis à Diabolo, & semper est, vt dicit Bernardus: apud filium suum inducit illud verbum Euangelicum: Memor esto fili verbi

*Eccles. 4.* *Super illud Mat. Petite, & acci. c. 7. to. 2.* *Cap. 2. tomo 9. tract. 10. f. 20. vbi verba Euangelii-- sta legun-tur, sed alia non reperiuntur.* *3. Reg. 2.* *Mat. 11* *Matt. 9.*

bi tui, in quo peccatoribus spem dedisti. Nõ est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Et: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quartò, habet importunam perseuerantiam. Interfuit enim, vt ait Augustinus, illi sententiæ, & parabolæ, quam Filius eius in Luca induxit: Oportet semper orare, & non deficere. Et postea addidit: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur. Et accessit ad eum quædam vidua, petens ab eo, vt vindicaret eam de aduersario suo, qui ipsam opprimebat. Et nolens ipsam audire per multum tempus, finaliter ait: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia mihi importuna est, vindicabo ipsam. Vnde firmiter credendum est, quòd nunquam cessat Beata Virgo pro peccatoribus aduocare, donec à Filio suo exaudiatur, vt dicit Anselmus. Quintò, habet omnium Sanctorum reuerentiam. Omnes enim Sanctos in auxilium peccatorum introducit, vt multiplicatis intercessoribus largiatur. Ita quòd ipsa petente, omnes petunt cum ipsa. Et alijs petentibus pro eorum deuotis, sine patrocinio matris Regis obtinere non possunt. Igitur Virgo sanctissima aduocata est omnium peccatorum, propter Iudicis confidentiam, propter suæ pietatis clementiam, propter peccatorum indigentiam, propter importunam perseuerantiam, & propter Sanctorum reuerentiam. Vt meritò omnes peccatores sibi dicant, quod dixit Adonias, qui interpretatur seruus mœrens matri Salomonis: Loquere pro nobis Regi, quia in te est pietatis, & misericordiæ clementia: neque enim quidquam tibi negare poterit, quia apud te est Regis familiaritas, & confidentia.

*Lucæ 18.*

*3. Reg. 2.*

### *An Deipara Virgo fuerit singulariter regula omnium virtutum, & morum.*

Quæst. 3.

*In lib. de Virginib. tom. 4.*

AD tertiam est dicendum, quòd Ambrosius hanc quæstionem determinat in libro de virginibus dicens, quòd Beata Virgo potest considerari secundum quatuor differentias temporis. Prima, quando fuit templo Dei per parentes dedicata, vsque ad Angelicam salutationem. Secunda, quando fuit Ioseph sponso sociata, vsque ad Christi incarnationem. Tertia, quando fuit cum Filio suo nato conuersata, vsque ad eius passionem. Quarta, quando fuit Collegio Apostolorum, & specialiter fuit curæ B. Ioannis comendata, vsque ad eius Assumptionem. In quolibet autem istorum temporum Beata Virgo fuit regula virtutum, & morum. Singulariter tamen tempore, quo fuit templo dedicata, floruit virtute puritatis, & honestatis, in tantum, vt totum illud tempus occuparet in diuinorum contemplatione, & oratione, & librorum legis, & Prophetarum lectione, & Angelorum collocutione, ita, vt talibus delectata comitibus, omnino esset ab omnibus mundialibus separata, & tota cœlestis facta: nec mirum, quia quantò plus aliquis coniungitur spiritualibus, & cœlestibus, tantò plus separatur á carnalibus, & terrestribus; eò quòd secundùm Augustinum in libro de Trinitate, cum aliquid æternum, secundùm quòd mente possumus, capimus, non in hoc mundo sumus. Beata MARIA coniungenda erat cœlesti Regi, & effi cienda eius corporalis Mater. Vnde mente, & corpore erat illo tempore ab omnibus carnalibus, & corporalibus separata, & tanta puritate, & honestate repleta, qua maior sub Deo non posset intelligi. In tempore, quo fuit eius sponso sociata specialiter Virgo floruit virtute humilitatis. Et hoc singulariter apparuit in eius responsione, quando vocata in Reginam, & Matrem Regis cœli, & terræ, se ancillam nominauit, dicens: *Ecce ancilla Domini.* Super quo verbo dicit Hieronymus, quòd Virgo fuit repleta doctrina filij ante quàm ipsum filium generaret. Doctrina namque Christi fuit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Non enim Beata Virgo à Christo didicit mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare, aquam in vinum transmutare: sed didicit hoc: Mitis sum, & humilis corde. Secundò, apparuit in suæ cognatæ Elisabeth obsequio sa administratione: quia tribus mensibus, postquam fuit ab Angelo nunciata, & mater Domini facta, stetit in obsequio Elisabeth, cuius humilitatem videns Elisabeth, admirans ait: Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Tertiò, apparuit eius humilitas in obsequio, & obedientia sponsi sui Ioseph, cui tanquam sancta, & humilis coniuncta, in omnibus seruiebat, & obediebat secundùm Deum, & legem matrimonij: vnde cum ipso in Bethlehem iuit, vt professionem faceret cum alijs Imperatori Augusto. Tempore verò, quo fuit cum suo genito cõuersata, singulariter floruit virtute fidei firmitatis: quia omnia miracula, omnia dicta, omnia facta Filij sui semper conferebat, & disputabat in corde suo. Super quo verbo dicit Ambrosius, quòd Virgo licet esset mater Domini, tamen præcepta, dicta, & facta eius in carne assumpta de ipsa scire cupiebat, & discere volebat, non quod in illis dubitaret. In virtute pietatis tantam curam habuit sui Filij, ipsum nutriendo, & sequendo per mundum, & tunc fuit Marta ministrans filio, & præcipuè in passione patientiæ virtute resplenduit fidei firmitate, sed vt magistra effecta, alios informare.

*4. de Trinit. to. 3.*

*Ioan. 15.*

*Luc. 1.*

re. Sed tempore, quo fuit Collegio Apostolorum, & curæ Beati Ioannis recomendata, singulariter resplenduit virtute ardentis charitatis: quia, secundùm Ambrosium, toto illo tempore diuinus amor, & desiderium perueniendi ad Filium in tantum ipsam accenderat, vt sicut ferrum in igne missum nõ est aliud, quám ignis, sic Virgo ardore dilectionis sui Filij accensa, non erat aliud, quàm ardor. Ergo cùm Beata Virgo fuit templo dedicata, regula fuit virtutis, puritatis, & honestatis. Cùm fuit suo sponso sociata, regula fuit virtutis humilitatis. Cùm fuit cum eius Filio conuersata, regula fuit veritatis, fidei firmitatis. Cum fuit Collegio Apostolorum recomendata, regula fuit virtutis charitatis. Et sic fuit regula omnium virtutum, & morum, quia quælibet istarum virtutum effectiuè est omnis virtus, omnemque virtutem efficit mentis puritas: humilitas verò est omnis virtus conseruatiuè, quia humilitas omnem virtutem conseruat. Fides autem est omnis virtus fundatiuè, quia est fundamentum omnium virtutum. Sed charitas est omnis virtus informatiuè: quia est forma omnium virtutum: Vnde dicit Ambrosius, quôd sicut Beata Virgo implebat omnia virtutum officia, vt non tam disceret, quàm doceret, vt meritò de laude virtutum eius dicatur in persona eius, quòd scribitur: Non est talis mulier in aspectu puritatis, & honestatis, in pulchritudine, in mansuetudine mansuetæ humilitatis, & in sensu verborum doctrinæ firmitatis, & charitatis.

*Iudit.* 12

*An Deipara Virgo fuerit singulariter interfectrix omnium vitiorum.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Bernardus super Missus est, istam dubitationem soluit dicens: Quoniam Diabolus per mulierem, humanam naturam perdidit, congruum erat, vt Dei Filius per mulierem humanam naturam saluaret. Deuicit autẽ Diabolus, & prostrauit totam naturam humanam, mediante muliere, specialiter propter tria vitia, ad quæ reducuntur omnia alia. Primò, per carnis concupiscentiam, quando ait: Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno paradisi? Comedere autẽ ineffrenate de omni cibo, pertinet ad concupiscentiam gustus, sicut luxuriari cum omni fœmina pertinet ad concupiscentiam tactus. Secundô, per cupiditatis auaritiam quã do dixit: Scietis bonum, & malum. Nam auaritia secundùm Augustinum, non solum est inordinatus appetitus pecuniæ, sed etiam inordinatus appetitus cuiuslibet rei. Tertiô, per elationis superbiam, quando dixit: Eritis sicut dij. Velle autem esse sicut Deus, planum est, quòd pertinet ad superbiam. Igitur Dei Filius mediante Virgine totam naturam humanam seruauit, & recuperauit, ac ipsum caput vitiorum debellauit per tria arma opposita istis, quia carnalem concupiscentiam à Diabolo instigatam vicit per MARIÆ perpetuam dignitatem. Eius cupiditatis auaritiam vicit per MARIÆ fructus fœcunditatem, per quem totus mundus ditatus est, & diuitijs repletus. Sed ipsius elationibus superbiam vicit per MARIÆ singularem humilitatem, & hoc est quôd dicitur in Genesi: Cùm enim dixisset Deus serpenti, vel Diabolo in forma serpentis apparenti, Quia fecisti hoc, scilicet, quia mulierem decepisti, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ. Et postea subdidit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum. Planum est autem, quôd talem victoriam non fecit de Diabolo, vel de serpente prima mulier Eua, quôd esset inimicitia inter eam, & serpentem, & ipsa caput eius contereret: imô cum serpente amicitiam copulauit, & suggestioni eius ex toto obediendo, & caput eius seruauit, & præcepta Dei propter eum transgrediendo, nec alia mulier hanc victoriam fecit de serpente, vel Diabolo, quòd inimicitiam cum ipso haberet, vel caput eius contereret. Soli ergo MARIÆ seruabatur hæc victoria fienda, quia ipsa sola, & semen eius Christus, cum Diabolo habuit inimicitias, & cum semine eius omnia vitia instigata interemit (eo quòd tam in matre, quàm in semine eius Christo princeps huius mundi non habuit quidquam) & caput eius venenatum confregit. Interfectrix ergo fuit Beata Virgo omnium vitiorum, quia carnales concupiscentias à Diabolo instigatas interfecit propter suam perpetuam virginitatem. Ipsius mundi cupiditates, & auaritias interfecit per sui fructus fœcunditatem. Satis enim est auarus, cui fructus Beatæ Virginis MARIÆ non sufficit. Sed Diaboli elationes, superbias, & iactantias interfecit per suam singularem humilitatem. Vt de victoria Beatæ MARIÆ contra Diabolum, & vitia instigata ab ipso, intelligatur, quòd scribitur in persona eius: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor, quia caput Holofernis non est in eo. Vt dicatur Virgo MARIA mulier Hebræa, per eius victoriosam impugnationem. Interpretatur enim Hebræa, Victoria, vel Vincens. Vt dicatur fecisse confusionem in domo Nabuchodonosor per vitiorum interfectionem. Interpretatur enim Nabuchodonosor, angustia, vel angustiatus. Et multum est angustiatus, qui est inuolutus in peccatis. Sed dicitur abscidisse caput Holofernis, id est, Diaboli per ipsius

*Homil. 2. sed verba sunt varianõ tamen sensus.*

*Genes.* 3.

11. *super Genes. c.* 21. *to.* 3. & 3. *de lib. arbit. tom.* 1.

*Genes.* 3.

*Iudit.* 14.

ipsius Diaboli effugationem, per ipsam enim Princeps mundi huius eiectus est foras, qui illi dominium mundi abstulit.

*An Deipara Virgo singulariter fuerit donorum Spiritus Sancti armarium.*
Quæst. 5.

*In serm. de Natiuit Virg. tom. 10.* *Prou. 9.* AD quintam est dicendum, quòd Augustinus in quodam sermone de Natiuitate Virginis, determinat hanc quæstionem, pertractans illud verbum in Prouerbijs: Sapientia ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem. Dicit, quòd domus Virginalis thalami, per diuinam sapientiam ædificata septem columnis suffulta extitit, quia venerabilis mater septem Spiritus Sancti donis dotata fuit. Ad cuius intellectum est sciendum, quòd Beata Virgo perfecta fuit in vita actiua, & contemplatiua. Vnde in eius Assumptione legitur illud Euangelium de Marta, & Maria, per quas duas mulieres, perfectio vtriusque vitæ datur intelligi, vt dicit *Super Lucæ c. 10. tom. 4.* Augustinus super Lucam: In perfectione autem vitæ contemplatiuæ, tria sunt necessaria. Primum est diuinorum supra humanum modum intellectio, & ad hoc requiritur donum intellectus, quia in tam excellenti luce, mentis humanæ acies non figitur inualida, nisi per donum intellectus illustretur. Secundùm est diuinorum supra humanum modum sententiatio, vt de diuinis homo iudicet, & sententiet supra modum humanum, & ad hoc requiritur donum sapientiæ, quia vt dicit *1. Cor. 2.* Apostolus: Sapiens, & spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Tertium est humanorum, supra modum humanum prudens, & discreta conuersatio. Et ad hoc requiritur donum scientiæ, quia sicut sapientia est de diuinis, ita scientia est de humanis. Ad perfectionem ergo vitæ cõtemplatiuæ, tria dona requiruntur, scilicet, donum intellectus, donum sapientiæ, & donum scientiæ. Vita verò actiua versatur inter duo, prospera, scilicet, & aduersa. Aduersorum supra modum humanum causæ inuestigatio est per donum consilij. Nam inuestigare ex qua causa Deus permittit aduersa hominibus euenire, ad donum consilij pertinet, an ex peccatorum correctione, vel patientiæ probatione. Sed prædictorum aduersariorum, supra modum humanum fortis toleratio, pertinet ad donum fortitudinis. In prosperis verò dupliciter homo supra humanum modum potest se habere. Primò, vt omnibus homo compatiatur, talia prospera omnibus communicando, & ad hoc requiritur donum pietatis. Secundò, vt homo in talibus propter timorem Dei omnibus subijciatur, & ad hoc requiritur donum timoris. Quatuor ergo dona requiruntur ad perfectionem vitæ actiuæ, scilicet, donum consilij, & fortitudinis in aduersis, & donum pietatis, & timoris in prosperis. Verè ergo Beata Virgo fuit armarium, & sacrarium Spiritus Sancti donorum, quia in vita contemplatiua fuit supra humanum modum perfecta, per donum intellectus, sapientiæ, & scientiæ. Et in vita actiua, per donum consilij, & fortitudis in aduersis, & per donum pietatis, & timoris in prosperis, vt signanter secundùm Augustinum in persona eius dictum sit: Sapientia ædificauit sibi domum, per eius corporis miraculosam formationem: excidit columnas septem, per mentis eius septem donorum Spiritus Sancti inhabitationem. *Prou. 9.*

## *LECTIO VII.*

De gratiæ Deiparæ Virginis plenitudine.

### *GRATIA PLENA.*

POsito verbo salutationis, ac verbo personæ salutatæ nominationis, in parte ista Euangelista ponit verbum diuinæ gratiæ impletionis. Et tunc respondet illud verbum: *Gratia plena*. Per quod facta est nostra redemptio: Tertiò, operi creationis, de quo scribitur in Genesi: Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. In quibus *Genes. 1.* commendatur Beata Virgo ex tribus. Primò, ex gratiæ copiositate, cùm dicitur: Congregentur aquæ. Secundò, ex suæ animæ recipientis singulari capacitate, cùm additur: In locum vnum. Tertiò, ex sui ventris benedicti fœcunditate, cùm subinfertur: Et appareat arida. Nam per aquas copiositas diuinæ gratiæ intelligitur, iuxta illud: Qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de *Ioan. 7.* ventre eius fluent aquæ viuæ, & postea subdit: Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. In Virgine autem gloriosa omnes gratiæ, & omnes aquę copiosæ congregatæ sunt: quia vt dicit Hie- *Inser. de Assumpt. epist. 10. tom. 9.* ronymus in sermone de Assumptione: Ceteris virginibus per partes gratia præstatur: MARIÆ verò se simul tota infudit plenitudo gratiæ. Per vnum locum autem, in quo tales gratiæ congregatæ sunt, singularis capacitas animæ Virginis ad gratiam recipiendam intelligitur: quia nullus locus, & nulla anima alicuius creaturæ posset esse tantæ, & talis gratiæ capax, sicut fuit anima Virginis gloriosæ, de quo loco dictum fuit Moysi: *Exod. 3.* Solue calceamentum de pedibus tuis, & non appropinques hic: quia locus, in quo stas, terra sancta est. In tantum enim locus iste fuit sanctificatus, & virtutibus, & gratijs repletus, quòd nullus Sãctorum, nec Angelorum, ad eius sanctitatem, & bonitatem potuit appropinquare. Sed per aridam terram, fœcunditas

ditas ventris Beatæ Virginis designatur. Verum namque est, quòd terra illa ante Spiritus Sancti (iuxta verbum Angeli) superuentionem, arida erida, quia expers virilis consortij. Sed Spiritu Sancto veniente, in ea facta est illa terra, de qua dicit Propheta: *Psal. 84.* Veritas de terra orta est, & terra nostra dedit fructum suum. De illa ergò plenitudine gratiæ Beatæ Virginis, quinque dubitationes esse possunt.

1 Vtrùm ipsa fuerit magis plena gratia, quàm aliqua creatura esse posset.

2 Vtrùm fuerit plena gratia sicut Christus.

3 Vtrùm fuerit in gratia perfecta, statim in sua natiuitate.

4 Vtrùm ipsa habuerit omnia dona gratis data.

5 Vtrùm ipsa habuerit omnem gratiam gratum facientem.

*An Deipara Virgo fuerit magis plena gratiæ, quàm aliqua alia creatura esse possit.*
Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd gratia datur à Deo ad quatuor effectus principaliter. Primò, ad diuinæ gratiæ copulationem: nullus enim potest Deo coniungi, & copulari, nisi per gratiam ipsius. Vnde dicebat Apostolus: Per gratiam reconciliati sumus Deo, cùm essemus inimici, in sanguine *Rom. 5.* eius. Secundò, ad remissionem peccatorum, quia cùm non sit conuentio lucis ad tenebras, gratia, quæ est quædam lux animæ, tenebras peccatorum habet tollere. Tertiò ad salutis consecutionem, quia salutem nullus potest consequi, nisi per gratiam. Vnde dicebat Apostolus: *Ephes. 2.* Gratia Dei saluati estis, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est. Quartò ad corporis illustrationem. Valde enim magnum est, quòd gratia illustret, & repleat animam. Sed quòd lux gratiæ tanta sit, quòd etiam redundet in corpus, vel in faciem, vel in carnem, hoc est maximum. Vnde dixit illa sancta Esther: *Esth. 15.* Vidi te Domine quasi Angelum Dei; valdè enim mirabilis es, & facies tua plena est gratiarum. Possumus igitur dicere, quòd plenitudo gratiæ Beatæ Virginis, in istis quatuor excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ Angelicæ, vel humanæ. Primò, in diuinæ gratiæ copulatione, quia alij homines, vel Angeli sunt Deo coniuncti, vel copulati per gratiam filialis adoptionis. Sed Beata Virgo fuit Deo coniuncta per gratiam naturalis filiationis, quia ipsa fuit verè mater Christi naturaliter, & corporaliter. Vnde non potuisset maiori gratia repleri illo, qui Creator erat, & dator omnis gratiæ. Excessit ergo omnes in gratia coniunctionis, & copulationis ad Deum. Secundò, excessit omnes in gratia peccatorum remissionis, quia peccatum originale licet contraxerit, statim tamen fuit ab illo purgata per sanctificationem in vtero: peccatum verò actuale, vel personale nunquam contraxit, nec veniale, nec mortale contrahere poterat. Sed alij sancti saltem venialiter peccauerunt. Tertiò, excelsit omnes in gratia saluationis, quia potest gratia alicuius sancti impetrare, vel operari salutem aliquorum, vel alicuius, & præbere remedium in tali periculo, vel in illo: sed Beata Virgo salutem omnium hominum de mundo, & omnium Angelorum operata est, Christum generando. Et potest remedium conferre in omni periculo, & in omni angustia. Vnde dicitur in persona eius: Mille clipei, id est, mille remedia contra pericula occurrentia, *Cant. 4.* pendent ex ea, & omnis armatura fortium. Quartò, excessit omnes in gratia corporis illustrationis, quia gratia animæ redundabat in corpus, interius, & exterius. Interius quidem, ventris fœcundatione. Vnde dicit Hugo, quòd quia in corde Virginis MARIÆ ardor gratiæ Spiritus Sancti singulariter ardebat: ideo in corpore eius mirabilia faciebat, in tantum, vt de ea nasceretur Deus, & homo. Exterius verò faciem eius, & omnia membra eius radiando, & illustrando, in tantum, vt dicit Dionysius in quadam *In epist. Missa B. Ioanni.* epistola, Missa Beato Ioanni, cui odi Virginis, à quo cùm petiuisset, matrem Domini sibi ostendi, & obtinuisset, quòd petebat, visa ea, ait: Si diuinis litteris eruditus non essem, & fide illuminatos oculos non haberē, aliud lumen non esse crederem, propter irradiationem, & splendorem eius. Ratione cuius dicit Hylarius super Matthæum, quòd Ioseph sponsus Virginis non cognouit eam, *Super Matth.* donec peperit Filium suum primogenitum. Plena ergo fuit Beata Virgo, gratia diuinæ copulationis, gratia peccatorum expurgationis, gratia omnium saluationis, & gratia corporis illustrationis. Vt sola ipsa signanter posset dicere, quantum ad ista quatuor, quòd scribitur in Ecclesiastico: In me omnis gratia vitæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, *Eccles. 24* & virtutis.

*An Deipara Virgo fuerit plena gratiæ sicut Christus.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd de capite nostro Christo legimus, quòd fuit *Ioan. 1.* plenus gratia: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. De Beato Stephano legi- *Actor. 6.* mus, quòd erat plenus gratia, & fortitudine. Et de omnibus Apostolis scribitur, quòd *Actor. 2.*

repleꝛ

repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Qualiter autem Beata Virgo fuerit plena gratia, differt ab istis. Est sciendum, quòd Christus
*Ephes.* 1. fuit caput omnium hominum, & Angelorum, iuxta illud Apostoli: Ipsum quidem dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius. A capite autem debet deriuari in membra sensus cognitionis, & virtutis. Ideo in Christo fuit plenitudo gratiæ tanquam in capite, quia gratia, & veritas per IESVM Christum facta est. Et tanquam in
*Ioan.* 1. Creatore, & datore gratiæ: quia de plenitudine gratiæ eius omnes nos accepimus gratiam pro gratia, & vt dicitur ibidem, fuit ipse Christus dator, & Creator gratiæ, effectiuè quidem, & principaliter per diuinitatem,
*Ibidem.* & instrumentaliter, & meritoriè per humanitatem, quia humanitas, secundum Damascenum, erat instrumentum diuinitatis: mediante quo, quæ erant hominis supra natu-
*Lib. 3. fidei Orth. c. 15. vbi legitur: Caro Christi diuinitatis organum erat.* ram, in hominem operabatur. In Beata autem Virgine fuit plenitudo gratiæ, quia authorem gratiæ generauit, & portauit. Vnde fuit plena gratiæ, sicut mater plenitudinis gratiæ. Sed Beatus Stephanus, & Apostoli, fuerunt pleni gratia, sicut fideles, & dispensatores gratiæ. Vnde dicit Apostolus: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensa-
1. *Cor.* 4. tores mysteriorum Dei: Christus sicut Fons, MARIA fluuius, Apostoli riuuli. Dicamus ergo, quòd Christus fuit plenus gratiæ, quia ipsam plenitudinem gratiæ potuit creare, & omnibus condonare. Beata Virgo fuit plena gratiæ, quia plenitudinem gratiæ potuit generare. Sed Stephanus fuit plenus gratiæ, quia gratiam Christi potuit dispensare, & prædicare, & sic plenitudo gratiæ fuit in vno aliter, quàm in alio.

### *An fuerit in gratia perfecta, vbi primum nata fuit.*
### Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd in rationibus naturalibus inuenitur quadruplex perfectio. Prima, dispensationis. Secunda, formæ introductionis. Tertia, operationis. Quarta, finis adeptionis. Vt si ex aqua debeat fieri ignis. Primò, videmus quòd est ibi idonea dispositio, quæ est aquæ calefactio. Secundò, est ibi formæ ignis introductio. Tertiò, est ibi ignis operatio, puta sursum ascensio. Quartò est ibi finis consecutio, vt ignis in proprio loco quietatio. In Beata igitur Virgine successiuè quadruplex gratiæ fuit perfectio. Prima fuit dispositionis, quã recepit in sua sanctificatione in vtero, & in sua Natiuitate, in qua fuit à peccato originali mundata, & sic sanctificata, quòd ad recipiendum Dei Filium facta fuit dispositа, & præparata. Secunda fuit formæ introductionis, & hanc recepit in eius Annunciatione: tunc enim in suo vtero recepit Dei filium, quem concipiendo, ab omni fomitis inclinatione, fuit totaliter eius caro separata, & in bono confirmata. Tertia fuit operis manifestationis, & hanc ostendit in eius Purificatione: tunc eius opus, & fructum suum templo præsentando, omnibus manifestauit. Ostendit enim tunc se esse matrem Christi, quia hoc officium matris erat. Sed legis præceptum fuit eum oblationibus in templo præsentare. Quarta fuit finis consecutionis, vt æternæ fruitionis, & ab omni miseria liberationis, & hanc recepit in sua Assumptione, quando exaltata fuit super choros Angelorum ad cœlestia regna. Secundùm ergo, quòd sancta mater Ecclesia colit de Virgine quatuor festa, sic in ea fuit quadruplex perfectio gratiæ singularis. Quia festum alicuius Sancti non colitur diuersis vicibus, nisi propter diuersitatem singularis gratiæ, quia perfectio gratiæ dispositionis in Beata Virgine fuit in eius Natiuitate, & in eius sanctificatione in vtero, tunc enim sufficienter fuit dispositа, & præparata. Perfectio verò gratię formæ introductionis, fuit in ea, in eius Annunciatione. Tunc enim Dei Filio fuit ingrauidata, & fœcundata. Perfectio autem fructus manifestationis fuit in ipsa in eius Purificatione. Tunc enim quòd fuerit eius mater Christi, omnibus fuit declarata. Sed perfectio gratiæ finis adeptionis, & æternæ quietationis, fuit in eius Assumptione. Tunc enim super omnes cœlos est exaltata super choros Angelorum, & ab omni miseria liberata, vt de istis quatuor perfectionibus gratiæ intelligatur, quòd scribitur in Isaia: Im-
*Isai.* 58. plebo splendoribus animam tuam, in tua sanctificatione per idoneam dispositionem, & eris quasi hortus irriguus in tua Annunciatione, per Dei Filij in vtero receptionem, & substollam te super latitudinem terræ, in tua Purificatione per tui partus in Templo præsentationem, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui, in tua Assumptione, per æternæ fruitionis quietationem.

### *An Deipara Virgo habuerit omnia dona gratis data.*
### Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd inter dona gratiæ gratis datæ, & gratum facientis, triplex differentia, quantum ad præsens, potest assignari. Primò, quia dona gratiæ gratis datæ sunt communia bonis, & malis: multi namque dicent Christo in die iudicij: Domine in nomine tuo prophetauimus, Dæ-
*Matt.* 7. monia eiecimus, & miracula multa fecimus. Quibus tamen respondebit: Nescio vos. Sed dona gratum facientia solum dantur bonis: chari-

charitas autem, & gratia non datur, nisi solùm diligentibus Deum. Secunda est, quia dona gratiæ gratis datæ, dantur non solum pro vtilitate illius, cui dantur, sed etiam pro vtilitate aliorum. Dona verò gratiæ gratum facientis, dantur principaliter pro vtilitate illius, cui dantur. Tertia est, quia dona gratiæ gratis datæ possunt dari alicui sine operatione, & vsu eorum: quia fortè ille, cui dãtur, non est in statu vt possit, vel debeat talia dona ad vtilitatem aliorum exequi. Sed dona gratiæ gratum facientis semper dantur cum vsu, & operatione ipsorum. Cùm ergo quæritur, an Beata Virgo habuerit omnia dona gratiæ gratis datæ, dicendum est, quòd prædicta habuit, sed differenter ab Apostolis, & ab alijs, quibus data sunt talia dona. Nam donum sapientiæ, & scientiæ perfectè habuit, & dona, & operationem donorum per modum cuiusdam familiaris exhortationis, non autem per modum publicæ prædicationis, sicut Apostoli, quia sic publicè docere repugnat sexui fœmineo. Donum verò loquendi diuersis linguis, credendum est, quòd habuerit etiam, & donum, & vsum: quia hoc non repugnat conditioni personæ eius. Similiter donum prophetiæ habuit, & vsum, sicut patuit in Cantico eius: Magnificat anima mea Dominum. Sed donum faciẽdi miracula, vel in curatione infirmorum, vel in expulsione Dæmonum, in vita eius congruum non erat ipsam habere. Maximè quamdiu doctrina Christi confirmata, & manifestata non fuit, quia illis solùm miracula faciendi dona data sunt, per quos erat doctrina Christi confirmanda, & manifestanda. Vnde Ioannes Baptista non legitur fecisse miracula, ne alibi homines fidem ponerent, quám in Christi doctrina: post mortem tamen, gratia faciendi miracula magis in Virgine viguit, & viget, quàm in aliquo sanctorum, & sanctarum.

*Luçæ 1.*

A B

## *An Deipara habuerit omnem gratiam gratum facientem.*

Quæst. 5.

C D

AD quintam est dicendum, quòd gratia gratum faciens est illa, quæ habentem Deo facit gratum, & charum, & quæ diuidit habentem à filijs perditionis æternæ, & numerat ipsum cum filijs Regni æterni, & hoc est propriè ipsa charitas. Vnde dicit Augustinus de Trinitate, quòd nullum donum gratiæ est charitate excellentius, quia ipsa sola diuidit inter filios Regni æterni, & filios perditionis æternæ. Sunt autem tria, quæ faciunt hominem præcipuè Deo gratum, & charum. Primum est, vitatio peccatorum. Secundum est, operatio bonorum. Tertium est, sedatio, & quietatio cogitationũ. Deus autem separat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Ista autem tria tangit Propheta cùm ait: Declina à malo, quantum ad peccatorum vitationem, & fac bonum, quantum ad bonorum operationem: inquire pacem, & sequere eam, quantum ad cogitationum sedationem. Et quòd ista faciant hominem Deo charum, & gratum, ac iustum, patet per illud, quòd sequitur: Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Hæc autem tria singulariter fuerunt in Virgine gloriosa, magis quàm in aliquo sanctorum.

*15. de Trinit. c. 17. to. 3.*

*Psal. 33.*

† Primò, vitatio omnium peccatorum, quia nullum peccatum incurrit, nec veniale, nec mortale, quòd de nullo sanctorum potest dici. Et hoc multum congruè propter eius puritatem, quia ipsa electa fuit, vt esset mater sapientiæ increatæ, de qua scriptum est: Quia non intrat in maleuolam animam, nec habitat in corpore subdito peccatis. Deinde filij dignitatem. Nam sicut honor ex gloria filiorum, sunt parentes eorum, vt dicitur in libro Prouerbiorum; sic opprobrium, & verecundia filiorum est indignitas parentum: macula ergo, & ignominia matris Domini redundasset in filium. Tertiò, propter finis incarnationis Dei Congruitatem. Nam Dei Filius carnem assumpsit de Virgine, vt peccata tolleret, iuxta illud Ioannis: Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Et si carnem mundam, & innocentem de Virgine non accepisset, Agnus non fuisset, & peccata non tulisset.

*Sap. 1.*

*Prou. 8.*

*Ioan. 1.*

† MARIA semper Virgo, nec mortaliter, nec venialiter peccare poterat. Idem dicit Ægidius Romanus 2. Sent. dist. 23. quæst. 1. art. 1. Et alij Doct. Et vide ibi Scholium nostrum. Sed non posse peccare contingit quatuor modis. Primò modo per se, vt Deus tantum, cum habeat naturam inuertibilem, & immutabilem, & non posse peccare per se sequatur naturam inuertibilem, vt ait Albertus Magnus. Secundò modo Christus non potuit peccare propter personam coniunctam Verbo inuertibili. Tertiò modo Sancti in Patria cœlesti nõ possunt peccare propter coniunctionẽ, & conuersionem ad naturam inuertibilem per medium, quòd natura sua est inseparabile, vt est habitus gloriæ. Quartò modo MARIA semper Virgo non poterat peccare propter coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quòd fuit plenitudo gratiæ, non inseparabile de sui natura, sed omnino separatum à suo contrario repugnante, vel impediente. Et per plenitudinem gratiæ peccare non poterat mortaliter, nec venialiter (etsi omne creabile est vertibile secundùm esse, vt corporalia, & secundùm electionem, vt rationalia. Vnde Iob. de Angelis dixit: non esse stabiles) quia fomes, vt ait S. Thom. 1. part. quæst. 27. erat ligatus, vel secundùm alios omnino extinctus. Et quando dixit Ioan. Chrysost. super cap. Matth. 12. homil. 45. & super Ioan. 2. homil. 20. Beatam Virginem inani gloria affectam fuisse, intelligitur quantum ad existimationem aliorum,

rum, vel quantum ad fratres. Et quòd dixit S. Augustinus quæst. 73. Veter. & Noui Testam. Virginem dubitasse in morte Christi, intelligitur de duoitatione admirationis, & stuporis, vt inferius colligitur. Vel dicitur, illum librum non esse Augustini, vt ait Alphonsus de Castro propter hæresim ibi contentam de Melchisedech, & ab eodem Augustino damnatam, & in Retractationibus non repertam.

Secundò, in Virgine fuit operatio omnium bonorum: nam gratia data est à Deo alicui sancto ad operandum aliquod bonum, quòd fulgeat omni virtute. Vnde de quolibet sancto confessore dicimus: Non est inuentus similis illi, quòd subintelligitur in aliquo dono singularis gratiæ: Nam secundùm Augustinum, nullum enim hominem videmus sic priuatum virtute, & gratia, quòd in aliquo gratiæ dono non deberemus ipsum arbitrari nobis superiorem. Sed gratia data Beatæ Virgini fuit operatiua omnis boni, & omnis virtutis. Vnde ipsa datur in exemplum omnium virtutum, & omnium bonorum. Alij verò sancti in exemplum istius virtutis, vel illius: vt Iob in exemplum patientiæ, Tobias in exemplum misericordiæ, Iudith in exemplum castitatis, Esther in exemplum humilitatis, & sic de alijs, propter, quòd ipsa comparatur Soli, & Lunæ: alij verò sancti, stellis: quæ à Sole, & à Luna recipiunt lumen.

*Iob. Tob. Iudith. Esther.*

Tertiò, fuit in Virgine sedatio, & quietatio omnium fluctuantium cogitationem. Si enim secundùm Augustinum, ille sanctus Simeon, dixit se fuisse dimissum in pace, solùm, quia oculi eius viderant salutare Dei, quomodo non dicemus Virginem sanctam fuisse in pace quieta, & terminata, quæ pacem omnium portauit in ventre, quietem omnium genauit, & terminum omnium terminauit? Fuit ergo Beata Virgo valdè formosa, in peccatorum vitatione, & in incredibili pulchritudine, in virtutum, & bonorum operatione, & oculis omnium gratiosa, in cogitationum sedatione, & quietatione, vt in persona eius scribitur in libro Esther.

*Luc. 2. Cantic. Simeonis*

*Esther. 2.*

## *LECTIO VIII.*

### De Diuina habitatione.

### *DOMINVS TECVM.*

SIcut dicebatur supra, posito verbo gratiæ impletionis. Hic Euangelista ponit Verbum diuinæ habitationis, & correspondet illud Verbum *Dominus tecum*, per quod facta est nostra redemptio, quarto creationis operi, de quo dicitur in Genesi, quòd quarto die posuit Dominus duo luminaria in firmamento cœli, vt lucerent super

*Genes. 1.*

A terram, & præessent diei, & nocti, vt dicatur, quòd Dominus primò fuit cum Virgine per duarum naturarum in vtero eius personalem vnionem, & quantum ad hoc dicitur: Posuit Dominus duo luminaria in firmamento cœli: nam luminare maius fuit natura diuina, quæ dicente Apostolo, habitat lucem inaccessibilem, & luminare minus fuit natura humana. Istæ duæ naturæ, & ista duo luminaria posita sunt in firmamento cœli, & in vtero Virginali per personalem vnionem, non per confusionem naturarum, quia Dei Filius, quòd erat permansit, & quòd non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque

*1. Tim. 6.*

B diuisionem. Vnde in extrau. de fide Catholica scribitur: Vna in duabus naturis persona viam vitæ manifestius demonstrauit. Secundò, dicitur fuisse Dominus cum Virgine per humanæ mentis illustrationem, & quantum ad hoc dicitur: Vt lucerent super terram, id est, super terrenos homines. Nam sicut secundùm Augustinum: cùm Dominus dixit: Vos estis sal terræ: non terram, quàm pedibus calcamus, sed terrenos homines quorum extinguendis patoribus, & condiendis moribus, Apostolicum salem Dominus misit, debemus intelligere, sic cùm dicitur: Vt lucerent super terram, homines habitantes in terra intelligere debemus. Vnde dicit

*In decretalibus, libro 1. tit. 1. c. 1. Firmiter.*

*Matt. 5. Hom. super eund. tomo 4.*

*Ioann. 1*

C Ioannes, quòd ipse Christus erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Tertiò, dicitur Dominus fuisse cum Virgine, per vniuersalem dominationem, & quantum ad hoc dicitur: Vt præesset diei, & nocti, id est, vniuersaliter fideli, & infideli, vel Iudæo, & Gentili. Sicut secundùm Augustinũ cum dicitur: Dies diei eructat verbum, id est, Christianus Christiano, & nox nocti, id est, Gentilis Gentili, vel Iudæus Iudæo, indicat scientiam. Illam namque scientiam, de qua dicit Apostolus: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Igitur Dominus fuit cum Virgine, per duarum naturarum personalem vnionem, per humanæ men

*Psal. 18.*

*1. Cor. 7.*

D tis illustrationem, & per vniuersalem dominationem. Et quia Dominus dicitur de Patre, & de Filio, & de Spiritu Sancto, fuit & Dominus cum Virgine ante quàm Angelus eam salutaret, & diceret: *Dominus tecum.* Ideo quinq; dubitationes hic quęri possunt.

Prima, Vtrùm singulariter fuerit cum ea Dominus Pater.

2 Vtrùm singulariter fuerit cum ea Dominus Filius.

3 Vtrùm singulariter fuerit cum ea Dominus Spiritus Sanctus.

4 Vtrùm fuerit cum ea Dominus ante quàm mitteret ad eam Angelum.

5 Vtrùm nobiliori modo Deus esset cum aliqua creatura, quàm fuerit cum MARIA

### An cum Deipara Virgine singulariter fuerit Dominus Pater.
Quæst. 1.

*De præsentia Dei epist. 57. tomo 2.*

AD primam est dicendum, quòd Augustinus in libro de præsentia Dei, istam quæstionem determinat, dicens: Aliter Deus dicitur esse vbiquè, aliter in seipso, aliter in sanctis, & in Beata Virgine. Nam vbique dicitur esse, per diuinitatis præsentiam: cùm enim attingat vbique per suam infinitam virtutem, nunquam absens est alicui rei. In seipso verò dicitur esse propter nullius rei continentiam, non enim cõtinetur à rebus, qui præsens est. Ideo dicitur esse in seipso, propter nullius rei cõtinentiam, vel indigentiam. In sanctis autem viris dicitur esse per inhabitationis gratiam. Multis modis dicitur esse in sanctis viris, quia secundùm gratiam maiorem, & minorem, & secundùm plura dona, & potiora. Nam cùm non agat ex necessitate, sed ex libera voluntate sua, diuidit singulis sta dona, sicut vult. Sed in Beata Virgine, Dominus Pater fuit singulariter per sui filij inseparabilem substantiam. Cõm enim Filius sit eiusdem substantiæ, & naturæ cum Patre: Qua ego, & Pater vnum sumus. Ex quo filius erat cum Virgine, & pater similiter erat, secundùm quem modum Dominus Pater non fuit cum aliqua creatura, homine, nec Angelo, quia non fecit, quòd aliqua creatura esset mater illius filij, cuius ipse pater erat. Singulariter autem Dominus pater fuit cum Virgine, quia in eodem filio, in quo Beata Virgo erat vt mater, in eodem erat Dominus Pater, vt pater: licet enim in Christo fuerit duplex natura, diuina, & humana, & secundùm diuinam sit eiusdem substantiæ cum Patre Æterno, & naturam humanam acceperit ex matre temporaliter, personaliter tamen non est, nisi vnus solus filius, æternaliter genitus à patre, temporaliter genitus à Virgine Matre. Et quia generari, & nasci nest per hypostasim, ideò vnus, & idem filius, est Christus æterni Patris, & Virginis Matris. Et illum eumdem filium, quem Dominus Pater genuit æternaliter, Beata Virgo genuit temporaliter. Vnde dicit Damascenus: Hypostasim, & personam genuit sancta Dei Genitrix in duabus naturis: diuinitatem quidem ex patre genitam intemporaliter: humanitatem autem sub tempore, ex seipsa incarnatam, & carne genitam dicimus. Dicat ergo Angelus Virgini MARIÆ: *Dominus Pater tecum*, quia est pater tui filij æternaliter, cuius tamen naturæ effecta es mater temporaliter. Et Virgo benedicta respondeat, quòd scribitur in Genesi: Verè Dominus Pater est in loco isto, scilicet, in vtero meo, per sui filij inseparabilem substantiam, & ego nesciebam eum, per carnis eius assumptionis de vtero meo ignorantiam. Nam qualiter illa benedicta caro in vtero Virginis formata, & animata, ac Dei Filio personaliter copulata fuerit, vt ipsa benedicta Virgo esset vera mater illius, cuius cœlestis Dominus erat Pater. Et quòd natura non habuit, vsus nescivit, ignorauit ratio, humana mens non capit, cœlum pauet, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur, hoc totum est, quòd per Gabrielem MARIÆ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletur, cùm ei dicitur: *Dominus tecum*, sicut dicit Hieronymus in sermone de Assumptione.

*1. Cor. 2.*

*Ioan. 10.*

*3. lib. cap. 12. sub aliis verbis.*

*Genes. 21.*

*Inser. de Assumpt. epist. 10. tomo 9.*

### An cum Deipara Virgine fuerit singulariter Dominus Filius.
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd Augustinus in lib. de Symbolo, loquendo de aduentu Domini, ostendit, quòd Dominus Filius tribus modis singulariter cum Beata Virgine fuit, quibus nõ fuit cum aliqua creatura Angelica, vel humana. Primò, sicut filius cum vera matre. Secundò, sicut sponsus cum sua sponsa. Tertiò, sicut nutritus cum sua nutrice. Nam sicut Dei Filius accepit de Virgine, quidquid verus filius debet habere à vera matre, quia carnem animatam anima rationali cum omnibus suis naturalibus, & proprietatibus, de eius benedicto vtero accepit, sic fuit cum matre omni modo, quo verus filius, & bonus debet esse cum sua matre. Debet autem filius bonus esse cum matre, tribus modis. Primò, cum reuerentia, & subiectione. Sicut dixit sanctus Tobias filio: Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ tuæ. Secundò, cum eius petitionum exauditione; præceptum namque fuit in lege Moysis, filios contemnentes patentes, debere lapidari. Tertiò, cum necessariorum subuentione, quæ de exteriori reuerentia intelligitur. Omnibus autem istis modis, Dei Filius fuit cum matre, sed filius debet esse cum matre: Primò, cum reuerentiæ subiectione, nam super illo verbo: Descẽdit IESVS cum eis, & erat subditus illis, dicit Ambrosius, quòd ab ipsa primæua ætate Dei Filius patri tuo patri, & veræ matri fuit obediens, labores corporales, in stãdo, in eundo, & necessaria procurãdo, humiliter, & reuerenter mandatum eorum substinendo. Secundò, cum petitionis exauditione: petiuit enim mater, vt aquam mutaret in vinum in nuptijs. Et quamuis hoc non conueniret ei secundùm naturam illam, secundùm quam erat mater eius, Filius tamen noluit matrem de hoc erubescentiam pati in conspectu multorum, sed humiliter ipsam exaudiuit, vt dicit Augustinus. Tertiò, in necessariorũ subuentione, quia nõ oblitus de cura, & custodia eius,

*In lib. de Symbolo.*

*Tob. 4.*

*Luc. 3.*

*Super Luc. 3 lib. 2 tom. 3.*

*Super Ioann. 2. tomo 9.*

eius, in cruce existens, ipsam curæ, & custodiæ Beati Ioannis recommendauit. Fuit igitur Dominus filius cum Virgine, sicut filius cum vera matre. Secundò, sicut sponsus cum sua sponsa, quia sicut mulier coniungitur sponso, & vir sponsæ, & efficiunt vna caro: sic humana natura in vtero Virginali copulata est diuinitati, & personaliter facta est vnum cum ipsa, in signum, quòd tota Ecclesia fidelium copulatur Christo, & efficitur vnus spiritus cum ipso. Vnde dicit Augustinus in libro supradicto, quòd Dei Filius in corde patris, & hominis filius in vtero matris, idem ipse vnus Christus, qui præcessit in vtero Virginali, tanquam sponsus de thalamo suo, in quo vtero spirituales nuptiæ celebratæ sunt: quia Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo: vt esset vnus Christus Deus, & totus homo. Si ergo in vtero Virginali celebratum est spirituale matrimonium, benè dictum est, quòd Dei Filius fuit cum Virgine sicut sponsus cum sponsa.

*In lib. supradicto, tom. 7.*

*Psal. 44.*

Tertiò, Dominus Filius fuit cum Virgine, sicut nutritus cum sua nutrice. Nam super illo verbo: Pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio, dicit Hieronymus, quòd nulla in parturitione Virginis fuit obstetrix, nulla mulierum sedulitas intercessit: Sed ipsa Virgo infantem pannis inuoluit, ipsa mater, & ipsa obstetrix. In eius verò educatione nulla nutrix, nulla lactans, sed ipsa nutrix, & ipsa mater. Multi namque sunt filij alicuius mulieris generatione, sed non nutritione. Sed Beata Virgo, Dei Filij mater esse meruit, & nutrix. Vnde dicit Augustinus in quodam sermone de Assumptione: Lacta MARIA Creatorem tuum. Lacta panem cœli, lacta pretium mundi, præbe lambenti mamillam: vt pro te ipse præbeat percutienti maxillam. Tu illi, vt mater, temporalem ministra substantiam, vt ipse nobis, & tibi vitam tribuat æternam. Dominus ergo filius fuit cum Virgine tribus modis, quibus non fuit cum aliqua creatura. Primo per veram filiationem. Secundò, per spiritualem desponsationem. Tertiò, per temporalem nutritionem. Vt de istis tribus intelligatur, quòd scribitur in Ezechiele: Dominus Deus Israel ingressus est per eam, per supernaturalem filiationem: nam virtute Spiritus Sancti, non natura Dei Filius ingressus est per vterum Virginis, humanam naturam ex ipsa assumendo. Et Princeps sedebit in ea, per spiritualem desponsationem, qua personaliter natura humana fuit copulata diuinitati, & spiritualiter tota Ecclesia ipsi Christo, vt comedat panem per spiritualem nutritionem.

*Tantum Lucæ textum ponit non explanat.*

*In ser. de Assumpt. tomo 9.*

A

B

C

D

*An cum Deipara Virgine singulariter fuerit Dominus Spiritus Sanctus.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd sicut ex dictis Ambrosij, in libro de Virginibus colligi potest, Dominus Spiritus Sanctus singulariter fuit cum Virgine, in mente eius, per sanctificationem: in ventre eius, per prolis informationem: in opere, per donorum diffusionem. Quamuis sanctificationem omnium Sanctorum operetur Spiritus Sanctus, quia ipse in animas sanctorum se transfert: amicos Dei constituendo, & Prophetas faciendo, vt dicitur. Cum quadam tamen singulari magnificentia operatus est sanctificationem Virginis gloriosæ, iuxta illud Psalmi: Sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius. Ista autem singularis magnificentia sanctificationis Virginis apparuit singulariter in duobus. Primo, vt per eam sic mundaretur, quòd totam vitam suam duceret, non solũ sine peccato mortali, verum etiam sine veniali. Secundò, vt sic mundaretur, quatenus filium pareret sine peccato originali. Primum nunquam fuit concessum in sanctificatione alicuius sanctorum. Secundum, nunquam fuit concessum alicui sanctorum: singulariter ergo Dominus Spiritus Sanctus fuit cum Virgine in mente per sanctificationem, in ventre verò singulariter cum ea, per prolis formationem. Verum namque est, quòd totam illam substantiam, & totum illum purissimum sanguinem, ex quo corpus Christi benedictum est formatum, Virgo Beata administrauit, sicut vera, & naturalis mater. Sed virtus illa, qua tale corpus in vtero Virginali formatum est, vel organizatum, sicut in alijs mulieribus, est virile semen. Sic in Beata Virgine fuit virtus Spiritus Sancti: vnde Damascenus dicit, quòd Spiritus Sanctus in formatione corporis Christi fuit diuinum semen, propter quod in Symbolo Apostolorum dicitur, quòd Christus est conceptus de Spiritu Sancto. Igitur singulariter fuit Dominus Spiritus Sanctus cum Virgine per prolis formationem. Tertiò, fuit Dominus Spiritus Sanctus cum ipsa in conuersatione, & opere, per donorum diffusionem, quia talis fuit Beatissima MARIA, vt eius vita omniũ sit disciplina, & hoc ideo, vt dicit Ambrosius in supradicto libro, quia ipsa corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior, incerta operi, verecunda sermoni, vexillum fidei, deuotionis obsequium, Virgo intra domũ, adpium mysterium comes, mater ad templum omnium, omnia virtutum opera Beata Virgo in se complexa est. Fuit igitur Dominus Spiritus Sanctus cum Virgine, in mente, per sanctificationem: in ventre, per prolis forma-

*In lib. de Virgini b. tomo 4.*

*Sap. 7.*

*Psal. 95*

*3. lib. orthod. fidei cap. 2.*

*In lib. de Virginib. tomo 4.*

fortatuninem, in opere, per donorum diffusionem, vt signãter dicatur de ipsa, quod scribitur in libro Sapientiæ. *Sap. 7.* Est in ista, scilicet, Beata Virgine, Spiritus Sancti virtus per sanctificationem, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, per prolis formationem, & quæ capit omnem spiritum per donorum diffusionem.

### *An cum Deipara Virgine fuerit Dominus, antequam Angelus ad eam missus fuisset.*
### Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Deus est cum qualibet creatura per diuinitatis præsentiam, potentiam, & essentiam, quia cœlum, & terram ipse implet. Fuerat igitur Deus cum Beata Virgine istis tribus modis, ab instanti suæ creationis. Fuerat similiter cum ipsa, antequam nasceretur, per gratiam sanctificationis. Cùm ergo Virgo esset annorum quindecim, quando Angelus Gabriel missus est ad eam, oportet dicere ante istam missionem Dominum fuisse cum Virgine. Soluamus ergo istam quæstionem modo consimili, sicut soluit Augustinus de Trinitate quæstione de missione Spiritus Sancti: *4 de Trinit. c. 7. tom. 3.* An scilicet, fuerit missus antequam Christus cœlum ascenderet. Nam expresè dicit Ioannes Euangelista, quòd nondum spiritus erat datus, quia nondum Christus erat glorificatus. Et tamen planum est Prophetas, & Patriarchas veteris testamenti Spiritum Sanctum habuisse, quia Spiritu Sancto inspirati, *2. Petr. 3. Ibidem.* locuti sunt sancti Dei homines. Ad hoc ergo respondet Augustinus, quòd antequam Christus ascenderet in cœlum, Spiritus Sanctus datus fuit Patribus veteris testamenti: sed taliter post Christi Ascensionem fuit datus, qualiter nunquam fuerat antea. Nunquam enim fuit missus in linguis igneis, sicut in die Pentecostes missus fuit. Habitura ergo erat missio Spiritus Sancti quandam nouitatem post Ascensionem Christi, secundùm Augustinum, qualem nunquam habuerat, propter quam dictum est: Nondum Spi- *Ioan. 7.* ritus Sanctus erat datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. Sic dicere possumus, quòd ante missionem Angeli, Dominus cum Virgine fuit modis supradictis. Sed taliter post missionem Angeli fuit cùm ea, qualiter antea nunquã fuerat. Nam nunquam fuerat cum Virgine per receptionem humanæ naturæ de vtero eius in vnitate personæ, sicut tunc fuit: nec vnquam fuerat, verum dicere ante: Deus factus est homo, Dominus factus est seruus, Creator factus est creatura, sicut verum fuit dicere post nunciationem Angeli.

### *An nobiliori modo Deus fuerit cum aliqua creatura, quàm cum Beata MARIA semper Virgine.*
### Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd dicere Dominum potuisse esse nobiliori modo cum aliqua creatura, quàm cum Beata Virgine, potest habere duplicem intellectum. Primò, quòd fuerit, & potuerit esse nobiliori modo per modum personalis vnionis. Sic planum est, quòd nobiliori modo Dei filius fuit cũ nostra humanitate assumpta, quã cũ Beata Virgine, quia ex diuinitate Dei Filij, & Beatæ Virginis non fuit facta vna persona, ita quòd esset verum dicere: Beata Virgo est Deus, sicut dicimus, quòd ex humanitate assumpta, & ipsa diuinitate facta fuit vna persona, vt sit verum dicere: Verbum caro factum est: vel (quod tantum valet) Dei *Ioann. 1.* Filius factus est homo. Sed si quæratur, an nobiliori modo fuerit, vel esse potuerit cum aliqua creatura quàm, cum Virgine per modum filiationis? Dicẽdum est, quòd nõ: quia non posset fieri quacumque potẽtia, eò quòd non est factibile, quòd aliqua mulier, vel aliqua creatura esset mater nobilioris filij, quã fuerit Beata Virgo. Nam cùm ipsa fuerit Mater Filij Dei; sicut est impossibile esse nobiliorem Filium Dei Filio, sic non esset possibile, quòd aliqua creatura esset mater nobilioris filij, quàm Virgo MARIA fuit; & ideo nobiliori modo Deus fuit cum Virgine, quàm possit esse cum aliqua creatura.

## *LECTIO IX.*

### De Beatæ MARIÆ semper Virginis benedictione.

### *BENEDICTA TV IN mulieribus.*

POsito verbo diuinæ habitationis in parte ista, Euangelista ponit verbum benedictionis, & respondet illud verbum, per quod facta est nostra redemptio, quintò operi creationis. Nam quinto die data est benedictio omnibus viuentibus, vt se inuicem propagarent, & generarent. Licet enim ista die plantæ, & herbæ fuerint productæ, benedictionem tamen se inuicem generandi, & propagandi quinta die omnia acceperunt iuxta *Genes. 1.* illud Genesis: Benedixit eis Deus dicens: Crescite, & multiplicamini. Et post septem dies, postmodum in opus exierunt. Vnde de ista benedictione Virginis, postquã est nostra redemptio facta, potest intelligi illud, quod *Genes. 1.* scribitur in Genesi: Germinet terra herbam virentem, & lignum faciens fructum, vt dicatur Virgo fuisse terra germinans, per receptã

bene-

benedictionis fœcunditatem, quia sicut quin A
to die omnia fuerunt benedicta, per quam benedictionem sic fuerunt fœcundata, vt se inuicem possent propagare post diem septimum. Sic benedicta Virgo, in quinto verbo, & salutationis Angelicæ fuit benedicta, per quam facta est fœcunda, vt pareret Dei Filium. Et sicut benedictio data est creaturis, vt se inuicem propagarent, vel producerent, in mense Martij, quia in Martio Deus * creauit mundum, quo tempore omnia pullulant, & dant operam propagationi. Tunc enim in vernali versione Deus creauit vniuersa, sicut dicit Damascenus: Sic Beata Virgo in vernali versione, hanc benedictionem rece- B
pit. Dicitur ergo, Virgo fuisse terra germinans herbam virentem, per fructus generositatem. Tunc enim impleta est illa figura, quæ ponitur in Numeris, quòd virga Aaron germinauit, & flores emisit, & dicitur fecisse lignum faciens fructum, per hominum copiosam vtilitatem: sicut enim Eua per fructum ligni omnibus maledictionem intulit: sic Beata Virgo per fructum ligni Crucis Christi sui benedicti Filij, omnibus benedictionem contulit. Germinet ergo terra, per receptam benedictionis fœcunditatem, herbam virentem, per fructus generositatem, & lignum faciens fructum, per copiosam omnium vtilitatem. De ista igitur benedi- C
ctione Virginis quinque dubitationes possunt esse.

Prima, vtrùm Beata Virgo super omnes mulieres fuerit benedicta.

2 Vtrùm sola Virgo à maledictionibus mulierum fuerit liberata.

3 Vtrùm per eius benedictionem omnes mulieres sint benedictæ.

4 Vtrùm per talem benedictionem super omnes Angelos sit exaltata.

5 Vtrùm per talem benedictionem sit ad cœlum in corpore, & anima eleuata.

* *Mense Martio, qui dicitur primus mensium in capit. 12. Exodi. Mundus creatus est. Sed quia Dei perfecta sunt opera, sunt qui velint Mundum creatum Septembri mense.*

*De hac quæstione vide per pulchra in Cœlio Rhod. to. 1. lib. 1. c. 9. Vide etiam Augst. to 4. q. Vet. & noui Test. q. 106. vbi ait, xi. kal. Aprilis, creatum fuisse mundũ.*

## *An Beata MARIA semper Virgo super omnes mulieres fuerit benedicta.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd sicut dicit Augustinus in quodam sermone de Virgine, decem benedictiones Beata Virgo habuit super omnes mulieres, quas ipsamet narrat sibi, & toto humano generi, per fructum eius fuisse collatas, in Cantico illo prophetico, quòd cecinit in domo Elisabeth. Nam primò, ipsa de Dei beneficijs à Deo receptis, fuit singulariter grata, & hanc exprimit, cùm ait: *Magnificat anima mea Dominum*, ac si diceret: Quantò maiora miracula, & beneficia à Deo habeo, tantò magis teneor glorificare, & magnificare in me mirabilia operantẽ, vt dicit Augustinus. Secũdò, in suo conceptu fuit singulariter lætifica

*Num. 18.*

*Lucæ 1.*

ta. Et hanc exprimit, cùm dicit: *Et exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo:* Eua enim luxit: MARIA in suo conceptu exultauit. Eua lachrymas: MARIA gaudium in vẽtre portauit, vt dicit Augustinus. Tertiò, in sua humilitate fuit singulariter approbata. Et hanc exprimit cùm dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Multorum namque humilitas nõ respicitur à Deo, quia à Deo non approbatur, eo quòd est, qui nequiter se humiliat, & interiora eius sunt plena dolo, vt dicit Spiritus Sanctus. Quartò, in omnibus gentibus fuit laudata. Et hanc exprimit cùm dicit: Ecce enim ex hoc Beatã me dicent omnes generationes. Si enim Beati dicuntur, qui habitant in domo Dei, quantum laudis præconium decet dare sacrosanctæ Virgini, quæ secundùm carnem Genitrix Verbi est effecta, vt dicit Athanasius. Quintò, in sua Virginitate fuit singulariter à Deo conseruata. Et hanc exprimit, cùm dicit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Quomodo namque magna, vt dicit Augustinus, nisi quia intacta, & illibata permanens mater effici meruit, non cuiuscumque, sed Vnigeniti, Saluatoris, & Creatoris cœli, & terræ? Sextò, in suo fructu fuit salutem omnium operata. Et hanc exprimit, cùm dicit: *Et misericordia eius à progenie in progenies*, qua scilicet, vnigenitum filium eius ex meo vtero fecit nasci, à progenie in progenies timentibus eum. Non enim ad vnam gẽtem solum, sed ad omnes gentes ista misericordia se extẽdit. Septimò, per eius partum superbia, & potentia Dæmonum fuit singulariter conculcata. Et hãc exprimit, cùm dicit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Per tales enim superbos, caterua Dæmonum Beata Virgo intellexit, quos sæuientes in terra, filius eius, qui est brachium patris, aduenies dissipauit, & compeditos ab eis, suæ obedientiæ restituit, vt dicit Cyrillus. Octauò, per filium eius, humilitas Apostolorum D
fuit singulariter exaltata. Et hanc exprimit, cùm dicit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Magna enim sapiebant Philisophi gentium, & sapiẽtes mũdi, quos Christus deposuit, quia (dicente Apostolo) perdidit sapientiam sapientum, & homines piscatores humiliantes se sub potenti manu Dei exaltauit, quibus dedit potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, vt dicit Glossa. Nonò, per doctrinam eius filij esuries omnium fidelium fuit singulariter satiata. Et hanc exprimit, cùm ait: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Qui enim æterna desiderabant, saturari non poterant, nisi per Christum, qui dedit eis panem de cœlo, habentem omnem saporem, & omne delectamentum suauitatis, vt dicitur.

*Ser. 28. ed Sanctis tom 10.*

*Eccl. 19.*

*Sap. 18.*

Decimo, per eius singularem consensum, promissio omnium patrum fuit vniuersaliter terminata. Et hanc exprimit, cùm dicit: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est, &c.* Semen namque Patriarcharum appellat genitos ab eis, non solum carne, verum etiam fidei eorum vestigia imitantes, quibus aduentus Saluatoris est promissus, & per consensum Virginis impletus, vt dicit Glossa. Istas benedictiones sola Virgo habuit, & acquisiuit toto humano generi: super omnes mulieres, vt in persona eius intelligatur dictum, *Iudit.* 13 quòd scribitur: Benedicta tu à Domino Deo excelso, quantum ad benedicentis celsitudinem, præ omnibus mulieribus super terram, quantum ad comparationis multitudinem, qui direxit te in vulnera capitis Principis inimicorum nostrorum, quantum ad vtilitatis magnitudinem. †

† Benè igitur dixit Angelus: Benedicta tu in mulieribus, quia quidquid virtutis, & gratiæ, & probitatis fuit particulariter in alijs mulieribus, totaliter omnes benedictiones fuerunt in Virgine. Vnde in Scriptura Sacra primò commendatur Sara, quia fidelis. Hebr. 11. Fide Sara, quia sterilis concepit filium. 2. Rebecca, quia prudens, & instruxit Iacob, vt haberet benedictionem. 3. Rachel, quia formosa, Genes. 29. Lya, quia fœcunda Genes. 46. Delbora, quia sapiens Iudic. 4. Filia Iepte, quia obediens patri, Iudic. 11. Ruth, quia operosa, Ruth 2. Anna, quia deuota, 1. Reg. 1. Regina Saba, quia studiosa, Matt. 12. venit ab vltimis finibus terræ, Iudith, quia animosa, & interfecit Holofernem, Iudith 4. Susanna, quia casta, Dan. 13. Esther, quia humillima, & quia obediuit Mardochæo, postquam fuerat Regina.

Virgo MARIA fuit Sara fidelior, quia illa credidit se parituram sterilem, ista se parituram Virginem. Rebecca prudentior, Luc. 2. Quomodo fiet istud. Rachel formosior, Sap. 7. est enim sole splendidior, & luci comparata inuenitur prior propter virtutes. Lya fœcundior, quia vnus quem genuit præualuit toti mundo. Delbora sapientior, quia in domo Sapientiæ fuit ædificata. Filia Iepte obedientior, quia prolem ex obedientia concepit Luc. 1. Ecce Ancilla Domini. Ruth operosior, quia in Ægyptum fugit. Anna deuotior, quia suis precibus cœlum disrupit. Regina Saba studiosior, quia conseruabat omnia in corde suo. Iudith animosior, quia illa Holofernem, ista Diabolum interfecit. Susanna castior, quia floruit puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi. Esther humilior, quia seruiuit Elisabeth, & Ioseph: ideo de ipsa dicitur Prouerb. vlt. Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.

## *An sola Beata MARIA semper Virgo à maledictionibus mulierum fuerit liberata.*
### Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd propter peccatum primorum parentum mulieres per se quatuor maledictionibus fuerunt suppositæ. Et mulieres simul cum viris quatuor alijs, ita quòd computatis omnibus maledictionibus, communibus, & proprijs, octo maledictionibus suppositæ fuerunt mulieres. Nam concipere cum corruptione, portare cum grauedine, & oneratione, parere cum angustia, & dolore, conuersari cum viro cum timore, & subiectione, sunt quatuor maledictiones, quæ pro priè conueniunt mulieribus, de quibus scribitur in Genesi: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris. Sunt & aliæ quatuor communes mulieribus, & viris. *Genes.* 3.

Quarum prima est, filiorum in membris defectus, & diminutio. Potest autem esse defectus ex parte fœminæ, & ex parte viri. Secunda est, antiqui serpentis impugnatio, quia pugnare cum antiquo serpente conuenit homini, & mulieri. Tertia est in sudore vultus vitæ præsentis substentatio. Nam sicut in sudore vultus transit mulier vitam suam, sic & homo. Quarta est in puluerem resolutio, quia esse, & in cinerem conuerti, sicut conuenit homini, sic & mulieri. Ab omnibus igitur istis maledictionibus liberata fuit Virgo MARIA, & sola ipsa, & non alia. Nam ipsa sine corruptione concepit, quia in eius conceptu nulla libido fuit. Sine onere, & grauedine portauit, quia quod alijs ad sarcinam, sibi fuit ad gloriam, & lætitiam. Sine angustia, & dolore peperit, & Virgo post partum permansit. Et sub viri potestate non fuit, quia secundùm Augustinum, non viro, sed Spiritui Sancto integerrimis visceribus eius, Christum concepit, & peperit: fuit ergo liberata à maledictionibus proprijs, muliebribus. Similiter liberata fuit à maledictionibus vtriusque. Nam liberata fuit, á prolis defectu, & diminutione, quia sponsum speciosum forma præ filijs hominum generauit. A serpentis impugnatione, quia sibi seruabatur hæc victoria, quòd conteret caput suum. A sudore vultus in educatione, quia non solum Beata MARIA, sed etiam omnis mulier innupta, & Virgo cogitat, quo modo placeat Deo. Et liberata est à solicitudine mundi, vt dicit Apostolus. Et liberata fuit à puluueris resolutione, quia in corpore, & anima est in cœlum assumpta, vt infra ostenderetur. Præuenit ergo Deus Matrem suam in benedictionibus dulcedinis, quia ab omnibus maledictionibus fuit liberata, & posuit in capite eius coronam de lapide pretioso, quia decem benedictionibus supra positis, fuit dotata, & decorata. *Psal.* 44. *1. Cor.* 7. *q.* 5. *huius lectionis.* *Psal.* 20.

(.2.)

An

*An per benedictionem Beatæ MARIÆ semper Virginis omnes aliæ mulieres sint benedictæ.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd in humani generis creatione, mulier facta fuit dupliciter in adiutorium viri. Primò, ad diuini præcepti obseruationem. Nam solitudo multum est periculosa, & propter malarum cogitationum superuentionem, & propter Diaboli impugnationem. Facilius ergo homo per societatem fœminæ, & fœmina propter societatem viri potuisset diuinum præceptum seruare, quàm quilibet per se. Vnde dicit quædam Glossa in Genesi, quòd Diabolus obseruauit tempus, vt mulierem sine viro inuenire posset, eo quòd si cum viro inuenisset, nequaquam fuisset ausus ipsam sic tentare. Væ enim soli dicit scriptura, quia si ceciderit, non habet subleuantem se. Si autem fuerint duo, fouebuntur mutuò. Secundò, ad prolis generationem. Nam secundùm Augustinum super Genesim. Subtracta prolis generatione, non inuenio ad quid facta sit mulier, nisi in adiutorium viri. De istis duobus antequam eligeretur Virgo Beata Mater Dei Filij, poterant insultare, & culpare homines, & Angeli contra mulieres. Nam homo poterat dicere, & insultare mulieri: Tu fuisti facta in adiutorium meum, ad diuini præcepti obseruationem, vt per mutuam societatem Diaboli impugnationem possemus vitare, & tu fuisti mihi causa diuini præcepti transgressionis. Vnde possum meritò te incusare, & me excusare, dicendo: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Angelus verò poterat insultare mulieri, & dicere: Tu data fuisti viro, ad prolis generationem, vt per honorabiles nuptias, & thorum immaculatum, fieret filiorum generatio, & nostræ ruinæ reparatio. Sed propter tuum peccatum, non generantur filij, per quos nostra ruina repararetur: sed magis per quos ciuitas Diaboli augumẽtetur, quia omnes nascuntur filij digni morte æterna. Vnde erant mulieres omnes ante ortum Virginis MARIÆ suppositæ insultationi, & opprobrio hominum, & Angelorum, quia tam homines, quàm Angeli allegabant contra ipsas. Sed per hanc benedictionem MARIÆ, quæ electa est in adiutorium viri, & ipsius Christi ad humani generis redemptionem, benedictæ sunt omnes mulieres per homines, & per Angelos. Nam homines dicunt: Dedit nobis lignum vitæ, & salui facti sumus. Et sicut per mulierem mors nobis fuit primò nunciata, sic per mulierem vita est nobis primò nunciata. Vnde dicit Cyrillus. Fœmina, quæ quodam modo fuit mortis ministra, venerandum Resurrectionis mysterium primò percepit, & annunciauit Apostolis, ex quo fœmineum genus adeptum est suæ ignorantiæ absolutionem, & maledictionis repudium. Angeli verò dicant: Mulier genuit nobis vnum filium, qui est ipsa vita, in quo omnes nati per mulieres, regenerantur, & viuificantur, per quos non solum nostra ruina reparatur, verum etiam nostra superiora ciuitas augmentatur; ita verò, quòd secundùm Gregorium numerus saluandorum secundùm numerum Angelorum remanentium, non secundùm numerum cadentium erit. Et planum est, quòd plures fuerunt remanentes, quàm cadentes, quia non ceciderunt, nisi tot, qui si remansissent, fecissent decimum ordinem, signatum per decimam drachmam perditã vt habebetur. Per Virginem ergo MARIAM, & per benedictionem eius mulieres sunt benedictæ, & per homines, & per Angelos, vt non amplius per eos eis insultetur, vel improperetur, sed magis honor exhibeatur, & gratiarum actio referatur. Et hoc est, quòd dicit Hieronymus in sermone de Assumptione: Talibus (inquit) decebat Virginem oppignorari muneribus, vt esset gratia plena, & benedicta in mulieribus, quæ dedit cœlis (id est Angelis) gloriam, & terris (id est hominibus) Dominum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam, vt omnes mulieres insurgentes in gratiarum actionem, meritò dicant cum Propheta: Benedixisti Domine terram tuam, per tuæ matris singularem benedictionem: auertisti captiuitatem Iacob quantum ad nostræ maledictionis supplantationem.

*Gloss. Genes. 3.* *Eccles. 24* *Ex Cyrillo super Ioan. 20.* *tomo 1. lib. 12. c. 51.* *Saluandorum numerus ex Gregorio to. 2. hom. 34. super cap. Lucæ 15. & recitatur à Magistro sent. lib. 2. distinct. 9.* *Huic assertioni consonat illud Deuteron. 32. iuxta editionem 70 Interpr.* *Statuit terminos populorũ iuxta numerũ Angelorum Dei. Vide in Magistro sentẽt. dist. eadẽ, quomodo intelligatur, decimũ ordinẽ ex hominibus compleri, cùm non sint nisi nouem ordines.* *Inser. de Assumpt. epist. 10. tomo 9.*

*An Deipara Virgo per benedictionem sibi præstitam fuerit super omnes Angelos exaltata.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Hieronymus in sermone de Assumptione, hanc dubitationem determinans dicit, Beatam Virginem super omnes Choros Angelorum esse exaltatam. Et subdit, quòd de nullo aliorum sanctorum fas est credere, vt vltra Angelorum, atque Archangelorum merita transcenderit, sicut de Beata Virgine indubitanter, & confidenter canit Ecclesia. Sed cùm dicamus nouem esse ordines Angelorum, iuxta Apostoli doctrinam. Si Beata Virgo super omnes Choros Angelorum est eleuata, oportebit ponere decimum ordinẽ, in quo ipsa Virgo sit locata, ita quòd, vel erunt decẽ Angelorum ordines, vel ipsa Virgo constituet decimũ ordinem per se, super omnes nouẽ ordines Angelorum. Amplius: Ipse Christus cùm ascenderit super omnes

*Ephes. 1.*

*Psalm. 17* Angelos, iuxta illud Psalmi: Ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum, faciet ipse Christus alium ordinem super omnes Angelos, & super Beatam Virginem, cùm ipse Christus fuerit Creator, & Beata Virgo fuerit pura creatura. Sciendũ est ergo, quòd Christus fuit Deus, & homo. Et inquantum Deus, non debet poni in ordine aliquo creaturarum, cùm ipse habitet lucem inaccessibilem, & infinitam, quàm nulla creatura Angelica, vel humana potest cõprehendere, vel attingere. Inquantum verò homo fuit caput huminum, & Angelorum, eique debetur eadem adoratio, & exaltatio secundùm Damascenum, quæ debetur diuinitati, quia humanitas Christi, non est separata à diuinitate. Vnde sicut eodem timore timetur ignis, & carbo ignitus, sic eadẽ exaltatio debetur humanitati Christi, & diuinitati, cui coniuncta est humanitas: propter quod nec Christus, vt homo, debet poni in ordine creaturarum. Beata autem MARIA præter Christum, super ominem creaturam Angelicam, vel humanã, nõ est dubium esse exaltatam. Nec propter hoc erit decimus ordo Angelorum, sed tenebit supremum gradum, in supremo ordine Angelorum, quia supremus ordo Angelorum est ordo Seraphim: ideo in ordine ipsorum, ipsa supremum gradum teuet. Dato enim, quòd dicamus, Papam super omnes homines esse exaltatum, non propter hoc debemus eum ponere in ordine Angelorum, & trahere ipsum extra ordinem hominum. Sed in toto ordine humanæ naturæ ipse Papa supremum gradum tenet, Sic cùm dicimus: Exaltata est sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum, non debemus ipsam locare in ordine diuinarum personarum, nec trahere ipsam extra ordinem Angelorum. Sed in supremo ordine, puta Seraphim, ipsa tenet gradum supremum. Interpretantur enim Seraphim, ardentes, & ipsa dubium non est, quòd magis fuit accensa, & ardens charitate, quàm aliquis existens in ordine Seraphim. Dato enim, quòd Chrysostomus dicat de Paulo, quòd sicut ferrum in igne missum, non est aliud, quàm ignis, sic anima Pauli charitate ardens non erat aliud, quàm charitas, hic intelligendum est Paulum sic ardentem fuisse charitate per diuinę gratiæ infusionem. Sic Beata Virgo ardens erat charitate, per diuini ignis, & ardoris conceptionem, & parturitionem. Super omnes ergo creaturas fuit ardens, quia Deum ipsum, qui charitas est, meruit concipere, & parere. Hinc super ordinem Seraphim eleuata est, & ad dexteram sui filij collocata, non tamen extra ordinem Angelorum, & creaturarum separata, vt de eleuatione Virginis intelligatur, quòd scribitur *3. Reg. 1.* in libris Regum: Venit Bersabee ad Regem Salomonem, quantum ad Virginis exaltationem, vt loqueretur ei pro Adonia, quantum ad eius pro humano genere deprecationem, posituſque est thronus eius more Regis, & sedit ad dexteram eius, per eius filij honorificam receptionem.

*Lib. 3. fidei ortho. c. 3. Sed sub alijs quibusdã verbis, & eisdẽ, quantum ad aliqua. Clarius verò, & expressius, c. 8.*

*De laudibus Pauli hom. tom. 3.*

### *An Deipara Virgo per benedictionem sibi præstitam, & corpore, & anima fuerit super cœlum eleuata.*

### Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd sicut dicit Augustinus in quodam sermone de Assumptione, in Scriptura sacra postquam Dominus discipulo Virginem cõmendauit, nihil de ea reperitur scriptum, præter illud, quod Lucas narrat in Actibus Apostolorum: Hi omnes erant perseuerantes in oratione. Quid igitur sciendum sit post eius obitum, vtrum corpus eius in cinerem sit resolutum in Assumptione Virginis, an cum corpore, & anima sit assumpta, & quid sit de hoc tenendum, ex quo Scriptura nihil de hoc dicit? Puto, quòd temere non est alterum istorum asserendum. Nam alterum, & sine periculo, & piè est credendum, puta quòd corpore eius sanctissimo resuscitato, anima eius cum corpore sit assumpta. Et quòd sic sine periculo fidei sit credendum patet. Primò, quia Euangelistæ, & Apostoli non fuerunt assumpti Testes, & Scriptores Virginis, nisi quantum faciebant ad narrandam Christi veram humanitatem, non ad testificandam eius conditionis dignitatem. Secundo, quia secundùm Augustinum in libro de vera Religione, in Sacra Scriptura, falsa semper sunt respuenda, vera semper tenenda, dubia verò, tandiu credenda, donec aliud præcipiat Ecclesia, vel ratio doceat. Tertiò, quia, vt dicit Augustinus supradicto sermone de illo, quòd Scriptura non commemorat, aliquid quærendum est ratione, quòd consentiat veritati, & tunc ipsa veritas authoritatis habenda est, sine qua veritate non valet authoritas. Quæramus ergo simul cum Augustino, quòd per rationem sit consonum veritati de Assumptione Virginis, quòd scilicet cum corpore sit assumpta. Quantum igitur ad præsens speɑt, Beata Virgo octo modis considerari potest. Primò, quantum ad carnem Christi, & sic cum ipsa habuit naturalem vnionem. Secundò, quantum ad primos parentes, à quibus traxit originem, & sic habuit eorum maledictionis immunitatem. Tertiò, quantum ad ipsum cœlum, & sic habuit cum ipso quandam conformitatem. Quartò, quantum ad ipsum Christum, & sic habuit veræ matris dignitatem. Quintò, quantum ad sanctos veteris Testamenti, & sic super eos habuit singularem cũ Deo familiaritatẽ.

*In ser. de Assumpt. c. 2. tom. 9*

*Actor. 1.*

*De vera Relig. c. 10. tom. 1. D.*

*In supradicto ser. c. 3. F. de Assumpt.*

Sex-

Sexto, quantum ad sanctos noui Testamenti, & sic super eos habuit honoris & reuerentiæ immensitatem. Septimo, quantum ad labores, quos pro Christo in præsenti habuit, & sic meruit corporis integritatem. Octauo, quantum ad omnes fideles, & sic ab omnibus ipsa habet confidentiæ securitatem.

* *Probat octo rationibus, B. Virginem assumptã anima & corpore in cælum ex libello, siue sermone vnico de Assumptio. to 9 196. A. Psal. 15.*

* Octo igitur rationes possunt accipi ab Augustino in diuersis locis consonæ veritati, qua ostenditur, quòd corpore, & anima Virgo MARIA ad cælestem requiem sit assumpta.

Prima ex carnis Christi vnitate. Nam caro Christi, & caro beatæ MARIÆ vna caro fuit, quia ex carne Virginis, & ex purissimis sanguinibus eius caro scilicet Christi fuit formata. Idem ergo locus, & idem honor debetur vtrique carni: sed Christus suam carnem post mortem non tradidit vermibus in escam ad comedendum, quia non dedit sanctum corpus eius videre corruptionem. Sed supra cœlos humanam naturam exaltauit, & honorauit.

*Ser. siue libello de Assumpt. cap. 6 H tom. 9. & in fine serm. ait: Aliter sẽ tire non audeo, aliter dicere non præsumo.*

Secunda, ex maledictionis immunitate. Nam Virgo immunis fuit in vita ab ista maledictione: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Nam secundum Augustinum putredo & vermis humanæ conditionis est opprobriũ, à quo opprobrio matrem Domini decuit esse alienam, quia filius eius, qui venit legem nõ soluere, sed adimplere, in opprobrio matris non potuisset delectari. Aliter non dixisset: Honora patrem tuum, & matrem tuam.

*Tomo 6. in lib de sãcta Virginitate. Tomo 9. tract. 10. & in c. 2. Exo. 20.*

Tertia, ex matris dignitate. Nam beata Virgo secundùm Augustinum genuit Dei Filium, & fide, & corpore, quod fuit singulare in ea, quia multi concipiunt Christum ex fide in anima, & mente, sed non corpore. In hoc enim beata Virgo non habuit similem, nec habebit sequẽtem, quia ipsa sola fuit mater Dei corporaliter, & mentaliter. Sicut fuit ergo anima eius seruata integra sine omni peccati maledictione, propter partum mentis, sic eius corpus benedictum debuit integrum seruari sine omni corruptione propter partum corporis

Quarta, ex cœli conformitate. Nam cœlum natura est incorruptibile. Illa igitur persona, quæ fuit incorrupta in anima, & corpore, magis debet seruari in cœlo, quàm in terra. Nam multi sunt incorrupti in anima, & sanctificati, sicut omnes homines baptizati in fide Trinitatis, non obstante tamen hac sanctificatione, & incorruptione, adhuc generant filios in peccato corruptos. Et hoc ideo, quia ista incorruptio, & sanctificatio animæ non transfunditur in carnem. Vnde, quia corpus, & caro remanent corrupta, & maculata, Filij generantur corrupti, & maculati. Igitur quia anima beatæ Virginis fa-

A

B

C

D

cta fuit incorrupta per primam sanctificationem in vtero. Et corpus fuit factum immaculatum per secundam sanctificationẽ, quando fuit nunciata ab Angelo. Ideo in loco incorrupto, eius benedictum corpus seruari debet.

*Gloss. sup. illud Deuter. vlt. De hoc etiam ser. de sanctis 35. loquitur Aug. in ser. 2. de Assumptio. F. to. 10.*

Quinta, ex eius singulari cùm Dei Filio familiaritate, dicit enim quædam glossa super illo verbo: Non cognouit homo sepulchrum Moysi vsque in præsentem diẽ, quòd quia resplenduit facies Moysi ex consortio sermonis Domini, qui loquebatur cum ipso, sicut solet homo loqui cum amico suo, ideo corpus eius non inuenitur in terra, nec terra meruit tenere corpus, per quod Dominus tot mirabilia operatus est. Cur ergo timemus dicere corpus Virginis MARIÆ assumptum esse in gloria? De quo ipse Dei Filius natus est, & cum quo loquebatur, & loquitur, non sicut Dominus cum seruo, vel sicut amicus cum amico, sed sicut Filius cum matre.

*In lib. de Assumpt. to. 9. c. 8. M. Ioan. 12.*

Sexta, ex aliorum sanctorum honoris singularitate. Nam de omnibus sanctis ministris, & membris Christi, ipse Saluator dicit in Euangelio: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Sed si vbi est Christus, ibi animæ fidelium requiescunt, & anima Beatæ Virginis requieseceret illic, vbi sancti requiescunt, quid honoris amplius fecisset matri, quàm cæteris sanctis? Dicit enim Hieronymus: Nulli dubium est omnem illam Hierusalem cœlestem tunc (ideſt in Assumptione Virginis) exultasse ineffabili lætitia, tunc iucundatam esse inæstimabili charitate, tuncq. cum omni gratulatione iubilasse, nec immeritò; creditur enim, quòd Saluator omnium ipse, quantum datur intelligi per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocasse. Hæc Hieronymus. Sed certè festinus non ocurrisset, si ipsam cum corpore, ex quo naturam humanam acceperat, non recepisset. Si enim (vt dicit Augustinus) vestimenta aliena triũ puerorum in camino ignis præseruauit illæsa, & Danielem in medio Leonum incorruptum, quid mirum si carnem matris, non tanquam alienam, sed tanquam suam ab omni corruptione præseruauit illæsam?

*Epist. 10. de Assumptio. Ad Euſtoch.. to. 8.*

*To. 9. in lib. de Assumpt. c. 9. C. de Daniele seruã. & Ioan. Psal. 10.*

Septima, ex laboris continuitate. Nam labori ipse dat præmium, quia iustus est, & iustitiam diligit, & reddit vnicuique mercedem suam secundùm proprium laborem, vt dicit Apostolus. Sed beata Virgo in tota vita præsenti secũdum Augustinũ ministratrix Christi fuit, quia ipsum in vtero gessit, partumq. profusum abluit, fouit, & in præsepio reclinauit, & fugiens in Ægyptum abscondit, & omnem infantiam eius persecuta, vsque ad crucem ab eo non discessit.

*De libello supra citat. M. A. B.*

Item quia fuit familiarissima Christo super

per omnes sanctos, & ideo maiori gratia, & gloria digna.

Item quia fuit mater Christi, ideo ab eo debuit honorari supra omnes sanctos.

Item quia fuit verbis Christi deaurata: Nullus autem rex patitur vestem suam a vermibus corrodi.

Item quia fuit tabernaculum Christi, & Thronus Dei, & templum Dei, & ideo non erat conueniens a vermibus consumi & deuorari. Vnde Augustinus: Thronum Dei, talamum Domini, tabernaculum Christi dignum est esse vbi ipse est. Perfecta beatitudo cõsistit in perfecta quietatione volũtatis, quia Augustinus dicit: Beatus est qui habet quidquid vult: sed animæ sanctorum in patria adhuc non habent perfectam quietem in fruitione deitatis, quia naturalem appetitum habent ad corpus, & propter hoc alij retardantur a illa contemplatione, & sic MARIA sine corpore non esset verè beata, & maior esset Angelorum gloria.

Quid ergo præmij & honoris plus alijs contulisset, ti ipsam cum corpore, in quo tot passa fuit, non assumpsisset?

*Libello supra citato c. 6. K.*

Octaua, ex fidelium securitate. Nam Deus corpora aliorum sanctorum suis fidelibus manifesta facit, vt ipsa honorando se eorum patrocinio committant. Cùm ergo omnes fideles quasi naturali quadam securitate, & pietate magis patrocinio Virginis se commendent, quàm alicui sanctorum, quo modo rationabile esset, quòd Deus corpus Virginis pateretur suis fidelibus esse occultum, vt debitum honorem fideles eius sibi impendendo, eius omnes se patrocinio commendarent. Dicamus ergo, & pie credamus quòd Virgo beata in corpore, & anima ad cœlestem gloriam sit assumpta. Dicat similiter

*Psal.* 11. ipsa eius filio benedicto: Tenuisti manum dexteram meam, quantum ad mei corporis corruptionis præseruationem, & in voluntate tua deduxisti me, quantum ad animæ singularem gubernationem, & cum gloria suscepisti me, quantum ad vtriusque æternam glorificationem.

## *LECTIO X.*

### De benedictione fructus Conceptionis.

*Benedictus fructus ventris tui.*

POsito verbo benedictionis, in parte ista, vt supra dicebatur, ponit Euangelista verbum fructus Conceptionis. Et correspondet istud verbum, per quod facta est nostra redemptio, sexto operi creationis. Nam in sex

*Gen.* 1. to die creatus est homo. Vnde dicitur in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Et postea subditur: Et factum est vespere, & mane dies sextus. Sicut igitur sexto die homo creatus est, sic sexto verbo Angelicæ salutationis est redemptus, & ad cœlestem gloriam reuocatus. Et quia omnia facta sunt propter hominem, ideo signanter in hoc verbo sexto perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, quod sexto die creatis omnibus rebus, dictum est, vt dicatur Virgo glorioſa esse perfectio cœli, propter Angelorum ruinæ reparationem: & dicatur esse perfectio terræ, propter naturæ humanæ dãnatæ saluationem: & dicatur vtriusque perfectio, propter vtriusque naturæ in donis, & gratijs decorationem. Nam per benedictum fructum MARIÆ Virginis, cœlorum, & Angelorum ruina est reparata. Per hunc fructum, humana natura est redempta, & per talem fructum, vtriusque natura virtutibus, & donis est ornata, & decorata, vt merito Virgo glorioſa sanctiſsima sit perfectio cœli, & terræ, & omnis ornatus eorum. De isto ergo fructu quinque dubitationes esse possunt.

Prima, vtrum Eua quæsierit in fructu ligni, quæ Virgo MARIA quæsiuit in fructu, vel in ligno ventris sui.

2 Vtrum talis fructus fuerit singulariter benedictus.

3 Vtrum talis fructus fuerit causa benedictionis in omnibus.

4 Vtrum talis fructus matrem suam fecerit benedictam, an è conuerso.

5 Vtrum per talem fructum, nobis sit porta paradisi aperta.

### *An Eua quæsierit in fructu ligni, quæ B. Virgo Maria in ventris sui ligno quæsiuit.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd sicut patet per Augustinũ super Genesim, Eua in ligno, vel in fructu ligni prohibiti, quatuor quæsiuit. Primo, diuinam assimilationem, cùm diabolus dixit: Eritis sicut dij, scientes bonum, & malum, statim in mente eius surrexit quædam præsumptio superba, qua voluit assimilari Deo, vt bonum, & malum scire posset. Secundo, quæsiuit vitæ sub stentationem, quia vidit lignum, quòd erat bonum ad vescendum, credidit per talem esum illius ligni, non vitam perdere, sed magis præseruare. Et dato quòd Deus dixisset: Quacumque hora comedetis, morte moriemini. Credidit, vt dicit Augustinus, hoc Deum præcepisse vel dixisse, causa alicuius figuræ *, non quòd sic deberet esse naturaliter. Tertio, quæsiuit in dicto ligno pulchritudinem, & delectationem, quia vidit, quòd tale lignum erat pulchrum oculis, & aspectu delectabile. Quarto, quæsiuit in eo sui viri satisfactionem, quia accepit, & dedit viro

*Super Genes. c. 20. to. 3. K.*

*Gen. 2.*

*Super Gen. c. 1.*

*Ibid.*

suo,

suo, fortasis (vt dicit Augustinus) verbo per suasorio: voluit enim satisfacere voluntati viri, sicut suæ voluntati satisfecerat, cùm sciebat se carnem factam vnam. Sed ista quattuor, quæ Eua quæsiuit in fructu ligni, non inuenit, quia non inuenit diuinam assimilationem, immo potius dissimilationem, & Adæ auersionem. Planum enim est, quòd ipsi non fuerunt facti sicut Dij, quia verbum insultationis, vel insultantis fuit illud secundum Augustinum: Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis. Vnde mentitus fuit diabolus quando ait: Eritis sicut Dij, nec mirũ, quia, vt dicitur in Ioanne, mendax est pater eius. Secundo, non inuenit uitæ subsistentationem, immo mortis sibi, & alijs acquisitionem, quia ab ipsa muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur, vt dicitur. Tertio, non inuenit pulchritudinem, & delectationem, immo tristitiam, & confusionem, quia viderunt se ambos nudos, & doluerunt, & præ verecundia se à facie Domini absconderunt. Quarto, non inuenit viri satisfactionem, vel fidei seruationem, immo deceptionem, & damnationem, quia, si vir non comedisset cum ea, sola perijsset, nos tamen non fuissemus damnati. Alia enim mulier potuisset creari, vel sibi dari ad filiorum generationem, vt dicit Hugo in libro de sacramentis. Ista igitur quatuor beata Virgo quæsiuit in ligno ventris sui benedicti, & inuenit. Nam inuenit diuinam assimilationem sibi, & nobis, & cùm apparuerit, similes ei erimus. Secundo, inuenit vitæ acquisitionem, quia qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Tertio, inuenit pulchritudinem & delectationem, quia fructus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel, & fauum. Quarto, inuenit omnium hominum satisfactionem, quia ipsa dicit per Spiritum sãctum: Videte, quia nõ solũ mihi, sed omnibus exquirentibus veritatem laboraui. Fructus ergo & lignũ quæsitum per Virginem fuit benedictum, quia per ipsum facta est iustitia, & nostra redemptio. Nam iustè de potestate diaboli liberati sumus per passionem Christi in ligno crucis receptam. Sicut lignum quæsitum per Euam fuit maledictum, quia per illud tanquam per idolum auersi fuimus à Deo, & obediuimus creaturæ, magis quàm Creatori: vt de istis duobus lignis intelligatur quod scribitur: Benedictum lignum, per quod sit iustitia, quantum ad fructum ligni quæsiti per Virginis benedictionem, & maledictum lignum, per quod factum est idolum, quantum ad fructus ligni quæsiti per Euæ maledictionem.

*Super Genes. to. 3. lib. 2. ca. 22. F.*

*Ioan. 6.*

*Eccli. 15.*

*De S. Victore lib. de sacra. to. 3.*

*Prou. 8.*

*Eccli. 24.*

*Sap. 14.*

A *An fructus uteri virginalis fuerit singulariter benedictus.*

Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd fructus ventris Virginis gloriosæ fuit singulariter benedictus, quia singulariter conceptus sine virilis seminis receptione. Singulariter à Deo assumptus sine alicuius particulæ diminutione. Singulariter ortus, sine matris corruptione. Singulariter doctus, sine magistri instructione. Fuit singulariter benedictus in conceptione, quia sine culpæ cõiugalis commixtione. Nam secundum Augustinum in libro de præsentia Dei: Bonum nuptiarum non extinguit concupiscentiam malam membrorũ, sed modificat. Sine qua concupiscentia concipiendus erat ille, qui in iniquitatibus concipiendus non erat. Vnde fuit excisus de monte sine manibus, percutiens statuam visam per Nabuchodonosor Regem, habentem caput aureum, pectus, & brachia de argento, crura de ære, & pedes de ferro, quod Daniel sic est interpretatus: Quia caput aureum statuæ erat regnum Assyriorum: pectus de argento, regnum Medorum: crura de ære, regnum Græcorum: pedes de ferro, regnum Romanorum, quia sicut ferrum domat omnia metalla, sic regnum Romanorum subiugauit sibi omnia regna alia. Sed lapis abscisus de monte sine manibus erat Christus concipiendus in vtero Virginis sine operatione humana, & ista omnia regna confregit, occidendo in eis errorem, & suscitando fidem. Singulariter fuit benedictus in humanæ naturæ assumptione, quia totam humanam naturã Dei Filius accepit, animam, & carnem, & omnes naturales proprietates. Nam secundum Damascenũ, quod est inassumptibile, est iucurabile. Si igitur aliqua particula fuisset non assumpta, incurabilis illa fuisset: ideo totum hominem assumpsit, vt totum sanaret. Tertio fuit singulariter benedictus, quia singulariter ortus, sine matris corruptione, vt sicut secundum Augustinum Verbum Dei sine corruptione mentis æternaliter ortum est à Patre: sic sine corruptione ventris nasceretur temporaliter ex matre. Quarto, fuit singulariter benedictus, quia singulariter edoctus, sine magistri instructione. Inuenerunt enim eum parentes eius, cùm esset annorum xij. in medio doctorum audientem, & interrogantem eos. Vnde super illo verbo: Quo modo hic litteras scit, cum non didicerit? dicit Augustinus, omnes quidem quantum arbitror mirabantur, sed non omnes conuertebãtur. Et subdit: Mirabantur autem, quia multi nouerant, vbi natus, qualiter fuerat educatus, numquam tamen viderant eum litteras discentem. Audiebant tamen ipso de lege disputan-

*Lib. de præsentia Dei epist. 57. K. to. 2.*

*Dan. 2.*

*3. Lib. c. 6. de Fide Orthod.*

*Luc. 2.*

*Super illud to. 9. trac. 20. F.*

tantem, & testimonia legis proferétem, quæ nemo potuisset proferre, nisi legisset, & nemo legere, nisi litteras didicisset. Vnde dicit *Hom. 38. in Ioann. to. 3.* Chrysostomus: Ex hoc Iudæi optimè poterant cognoscere talem doctrinam, non humanitus, sed diuinitus esse in eo. Sed quia hoc nolebant reuelare, ideo in sola admiratione stabant. Benedictus ergo fuit iste fructus, quia venit in nomine Domini, per suæ conceptionis singularem productionem, & illuxit nobis, per suæ doctrinæ singularem instructionem.

*An fructus vteri Virginalis benedictus, fuerit causa benedictionis in omnibus.*
Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd sacra Scriptura tripliciter ostendit hunc fructum benedictum Virginis gloriosæ fuisse causam benedictionis in omnibus. Primo ex *Gen. 18.* prophetica pronuntiatione, Scribitur in Genesi dictum fuisse Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes: quod exponens *Gal. 3.* Apostolus ad Galatas dicit quòd Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Et subdit quòd non dicit ex seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod *Psal. 71.* est Christus. Dauid similiter in Psalmo dicit quòd in ipso, scilicet Christo benedicentur omnes gentes. Ex beneficiorum largitione. Nam super illo verbo in Genesim: Num- *Glo. super Gen. 19.* quid vnam benedictionem tantum habes pater? dicit glossa, quòd tot benedictionibus nos benedixit Deus, quot beneficia nobis tribuit: Christus autem nobis donat dona, vel beneficia naturæ, beneficia gratiæ, & beneficia gloriæ. Vnde super illo verbo Ioannis, de plenitudine eius omnes nos *Super illo Ioan. 1. to. 3. Gl. Chrysost. to. 3.* accepimus, & gratiam pro gratia, dicit Origenes, quòd pro gratia donorum naturalium, quæ est gratia gratis data, accepimus gratiam gratum facientem. Secundum verò glossam Chrisostomi pro gratia data, in veteri Testamento, accepimus gratiam datam in nouo. Nam fuit lex illa mosaica data in veteri Testamento quædam gratia, sed imperfecta, quia nihil ad perfectum deduxit lex: pro illa ergo gratia data nobis per Christum, accepimus aliam perfectiorem gratiam in nouo Testamento. Secun- *In Ioan. c. 1. tract 3. tom. 9. F. & seq.* dùm expositionem Augustini, pro gratia hic in præsenti incohata, quæ est gratia viæ, accepimus gratiam patræ, quæ erit gratia consummata. Quia igitur omnis gratia, & omnis modus gratiæ datur nobis per fructum MARIÆ Virginis, ex quo tot benedictionibus nos benedicit, quot beneficia tribuit, sequitur, quòd omnium benedictionum sit causa nostrarum, sicut est causa omnium nostrorum beneficiorum. Ex potestatis dominatione. Nam secundum Apostolum ad Hebræos, absque vlla contradictione, quod minus est, à maiori benedicitur. Cum sit caput omnium hominum, & Angelorum, & sub potestate eius flectatur genu, sequitur, quod ad eum pertineat, omnes tam Angelos, quàm homines benedicere. *Heb. 7.*

Sed quare nos benedicimus Deum, iuxta illud Thobiæ: Benedicite Deum, cœli: & cõfitemini omnia mirabilia eius. Et in Daniele narrantur omnes benedictiones omniũ creaturarum, quæ Deum benedicunt. Ex quo minor non debet benedicere maiorem, planum est quòd Deus est maior omni creatura. *Thob. 12. Dan. 8.*

Ad quod est dicendum, quòd benedictio, qua creatura benedicit Deum, non est aliud quàm reuerentiæ exhibitio, & receptorum beneficiorum gratiarum actio, & manifestatio. Benedictio, qua Deus benedicit nos, & suas creaturas, est suorum donorum, & beneficiorum infusio, & grata donatio, quia, vt dictum est, tot nos benedictionibus benedicit Deus, quot beneficia impertitur. Igitur ex prophetica pronunciatione, ex beneficiorum largitione, & ex potestatis dominatione, patet fructum Virginis gloriosa benedictionis causa in omnibus esse.

*An fructus vteri Virginalis benedictus, Matrem suam fecerit benedictam, vel econuerso.*
Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Bernardus super Missus est, hanc dubitationem determinat, dicens: Non quia benedicta fuit mater, puta beata Virgo inter omnes mulieres, ideo benedictus fuit fructus ventris eius: sed magis, quia ille præuenit eam in benedictionibus dulcedinis, ideo ipsa fuit benedicta. Et hoc probat tribus rationibus. Prima est, quia in fructu ventris Virginis, benedicendæ erant omnes gentes, & omnes creaturæ. Cum ergo Virgo beata includeretur inter gentes, & alias creaturas, simul cum alijs ab isto fructu benedictionem accepit. Secunda, quia beata Virgo fuit benedicta singulari benedictione, quia inter mulieres solum. Sic ei dixit Angelus: *Benedicta tu in mulieribus:* sed fructus ventris eius fuit benedictus in vniuersali benedictione. Ideo non est dictum: Benedictus fructus ventris tui in hominibus, vel in Angelis, aut in terra, vel in cœlo, quia nos benedicimus: Benedictus homo, vel benedictus Angelus, vel benedicta terra, vel cœlum. Istæ tamen sunt benedictiones singulares. Sed Angelus posuit eas indefinitè dicens: *Benedictus fructus ventris tui,* quia dicente Apostolo: Iste fructus est super omnia benedictus in sæcula. Et est *Super Missus est to. 1. hom. 3. b. & seq.* *Ead. ho. supra citata. b.* *Rom. 9.*

non

talis fructus, in quo non solum mulieres, & non solum homines, sed Angeli, & omnes vniuersaliter creaturæ debebant benedici, & particulare clauditur in vniuersali. Ideo beata Virgo fuit benedicta, quia fructus ventris eius fuit benedictus, & non econuerso. Tertia est, quia sicut videmus in alijs, quòd partus in pœnalitatibus, & in ijs, quæ defectus sunt, & contumeliæ, sequitur ventrem. In benedictionibus verò, & in ijs, quæ honoris sunt, & reuerentiæ partus sequitur patrem. Sic Christus pœnalitates, famem, sitim, laborem, & posse mori, & pati, atque alia, quæ pertinent ad contumelias, ex ventre habuit, quia ex ipsa humana natura in ventre Virginis concepta, & formata: secundum enim Augustinum, nec mortuus, nec illusus, nec passus, crucifixus, & sepultus fuisset, nisi fuisset verus homo, Vnde in cruce videns matrem, ex qua sibi talia inhæserant, recognouit, & ipsam discipulo commendauit. Sed benedictio, in duodecim annis doctrinæ perfectio, miraculorum operatio, & omnia, quæ erant honoris, & diuinitatis, & reuerentiæ inhæserant sibi ex patre cælesti, non ex matre, ideo dicebat: Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me, Patris. Et aquam in vinũ conuersurus, dixit: Quid mihi & tibi est mulier? In talibus ergo perfectionionibus, & dignitatibus, & benedictionibus, quia fructus ventris Virginis fuit benedictus, & perfectus, ideo matrem perfectam, benedictam, & sanctificatam fecit. Non autem quia ipsa sanctificata, & benedicta, & perfecta, ideo fructum benedictum fecit.

*Ioann. 7.*
*Ioan. 2.*

*An per fructum vteri Virginalis benedictum sit nobis porta Paradisi aperta.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd ante ortum istius fructus in vtero Virginali porta paradisi dicitur fuisse clausa propter duplex ostaculum ibi positum. Primum, vniuersale, & istud fuit peccatum primorum Parentum, quo peccato rea vniuersaliter natura humana, erat æternæ morti damnata, paradisi introitu priuata. Secundum fuit particulare, & istud erat peccatum personale actualiter perpetratum à quolibet homine, & quo peccato quilibet se ipsum æternæ morti damnabat, & introitu paradisi priuabat. Poterat enim homo per seipsum in peccatum, & in foueam cadere, sed per se ipsum non poterat resurgere. Primum obstaculum vniuersale positum fuit ad claudendum nobis portam paradisi, diaboli procuratione, quia inuidia, & procuratione diaboli mors introuit in orbem terrarum. Sed secundum obstaculum quilibet apponebat sua propria operatione. Fructus ergo iste benedictus Virginis gloriosæ, pro tanto nobis paradisi portã aperuit, quia gustatus a diabolo remotum fuit primum obstaculum. Voluit enim diabolus gustare, & experiri de isto fructu, an esset verus homo procurando eius passionem, & mortem, quo gustato, mortua fuit illa mors, qua tenebat ligatos, & qua priuabat nos introitu paradisi. Vnde ipse dixit: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne gustatus verò; à quolibet peccatore, remouetur secundum obstaculum, quo seipsum homo priuabat, ne posset paradisum intrare. Nam omnes peccatores gustando istum fructum, incorporando se morti eius per sacramẽtorum eius perceptionem, ab illo obstaculo absoluuntur, & ad cælestem patriam admittuntur. Iste ergo fructus gustatus à diabolo, sibi venenũ fuit, & causa mortis, & priuatio suæ vitæ, qua viuebat in toto mundo. Et gustatus ab homine, fuit sibi theriaca causa vitæ, & acquisitio regni, quo erat priuatus. Nec mirum, quia sicut idem cibus, qui est nutrimentum, & causa vitæ alicui animali, alteri vero venenum, & causa mortis, vt saliua serpentis, est theriaca, & conseruatiua, & nutritiua vitę serpentis: & tamen est venenum, & causa mortis complexioni humanæ: nihil enim est venenosum vniuersaliter. Sed quod est contrarium, & venenosum vni complexioni, est quasi theriaca, & causa vitæ alteri complexioni. Sic idem fructus Virginis gloriosæ, gustatus a diabolo, fuit sibi venenum, & causa mortis: gustatus tamen ab homine, fuit sibi theriaca, & causa vitæ. Per fructum ergo Virginis nobis est aperta ianua paradisi, quia remotum obstaculum ibi oppositum diaboli procuratione, & remotum obstaculum ibi appositum, hominis operatione. Vnde Ecclesia in laudem Virginis cantat, & dicit: Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt, quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

*Osee. 13.*

## LECTIO XI.

De rei nunciatæ certificatione, vel prouatione.

*Quæ cũm audesset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei.*

POstquam Euangelista posuit personæ salutantis conditionem, & loci, in quo facta est salutatio, notificationem, ac personæ salutatæ nominationem, necnon ipsius salutationis formationem, seu expressionem, in parte ista, vt supra dicebatur, Euangelista ponit rei certificatæ, vel nunciatæ certificationem, vel prouationem. Ostenditur autem certi-

certificatio, & probatio rei nunciatæ per Angelum octo modis. Primo, ex MARIÆ admiratione. Secundo, ex Angeli assertione. Tertio, ex ipsius rei particulari expressione. Quarto, ex magnifica cõnominatione. Quinto, ex modi habendi diligenti inquisitione. Sexto, ex Dei immediata operatione. Septimo, ex exempli introductione. Octauo, ex singulari consensus acceptione. Secunda pars incipit, ibi: *Ne timeas MARIA.* Tertia, ibi: *Ecce concipies.* Quarta, ibi: *Et vocabis nomen eius Iesum.* Quinta, ibi: *Quomodo fiet istud.* Sexta, ibi: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Septima, ibi: *Ecce Elisabeth.* Octaua, ibi: *Ecce ancilla Domini.* Ad intellectum autẽ primæ partis est sciendum, quòd vt glossa tangit, beata Virgo de salutatione Angelica, fuit ex timore turbata, & fuit admirata. Nam fuit turbata de corporali visione: in specie enim viri Angelus locutus est Virgini. Et quia (vt dicit Bernardus) semper Virgines, quæ veræ Virgines sunt, solent timere, & nũquam esse securæ cum viris: ideo Virgo timore fuit turbata, non perturbata. Immo, vt caueant timenda, etiam tuta, & secura pertimescunt veræ Virgines, considerantes se thesaurum pretiosum in vasis fictilibus portare. Vnde super locum istum dicit Ambrosius: Trepidare Virginum est, & ad omnem viri ingressum pauere, & omnes viri affatus vereri. Admirata autem fuit de eius nunciatione. Nam nũciauerat Angelus, quòd Dominus esset cum ea, & quòd esset benedicta in mulieribus. Vtrumque autem istorum poterat Virginem ducere in admirationem. Nam quòd Dominus esset cum ea, vel poterat esse nunciatio facta sibi a viro, qui cum ea loquebatur, vel à Deo. Si ab homine, suspectum erat, & causa deceptionis dictum, quia bonum potest dici ab homine libidinosa intentione, sicut verum à diabolo decepti ua cogitatione. Si vero à Deo, salutiferum, & cum gaudio receptum. Similiter benedictio mulieribus in veteri lege non dabatur, nisi causa prolis, & propter veteris fœcunditatem. Sicut econuerso, maledictio eis propter sterilitatem. Quamuis ergo nondum Angelus dixisset Virgini aliquid de conceptu, & partu filij, eo tamen ipso, quòd ipsam nunciauit benedictam in mulieribus, mirari poterat. Vnde mihi ista benedictio nisi ex prole, & quia Virginitatem vouerat, posita fuit in admiratione, & quia de re incerta, miræ prudentiæ est cogitare causas eius, ideo subditur, quòd Virgo beata cogitabat qualis esset ista salutatio. Turbatio ergo Virginis fuit timoris, & verecundiæ, admiratio verò, & non perturbatio, fuit fortitudinis, & constãtiæ: turbata enim fuit non perturbata, tamẽ admirata: sed cogitatio fuit prudentiæ, & sapientiæ, vt Bernardus dicit: ita quòd commendatur in ea verecundia laudabilis, quia *turbata in sermone eius:* & prudentia mirabilis, quia *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Sed hic possunt esse quinque dubitationes.

*Super Missus est to. 1. hom. 4.*

*2. Cor. 4.*

*To. 3. lib. 3. in Lucam.*

*Supe Missus est to. 1. ho m 4.*

1 Vtrum verum sit, quòd beata Virgo fuerit turbata, & timuerit de visione Angeli, vel de annunciatione eius.

2 Vtrum laudabile sit mulierem esse timidam.

3 Vtrum laudabile sit, mulierem esse verecundam.

4 Vtrum beata Virgo fuerit cogitatiua.

5 Vtrum laudabile sit mulierem cogitiuam esse.

*An Beata MARIA semper Virgo fuerit turbata, ac de Angeli visione, vel de eius annunciatione timuerit.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd aliqui dicunt, Virginem non timuisse, vel turbatam fuisse de visione Angeli, sed solum de salutatione eius. Et hoc dupliciter probant. Primo, quia Virgo solita erat Angelos videre, non tamen erat consueta sic ab eis salutari: & quia inconsueta, & insolita incutiunt timorem, non autem consueta: ideo Virgo solum de salutatione fuit turbata, nõ de eius visione. Secundo, quia Euangelista non dixit, quòd Virgo esset turbata de Angeli visione, sed ait: *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius.* De salutatione ergo, & sermone fuit turbata, non de visione. Sed ijs nõ obstantibus, possumus dicere, quòd etiam de visione Angeli Virgo gloriosa timuit, & fuit turbata. Et hoc Ecclesia dupliciter probat. Primo ex ipsius Angeli apparitione. Nam apparitio Angeli, & cuiuslibet spiritualis naturæ ad hoc fit, vt mens illius, cui apparitio fit, ad aliquid spirituale mysterium & arcanum eleuetur. Sed mens hominis eleuari non potest supra se, nisi viribus sensitiuis quodammodo insensibilibus factis, & in seipsis debilitatis, quia ex forti attentione, & eleuatione animæ, impeditur operatio sensus. Sicut videmus, cum quis fortiter speculatur vnam rem, non percipit transeuntẽ iuxta se, hoc non potest fieri sine timore, & tremore. Quia sicut videmus, quòd calore naturali ad interiora reuocato, ex frigore membra exteriora tremunt, sic mente alicuius eleuata ex visione spiritualis naturæ, necessariò virtutes sensitiuæ debilitãtur, & infirmantur. Vnde dicit Ambrosius super Lucam: Perturbamur, & à nostro alienamur affectu, quando restringimur alicuius potestatis occursu. Secundo, hoc apparet ex hominis conditione. Nam, sicut dicit Gregorius, humana natura, quæ sunt spiritus, capere non valet, propter

*Super Luc. hom. 3. li. 2.*

quod

quod cum vltra se ad videndum ducitur, necesse est, vt hoc carneũ vasculum, quod ferre talentis pondus non valet, infirmetur. Et
*Super illud Luc. 1.to.2.* hoc expresse dicit Chrisostomus super illo verbo: Zacharia turbatus est videns Angelum, & timor irruit super eũ, ait enim quòd non potest quantumcumque iustus sit absque timore cernere Angelum, nec eius præsentiæ aspectum sine timore tolerare, quia sine perturbatione sufferre non potest eius fulgorem, cum quo semper est consuetus apparere. Beata ergo MARIA quantumcumque iusta, & sancta, & solita, & consueta Angelos videre, tamen sine timore, & tremore eorum aspectum intueri non poterat. Quod enim
*Dan. 8.* dicitur consuetam fuisse Angelum videre, B dicendum secundùm Gregorium quòd Daniel similiter pluries vidisse legitur Gabrielem, qui apparuit Virgini: & prima vice,
*Dan. 10.* quando vidit eum, ait: Ego Daniel langui, & ægrotaui per plures dies. Secunda vero vice, ait: Ego solus vidi visionem grandem, & nõ remansit in me fortitudo, & emarcui, & species mea immutata est. Tertia vice dixit:
*Idẽ ibid.* Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. Potuit ergo esse, quòd quoties Virgo vidit Angelum, toties timuit, & turbata fuit. Sicut tamen scriptura Euangelica non narrat eius visiones, sicut non narrat eius timoriationes, vel turbationes. Et per hoc soluitur secundũ. Quia etsi Virgo solita erat Angelum videre, & de eius visione timere, nunquam tamen solita fuit sic salutari, ideo pro tanto Euangelista narrat turbationem, quam habuit de salutatione, non illam, quam habuit de visione.

### *An laudabile sit, Mulierem esse timidam.*
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd mulier quatuor modis considerari potest: primo ad suam rationem: secundo ad suam operationem: tertio ad suam conuersationẽ: quarto ad viri subiectionem. Primo namque ad suam rationem, debet esse consiliatiua, quia cum mulier habeat consiliatiuum inualidum, & communiter deficiat in ratione, si sapienter vult aliquid ratiocinari, & prudenter vult aliquid cogitare, indiget consilio, quia ibi ponendum est remedium, vbi est defectus. Consilium autem inuentum est in supplementum defectus rationis. Vnde Deus, & Angeli, in quibus est ratio, nullum defectum habent, ideo consilio non indigent. Secundo ad suam operationem mulier debet rectitu-
*Ari. li. 1* dinem, & prudentiam habere. Sicut enim mulier est mas occasionatus, & infectus homo secundum corpus, ideo communiter deficit in operatione, nisi bona prudentia, quæ est recta ratio agibilium, sit sibi coniuncta.

A Tertio ad suam conuersationem mulier debet esse honesta, pudica, & casta, verbo, & opere: quia propter sexus fragilitatem citius inducit, & inducitur ad inhoneste loquendum, & operandum, quàm homo. Quarto ad viri subiectionem mulier debet habere debitam reuerentiam, vt non habeant in contemptum viros suos, nec paruipendant suorum maritorũ imperia. Vnde legitur, quòd *Esther. 1.* Regina Vasthi hac de causa de consilio sapientum deposita fuit de regali solio, quia contempsit præceptum viri sui, ne (vt ibi dicitur) ex eius exemplo aliæ mulieres paruipenderent suorum imperia maritorum. Possumus ergo colligere tam ex dictis sanctorũ, quàm Prophetarum, quòd propter ista quatuor laudabile est multum, mulieres communiter moderato modo esse timidas, & decet viros ipsas mulieres sub moderato timore tenere. Primo, quia talis timor facit eas esse consiliatiuas in ratione: dicit enim Philosophus in Rhetoricis: Timor facit personas consiliatiuas. Ex hoc enim quòd aliquis timet, consiliatur, quo modo possit vitare, & fugere illud malum, quod timet incurrere. Secundo facit eas prudentes, non ociosas in operatione: dicit enim Philosophus, quòd timor facit quòd diligentius, & anidius exequamur, & operemur illa quæ agimus, per quæ credimus posse fugere illum timorem. *Philos. 2. Ca. de timore.* *Ibidem.*
C Tertio facit eas esse honestas, pudicas, & castas in conuersatione, quia post posito omni timore, natura declinante ad illicita, faciliter in earũ conuersatione ageret in honesta, & lubrica. Vnde dicitur: Noli esse sine metu, *Eccli. 5.* quia si sic eris, semper adijcies peccatũ super peccatũ. Quarto facit eas reuerẽtes in viri subiectione. Ex quo enim timent, non contemnunt viros, nec paruipendunt maritorum imperia. Moderatè ergo tenere mulieres sub timore, & ipsas esse timidas ex se ipsis, laudabile est, & viris expediens. Et dico moderatè tenere, quia immoderatus timor facit cõtraria supradictis. Nam facit eas inconsiliatiuas in ratione. Immoderate enim timentes
D quæ stupefacti, non consiliantur, nec sciunt quid agant. Vnde Discipuli in passione Christi immoderatè timentes, ignorabant quid responderent Christo loquenti cum eis. Secundo facit eas otiosas, & immobiles in operatione. Cùm enim quis immoderatè timet, calore toto currente ad cor, membra exteriora sic remanent frigida, & immobilia, quòd nullatenus persona potest moueri, vel aliquid operari. Tertio facit eas inhonestas in conuersatione, quia semper cogitant qualiter possint hunc immoderatum timorem effugere, vel procurando mortem viri mediãte alio, vel absentando se ab eo, & alteri se supponendo, & alijs modis. Quarto facit eas irreuerentes in subiectione, quia ex quo immoderatè

moderate timent, quia talis timor non procedit ex virtute, & ex bona radice: reuerentia, quam exhibet, non est reuerentia, sed dolositas, & nequitia.

### An laudabile sit, Mulierem esse verecunda.
Quæst. 4.

*Lib. 2. Moral. c. 7. to. 2.* AD tertiam est dicendum, quòd verecũdia, secundum Philosophum, non est virtus, sed est quædam nobilis passio, & dispositio quædam, decorans multum personam, & potissime mulieres. Et possumus dicere, quòd mulieres tria bona consequuntur ex verecundia. Primo ex hoc sunt honoris, & gloriæ, appetitiuæ. Secundo, quia ex hoc sunt propriæ naturæ & propriæ virtutis conseruatiuæ. Tertio, ex hoc sunt multorum turpium, & vituperabilium fugitiuæ. Primo igitur mulieres ex verecundia sunt honoris, & gloriæ appetitiuæ: nihil est enim aliud verecundia, quàm timor ingloriationis, & inhonorationis. Cùm enim quis timet perdere honorem, & famam, & gloriam; tunc verecundatur, & erubescit in facie. Sicut cum quis timet vitam pallescit in faciem: nam est sanguis quasi defensor, & pugil naturæ. Quãdo quis timet vitam, quia vita est interius in corde, ideo statim sanguis ibi currit ad defensionem, & dimittit omnia membra exteriora pallida. Quando verò quis timet perdere honorem, & famam, & gloriam, quia talia sunt exterius in opinione hominum, ideo sanguis tunc currit ad faciem, & efficitur totus rubeus. Cùm ergo laudabile sit mu-
*Prou. 5.* lieres esse honoris, & bonæ famæ appetitiuas, quia, si cuilibet est cura habẽda de bono nomine, & de bona fama, potissimè inerit mulieribus: quia quanto in sexu fragiliores, tãtò citius in fama, dicto & facto possunt leuius maculari: laudabile similiter est eas esse verecundas, cùm verecundia non sit aliud, quàm timor, quem persona habet de amissione honoris, & gloriæ. Secundo hoc est in eis laudabile, quia per verecundiam vitant multa turpia, & multa vituperabilia. Sunt enim mulieres excessiuæ, sicut apparet ad sensum: quia si sunt crudeles, multum sunt crudeles: & si incipiunt loqui multum, multum loquuntur. Sic etiam cum efficiuntur inuerecundæ, nimis inuerecundæ efficiuntur, in tantum, quòd pauci, vel nulli homines inuenirentur, qui tot turpia, & vituperosa possent nominare & operari, sicut mu-
*Eccl. 26.* lieres. Vnde dicitur in Ecclesiastico per Spiritum sanctum: In filia non auertente se, firma custodiam. Non igitur solum mulieres, propter verecundiam fugiunt turpia operari, & nominari, sed etiam homines. Nam homines propter verecundiam multa mala, & A inhonesta fugiunt, tantò tamen est laudabilior in mulieribus, quàm in hominibus esse verecundia, quantò hæc, puta inuerecundia, est in mulieribus magis periculosa, Tertio, in eis hoc est multum laudabile, quia quantò ætas, vel sexus est imperfectior, & fragilior tantò verecundia est in eis laudabilior. Vnde, quia ætas puerilis, & iuuenilis est imperfecta respectu ætatis virilis, ideo magis laudatur verecundia in pueris, & iuuenibus, quàm in perfectis viris. Sic laudabilior est verecundia in feminis, quàm in hominibus, quia sicut verecundari conuenit naturæ puerili propter imperfectionem ætatis, sic conuenit naturæ femineæ propter sexus imper- B fectionem, & fragilitatem. Et vnumquodque laudabile redditur, quod quis agit, vel patitur secundu eongruentiam suæ naturæ: ideo nec laudabilius aliquid in muliere inueniri potest, quàm verecundia, quæ est corona pudicitiæ, & salus puellarũ. Vnde Terẽ tius bene dixit: Si eauduit puella, salua est. *Terent.*

### An Beata MARIA semper virgo fuerit cogitatiua.
Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd sicut dicit Ambrosius in libro de Virginibus, beata MARIA corde fuit cogitãtiua, ore tsciturna, & conuersatione operosa: nam su- *In lib. de virgin. t. 4. Idem super Lu. 2. to. 3.*
C per illo verbo: MARIA conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo, dicit Ambrosius, quòd Virgo beata quotcquot ei retulerat Angelus, quot a pastoribus audierat, quidquid in conceptu, & partu eius senserat, cuncta congregabat in mente, & ad inuicem comparans vnam in omnibus matrem diuinæ sapientiæ cernebat cõcordiam, quòd verè Deus & homo erat qui natus erat de ea. Et ideo filio eius iam nato non sicut puero, aut viro, sed sicut Deo vero vacabat: & illius voces, & opera tanquam voces diuinas, & opera reputabat: nec aliquid ex dictis, vel factis eius incassum ibat: sed sicut verbum
D ipsum prius in viscoribus, ita nunc eiusdem mores, & dicta corde concipiebat. In locutione verò fuit taciturna, quod ad primum sequitur, quia semper persona, quæ est multum cogitatiua, parum loquitur. Vnde dicit Ambrosius: Beata Virgo virginalis pudici- *Super 2. cap. Luc. li. 2. to. 3.*
tiæ iura custodiens, secreta Christi, quæ nouerat, nemini diuulgare volebat, sed conferebat illa, quæ facienda legerat, cum ijs, quæ iam facta cognouit, non ore pandebat, sed clauso corde apud se ruminabat, quia licet esset mater Dei, tamẽ præcepta eius, & secreta consilia, quibus humanum genus redimere disposuerat, discere desiderabat. Sed in con- *Prou. 31.*
uersatione fuit operosa, quia ipsa fuit illa fortis mulier inuenta in vltimis finibus, quæ

panem

panem otiosa non comedit. Maria enim Virgo beata vsque ad tertiam vacabat orationi: postmodum vsque ad nonam domestico operi, & honesto operose insistebat, & tunc sumpta corporis refectione, totam diem in orationem decurrebat. Dormire verò secùdùm Ambrosium non prius erat in ea cupiditas, quàm necessitas, & tamen quando quiescebat corpus, animus vigilabat, in tantum, vt frequenter in somno, aut lecta in lege, & prophetis repetebat, aut somno interrupto meditabantur, aut disposita digerebat, aut disponenda pronunciabat. Post verò partum filij, in eius seruitio cum maxima charitate semper fuit solicita, ita vt Martha esset, & MARIA, vtramque vitam perfectissimè amplexando.

*An laudabile sit, Mulierem esse cogitatiuam.*
Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd laudabile est multum, mulieres esse cogitatiuas, vt antequam loquantur, diligenter examinent quæ proferre debeant. Et hoc propter tria bona, quæ consequuntur ex tali cogitatione, vt potest haberi à Philosopho in Politicis. Nam Primo, si mulieres sunt cogitatiuæ, vitant virorum despectionem. Secundo vitant incautam locutionem. Tertio vitant litem, & garrulationem. Primum sic patet: Nam inter cetera, quæ desiderant mulieres, hoc potissimum est, vt non despiciantur, nec paruipendantur à viris. Cùm igitur nimia familiaritas pariat contéptum, & despectum, eo ipso, quòd multiloquium mulierum faciat ipsas esse multum familiares, oportet, quòd quanto magis sunt taciturnæ, & cogitatiuæ, magis viris placeant, cum omne rarum charum sit. Vnde dicitur in Politicis, silentium ornamentum est mulierum. Initium autem complacentis inter virum, & feminã est locutio, iuxta illud: Vt statim locutus est dilectus meus, liquefacta est anima mea. Vnde quantò locutio mulieris est magis rara, tantò reddit ipsam magis placibilem, cum non desideretur nisi res, quæ non habetur: secundum sic declaratur: Nam vbi est magis opportunum remedium, ibi est maior defectus. Sed mulier communiter deficit in ratione & abundat in locutione incauta: ergo esse cogitatiuam, & taciturnam maximè est necessarium mulieri ad vitandam incautam locutionem, iuxta Apostoli sententiam: Nullus sermo malus ex ore vestro procedat. Sed si quis bonus est ad ædificationem, vt det gratiam auditoribus. Tertium ostenditur sic: Nam frenum ad temperandum, & terminandum lites, & garrulationes, est ipsa ratio: mulieres ergo, in quibus deficit ratio, & per consequens frenum terminandi lites, ex quo incipiunt litigare, & garrulare, numquam desistunt. Propter quod ad euitãdum tale periculum, vt non sint garrulæ, & litigatrices, potissimum remedium est, esse taciturnas, & cogitatiuas.

*Arist. lib. 1. Politi. c. 8. to. 3.*

*Philosophus 1. Politico. c. 8. to. 3.*

*Cant. 5.*

*Eph. 4.*

## *LECTIO XII.*

De assecuratione ab Angelo facta circa rem nunciatam.

*Ne timeas Maria: inuenisti gratiam apud Dominum.*

PRobata nũciatione Angelica ex MARIÆ admiratione, in parte illa, vt supra dicebatur, probatur ex Angeli assecuratione. Et primo tangitur Angeli assecuratio, cùm præmittitur: *Ne timeas MARIA.* Secundo istius tangitur assecurationis causa, & ratio, cùm additur: *Inuenisti gratiam apud Dominum.* Nam assecuratio Angeli signum fuit, quòd bonus erat ille, qui cum Virgine loquebatur: quia, vt dicit Athanasius, non difficilis est bonorum spirituum, malorumq. discretio: nam si post timorem suggerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Causa verò, & ratio istius assecurationis tangitur, cùm adiungitur: *Inuenisti gratiam apud Dominum.* Nam secundum Chrisostomum: Qui apud Dominum meretur gratiam, non habet quid timeat. Tota igitur causa, ob quam Virgo timere non debebat, erat quòd gratiam apud Dominum pro se, & pro nobis inuenerat. Sed hic possunt esse quinque dubitationes.

*In Catena sancti Thomæ.*

1 Vtrum semper bonus Angelus post timorem, quãdo apparet, tribuat securitatem.

2 Vtrum tutius sit homini esse in timore, quàm in securitate.

3 Vtrum Angelus bonus, vel malus, quãdo apparet, possit illudere sensus hominis, vt faciat eĩ apparere vnum pro alio.

4 Vtrum beata Virgo pro omnibus inuenerit gratiam apud Dominum.

5 Vtrum proprium fuerit Virgini, gratiam apud Deum inuenire.

*An semper bonus Angelus apparens post timorem securitatem præbeat.*
Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd hic est facienda duplex distinctio, vna de apparitione boni Angeli. Nam, quando bonus Angelus apparet: vel apparet bonis ad gaudium, & alicuius secreti reuelationem, seu de-

sensionis protectionem: vel apparet malis ad eorum terrorem, & exterminium, & correctionem. Si igitur apparet bonis ad gaudium eorum, & protectionem, tunc est verum, quòd quamuis in principio incutiat timorem ex modo apparendi, eo quòd vt dictum est per Chrisostomum, homo quantum cumque bonus, & iustus, Angelum sine timore videre non potest; tamen statim infert securitatem, quia ad hoc apparet, vt gaudiũ nunciet, non terrorem, vt protegat, non vt occidat. Sed si apparet malis ad correptionem, & terrorem, tunc quem incutit, perseuerat sicut apparet in Paralipomenon de Dauid, qui vidit Angelum tenentem gladiũ euaginatum, & timuit valde, & in timore perdurauit, quia mortua fuerant de populo septuaginta millia virorum, pro eo quòd ipse fecerat numerari populum. Vnde in Matthæo super illo verbo: Præ timore Angeli, exterriti sũt custodes, & facti sũt velut mortui, dicit Rabanus, quòd custodes Christi, nõ pietatis obsequio, sed crudelitatis studio, facti sunt velut mortui. Sed mulieribus piè quærentibus dictum est: Nolite timere vos; ac si diceret: Illi solum timeant, in quibus perseuerat infidelitas, & amoris diuini frigiditas. Sed quando apparet Angelus, malus nõ oportet similiter quod in apparitione sẽper inferat timorẽ, nec in modo apparendi, nec in modo loquendi, nec in modo operandi, quia in omnibus istis potest se transfigurare in Angelum lucis. Nam in modo apparendi potest se transfigurare fulgentem, & lucidum, ac si esset bonus: quamuis enim careat luce spirituali, in luce tamen corporali potest apparere, sicut diabolus in veste fulgida apparuit beato Martino, dicens: Ego sum Christus, & primo me tibi volui demonstrare, similiter etiam in modo loquendi, quia multa vera potest dicere, sicut bonus Angelus. Et in modo operandi, quia multa potest operari, & persuadere homini esse operanda, quæ sunt indicia boni operantis, & boni Angeli. Sed verum est, quòd in intentione malus Angelus intendit semper timorem, & tremorem inferre, quia sicut non dicit, vera nisi vt decipiat, nec bona persuadet, nisi vt maculet; ita non dat securitatem aliquam, nisi vt ad timorem, & tremorem inducat.

*Paralip. 21.*

*Sup. Matt. vlt.*

### *An tutius sit homini esse in timore, quàm in securitate.* Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd esse in timore potest esse dupliciter, vel in timore confidentiæ, vel in timore conscientiæ. Esse igitur in timore confidentiæ, tutius est quàm esse in securitate, quia nullus quamtumcumque bonus, vel iustus, debet de se ipso, & de proprijs viribus cõfidere: sed semper cùm stat in virtute aliqua, debet timere ne cadat. Debet namque homo semper stare in timore transgressionis diuinorum mandatorum, vt semper timeat, ne dixerit, vel fecerit aliquid contra diuina mandata: ait enim ipse per Prophetam: Si ego Dominus, vbi timor meus? Semper debet stare in timore offensionis suorum proximorum, quia sẽper debet timere, ne aliquid dixerit, vel fecerit, in quo proximus fuerit læsus, vel offensus. Secundùm Augustinum semper debemus cogitare esse in proximo aliquid, quo nobis maior est, etiam si nos lateat: talis namque, dicente Propheta, habitat in tabernaculo Dei, qui loquitur, scilicet veritatem in corde suo, & dolum, vel malum non agit aduersus proximos suos. Et semper debet stare in timore receptionis diuinorum iudiciorũ. Dicit enim Hieronymus: Siue comedã, aut bibam, vel dormiam, semper vox illa timenda est in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Tutum est ergo homini semper esse in timore suæ confidentiæ. Sed numquam debet stare homo in timore conscientiæ. Nam conscientia est tenẽda semper secura sine timore alicuius dubij, vel erroris, quia conscientiam dubiam, vel erroneã, seu tortuosam homo tenetur ad consilium sapientis deponere. Semper est tenenda sine timore alicuius peccati, vel facinoris, vel ardoris, quia conscientiã peccatis põderosam, & onerosam debet quis per confessionem purgare, & alleuiare. Et semper est tenenda secura, sine timore alicuius liuoris, vel rancoris, quia conscientiam ampullosam, & liuorosam homo tenetur placare per proximorum satisfactionem. Ergo esse in timore propriæ confidentiæ tutum est, & numquam esse securum, quia: Beatus homo, qui semper est pauidus: & beatus est ille homo, cui donatum est habere timorem Dei. Sed non est tutum esse in timore propriæ conscientiæ, modo quo dicebat Apostolus: Nihil mihi conscius sum. Similiter est tutum, quia secura mens iuge conuiuium.

*i. Co. 10.*

*Mal. 1.*

*Psal. 14.*

*Super. Matt. to. 6. c. 6.*

*Prou. 28.*

*1. Cor. 4.*

*Prou. 15.*

### *An bonus Angelus, vel malus apparens ita possit illudere sensus humanos, vt rem vnam pro alia ei apparere faciat.* Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum quòd Augustinus de ciuitate Dei, expresse dicit socios Diomedis fuisse conuersos in aues, & in illa insula, vbi erant aues illæ, illis, qui erant ibi de stirpe Græcorum, quietæ erant & blandiebantur, alijs verò erant molestæ. Dicit etiam ibi, quòd quædam gentes transeuntes quoddam stagnum cõuersæ sunt in lupos. Et post.

*De Ciui. Dei lib. 18. ca. 13.*

postmodum transformabantur in homines. Narrat etiam ibi arte magica quarundam mulierum homines fuisse conuersos in asinos per esum casei, qui onera portabant, & depositio onere, & finito opere, redibant, & fiebant homines. In legenda etiam sancti Macharij inuenitur operatione cuiusdam magi, vxorem cuiusdam conuersam fuisse in equam, quam ducens in cellam sancti Macharij, facto super eam per ipsum signo crucis, & oleo peruncta, visa est ab omnibus hominibus esse mulier, sicut prius. Numquam tamen dicerent hoc sancti, vel Philosophi. Ad sensum videmus sensus nostros posse ludificari, vt quod non est, esse videatur. Multa namque freneticis videntur propter mutationem sensuum, & organorum, vel quòd sunt sicut eis videntur, vel saltem alijs non videntur sicut eis. Similiter si remus ponatur in aqua, videtur nobis quòd sit fractus, quia videtur per duplex medium. Sed si homo apponeret oculus iuxta aquam, & solum videret per vnum medium, non videretur sic esse, nisi sicut est ad sensum. Similiter, videtur, quòd histriones, & iaculatores ex leuitate manuum, vt ipsimet testificantur, multa monstrant videntibus, quæ non sunt, nec sunt talia, qualia apparent. Multò igitur magis dæmones, qui vigent subtilitate naturæ, acumine intellectus, & experientia temporis, possunt coniungendo actiua passiuis nostros sensus ludificare, vt talia nobis appareant, qualia non sunt. Et hoc quattuor modis. Primo, per sensum immutationem. Possunt enim sensus nostros naturali calore ad interiora reuocato sibi sopire, & sic immutare, vt nobis videatur esse, quod non est. Secundo, per visibilium mutationem, vel variationem: quia possunt visibilia variare, & transmutare, vt nobis appareant qualia non sunt. Si enim potest columba colum suum sic voluere, quò videtur esse alterius, & alterius coloris, multò fortius bonus, vel malus Angelus hoc facere potest. Tertio, per medij colorationem, quia potest medium, per quod videmus, varijs coloribus colore, ratione cuius nobis illa apparent non talia, qualia nobis videntur. Sicut sol quandoque nobis videtur ruber, vel luna propter vapores existentes in medio. Quarto, potest contingere propter ipsorum dæmonum operationem; quia possunt personas, quas volunt sic transformare, & in aliquo remoto loco seruare, & sensus eorum sopire, vt eis videantur esse aues, & equi. Et formam, & speciem talium animalium alij dæmones possunt assumere, & aspectibus sociorum, & familiarium prædictarum personarum se demonstrare, vt videatur eis, quòd illæ personæ in speciem talium animalium sint conuersæ.

A B C D

*An Beata MARIA semper Virgo pro omnibus gratiam apud Deum inuenerit.*
Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Bernardus in homilia super Missus est, dicit tria singulariter fuisse in Virgine, propter quæ triplicem gratiam apud Deum inuenit pro omnibus. Primo habuit singularem humilitatem. Licet enim, vt ait, Virgo beata Deò placeret virginitate, & humilitate, tamen quòd virginitas eius esset placita, hoc eius humilitas fecit. Secundo, singularem potestatem, quia licet per naturam ipsa fuerit inferior Angelis, per gratiam tamen accepit dominium potestatis super omnes Angelos tam bonos, quàm malos. Et quia superioris est inferioribus imperare, ad præceptum, & imperium Virginis dæmones, & Angeli mali compescuntur, ne nobis noceant. Et Angeli boni eius imperium ad nostrum adiutorium veniunt, ita, vt de omni tribulatione, & mortis periculo eius protectione liberemur. Tertio, singularem pietatem. Quãvis enim in quantum femina Virgo naturaliter fuerit pia, & plena misericordia, eo quòd feminæ, senes, & pueri, secundùm Philosophum, hoc habeant naturaliter, & sint misericordes; licet non ex eadem causa, quia pueri habent propter eorum innocentiam. Senes, quia volunt alios eis compati, feminæ verò propter mollitiem complexionis: per gratiam tamen, & charitatem Virgo beata singulariter fuit pia, & compassiua. Per ista ergo tria, beata Virgo triplicem gratiam singulariter pro omnibus apud Deum inuenit. Nam per eius humilitatem inuenit Dei, & hominum pacis vnionem. Per eius potestatem inuenit mortis destructionem. Et per eius pietatem inuenit vitæ reparationem. Nam si sermo mollis, & humilis frangit iram, vt sacra Scriptura testatur, quotiescumque à Deo auertimur, nostris demeritis, & sibi inimicamur, humilitas Virginis nos sibi reconciliat, & pacem inter Deum, & nos ipsa facit. Si verò mors nostra dæmonum insidijs fuerit cõspirata, regemus ipsam, & duodecim martyrum legiones Angelorum in nostrum adiutorium mittet. Sed si vita nostra spiritualis fuerit perdita, sua pietate, ipsa nobis illum ostendet, quia est via, veritas, & vita. Hoc est igitur quod ait Bernardus super isto passu: *Inuenisti gratiam apud Deum:* Quam, inquit, gratiam? & statim respondet: Dei, & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem.

*Super Missus est, to. 1. hom. 2.*

*Philosophus Rhet. to 2. lib. 2. ca. de morib. ætatum.*

*Prou. 15.*

*Super Missus est to. 1. homil. 3.*

*An proprium fuerit Virgini gratiam apud Deum inuenire.*
Quæst. 5.

*Super Missus est to.3.*

AD quintam est dicendum, quôd Origenes determinat hanc dubitationem super hunc passum: *Inuenisti gratiam apud Deum*, dicens: Multi sancti Patres, Patriarchæ, & Prophetæ inuenerunt gratiam apud Deum. Nam Moysi dictum est: Inuenisti *Exo. 33.* enim gratiam apud me, & te ipsum noui ex nomine. Per talem tamen modum, vt ait, Virgo beata inuenit gratiam apud Deum, per quem aliqua creatura ante ipsam, vel *Ioan.1.* post ipsam non inuenit. Nam gratia Dei est ipse Christus, quia gratia, & veritas per B IESVM Christum facta est. Ista autem gratia benè per patres veteris testamenti fuit prophetata, & figurata, sed non corporaliter, & realiter generata. Vnde Moyses, de quo dictum est, quôd inuenit gratiam apud Deum, vt patet Exodi capitulo supra allegato. Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi te ipsum, vt videam te manifestè. Cui responsum est: Ego ostendam tibi omne bonum. Dixit: ostendam, non ostendo. Fuit per eos expectata, & præstolata, non inuenta; benè enim dicebat: Domine præstolamur aduentum tuum, vt cito venias, non quôd iam veniisset. Similiter per eos fuit vehementer desiderata, non tamen obtenta, *Aggai.2.* quia bene dicebant: Veniet desideratus cunctis gentibus: nos iam desideratum obtinemus. Sed beata Virgo gratiam prophetatam, & figuratam generauit, gratiam expectatam corporaliter præsentauit: & gratiam desideratam visibiliter demonstrauit. Igitur per hunc modum gratiam inuenire apud Deum, ipsam corporaliter generare, corporaliter præsentare, & omnibus visibiliter demonstrare, fuit proprium Virgini gloriosæ, non alicui sanctorum, vel sanctarum.

## *LECTIO XIII.*

De rei nunciatæ particulari expressione. D

*Ecce concipies in vtero, & paries filium.*

POsita certificatione Angelicæ nunciationis ex MARIÆ admiratione, & ex Angeli assecuratione, hic, vt supra dicebatur, certificatur nunciatio Angelica ex ipsius rei nũciatæ particulari expressione. Nam ex superioribus dictis Angelus Virginem solum attentam, & benebolam fecerat, & ipsam in quandam admirationem traxerat, insistens circa laudes eius, & magnificentiam eius. Sed nunc iam attenta facta, & in admirationem posita, rem, quam vult nunciare sibi particulariter, exprimit, dicẽs: *Ecce concipies, &* A *paries filium.* Duõ namque sibi nunciat. Primo conceptum miraculosum, cùm ait: *Ecce concipies in vtero.* Secundo partum gaudiosum, cùm adiungit: *Et paries filium.* Fuit autem conceptus nunciatus Virgini miraculosus tripliciter. Primo propter temporis breuitatem, quam notat Angelus, vt dicit glossa cùm ait: *Ecce*, ac si diceret celeriter, & in instanti fiet iste conceptus in vtero tuo, non per interualla temporum, sicut fit in alijs mulieribus. Secundo propter formatiuæ virtutis fœcunditatem, quam notat, cùm dicit: *Concipies.* Glossa: Spiritu sancto fœcundante, non homine operante. Concipies ergo tu Virgo, & de tuo, sed conceptionem ipsam non homo, sed Spiritus sanctus fœcundabit, B & formabit. Tertio propter personalem vnitatem, quam notat cùm dicit: *In vtero.* Nam non extra, sed in vtero Virginali conceptus iste benedictus fuit Dei Filio, & Dei verbo personaliter vnitus. Nunciauit ergo Angelus primo Virgini conceptum miraculosum, cũ dicit: *Ecce concipies in vtero.* Secundo nunciauit sibi partum gaudiosum, dicens: *Et paries filium.* Redditur autem aliquãdo partus tristis, & vituperosus ex duobus, primo ex eius perditione. Nam sæpè fœtus bene concipitur, sed non paritur, immo perditur ante partum, vel in ipso partu, quod ex multis potest contingere, vt dicit Philosophus in C libro de animalibus. Secundo ex eius diminutione, quia dato, quòd fœtus conceptus *Aristot. lib. de animalibus.* per partum nascatur, & non perdatur in partu, vel ante partum, nascitur tamen non filius, sed monstrum aliquod. Nam filius dicit similitudinem in natura cum pariente. Monstrum autem, vt si nascatur fœtus habens duo capita, vel faciem ad modum canis, & alia membra ad modum leonis, vel hominis, sicut aliquando accidit, non habet similitudinem cum pariente. Partus ergo iste gloriosus, fuit gaudiosus, quia sine perditione, quod notauit Angelus quando dixit: *Paries*, ac si diceret, non perdes eum ante partum, vel in partu. Sed paries sine aliqua perditio- D ne. Secundo fuit gaudiosus, quia sine aliqua diminutione, quod notauit Angelus cùm adiunxit: *Filium*, similem tibi in omnibus hominibus in natura, quia decebat ipsum per omnia fratribus assimilari, filium inquam non monstrum, sed speciosum forma præ fi- *Psal.44.* lijs hominum. Sed hic possunt esse quinque dubitationes.

1 Vtrum beata Virgo in pariendo Christum, fuerit vera & naturalis mater.

2 Vtrum conceptum & incarnatum esse Christũ ex Maria Virgine, sit articulus fidei.

3 Vtrum conceptus masculinus citius formetur in vtero, quàm femininus.

4 Vtrum extra vterum conceptus femininus citius perficiatur quàm masculinus.

5 Vtrum

5 Vtrum conceptus semper assimiletur patri vel matri, vel cui magis. A

*An Beata Maria semper Virgo fuerit vera, & naturalis mater pariendo Christum.*
Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd sic fuit in parturitione Christi, sicut in eius conceptione, quia materiæ administratio vnde corpus Christi formatum est, naturalis fuit. Verè namque beata Virgo materiam illã, & substãtiam ex qua sanctissimum corpus Christi formatum est, administrauit, sicut vera, & naturalis mater. Sed illius corporis formatio non fuit naturalis, quia ad formationem illius corporis non fuit virtus humana, B sed diuina, sicut in parturitione, quia quantum ad loci determinationem vnde sanctissimum corpus exiuit, beata Virgo pariendo, fuit vera mater, & naturalis, quia verè corpus Christi in partu illo sanctissimo exiuit de vtero Virginis, non alium de portatũ, sicut Manichæi dixerunt illud corpus de cælo fuisse allatum, & per vterum virginalem transijsse, sicut radius solis per aerem, vel per vitrum. Sed quãtum ad vteri virginalis clausionem, partus talis non fuit naturalis, sed virtute diuinitatis operatus. Quòd ipsa pariendo Virgo permanserit, & apertionem claustri pudoris nõ, séserit nec habuerit, hoc totum virtute diuina factũ est: & talé partũ, vt dicit Ambrosius, decebat Deum, in quo ostenderetur vera humanitas, & vera diuinitas. Et quia partus ille de vtero feminæ exiuit, verus homo demonstratur esse qui nascebatur. Sed quia clauso vtero Virginali exiuit, virginitate matris integraliter seruata, monstrabatur esse verus Deus: vera ergo, & naturalis mater fuit beata Virgo in pariendo Christum, quantum ad corporis exitum, sed non quantum ad exitus modum, quia Virgo fuit in partu, & post partum Virgo permansit, quod subterfugit modum naturæ.

*An conceptum, & incarnatum esse Christum ex MARIA semper Virgine, sit Articulus fidei.* D
Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd Christum esse conceptum, & incarnatum ex MARIA Virgine, est articulus fidei, tã secũdùm symbolum Apostolorum, quàm secundum symbolum Patrum. Nam in symbolo Apostolorum dicitur: Conceptus de Spiritu sancto, natus de MARIA Virgine. In symbolo patrum dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est.* Sex ergo ponuntur in symbolo Patrum sub fidei articulo, per quæ excluduntur sex errores, qui tunc pullulabant ante Christi incarnationem, quando illud symbolum fuit editum. Primum est præcisa hominum saluatio. Secundum est, legalium exclusio. Tertium est Dei filij ex Virgine carnis assumptio. Quartum est corporis miraculosa formatio: Quintum est illius corporis cum humano corpore assimilatio. Sextum est Dei, & hominis vera, & personalis vnio. Fuerunt autem aliqui dicentes Dei filium esse incarnatum, non solum propter nos homines, verum etiam propter dæmones damnatos liberandos & saluandos. Et hic error excluditur per hoc, quod præmittitur in articulo: *Qui propter nos homines.* Aliqui verò dicebant iolam Christi incarnationem, & passionem non sufficere ad nostram salutem sine legalium obseruatione, & impletione. Et hic error excluditur per hoc quod additur: *Et propter nostram salutem.* Aliqui autem dicebant Dei filiũ nõ descendisse ad terram per carnis ex vtero Virginali assumptionem; sed magis Christum tanquam purum hominẽ existentem, aliqua bona operatum fuisse in terris, ex quibus dicebant, eum meruisse cælum ascendere. Et hic error excluditur per hoc, quod adiungitur: *Descendit de cœlis.* Aliqui verò dicebant per operationem virilis sanguinis, vel seminis Christum in vtero beatæ MARIÆ fuesse cõceptum, & incarnatum. Et hic error excluditur per hoc quod annectitur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto.* Aliqui autem dicebãt Corpus Christi non fuisse verum corpus, nec eiusdem naturæ cum corpore humano. Et hic error excluditur per hoc, quod dicitur: *Ex MARIA Virgine.* Sed aliqui dicebãt humanã naturam personaliter nõ fuisse vniram Dei filio, & ipsi diuinitati: sed per ipsum Dei filium fuisse habitatã, modo quo inhabitat sanctos viros. Ex quorum dicto nõ erat verum dicere: Deus factus est homo, sed magis Deus habitat hominem. Et hic error excluditur per hoc, quod vltimo ponitur: *Et homo factus est.* Ergo quantum ad hominum præcisam saluationem, dicitur: *Propter nos homines.* Quantum verò ad legalium exclusionem dicitur: *Et propter nostram salutem.* Quantum verò ad Dei Filij ex Virgine carnis assumptionem, additur: *Descendit de cœlis,* Quantum vero ad corporis eius miraculosam formationem dicitur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto.* Quantũ verò ad nostræ naturæ veram assimilationem additur: *Ex MARIA Virgine.* Sed quantum ad Dei, & hominis personalem vnionem, subditur: *Et homo factus est.* Omnia enim ista, vt dictum est, sub fidei articulo clauduntur.

*An conceptus masculini sexus citius quàm feminini in vtero formetur.*

Quæst. 3.

*Arist. 6. lib. de animalibus hist. c. 22. Idemetiã legitur in lib. 4. de gen. animal. c. 6.*

AD tertiã est dicendũ, quòd Philosophus in lib de animalibus, qautuor rationibus probat, quòd maris in vtero citius formantur, & complentur, quàm feminæ. Vna ratio sumitur ex loci aptitudine. Secunda ex agentis fortitudine. Tertia, ex qualitatis spissitudine. Quarta, ex permixtæ quantitatis magnitudine. Prima quidem secundùm Philosophum sumitur ex loci aptitudine: Formatur enim secundùm Philosophum, vt in pluribus, in dextra matricis masculus, & femina in sinistra. Vnde ait, quòd si fuerit impregnatio masculi, apparebit motus lactis in dextra mamilla. Si verò feminæ, apparebit motus lactis in sinistra mamilla, quod est intelligendum, vt in pluribus, quia aliquando apparet contrarium. Cùm igitur dextra pars sit calidior, & aptior sinistra, & calidi sit digerere, & maturare, & citius operari, quàm frigidi, formabitur ex ista causa, masculus citius, quàm femina. Secunda ratio est ista, quia femina generatur ex debilitate agentis, & ex defectu virtutis formatiuæ: quia cùm semẽ emissum ab agente fuerit calidum, & fortè generabitur masculus eo quòd natura intendit semper, quod nobilius est, & semper intendit assimilare sibi passum. Sed cùm fuerit debile, & frigidum, quia non potest in generatione, & formatione masculi, facit quod potest, & generat feminam. Quia igitur agens fortè, & potens citius, & perfectius complet suam operationẽ, quàm debile, & impotens, isto modo citius in vtero formabitur masculus, quàm femina. Tertia ratio talis est: Nam materia, & substantia, ex qua formatur masculus, est spissa & constricta. Materia verò, & substantia, ex qua maturatur, siue formatur femina, est fluxibilis, humida, & labilis siue sparsa. Planum est autem, quòd plus apponitur de tẽpore ad formandum, & constringendam materiam humidam, liquidam, & fluxibilem, quã materiam spissam, & constrictam. Sicut videmus, quod citius formatur panis ex pasta debito modo spissa, & cõstricta, quàm ex pasta liquida, fluxibili, & aquosa. Quarta ratio est talis: Nam quantitas illa, quæ intrat compositionem corporis masculini, est pura non permixta impuritati, quia ex virtute caloris seminis virilis, materia & substantia fuit magis digesta, per quam digestionem impurum separatur a puro. Illa verò quantitas, quæ intrat compositionem corporis feminæ, est magis impura, & magis permixta impuritati. Cuius signum est, vt Philosophus dicit, quòd mulieres habentes in vtero feminas, sũt vt plurimũ mali coloris, & graues, & tardi motus: habentes verò masculos, sunt boni coloris, & leues, & motus facilis. Et quia quantitas pura, & impermixta citius formatur, quia citius, & faciliùs obedit agenti, quàm quantitas impura & permixta. Ideo ex hoc sequitur, quòd masculus in vtero citius formatur & completur, quàm femina. Nam physici dicunt, quòd masculus formatur in die xlvj. sed femina in duplo tempore.

*Arist. 7. li. de hist. ani. c. 4.*

*Arist. autem li. 7. de histor. animaliũ cap. 3.*

*An conceptus feminini sexus citius quàm masculini extra vterum perficiatur.*

Quæst. 4.

*Arist. 6. li. de hist. anim. ca. 22. & 4. de gener. anim. c. 6 Vide sup. ad 3. q.*

AD quartam est dicẽdũ, quòd in libro de animalibus Philosophus propter quatuor rationes ostendis, quòd extra vterum femina citius perficitur, & citius peruenit ad suum complementum, quàm masculus. Primo propter materiæ abundantiam. Secundo, propter materiæ obedientiam. Tertio, propter naturæ diligentiam. Quarto, propter temporis conuenientiam. Prima ratio est, quia materia, siue substantia, vnde formatur corpus humanũ, est humida, quia humidum est aptum, & dispositum ad generationem, vt dicit ibi Philosophus. Et quia femina in generatione dat materiam, & administrat substantiam talem, vnde formatus masculus dat formam, oportuit, quòd femina plus abundaret in tali humiditate, vt posset administrare ipsam ad talem formationem corporis humani, quàm masculus. Et quia abundantia humiditatis multũ facit ad citam perfectionem, & crementum, sicut ad sensum, videmus, quòd arbores, & herbæ, in quibus est abundantia aquæ, citius crescunt, quàm aliæ, ideo feminæ, in quibus (vt dictum est) talis abundantia humida est, citius crescunt, & citius perueniunt ad complementum, quàm masculus. Secunda ratio talis est: nam verum est, quòd materiam, & quantitatem liquidam, & fluxibilem difficile est formare, & formationem aliquam in ea imprimere, & ibi multum apponitur de tempore. Sed postquam incipit spissari, citius, & facilius formatur, quàm quantitas aliqua stricta, vel spissa, seu sicca. Sicut cera postquam incipit spissari, & constringi, facilè, & citissimè recipit omnem impressionem, & formationem sigilli. Cùm igitur (vt dictum est) in corpore feminæ abundet humiditas, quamuis in vtero existens talis humiditas liquida, & fluxibilis multum indiguerit de tempore ad constringendum, extra vterum tamen postquam est iam spissata, & constricta, citius est extensibilis, quàm quantitas masculi, quæ est magis dura, & sicca. Tertia ratio talis est: Sicut enim est in arte, sic in natura, quia ars naturam imitatur. Videmus

*Arist. 2. Physic. cõ tex. 22.*

mus autem, quòd artifices plus apponunt A de tempore in perfectione, & complemento operis, quod est sibi magis cordi, & quod magis reputant charum; quia precioſius, & magis vtile, vt plus apponunt de tempore in complendo annulum aureum, quàm de alio metallo. Sic natura non tantam diligentiam apponit in perfectione feminæ, quàm maſculi, ideo indiget plus de tempore ad cõplementum maſculi, quàm feminæ: quia de ea non est sibi tanta cura, cito ſe expedit, nec curat multum tẽpus apponere. Quarta ratio talis est: Nam animalia, quæ citius ſeneſcunt, oportet quòd citius ad complementum perueniant, femina autem citius ſeneſcit, communiter loquendo, quàm maſculus, B quia humidum, quod in eis ſuperabundat, frigeſcit, & fit flegmaticum, quod est diſpoſitiuum ad canitiem, & ſeniles rugas ad generandum. Ideo ſicut in femina acceleratur tempus ſenectutis magis, quàm in maſculo, ſic citius debet perfici, & ad complementum peruenire femina, quàm maſculus.

*An conceptus magis patri, quàm matri, vel econuerſo aſſimiletur.*

Quæſt. 5.

*Ariſt. 7. li. de hiſt. anim. c. 6.*

AD quintam est dicendum quòd Philoſophus in libro de animalibus hanc quę ſtionem diffuſe pertractat, dicens, quòd con- C ceptus quandoque aſsimilatur patri, quandoque matri, quandoque alicui progenitorum, quandoque autem nulli, ſed magis alicui extraneorum. Ad cuius intellectum est

*Lib. 1. c. 18. 19. de gener. an. & lib. 4. c. 1. to. 6.*

ſciendum, quòd (vt dicit Philoſophus) ſemen emiſſum a patre ad formationem conceptus, est virtualiter omnia membra patris interiora, & exteriora. Est virtualiter cor, hepar, & naſus, & oculi, & cætera. Sic, & ſubſtantia, vel materia illa, quam adminiſtrat mater, est virtualiter omnia membra matris. Quando ergo ſemen patris est ſic forte & calidum, quòd potest perfectè dominari illi materiæ, vel ſubſtantiæ adminiſtratæ per feminam ad formationem fœtus, aſsimilibitur D patri, & ſic perfectè dominabitur in omnibus: ſicut tale ſemen est virtualiter omnia membra patris, aſsimilabitur ſibi in omnibus, quia erit maſculus ſicut ipſe, albus ſicut ipſe, fortis ſicut ipſe, ingenioſus ſicut ipſe, & ſic de omnibus. Et quia in mẽbris patris forte aliqua conditio relucet ſuorum progenitorum interius, vel exterius; ſi huiuſmodi ſemen non ſit tantum potens, vt poſsit dominari perfectè, vt aſsimilet ſibi conceptũ quãtum ad conditiones ſuas, aſsimilabit fortè ad conditiones ſuorum progenitorum, vel in omnibus, vel in aliquibus. Si autem prædictũ ſemen in nullo poſsit ſibi conceptum aſsimilare, tunc cõceptus talis aſsimilabitur matri, & quandoque in omnibus, quia erit femina ſicut ipſa. Vnde, vt in pluribus, dicit Philoſophus, quòd maſculi aſsimilantur patribus, & feminæ matribus, & erit puchra ſicut ipſa, vel parua, aut magna ſicut ipſa, quandoque verò ſolum in vna conditione, non tamen in alijs. Quandoque aſsimilabitur non matri, nec conditionibus matris, ſed forte alicui de progenie ſuæ matris, quia (vt dictum est) illa ſubſtãtia, quam adminiſtrat femina ad formationem fœtus, est virtualiter omnia membra, & relucet fortè ibi aliqua conditio ſuorum progenitorum. Quandoque autem (vt ait) fit aſsimilatio alicui extraneorum. Quod potest contingere, vel propter fortem impreſsionem, ſicut Philoſophus recitat quandam dominam multum intenſe reſpexiſſe quendam Æthiopem, quẽ depictum habebat in camera ſua, quæ poſtmodum concipiens de viro ſuo, peperit filium totum nigrum. Vel propter loci, aeris, vel cibi variationem. Nam variatio in omnibus prædictis multum potest facere ad variationem ſimilitudinis. Tertio propter materiæ omnimodam indiſpoſitionem, quia fortè materia, vel ſubſtãtia illa, quam femina adminiſtrat, ſic est indiſpoſita, & ſemen ſic fuit forſam debile, quòd diſponere non potuit, vt aſsimilatio fieret, vel membrorum augmentatio, ſed diminutio fieret: quia fortè generabitur monſtrum aliquod, quod erit diſsimile parentibus, & omnibus progenitoribus. Communiter tamen ſi non ſit ex parte feminæ indiſpoſitio, & ex parte viri debilitatio, & inordinatio, & ex parte loci, aeris, vel cibi non ſit mala complexio, vel variatio, vel aliqua vehemens impreſsii, ſemper aſsimilatio debet fieri matri, vel patri, vel alicui progenitorum vtriuſque propter rationem ſuperius aſsignatam.

*Ariſt. li. 7. de hiſt. anim. c. 6. to. 4. & 4. de gene. animal. c. 3. to. 6.*

## *LECTIO XIIII.*

De rei nunciatæ certificatione ex Chriſti magnifica nominatione.

*Et vocabis nomen eius IESVM: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et regni eius non erit finis.*

CErtificata ſalutatione Angelica ex rei nũciatæ particulari expreſsione, in parte iſta, vt ſupra dicebatur, ponitur eius certificatio ex eius magnifica nominatione. Et ponit Angelus quinq; prærogatiuas, quas decebat habere iſte cõceptus, & iſte filius, quẽ prę nũciauit Virginem concepturam, & parituram. Prima, quantum ad nominationem. Se-

cunda, quantum ad sublimationem. Tertia, quantum ad diuinam filiationem. Quarta, quantum ad regalem dominationem. Quinta, quantum ad æternam durationem. Nominationem autem tangit, cùm dicit: *Et vocabis nomen eius IESVM*, quod interpretatur Saluator. Conueniebat enim tali nomine Christum vocari, quia, vt dicitur: Ipse *Mat.4.* saluum faciet populum suum a peccatis eo- *Gen. 41.* rum, quod bene fuit figuratum in Genesi, vbi habetur, quòd vendito Ioseph in Ægypto, quia figurabat Christũ, Ægyptij verterũt nomen eius, & vocabãt eũ lingua Ægiptiaca, *Act.4.* Saluatorem mũdi: nec mirum, quia vt dicit Petrus in Actibus Apostolorũ, non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri, nisi in nomine IESV. Sublimationem verò tangit, cùm ait: *Hic erit magnus*, nam vt Glossa dicit, de Ioanne Baptista dictũ fuit: Hic erit magnus, sed ille fuit quasi homo magnus, hic vero quasi Deus magnus. Multum enim fuit sublimatus, quando ipse homo Christus vocatus est Deus. Et planum est, vt dicit Ambrosius, quòd late funditur Dei virtus, & cælestis substantiæ magnitudo latè porrigitur, quia non loco clauditur, appositione nõ comprehenditur, æstimatione non concluditur, ætate non va- *Isai. 52.* riatur. De cuius sublimatione scribitur: Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Diuinam autem sublimationem tangit, cùm dicit: *Et filius Altissimi vocabitur.* Secundũ enim Augustinum voluit Deus pater Christum non alium habere patrem, quàm ipsum, ne nomen filij ad alium transiret, qui non esset æternus natiuitate filius, propter quod idem filius fuit Dei patris per æternam generationem, & Virginis matris per temporalem in- *Psal.2.* carnationem, iuxta illud: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ergo hodie genui te. Regalem autem dominationem tangit cùm addidit: *Dabit ei Dominus Deus sedem Da- Ps.131.* uid patris eius.* Sic enim dictum fuit Dauid: De fructu ventris tui ponã super sedem tuã. Deinde æternam durationem tangit, cum postponitur: *Et regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius non erit finis.* Nã regnum Christi non fuit temporale, sed æternũ. *Dan.7.* Vnde dicitur: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. De istis igitur quinque prærogatiuis, quinque dubitationes esse possunt.

1 Vtrum hoc nomen Iesus, contineat sub se omnia nomina scripta de Christo in veteri testamento.

2 Vtrum Christus fuerit magnus secundùm quòd homo, vel secundùm quòd Deus.

3 Vtrum Christus secundùm quòd homo & secundum quòd Deus, fuerit filius, vel duo filij.

4 Vtrũ verũ sit quòd ipse Christus sederit in sede Dauid, & regnauerit in domo Iacob.

5 Vtrum solum regnum Christi debeat esse æternum, & non aliud.

*An IESVS contineat sub se omnia nomina scripta de Christo in veteri Testamento.*

Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd multi in veteri Testamento IESVS vocati sunt. Fuit enim IESVS Naue, successor Moysi, fortis in bello. Et fuit IESVS Filius Syrac, qui cõposuit librum Ecclesiasticum. Et multi hoc tali nomine appellati sunt propter aliquam particularem salutem, quam operati sunt in populo. Sed Christus vocatus est IESVS, vt Saluator, propter vniuersalem salutem non vnius gentis, vel in vno tempore, sed propter salutem omnium populorum, tam præsentium, quàm præteritorum, quàm etiam futurorum. Nam salutem omnium populorum, & hominum quatuor modis possumus considerare. Primo, quantum ad nostram salutem operantem. Secundo, quantum ad nostram salutem impedientem. Tertio, quantum ad nostram salutem ostendentem. Quarto, quantum ad nostram salutem terminantem. Igitur propter nostræ salutis operationem vocatus est Christus Emanuel, iuxta illud: Ecce Virgo concipiet, & *Isa.7.* pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Et planum est, quòd propter hoc Deus operatus est nostram salutem, quia humanam naturam secum assumpsit ad vnitatem personæ, quia aliter non fuisset nostra natura salua- *Lib. 3. de* ta, & curata, eo quòd secundùm Damasce- *fide Orth.* num: Quod est inassumptibile, est incurabile, & insanabile. Vnde si Deus non fuisset sin- *cap.6.* gulariter nobiscum, assumendo nostram naturam ad vnitatem personæ suæ, non fuisset operatus salutem nostram. Emmanuel igitur est vocatus propter nostræ salutis operationem. Propter verò nostram salutem impedientis remotionem, & debellationem, vo- *Isai. 8.* catus est Accelera, festina, prædare, iuxta illud: Voca nomen eius accelera, festina, prædare, spolia detrahe. Nam diabolus, qui nostram salutem impediebat, per Christum est debellatus, & expoliatus. Non tarde, sed faciliter, & celeriter, ipsis dæmonibus attestantibus, & dicentibus: Venisti ante tempus *Marc.1.* torquere nos. Vnde dicit Apostolus, quòd *Et Mat.* Christus tulit diabolum inimicum nostrum *8.* de medio, affigens illum cruci, & expolians *Ad Phi-* principatus, & potestates, transduxit nos cõ *lip.2.* fidenter in regnum suum. Propter vero no- *Isai.9.* stræ salutis ostensionem, & demonstrationẽ, vocatus est Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis. Nam mirabili diuinitatis consilio, & forti, atque potẽti virtute factũ est quòd homines

mines suo peccato damnati ad infernum, ad hereditatem cœlestis Regni perducantur. Propter nostræ salutis terminationem, vocatus est Pater futuri seculi, Princeps pacis. De vtroque nomine dicitur: Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus, Fortis. Consiliarius, quantum ad primum. Pater futuri seculi, quantum ad secundum. Princeps pacis, secundùm adaptationem temporis. Possumus dicere, quòd nostræ salutis operatio facta est in Christi incarnatione, quia tunc fuit Emanuel, & signanter nobiscum, quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: Nostram verò salutem impedientis remotio, expoliatio, & debellatio facta est in eius passione, quia tunc Princeps huius mundi eiectus est foras, ipso dicente: Et cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Vnde tunc signanter conueniebat ei vocari Festina, prædare, spolia detrahe. Nostræ autem salutis ostensio, & demonstratio facta est in eius Resurrectione, quia tunc, vt ait Ambrosius, notam fecit nobis viam vitæ, quæ ante habebatur ignota. Vnde tunc conueniebat ei vocari Admirabilis, Deus, Fortis. Sed nostræ salutis terminatio facta est in eius Ascensione, quia tunc in persona omniũ saluandorum assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Vnde cõueniebat ei vocari, Pater futuri seculi, & Princeps pacis. In Natiuitate ergo Christus fuit Emmanuel, quia tunc nostram salutem per eius præsentiam inchoauit. In Passione fuit: Prædare, spolia detrahe, quia tunc nostram salutem impedientem debellauit. In Resurrectione fuit mirabilis cõsiliarius, Deus, Fortis, quia tunc nostram salutem demonstrauit. Sed in Ascensione fuit Pater futuri seculi, & Princeps pacis, quia tunc nostram salutem finiuit, & terminauit. Rectè igitur vocatus est IESVS, quia omnes modi nostræ salutis importati per nomina ei imposita in veteri Testamento, vniuersaliter in hoc nomine IESV includuntur.

*Isai. 9.*

*Ioan. 1.*

*Ioan. 12.*

*Tom. 5 in ser. de sanctis pro communi Martyrũ ser. 22. de edit. Roman.*

### *An Christus fuerit magnus quatenus homo, vel quatenus Deus.*
### Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd Christus sit magnus, & sublimis secundùm, quòd Deus, mirum non est, quia magnus vna magnitudine cum Patre, & Spiritu Sancto, cùm omnium personarum sit vna magnitudo, non quidem magnitudo corporalis, sed virtualis. Vnde dicit Augustinus de Trinitate: Intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione vlla mirabilia facientem, nihilque patientem. Sed quòd sit magnus secundùm quòd homo, Apostolus ad Hebræos ait: Magnitudines ei attribuit, quæ non conueniunt alicui creaturæ. Prima est, diuinæ personæ vnitatis. Secunda, eiusdem honoris æqualitatis. Tertia, capitis dignitatis. Quarta, iudiciariæ potestatis. Nulli namque naturæ humanæ, vel Angelicæ collatum est, quòd sit assumpta ad vnitatem personæ diuinæ, vt vocetur Deus, sicut collatum est homini Christo. Vnde dicit Apostolus: Tantò melior Angelis, & maior effectus est, quantò differentius pro illis nomen hereditauit. Nam nulli Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Secundò, nulli creaturæ debetur ille honor, qui debetur Christo homini: quia honor latriæ, qui quidem honor debetur soli Deo, debetur homini Christo. Honor namque, & reuerentia debetur personæ, & hypostasi. Sicut igitur est vna persona subsistens in duabus naturis, diuina, scilicet, & humana, sic vnus, & æqualis honor Deo, & illi homini Christo debetur. Vnde dicit Apostolus ibi: Adorent eum omnes Angeli Dei. Tertiò, nulli creaturæ conuenit dignitas capitis, sicut homini Christo, quem, dicente Apostolo, dedit caput super omnem Ecclesiam, & omnia subiecit sub pedibus eius. Quod exponens Apostolus dicit: In eo, quòd ait omnia subiecta pedibus eius, nihil dimissum est non subiectum ei. Quartò, nulli creaturæ concessa est iudiciaria potestas, sicut homini Christo, de quo dicit Euangelista, quòd omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est. Et Apostolus dicit, quòd thronus eius erit in seculum seculi, & virga æquitatis virga Regni eius. Magnus ergo fuit Christus secundùm quod Deus, & eius magnitudinis non est finis. Et magnus secundùm quòd homo ista quadruplici magnitudine superius dicta non conueniente alicui naturæ Angelicæ, vel humanæ.

*5. de Trinit. c. 1. tomo 3.*

*Hebr. 4.*

*Hebr. 1.*

*Psalm. 2.*

*Hebr. 1.*

*Ephes. 1.*

*Psalm. 8.*

*Hebr. 2.*

*Ioan. 5.*

*Hebr. 1.*

*Ps. 146.*

### *An Christus quatenus homo, & quatenus Deus fuerit vnus filius, vel duo filij.*
### Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd aliud est quærere Christum fuisse alium filium secundùm quòd Deus, & secundùm quòd homo. Et aliud est quærere Christum habuisse aliam filiationem secundùm naturam diuinam, & aliam secundùm naturam humanam. Nam primò Christum fuisse alium filium secundùm quòd Deus, & alium secundùm quòd homo, omnino est negandum, authoritate, & ratione. Authoritas quidem est Damasceni, & Augustini: expressè nãque dicit

*Lib. 3. fi. orth. c. 2.*

cit Damascenus: Confitemur Christum ipsum vnum Filium Dei. Post humanitatis Assumptionem etiam filium hominis eundem vnum IESVM Christum. Augustinus verò in libro de Symbolo dicit: Genitrix Virgo suum genuit genitorem: filium portauit, á quo portabatur: ostendit filium, quem Pater æternaliter sibi æqualem, Virgo temporaliter generauit, quia non hominem nudum sancta Virgo genuit, sed Deum verum, non tamen nudum, sed incarnatum: hoc expresse dicit Apostolus: Misit Deus Filium suum natum ex muliere. Eundē ergo filium confiteri debemus natum esse de muliere Virgine, quē Deus Pater nobis misit, quia Deus Pater misit filium, qui erat verus homo, & verus Deus. Ideo idem filius fuit Christus, secundùm quòd Deus, & secundùm quòd homo. Ratio verò talis est: Nam esse filium, est esse natum, iuxta illud: Paruulus filius natus est nobis. Sed nasci, vel esse natum non conuenit naturæ, sed personæ, sicut dicit Damascenus: Vnde ibidem ait, quòd sancta Dei Genitrix hypostasim, & personam genuit. Ergo cùm Christus non fuerit, nisi vna persona, quia vna in duabus naturis, persona viā vitæ manifestius demonstrauit, vt dicitur extra de fide Catholica. Manifestè sequitur, quòd Christus secundùm quòd homo, & secundùm quòd Deus, non fuit nisi vnus filius, quia licet *secundùm quòd* reduplicationem, & præcisionem faciat supra personam, non supra naturam diuinam, & aliam secundùm naturam humanam, puto conuenienter posse dici, potissimè, quia Damascenus dicit, quòd duas natiuitates in Christo veneramur: vnam ex Patre ante secula, & super causā, & sermonem, & tempus, & naturam: alteram in vltimis ex matre, & tempore Conceptionis, propter nos, secundùm nos, & super nos, non humano semine, sed ex Spiritu Sancto. Sicut ergo confitemur duas natiuitates in Christo, ita non videtur negandum, in eo duas esse filiationes.

*De Symbolo ad Catechū. lib. 1. c. 5. tomo 9.*

*Galat. 4.*

*Isai. 9.*

*Lib. 3. c. 12.*

*De fide Catholica in Decret. libr. 1. cap. 1.*

*3 lib. c. 7.*

### *An Christus sederit in solio Dauid, & regnauerit in domo Iacob.*
### Quæst. 4.

*Super Missus est, to. 1. Homil. 4. statim post initium.*

AD quartam est dicendum, quòd Bernardus istam dubitationem mouet in homilia super Missus est, dicens: Quæro, quomodo Deus dederit Christo sedem Dauid. Planum est enim, quòd ipse in Ierusalem non regnauit, vbi constat Dauid regnasse: immo turbis volentibus ipsum rapere, & facere Regem, præsciens hoc, fugit in montem, sicut habetur. Qualiter autem regnauerit in domo Iacob, maius dubium est, cùm illa domus negauerit ipsum coram facie Pilati, dicens: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

*Ioan. 6.*

*Ioan. 19.*

A Ad hoc igitur respondet Bernardus, dicens: Sæpe in Sacra Scriptura figura ponitur pro figurato, & significans pro significato. Illa igitur terrestris significabat, & figurabat Ierusalem cœlestem, de qua dicit Apostolus, quòd illa Ierusalem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra. Similiter Dauid figurabat, & significabat Christum, quia Dauid, manu fortis, & vultu desiderabilis interpretatur. Et ipse Christus manu fortis fuit, Goliat, id est, Diabolum ipsum debellando. Et vultu desiderabilis suos electos reficiendo, quia in eum desiderant Angeli prospicere. Sedem igitur Dauid figuratam, & signatam per illam Deus dedit ipsam Christo in Ierusalem cœlesti. Vnde cum Pilatus B quæreret ab eo, an Rex esset, respondit: A te ipso hoc dicis, an alij dixerunt de me? Et cū ille diceret: Ego Iudæus non sum, sed gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: tunc Christus respondit: Regnum meum nō est de hoc mundo: nam si de hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei decertarent, vt non traderer Iudæis. Vnde quia Regnum suum, dixerat non esse de hoc mundo: Pilatus conatus est ipsum liberare, quia de hoc sibi cura erat. Dubitabat enim ne regnaturus esset in illa Ierusalem terrestri loco Dauid, audierat maximè per Prophetas istud esse scriptum. Et sic ne Regnum iterum rediret C ad Iudæos, maximè de hoc erat solicitus. Ad secundùm similiter soluit per Apostolum. Nam verum est, quòd Iudæi, qui Christum negauerunt, ex Iacob descenderunt. Sed, vt ait Apostolus, differt esse Iudæum occultum confitentem Christum corde, & Iudæum manifestum, qui negat Christum, vel esse Iudæū circumcisum carne, & circumcisum spiritu. Christus ergo regnabit in domo Iacob, & in Iudæis circumcisis spiritu, quales sunt credentes in eum, non in Iudæis circumcisis carne solùm eum negantibus.

*Ibidem.*

*Galat. 4.*

*Ioan. 19.*

### *An solum Christi Regnum debeat esse æternum, & non aliud.*
### Quæst. 5.

D

AD quintam est dicendum, quòd ad regnandum Christum post diem iudicij, tres differētias habebit: à regimine aliorum regum, à suo met regimine, modo quo nunc regnat in mundo, & in vniuersalitate, quia nullus vniuersaliter regnat super omnes, saltem de facto. Licet enim Papa, vel Imperator deberet de iure regnare super omnes, de facto tamen videmus contrarium, quia multi sunt rebelles, non solùm pagani, verum etiam, qui Christiani censentur. Similiter Christus vniuersaliter non regnat nunc super omnes, quia multi, vel in eum non credunt, vel si credunt, eius præcepta contemnunt.

Se-

Secundò, in iustitiæ æqualitate. Quia iustitiæ regum temporalium quasi pannus menstruatæ sunt: immo (dicente Propheta) omnes à iustitia declinauerunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Ipso similiter Christo permittente, à iusto suo consilio multa mala, & aduersa sunt fidelibus, & multa bona, & prospera suis aduersarijs, sinit euenire, quòd non videtur æqualitatem iustitiæ importare. Tertiò, in eternitate, quia nullum regnum est perpetuum, & modus etiam, secundùm quem Deus nunc regnat, non est æternus, quia mors non sinit homines esse æternos, super quos ipse Christus dicitur regnare. Regnum namque Christi eius fideles sunt. In fine igitur mundi Regnum Christi habebit vniuersalitatem, quia super omnes regnabit, velint, nolint. Vnde dicit Apostolus: Oportet illum regnare donec ponat inimicos scabellum pedum eius. Sic iustitiæ æqualitate, quia merces sua secum erit, dare vnicuique iuxta opera sua, vt dicitur. Et in durationis æternitate, quia vt dicitur: Inimica nouissima destruetur mors, & scribitur, quòd mors, & infernus missi sunt in stagnum ignis. Regnabit ergo in illa Ierusalem cœlesti, cum omnibus electis suis, vniuersaliter, æqualiter, & æternaliter.

*Psal.* 13.

1. *Cor.* 5. *Ps.* 107.

*Apoc. vl. Apoc.* 20.

## *LECTIO XV.*

De rei nunciatæ certificatione ex modi faciendi diligenti Inquisitione.

*Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

POsita certificatione Angelicæ nunciationis. Ex Christi magnifica nominatione, in parte ista, vt supra dicebatur, ponitur certificatio eius, ex modi fiendi diligenti inquisitione. Ad cuius intellectum est sciendum, quòd quia Angelus dixerat Virginem Dei Filium esse concepturam, & parituram: *Ecce* (inquit) *Concipies, & paries Filium.* Hoc, vt Ambrosius ait, Virgo non debuit omnino non credere, nec tamen temerè debuit vsurpare, nos credere Angelo, vsurpare diuina, vt cum quadam proteruitate, & temeritate diceret: Istud omnino fiet, & volo, vt fiat. Sed sicut Beata Virgo, quando fuit dubia, qualis esset ista salutatio, prudenter tacuerat, ita nunc, vt dicit Bernardus, confortata per Angelum, & iam benè præmeditata, duo breuiter in sua responsione tangit. Primò modo fiendi possibilitatem, cùm dicit: *Quomodo fiet istud?* Secundò, sui propositi firmitatem, cùm ait: *Quoniam virum non cognosco.* Aliquando enim res ipsa certa est, sed modus fiendi non est certus: nam quilibet certus est, quòd debet mori, sed vtrùm gladio, vel febre, vtrùm longa, vel subita infirmitate, non est certus, quia omnes isti modi sunt possibiles. Inquirere ergo possibilitatem modi fiendi de re, quàm homo veraciter credit, magnæ prudentiæ est. Vnde Iob dicebat: Causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Beata igitur Virgo non dubitauit de facto, quòd Angelus dicebat, sed possibilitatem, & ordinem fiendi modi requisiuit, dicens: *Quomodo fiet istud?* ac si diceret, vt Bernardus ait: Cùm sciat Dominus meus conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit sibi, vt istud fiat? Nam si oportebit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, tamen fiat voluntas eius. Si verò concipiam, & Virgo pariam, & sibi placuerit, non impossibile, tunc scio, quòd respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. Quæro ergo: *Quomodo fiet istud?* Sed hic possunt esse quinque dubitationes.

*Tomo 3. lib. 2. in capit. 1. Lucæ.*

*Super Missus est homil. 4.to. 1. d.*

*Iob* 29.

*Super Missus est homil. 4.to.* 1.

Prima, vtrùm dubitare de omnibus sit bonum, & vtile.

2 Vtrùm Beata Virgo dubitauerit de verbis Angeli.

3 Vtrùm Beata Virgo fecerit votum, virum non cognoscere antequam esset desponsata.

4 Vtrùm aliqua mulier possit concipere, absque eo quòd cognoscatur à viro.

5 Vtrùm sic natus, vel conceptus deberet dici sine patre, vel cuius filius deberet nominari.

*An dubitare de omnibus sit bonum, & vtile.* Quæst. 1.

AD primam est dicendum, quòd dubitare dupliciter contingit. Primò, per modum cuiusdam desperationis, & diffidentiæ. Secundò, per modũ inquisitionis, & rationis Syllogistæ. Primo modo si homo diffidat, & desperet de creatura spem, & fidẽ suam in ea non ponendo, est bonum, & vtile: Quia maledictus homo, qui sperat in homine. In hoc enim consistit tota peruersitas humanæ naturæ, vt spreto bono incommutabili, constituatur finis in bono creato. Sed si homo diffidat, & desperet de Deo, & de ipso Creatore, est peruersum, & damnabile, quia beatus homo, qui sperat in Domino, & est in Domino fiducia eius. Et isto modo Augustinus exponit illud verbum: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, quia sic (vt dicit) dubitare de Deo, perniciosum est, eo quòd ira Dei venit in filios diffidentiæ, vt dicit Apostolus. Sic dubitare de homine, salubberrimũ est. Igitur dubitatio per modum diffidentiæ, vno modo vtilis, & salubris est, alio modo est inutilis, & perniciosa. Si verò sit dubitatio per modum Inquisitionis, & rationis syllo-

*Ierem.* 17.

*Psal.* 33.

*Super illud Apost.* 1. *Cor.* 10. *in lib. vet. & no test. q.* 99. *Ephes.* 5.

syllogisticæ; tunc aut talis quærit de Sacra Scriptura à Deo immediata, reuelata, & fundata super operibus miraculosis, & super ijs, quæ transcendunt intellectum, & rationem, & sic est inutile, quia secundùm Augustinum super illo verbo: Ecce eris tacens, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quòd non censetur Sacerdos Zacharias dignus fore venia, quia allegauit impotentiam eius, & vxoris, dicens: Ego sum senex, & vxor mea sterilis est, quia quandocumque Deus indicat aliquid esse fiendum, operationem in fide oportet suscipere, & non rationem quærere. Nam super talibus decertare, contumacis animæ est. Sed in scientia humanitus inuestigata, & fundata in rebus naturalibus, vtile est de omnibus dubitare: rationes item pro, & contra ad omnia adducere, vt veritas quæsita magis inueniatur, & abundantius declaretur, quia isto modo sumus apti scientiam adinuenire per rationis discursum. Isto namque modo de hac veritate. Vtrùm nix sit alba dubitare, rationes pro, & contra adducere inutile non est, quia per hoc veritas magis declaratur.

*Super Lucæ cap. 1. tomo 10. homil. 44. 117.*

*An Beata MARIA semper Virgo dubitauerit de verbis Angeli.*

Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd aliter respondet Ambrosius ad istam dubitationem, & aliter Augustinus: Nam Ambrosius dicit, quòd Beata Virgo non dubitauit de facto, sed de modo fiendi. Vnde ait, quòd temperatior fuit inquisitio Virginis, quàm Zachariæ sacerdotis. Ille enim dixit: Vnde hoc sciam, quasi alium quærens actorem, quã Angelum nunciantem, propter quod tam de facto, quàm de modo fiendi Zacharias dubitauit, cuius signum fuit, quòd Angelus sibi dixit: Quia non credidisti verbis meis, ecce tacens eris, & non poteris loqui quousque hæc impleantur. Sed Beata Virgo, factum quidem credidit, modum autem quæsiuit: qui enim modum fiendi quærit, factum non dubitat: modo Angelus eam, nec taciturnitate percussit, nec, quòd verbis eius non credidisset, improperauit. Inquisitio ergo Virginis secundùm Ambrosium non fuit dubitationis, & infidelitatis de facto, sed de modo fiendi solùm, Augustinus verò in libro de Symbolo dicit: Beata Virgo, nec in Angelica annunciatione, nec in Christi incarnatione, nec in eius passione dubitauit aliqua dubitatione hæsitationis, sed dubitatione cuiusdam stuporis, & admirationis. Vnde exponens illud verbum Augustinus. Tuã ipsius animam pertransibit gladius, dicit: Beata Virgo in Passione Domini stupore cuiusdam admirationis dubitauit. Considerabat namque, vt dicit in libro de Symbolo, quæ ab Angelo audierat, quæ in Conceptione senserat, quæ in eius Incarnatione. Magis adorantibus, & pastoribus nunciantibus viderat, quomodo in eius adolescentia ipsum in medio Doctorum disputantem inuenerat, qualiter ad sui petitionem, aquam in vinum mutauerat. Et post modum videns eum pati tam abiecta, & tam vilia, in quodam mentis stupore, & admiratione ponebatur. Sic quando audiuit ab Angelo, quòd deberet Dei Filium concipere, & parere, nõ dubitauit de re, vel de modo, quia dictum Angeli credidit esse verum, & modum fiendi, quòd Virgo existens pareret, credidit Deo fore possibile, maximè cùm non esset ignara propheticæ Scripturæ, qua dicebatur ex presse: *Ecce Virgo concipiet*. Inquisiuit ergo: *Quomodo fiet istud?* non dubitando, sed stupendo, & admirando, ac si diceret, totum credo quod dixisti, sed ego votum meum tibi manifesto, quia virum non cognoscere dispposui. Vnde licut factum mirabile mihi narrasti, quõ ego sum illa Virgo, quæ Dei Filium sum conceptura, sic modum fiendi mihi peto, per te declarari, & demonstrari. Inquisitio ergo Virginis nunc, & semper, non fuit dubitatio hæsitationis in ea, cùm ipsa semper fuerit anchora fidei, sed fuit inquisitio cuiusdam stuporis, & admirationis.

*Lib. 2. to. 3.*

*Lucæ 1.*

*In lib. de Symbolo. 2. Luc. c. in q. veter. & no. Testam. to. 4. q. 73 Aug. enim in libr de Nat. & gratt. c. 36*

*to. 7. Aegid. Rom. lib. 2 senten. dist. 23. q. 1. art. 1. Matth. 1 Lucæ 2. Lucæ 2. Mat. 26. & 27. Marc. 14 & 15. Lucæ 22. & 23. Ioan. 18. & 19. Isai. 7.*

*An Beata MARIA semper Virgo votum emiserit de non cognoscendo viro antequam esset desponsata.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd ista quæstio est dubia propter duo. Primò quidem si Virgo Beata, antequam esset desponsata, votum fecit virum non cognoscere, contra præceptum legis videtur fecisse: scribitur enim in Deuter. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus. Quælibet autem Virgo naturali ordine cogitur esse sterilis, quia nec ordine naturæ mater effici potest, nisi corrumpatur. Si verò postquàm desponsata fuit, dicatur vouisse, tunc aut inter ipsam, & Ioseph verum matrimonium non fuit, quòd non est dicendum, cùm Matthæus narret genealogiam Saluatoris vsque ad Ioseph virum MARIÆ, vel si verum matrimonium fuit inter eos, non erat licitum alicui eorum vouere Virginitatem, aut continentiam sine consensu alterius. Dicendum ergo est, quòd Beata Virgo, antequam desponsata esset, votum fecit, virum non cognoscere. Aliter secundùm quòd dicit Glossa, si causa carnalis copulæ Ioseph desponsari voluisset, non fuisset posita in admirationem, quando Angelus sibi conceptum, & partum Dei Filij nunciauit, dicens: *Ecce concipies, & paries filium.* Ex quo enim virum præstolabatur ad tempus, mater effici volebat, ac per hoc non dixisset:

*Deut. 7.*

*Matt. 1*

tisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ex quo sponsum, quem acceperat, se cognituram disponebat. Ante igitur desponsationem votum fecit, se virum nunquam cognituram. Cùm tamen votum sit voluntaria promissio facta Deo, in omni voto, in omni dicto, & facto, & promisso, quòd Deo vouemus, vel ad eius laudem dicimus, & facimus, debet subintelligi semper illa conditio, quam Beatus Iacobus ponit in sua Canonica, pro vt scilicet, si Dominus voluerit, aut si Domino placuerit, sic, vel sic faciemus. Stultum namque esset credere, vel opinari, quòd aliquis intenderet aliquid Deo offerre, vel aliquid Deo promittere, quantumcumque bonum, contra eius voluntatem, vel beneplacitum. Et isto modo sub tali conditione vouere, virum non cognoscere, non erat contra præceptum legis, quia præcepta sunt signa, & indicia voluntatis Dei. Qui ergo non intendit facere contra voluntatem Dei, non facit contra præceptum eius. Post desponsationem tamen B. Virgo, pari consensu cum sponso suo Ioseph votum Virginitatis emisit, sicut manifestè dicit Augustinus in libro de consensu Euangelistarum. Ait enim Euangelista Matthæus Ioseph à coniugio MARIÆ separandum fas esse non putauit ob hoc, quia non ex eius concubitu, sed Virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, & seruata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Verum igitur coniugium fuit inter MARIAM, & Ioseph, quia non separatim, sed communi consensu ambo votum continentiæ post dispensationem emiserunt.

*Iacob. in sua Can.*

*De consen su Euangel. to. 4. lib. 12. c. 1*

*De Nupt. & cõcup. lib. 1. c. 11. to. 7.*

### *An aliqua Virgo concipere possit absque viri cognitione.*
### Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd si quæratur, an mulier aliqua possit concipere absque eo quòd cognoscatur à viro personaliter ipsam corrumpente, an absque eo, quòd cognoscatur à viro semen viri administrãte, & infundẽte. Primò modo est dicẽdũ, quòd sic: secundò autem modo naturali ordine, quòd non. Hoc autem probatur authoritate Sacræ Scripturæ, Augustini, & exemplo. Nam illud verbum in Genesi: Videntes Filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperũt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant: illæque genuerunt, & conceperunt, & geniti fuerunt potentes à seculo viri famosi Gigantes. Exponit Glossa de Dæmonibus, qui fuerunt Filij Dei per naturam, qui facientes se incubos, per procuratum semen mulieres cognouerunt, & illæ sic cognitæ per semen receptum, conceperunt, & genuerunt. Et quia Dæmones sciunt optimè dispositionẽ mulieris, & semẽ viri procuratum, & administrati fortitudinem, & vigorẽ, & cœli ordinatã constellationẽ, quibus concurrentibus geniti isto modo fuerunt viri potentes in seculo. Vnde in textu subditur, quòd gigantes erant in diebus illis. Et satis est credibile, quòd illi sic fuerunt generati, quia hoc fuit dictum propinquante diluuio, quando multa malitia hominum fuit in terra, & omnis caro corruperat viam suam. Hoc expressè ponit Augustinus de Ciuitate Dei, dicens: Multi, de quorum fide dubitandum non est, asserunt, & cõfirmant, Siluanos, & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos fuisse mulieribus, & eorum appetiuisse, peregisse concubitum, & quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant. Possunt igitur Angeli mali (quia de bonis non est credendum) in specie mulieris illudere viris supponendo se eis: & accipere semen ipsorum, & in specie per modum viri illudere mulieribus, cubando cum eis, & semen procuratum in vasa earum apponere, & sic illæ mulieres possunt concipere. Vnde dicit ibidem Augustinus: Multi Dæmones hanc immunditiam procurant: Et à tot (vt ait) hoc dicitur, vt negare impudentiæ videatur. Exemplo multorum similiter hoc apparet. Nam multi viri dicunt se copulam carnalem sensibiliter peregisse cum muliere, & multæ mulieres cum viris: qua expleta, inuenerunt se illusos, & delusas, quia nihil circa se inuenerunt. In legenda etiam Beati Macarij legitur, quòd semel Dæmon in specie cuiusdam mulieris Romanæ sibi apparuit, quam per ea, quæ narrabat, credens esse illam, quæ sibi fuerat desponsata. Videns eam vehementer lacrymantem, signo crucis se munire oblitus fuit, simul cum illa lacrymari cœpit, & in cellam introducẽs, inuenit se carnaliter ipsam cognouisse: nihil tamen completo opere circa se inuenit. Sine viro igitur mulierem personaliter cognoscente mulier potest concipere. Sed naturali ordine sine semine virili administrante, & transfundente mulier non potest concipere.

*Genes. 6.*

*De ciuit. Dei c. 23. tomo 5.*

### *An conceptus, & natus sine concubitu debeat dici sine patre.*
### Quæst. 5.

AD quintam est dicẽdum, quòd filius alicuius, quantum ad præsens spectat, potest quis tribus modis appellari. Primò, personali vnione. Secundò, operatione. Tertiò, naturæ assimilatione. Primò modo, solus Christus dictus est Filius Dei, quia hominem illum Dei Filium personaliter sibi vniuit, dando sibi per hoc nomen, quòd est super

*In lib. cõtra Adamantium discipulũ Manich. c. 5. to. 6.*

per omne nomen, vt vocaretur Dei Filius. Secundò modo Antichristus dicetur filius Diaboli, non quidem personali vnione, sicut Christus dicitur Filius Dei, quia humanitatem illam, vel hominem illum Antichristum non habitabit Diabolus personaliter, sicut Dei Filius habitauit hominem Christum, vt ait Damascenus in libro de fide orthodoxa. Sed dicetur filius Diaboli operatione, quia operatione Diaboli generabitur, aut per fornicationem, quæ est opus Diaboli à Diabolo inuentum, vel procuratum, sicut dicit Damascenus, aut (vt dictum est) procurati seminis illusione, quia poterit Diabolus, faciendo se Succubum, semen alicuius viri procurare, & postmodum faciendo se incubum in specie alicuius viri, cum muliere aliqua cubando, & semen procuratum in eam transfunden do. Vnde non solùm Antichristus, sed omnes sic generati possunt dici filij Diaboli, non quidem personali vnione, sed operatione. Nam, vt dicit Ambrosius super illo verbo Ioannis sexto: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis, Cuius opera quisquis facit, eius filius vocatur. Tertiò, naturæ assimilatione. Nam sic generati, deberent vocari, & nominari filij eorum, quorum semine generati sunt, quia planum est, quòd sic generati non assimilantur in natura Dæmonibus, sed hominibus, quia homines sunt, & non Dæmones. Et hoc est de ratione filij, quòd saltem in substantialibus genitus assimiletur genitori. Quamuis ergo Diabolus illusione, & operatione semen à tali, vel à tali viro, fuerit procuratũ, & eius illusione, vel procuratione in vase mulieris fuerit transfusum, per cuius transfusionem aliquis generatus est, eo tamen ipso, quòd talis est homo, non Diabolus, filius illius debet nominari, cuius semine, Diaboli illusione generatus est.

*Lib. 4. fidei Orth. c. 27. & vide supra dub. 4.*

*Super Ioan. 6. c.*

## LECTIO XVI.

### De rei nunciatæ certificatione ex Dei immediata operatione.

*Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

NArrata certificatione Angelicæ nunciationis ex Virginis diligenti inquisitione, in parte ista, vt dicebatur, ponitur certificatio eius ex Dei immediata operatione. Quæsierat enim Beata Virgo modum mirabilem sibi per Angelum declarari, & manifestari sui partus, & sui conceptus sicut factum mirabile sibi narrauerat. Ideo Angelus triplicem modum miraculosum Virgini nunciat in hac conceptione, & parturitione esse futurum. Nam ex parte operantis, à quo iste conceptus formabatur, fuit Spiritus Sancti superuentio. Ex parte verò Dei Filij, qui in vtero Virginis corroborabatur, fuit Dei virtutis obumbratio. Ex parte hominis Christi, qui ad vnitatem personæ diuinæ assumebatur, fuit gratiæ sanctificatio. Spiritus ergo sancti superuentionem tangit Angelus, quando dicit: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Nam virtus Spiritus Sancti conceptum in vtero formauit tanquam semen diuinum nõ humanum. Vnde dicit Gregorius, quòd tabulas nostræ naturæ, quas culpa confregerat, denuo verus legislator de terra nostra sibi dolauit absque concubitu maris, & fœminæ, corpus suæ diuinitatis creans, non quòd matrimonium prophanum putaret, sed quia virginitas potior erat coniugio. Nam communem omnium Dominum in sua natiuitate decebat nobiscum participare, & ab ea discrepare, quòd sic factum est. Nam quòd ex vtero fœminæ nasceretur, habuit commune nobiscum: quòd autem absque concubitu nascere tur, plus à nobis obtinuit. Dei virtutis obumbrationem tangit, cùm addit: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ac si diceret secundùm Gregorium: Incorporeum lumen diuinitatis in te Virgine, & in tuo vtero corpus humanitatis accipiet: ita, vt lumen incorporeũ in tuo vtero corporetur. Sed geniti sanctificationem tangit, cum ait: *Ideo quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quòd est dictum secundùm Gregorium, ad differentiam sanctitatis nostræ. Nam nos efficimur sancti, sed non nascimur sancti, immo omnes nascimur natura filij iræ. Nullus enim vnquam natus est, nec nascetur sine peccato originali. Solus autem Christus natus est sanctus, quia solus sine carnalis copulæ coniunctione conceptus est, & natus, & hoc ideo fuit, quia nascebatur ex Virgine. Vniendum erat personaliter Dei Filio ita, vt filius Virginis vocari deberet deinceps Filius Dei. Econuerso, Filius Dei debebat appellari filius Virginis, non tanquam duo filij, sed vnus filius, vt dicit Bernardus. Dicat ergo, & respondeat Angelus Virgini. Quæris Virgo singulariter Beata: *Quomodo fiet istud?* Dico, quòd si quæris quomodo, & à quo formatio tui conceptus efficietur: Fiet per Spiritus Sancti superuentionem. Si verò quæris, quomodo Dei Filius in te incarnabitur: erit per Dei virtutis obumbrationem. Sed si quæris, quomodo illud, quod ex te nascetur, ad virtutem diuinæ personæ assumetur: erit per Dei gratiæ sanctificationem. Tota ergo Trinitas simul tuum conceptum, tuum partum operabitur. Sic ergo fiet. Sed hic possunt esse quinque dubitationes.

*Libr. 18. moral. in c. 27. Iob. c. 27. to. 1.*

*Libr. 18. moral. in 28. c. Iob c. 27. to. 2*

*Super Missus homil. 4. to. 1.*

Prima,

Prima, vtrùm formatio corporis Christi in vtero Virginali, facta fuerit per Spiritum Sanctum.

2 Vtrùm Spiritus Sanctus posit dici Pater Christi, in vtero Virginali concepti.

3 Vtrùm Spiritus Sanctus posit dici Pater Dei, in vtero Virginali incarnati.

4 Vtrùm negandum sit, Virginem fuisse Matrem Dei, ex hoc quòd naturam diuinam Dei Filius ab ea non accepit.

5 Vtrùm virtus Altissimi in vtero Virginali sit obumbrata.

### *An formatio corporis Christi in vtero Virginali facta fuerit per Spiritum Sanctum.*
### Quæst. 1.

*Lib. 4. de Trinit. c. vlt. to. 3.*

AD primam est dicendum, secundùm Augustinum, quòd quidquid Deus operatur in creatura, toti Trinitati conuenit, & à tota Trinitate efficitur, quia indiuisa est operatio Trinitatis, sicut indiuisa substantia. Vnde dicit ibidem: Tota Trinitas simul operata fuit carnem Filij, vocem Patris, & columbam Spiritus Sancti. Quæ ergo causa est, quòd formatio corporis Christi dicitur esse facta singulariter per Spiritum Sanctum? Nã in Symbolo Apostolorum dicitur: Conceptus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine. Istius ergo triplicem rationem assignat Hugo de Sancto Victore: Prima est propter Virginem concipientem. Secunda, propter Deum Patrem, Filium in carne mittentem. Tertia, propter ipsum Dei Filium carnem humanam personaliter assumentem. Prima talis est: Nam Spiritus Sanctus est amor, quẽ habet Pater in filium, & Filius in Patrem, & quo se inuicem, & nos diligunt. Tota autem causa, quando Virgo Beata substantiam illam, vnde corpus Christi formatum est, administrauit, non fuit amor viri, quo naturaliter concipiens, substantiam administrat ad conceptionem prolis, propter, quòd solus amor, & consensus voluntarius amoris facit copulam coniugalem viri, & vxoris, ex quibus proles est generanda: sed fuit amor Spiritus Sancti, quo ardore accensa, substantiam conceptioni administrauit, sicut vera mater, & administrando concepit. Vnde dicit Hugo ibidẽ, quòd quia in corde Virginis amor Spiritus Sancti singulariter ardebat: ideo in carne eius virtus Spiritus Sancti, qui amor est, mirabilia faciebat. Attribuitur ergo conceptio Christi Spiritui Sancto propter Virginem concipientem, quia sicut aliæ mulieres naturaliter ex amore viri præparant materiam, vel substantiam administrant, vnde formetur proles, sic Virgo Beata solo ardore Spiritus sancti præparauit, & substantiam ex virtute illius amoris administrauit, vnde Corpus Christi in vtero formatum fuit. Quare Angelus ante conceptionem, eius liberum & voluntarium consensum ab ea habere voluit.

*lib. 1. p. c. 8.*

*Lib. parte suprà dicta.*

Secunda ratio talis est: Sicut dicit Apostolus: Propter nimiam charitatem, qua Deus nos dilexit, misit filium suum in similitudinem carnis peccati: quia hoc non ex merito alicuius, nec ex aliqua necessitate processit, vt Deus pater filium in carnem mitteret. Quòd enim filium traderet pro genere humano redimendo, ex solo amore factum est. Et quia, vt dictum est, Spiritus sanctus amor est, ideo incarnatio, & conceptio Christi Spiritui sancto singulariter attribuitur. *Rom. 8.*

Tertia ratio talis est: Nam natura humana de limo terræ formata, per incarnationem Christi ad vnitatem personæ assumpta, ita, vt vna persona sit Deus & homo, terra & cœlum, creator, & creatura: hoc autem fuit donum super omnia dona facta, & possibilia fieri in natura humana, vt Deus tantùm se inclinaret, & tantùm seipsum exinaniret, & minoraret, vt naturam nostram tam vilem, & tam infimam, ad tantam dignitatem eleuaret. Cùm igitur Spiritus sanctus sit primum donum, in quo omnia alia dona nobis à Deo donantur, vt dicit Augustinus de Trinitate: ideo conceptio, & incarnatio filij Dei, attribuitur singulariter Spiritui sancto. Assignatur autem ab alijs quarta ratio, scilicet propter carnem Christi conceptam, Verbum inuisibile visibiliter demonstrantem. Nam secundùm Augustinum de Trinitate: Vox ipsa exterior, quæ est Verbum foris sonans, signũ est interioris Verbi, quod intus latet. Sicut ergo vox nostra exterior mediante spiritu formata, manifestat verbum latens in corde, ita caro Christi concepta in vtero Virginali visibilis à virtute Spiritus sancti, manifestauit nobis Verbum æternum, & inuisibile ipsius Dei Patris: quia post hoc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Vnde propter hanc similitudinem, conceptio, & incarnatio Christi singulariter ex Spiritus sancti superuentione dicitur esse facta.

*19. de Trinit. to. 3.*

*15. de Trinit. c. 10. tomo 3.*

*Baruc. 3.*

### *An Spiritus Sanctus dici posit Pater Christi in vtero Virginali concepti.*
### Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd si Spiritus sanctus dicitur pater Christi secundum quòd homo, tribus modis potest intelligi. Primo, propter naturæ assimilationem, de ratione filij est, quòd assimiletur patri in natura. Secundo, propter conceptionem, vt sicut Christus secundùm quòd homo conceptus esse dicitur de Spiritu sancto, & corpus eius de Spiritu sancto formatum est, sic filius Spi-

Spiritus Sancti esse dicatur. Tertiò, propter sanctificationem, quia sicut sanctificamur spiritualiter, vt simus filij adoptiui, ita Christus dicitur esse prædestinatus, vt sit Filius Dei per Spiritum sanctificationis: vt dicitur. *Rom. 1.* Vnde statim cùm Angelus dixit. Spiritus Sanctus superueniet in te, adiunxit: quòd enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Nullo autem istorum modorum Spiritus Sanctus debet dici pater Christi secundùm quòd homo. Non per assimilationem, quia planum est, quòd Christus secundùm quod homo, non assimilatur Spiritui Sancto in natura, cum ille sit Deus, & Creator, & illa humanitas fuerit creata. Nec per conceptionem, quia secundùm Damascenum, *Lib. 3. cap. 2.* in conceptione Christi Spiritus Sanctus fuit quasi diuinum semen, eo quòd sicut virtute seminis virilis corpus formatur in vtero fœminæ: sic virtute Spiritus Sancti corpus Christi ex purissimo sanguine Beatæ Virginis in eius vtero fuit formatum, organizatum, & compaginatum. Sed est planum, quòd nullus dicitur filius seminis, sed illius, à quo procedit semen, & deciditur: ergo similiter Christus non dicitur filius Spiritus Sancti locum seminis in Conceptione Christi tenentis, sed dicitur Filius Patris, à quo tale semen, puta Spiritus Sanctus procedit, & deciditur. Nec per sanctificationem, quia Christus non fuit sanctificatus, vt esset Filius Dei adoptiuus, sed naturalis filius fuit. Vnde sicut naturalis filiatio est ipsi Christo essentialiter, & substantialiter ex Patre: filiatio verò, quæ est ex sanctificatione, conuenit secundùm quandam similitudinẽ ei: sic Christus secundùm quòd homo, essentialiter, & substantialiter non debet dici filius Spiritus Sancti.

### *An Spiritus Sanctus dici possit Pater Dei in vtero Virginali incarnati.*
### Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd filius ad patrem triplicem habitudinem habet. Primò, vt ab eo accipiat esse, & suam entitatem. Pater namque dat esse filio, non econuerso. Secundò, vt habeat ad ipso vnitatem. Quamuis enim vnus pater habere possit plures filios, vnus tamen filius non debet habere, nisi vnum patrem. Tertiò, vt ab eo recipiat personalitatem. Non enim omne, quòd habet esse ab eo, est filius eius: manus enim habet esse ab homine, & tamen non est filia hominis. Oportet igitur, quòd sit persona subsistens, vel quòd recipiat esse personæ subsistentis, vt filius possit nominari. Christus autem, secundùm quòd Deus, non recipit à Spiritu Sancto esse, vel suam entitatem, sed magis è contrario. Vnde in Ioanne, cùm loqueretur de Spiritv Sancto, ait: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Suam autem entitatem recipit ab ipso patre, & ideo filius patris esse dicitur, non Spiritus Sancti. Nec ab ipso potest recipere vnitatem, quia ex quo Christus secundùm quòd Deus est vnus tantùm filius, vnum solum patrem debet habere, & cùm sit filius patris (vt dictum est) non potest habere alium patrem, qui sit Spiritus Sanctus, nec persona litanem. Quamuis enim secundùm quod destinatus, vel secundùm quod creatura Christus posset dici esse à Spiritu Sancto, quia est tertia in vnitate persona, & esse creatum est à tota Trinitate inseparabiliter, tamen, quia Christus nominat personam subsistentem, nõ potest dici filius, nisi Dei Patris, & ab ipso Deo Patre esse habere. Quia licet in Christo sint duæ naturæ, non est tamen in ipso, nisi vna persona Verbi, quæ æterna est. Nec igitur secundùm æternitatem, nec secundùm vnitatem, nec secundùm personalitatẽ Christus secundùm quod Deus, potest dici filius Spiritus Sancti, sed solùm Patris Æterni. *Ioan. 16*

*Habetur hæc proposito à Magistro in 3. sent. dist. 3. ex August. in Enchiridion. c. 31. tom. 3*

### *An Beata MARIA semper Virgo debeat dici Mater Dei, etiamsi ab ea diuinitas simpliciter non fuerit assumpta.*
### Quæst. 4.

AD quartam est dicendum, quòd Nestorius Beatam Virginem nullo modo voluit confiteri fuisse Matrem Domini, quia Christus non recepit ab ea diuinitatem ipsam, sed carnem solam. Et, vt dicebat, non debebat appellari mater, nisi eius, quòd de ea sumptum erat. Ex quo ergo diuinitas non fuit sumpta de ipsa, sed caro, concludebat, quòd mater hominis Christi poterat dici, sed non Dei. Sed hoc expresè hæreticum est, quia in vtroque Symbolo scriptum est: Dei Filium conceptum, & incarnatum ex MARIA Virgine: nisi eius mater posset appellari, frustra diceretur natus, vel incarnatus ex MARIA Virgine. Ad rationem igitur Nestorij potest dupliciter responderi. Primò, vt negetur dictum eius. Cùm enim dicebat diuinitatem non esse assumptam ex Virgine, falsum est. Nam diuinitatem non nudam, sed incarnatam, & corporeã Christus assumpsit de vtero Virginis. Expresè enim dicunt Damascenus, & Augustinus in libro de Symbolo, quòd Beata Virgo genuit personam diuinam, non nudam, sed incarnatam, & incorporatam. Verè enim potest dici, istud scutum factum est à tali artifice, dato quòd non fecerit signum scuti, sed solùm picturam, & paraturam. Ita verè potest dici magis propriè, quòd Beata Virgo fuit Mater Dei, quia licet ex ipsa non fuerit assumpta persona diuina, vel Dei secundùm se temporaliter, sed æternaliter

*Vide hãc posit. 24. q. 3. cap. Quidam autem Nestoriani. Et S. Thomas 4. lib. cõtra Gentiles, c. 34*

*Responsio ad Nestorium ex Damasc. lib. 3. fidei orth. c. 3. Aug. libr. de Symbolo.*

naliter à Patre, fuit tamen assumpta per- A
sona Dei Filij, incarnata, & corporata, & carne Virginis vestita. Secundo dicatur non esse necessarium, vt quidquid est in filio, Sumatur ex matre: componitur namque homo ex anima, & corpore, & principalius est in homine anima, quàm corpus, quia homo est magis intellectus, quàm sensus, vt dicitur: & tamen anima non assumitur ex matre, sed
*Arist. 9. Ethic.* creatur à Deo immediatè. In ijs autem animalibus, in quibus anima non creatur, educitur virtute patris, & non matris. Et tamen physici numquam negauerunt, quòd mulier dicatur mater hominis; & femella, mater animalis. Nõ obstante, quòd anima non est à
B femina, sed vel creatur in homine, vel educitur virtute patris, sicut in alijs. Confitendum est igitur, quòd Virgo beata fuit Mater Dei, non obstante, quòd diuinitas ex ipsa non fuerit simpliciter assumpta, cùm Christum genuerit, qui in instanti conceptionis fuit Deus & homo in vnitate personali.

### *An virtus Altissimi in vtero Virginali fuerit obumbrata.*
### Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd obumbratio filij Dei, quem, dicente Apostolo, prædicamus Dei virtutem, & Dei sapientiam in vtero Virginali, ad duo potest referri. Primo, ad ipsum Dei Filium, ad ipsam diuinitatem vmbram recipientem. Secundo, ad Virginem, vmbram virtute Christi recipientem. Primum quattuor modis potest intelligi: *Obumbrabit tibi.* Primo sic: *Virtus obumbrauit, tibi*, id est vmbrã tibi matri suæ dabit, vt scilicet tua facies non cognoscatur, lucis radio obumbrata. Et isto modo exponẽs Glossa illud verbum: Nõ cognouit eã, donec peperit filiũ suũ primogenitum, dicit quòd Ioseph, post Spiritus sancti superuẽtionẽ, & Dei Filij in vtero Vir-
*1. Co. 1.* C
*Glos. super illud Matt. 1.* ginali conceptionem. Ex tunc formaliter, & D personaliter Virginem non cognouit radio diuinæ lucis obumbratam. Secundo sic: *Obumbrabit tibi*, id est vmbram tibi dabit, vt omnis ardor originalis peccati in te extinguatur. Poterat enim in Virgine ex hoc, quòd fuerat in originali peccato cõcepta, aliquis motus sensualitatis insurgere, non præordinatus, & præuisus per ordinem rationis. Sed non contra rationis iudicium, quia ligatus fuit per virtutem gratiæ sanctificantis ipsam in vtero. In secunda verò sanctificatione, quando Spiritus sanctus superuenit in ipsam, & Dei Filium concepit, talem vmbram sibi dedit virtus Spiritus sancti, vel Altissimi, vt talis motus non solum esset ligatus, verumetiam totaliter extinctus, & extirpatus. Tertio sic: *Obumbrabit tibi*, id est, vmbram tibi dabit, vt fructus ex te sine omni macula nascatur. Videmus enim, quòd quantumcumque persona sit munda, & sancta, in se autem fructum, & filium producit cum macula: Beata igitur Virgo sic fuit Dei virtute obumbrata, quòd filius sine macula ab ea nasceretur. Quarto sic: *Obumbrabit tibi*, id est, vmbram dabit tibi, vt tua inextimabilis pulchritudo corporalis nũ quam ab aliquo concupiscatur. Quamuis enim esset Maser Dei pulchrior omni creatura in tantum, vt diceret Dionysius: Si diuinis litteris eruditus non essem, & fide illuminatos oculos non haberem, aliud lumen non esse crederem: numquam tamẽ ab aliquo potuit concupisci, Dei virtute obumbrante ipsam, & omnes respicientes in eam.

Si verò ista obumbratio referatur ad ipsum Dei filium vmbram suscipientem, similiter quattuor modis potest exponi. Primo sic: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est obũbrabitur in te, vt lumen clarũ in te obscuretur, non suam claritatem perdens, sed obscuritatẽ in te suscipiens. Secundo modo sic: *Obumbrabit tibi*, id est, vt incorporeum corporetur. Tertio sic: *Obumbrabit tibi*, id est sic obumbrabitur in te, vt quod est inclausibile, in te includatur. Et quòd cœlo, & terra capi non potest, in tuo vtero claudatur. Quarto sic: *Obumbrabit tibi*, id est sic in te obumbrabitur, vt quod non potest minui minoretur. Ante enim istam obumbrationem Filius non poterat dici minor patre, sed æqualis, & coæternus sibi per omnia.

## *LECTIO XVII.*

### De rei nunciatæ certificatione ex exempli introductione.

*Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

POst quam certificata est nunciatio Angelica ex Dei immediata operatione, hic, vt dicebatur, ponitur eius certificatio ex exempli introductione. Secundùm enim Chrysostomum, quia dictum Angeli, qui dixerat: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus: Altissimi obumbrabit tibi; mentem Virginis omnino superabat, ita vt modum tam mirabilem non posset plenè capere. Ideo ad humiliora, & familiariora exempla declinauit suum sermonem, per sensibilia exempla persuadens conceptum, & partum sibi nunciatum fore possi-
*In Catena sancti Thomæ.*

bilem. In quo exemplo quinque per ordinem Angelus tangit. Primo personæ vicinitatem. Secundo, ætatis frigiditatem. Tertio, temporis partus propinquitatem. Quarto, naturæ impossibilitatem. Quinto, concludit Dei vniuersalem potestatem. Personæ namque vicinitatem, tangit cùm dicit: *Ecce Elisabeth cognata tua.* Nõ enim, vt dicit Chrysostomus, induxit exẽplũ Saræ vxoris Abrahæ, quæ in senectute concepit Isaac: Nec Rachelis vxoris Iacob, quę fuit infœcũda, & sterilis, sed solùm Elisabeth, quæ erat de conuicinitate sua, & cognatione: quia exempla remota minus mouent, quàm præsentia & vicina. Ætatis verò frigiditatem tangit, cùm addit: *Et ipsa concepit filium in senectute sua.* Nam senectus est ætas omnino indisposita ad conceptum, calore iam frigescente. Vnde hanc indispositionem considerans Zacharias, quando Angelus sibi filium nasciturum nunciauit, dixit: Ego sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Tẽporis autem propinquitatem tangit, cũ ait: *Et hic mensis est sextus*, multũ propinquus partui, & tumor ventris iam apparet. Quod Angelus pro tanto nũciauit Virgini, vt euidentia rei manifesta, et verum esse quod dicebat. Naturæ verò impossibilitatẽ tãgit, cũ dicit: *Illi, quæ vocatur sterilis.* Non enim solum ab ætate, quia senex, verum etiam à natura conceptum, & partum Elisabeth, monstrat esse impossibilem, quia sterilis erat: nunquã enim filium portauerat. Sed Dei vniuersalem potestatem, tangit, cùm concludit: *Non erit impossibile apud Deum omne verbũ.* Nõ dixit, omne factum, quia multa possunt homines dicere, quæ non possunt facere, sed dicere Dei est ipsum facere, quia ipse dixit, & facta sunt. Sicut enim est possibile verbum, ita ei est possibile factum, ac si diceret: Dato quòd omnia ista sint impossibilia naturæ, Deo tamen, qui est Dominus naturæ, omnia possibilia sunt. Sed hic possunt esse quinque dubitationes.

*In Catena sancti Thomæ.*

*Senectus est ætas indisposita ad conceptum. Arist. li. 5. de hist. ani. c. 14.*

1 Est, vtrum exemplum Elisabeth sterilis debuerit induci ad confirmandum partum Virginis.

2 Vtrum tempus partus pueri, vel puellæ, determinatè possit sciri.

3 Vtrum nati in sexto, vel octauo mense possint aliquando viuere.

4 Vtrum causa sterilitatis, adeo sit determinata, quòd possit determinatè cognosci.

5 Vtrum maius miraculum sit, Virginem parere, quàm sterilem generare.

## *An exemplum Elisabeth sterilis ad partum Virginis confirmandum debuerit adduci.*

Quæst. 1.

*Super Missus est, homi. 4. to. 1.*

AD primam est dicendum, quòd Bernardus in homilia super Missus est, quatuor rationes adducit quare conueniens fuerit partum, & conceptum Elisabeth Virgini nunciari. Prima, propter miraculi cumulationem. Secunda, propter diuini secreti cognitionem. Tertia, propter ordinis Dominicæ incarnationis reserationem. Quarta, propter obsequij exhibendi præparationem. Prima ratio talis est: Nam summum gaudium debuit esse in Virgine, ex hoc quòd gaudio Spiritus sancti filium æterni Patris erat conceptura. Tale autem gaudium, vt dicit Bernardus, creuit multũ in Virgine audiente parituram sterilem, vt dum miraculũ miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Secunda ratio talis est: Nam Verbum Dei partu Elisabeth diuulgandum erat per omnes vbique. Vnde dicitur, quòd postquam peperit filium Elisabeth, factus est timor super omnes vicinos eius, & super omnia montana Iudeæ diuulgabantur omnia verba hæc. Congruum ergo fuit, Virginem prius edoceri per Angelum de partu eius, quàm diuulgaretur per homines, ne ignara diuini consilij, & diuini secreti videretur. Tertia ratio talis est: Nam, vt dicit Bernardus, Virgo tanquam magistra debebat referre Scriptoribus, & prædicatoribus Euangeliorum ipsorum totum ordinem, & rei seriem de ortu Saluatoris, & præcursoris eius: ergo expediebat, vt cælitus instrueretur de omnibus, propter quod Angelus non solum partũ, & conceptum Elisabeth Virgini nunciauit, immo quot menses habebat in vtero iam, quando Virgo Dei Filium concepit, & totum tempus, & ordinem manifestauit, quatenus talem ordinem ipsa tenens, sic doceret Euangelistas, esse scribendum. Quarta ratio talis est: Nam ex hoc quòd tribus mensibus ante partum Elisabeth Angelus huius partum, Virgini nunciauit, occasionem habuit beata Virgo, se statim præparare, & pergere in montana, vt officium obstetricis gerens, in eius obsequio, illis tribus mensibus permaneret, quo exemplo statim monstraret illum concepisse, qui non venerat ministrari sed ministrare. Non igitur propter dubitationem Virginis Elisabeth partus introducitur in exemplum sibi, vt dicit Bernardus cum ipsa Elisabeth suæ fidei testimoniũ perhibuerit, dicens: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Sed hoc fuit, vt ait, propter rationes superius assignatas.

*Ibidem.*

*Luc. 1.*

*Ibidem.*

*Ibidem. Luc. 1.*

## *An tempus partus pueri, vel puellæ determinatè sciri possit.*

Quæst. 2.

AD secundam est dicendum, quòd Philosophus dicit in libro de animalibus, terminũ partus in hominibus non esse vniformem

men ſicut in alijs animalibus. Sed aliqui naſcuntur in ſeptimo menſe, aliqui verò in octauo, & vt in pluribus in nono. Recitat autem Auicenna in nono de animalibus, quòd quædam mulier peperit poſt quattuordecim menſes. Et de quadam honeſta domina recitatur, quòd peperit filium magnæ quantitatis, de qua cùm vehementer miraretur, aſſeruit illa filio ſuo, quòd vltra nouem menſes ipſum in ventre portauerat. Terminus ergo partus hominis, ex quo non eſt vniformis, & punctalis vniformiter, & determinatè, ſciri non poteſt. Cuius variationis cauſam ex dictis philoſophi poſſumus triplicem aſsignare. Primam, propter varietatem conceptionis. Secundam, propter varietatem imprægnationis. Tertiam, propter varietatem complexionis. Prima ratio talis eſt: Nam fœtus, qui citius cõcipitur, citius paritur: terminus autem conceptionis fœtus in vtero matris non ponitur vniformiter ab omnibus. Sed medici aliqui dicunt in libro de ſpermate, quòd conceptus maſculinus formatur cõpletè in triginta diebus, & femininus in quadraginta. Philoſophus verò in libro de animalibus videtur velle, quòd in quadraginta diebus completur formatio maſculi, ſed formatio feminæ plus requirit de tempore. Auguſtinus autẽ libro 83. quæſtionũ vult, quòd maſculus complete ſit formatus in xlvi. diebus, & femina in lxxx. Gloſſa autem quædam ſuper Leuiticũ dicit, quòd in xl. diebus formatur maſculus, & femina in lxxx. quia duplum requirit tempus. Sicut ergo determinatè non ſcitur tẽpus conceptionis, ſic determinatè ſciri non poteſt tẽpus parturitionis. Secunda ratio talis eſt: Nam recitat Philoſophus de animalibus, quòd mulier multum poteſt decipi numerando tempus grauidationis, quia contingit, vt ait, os matricis in muliere quandoque claudi ex receptione, & retencione proprij ſeminis, ex cuius clauſione videtur mulieri, quòd ſit imprægnata, & non eſt, quia ſemen proprium ineffi-cax eſt ad prægnandum. Nec enim deſeruit ad ſubſtantiam fœtus, nec ad formationem eius. Cùm verò poſtmodum cognoſcitur à virò, & verè ingrauidatur, & ſi computat tempus ab illo tempore, quo putauit ſe eſſe grauidam, & non erat, decipitur in tempore partus. Tertia ratio talis eſt. Nam omnia animalia habent modum viuendi magis vniformem, quàm homo, & mulier, quia vtuntur magis vno cibo, & ſunt per hoc magis vniformis complexionis. Sed in humana natura eſt varius modus viuendi, & diuerſus, & varius vſus in cibis, & potibus, per conſequens varius complexionis modus, ſicut ad ſenſum videmus. Ideo neceſſarium eſt, quòd ſit diuerſus, & varius modus concipiendi, & pariendi. Verum eſt igitur, quòd, vt in pluribus, nouem menſes requirit tempus partus. Sed propter variationes prædictas, determinatè non poteſt ſciri huiuſmodi terminus, vt dictum eſt.

*Ariſt. 7. li. de hiſt. ani. to 5. c. 4. & in Etrobl ſe. Pione 10. Probl. 40 Auicen. 9. de animalib.*

*Aulus Gellius 3 lib c. 16. noctiũ attic arũ.*

*Ariſt. 7. lib. de gener. animal. c. 3. ait.*

*Albertus etiã Magnus li 9. c. 3. Hoctidem tene Auguſ. uper illud 2. Ioan.*

*An in ſexto, vel octauo menſe nati viuere poſsint.*
Quæſt. 3.

AD tertium eſt dicendum, quòd nati in ſeptimo menſe poſſunt ſaluari, licet vt in pluribus ſint debilis complexionis. In ſexto verò menſe, & octauo nati non ſaluantur, ſed vt in pluribus moriuntur, & dico, vt in pluribus, quia, vt recitat Auicenna, quidam natus fuit completis ſex menſibus, quia minor terminus partus eſt ſextus mẽſis, & vt ait, vixit, & ſaluatus eſt. Dat autem cautelã Philoſophus in de animalibus libro, de illis qui naſcũtur in ſeptimo mẽſe, vel cõpletis ſex menſibus, quia debent inuolui in pannis lineis mollibus. Et dicunt aliqui, quòd ſi eſſent perũcti, eſſet melius. Sed nati in octauo menſe nullo modo poſſunt ſaluari, vel communiter viuere. Cuius cauſa duplici ter aſsignatur vna naturalis, & philoſophica altera aſtronomica. Prima, talis eſt: Nam completo menſe ſeptimo ſemper, vt dicitur, puer petit exitum, quòd ſi inueniret liberum ſine reſiſtentia, ſaluatur. Vnde quamuis, vt dictum eſt, nati in ſeptimo menſe ſint debilis complexionis, & infecti, & habeant vias ſenſuum potiſsimè nares, & auriculas paruas, tamen ſaluari poſſunt, quia ex quo perfectè completi ſunt, & complete formati, non læduntur, in exeundo ſaluantur. Sed ſi reſiſtentiam inueniunt, lædũtur, & poſtmodum in octauo menſe appetunt exitum, quia nondum incarnati, à læſione moriuntur, quia ex modica læſione propter membrorum paruitatem læduntur. Secunda ratio talis eſt: Dicunt quidem aſtrologi, quòd in omni coniunctione, primo menſe dominatur Saturnus, qui eſt primus planeta, & ita ordinatè, ideſt, quòd in ſeptimo menſe dominatur luna, qui eſt vltimus planeta. Vnde nati in ſeptimo menſe naſcuntur ſub dominio lunæ, quæ eſt frigida, & humida, propter quod licet ratione frigiditatis, quæ eſt qualitas mortis, deberent ſic nati mori, ratione tamen humiditatis, quæ eſt qualitas vitæ, ſaluari poſſunt. In octauo autem menſe, completo numero planetarum, incipit dominari Saturnus, qui eſt frigidus, & ſiccus. Vnde, quia ſic nati habent duas qualitates contrarias vitæ, cõmuniter moriuntur. Nati verò in nono menſe naſcuntur ſub dominio Iouis, qui immediatè ſe habet ad Saturnum, qui cùm ſit calidus & humidus, quæ ſunt principia vitæ, nati in nono menſe ſaluantur, & viuũt. Iſta tamẽ, vt dicit Philoſophus, intelligenda ſunt, vt in pluribus

*Vide Aulum Gellium lib. 3. c. 16. vbi.*

*Ariſt. 7. li. de hiſt. anim. c. 4. to. 5.*

*Arist. 7. lib. de hist. ani. c. 4. to. 5. & vide supra pag.*

tibus communiter, quia potest esse, quòd nati in octauo mense saluantur, si mulieres, quæ pariunt, sint fortes, & bonæ complexionis. Vnde recitat Philosophus de animalibus, quòd in Ægypto sunt quædam mulieres viragines, robustæ, & fortes, quæ generãt filios in octauo mense, & viuũt. Videmus enim ad sensum, quòd motus, & influentia corporum cælestium impeditur ex indispositione, & resistentia materiæ. Sicut quamuis ex aere pestilentiali omnes deberent lædi, vel mori; multi tamen propter fortitudinem complexionis non læduntur. Et licet fluxus, & refluxus maris debeat regulariter fieri ex motu lunæ, impeditur tamen ex motu, & violentia alicuius venti prædominantis, & impedientis illum fluxum, & refluxum. Et sic est de omnibus naturalibus.

*An sterilitatis causa ita sit determinata, vt determinatè cognosci possit.*

Quæst. 4.

AD quartam est dicendum quòd quanto aliquid est magis variabile, & à pluribus causis potest procedere, tantò minus est cognoscibile. Causa verò sterilitatis ex multis potest prouenire. Primo, ex diuersitate complexionum. Nam illud, quod facit ad generationem fœtus, tam in masculo, quã in femina, est superfluum alimenti. Sicut igitur alimentum non est vniforme in omnibus, sic non est vniformis complexio, nec illud superfluum, quod ad generationem requiritur. Vnde videmus, quòd aliqua mulier est ita sterilis in iuuentute, non tamen postmodum in processu temporis. Et aliqua est sterilis cum vno viro, quæ non esset sterilis cum alio. Aliqua verò vniuersaliter cum quolibet, & in quolibet tempore, quia forte ex eius complexione procedit, quòd illud superfluum alimenti requisitum ad generationem sic est proportionatũ in ea, quòd nullo modo est aptum, vt formetur inde fœtus. Sicut quandoque si esset bonus artifex, & aliquod lignũ sic esset indispositũ, & impropportionatũ, quòd nullo modo fieri posset ex eo artificium aliquod. Secundo potest prouenire, ex indispositione organorum, vel instrumẽtorum, sicut aliquæ sunt ita strictæ, quòd non possunt cognosci: & si adhoc veniunt quòd cognoscantur, non tamen pariunt, quia indisposita organa habent ad generandum. Sexus enim femininus, & masculinus sunt organa, & instrumenta, quibus fit generatio. Propter quod, si contingat huiusmodi organa esse indisposita, impeditur generatio. Tertio potest prouenire ex defectu naturæ. Omnium naturaconstantium, dicit Philosophus, determinatus est terminus generationis, & augumenti. Sicut enim videmus, quòd nutrimentum quodam terminato tempore facit ad nutrimentum animalis, & augumentum ipsius, postmodum verò quamuis sufficiat ad nutrimentum, & ad restaurandum deperditũ, non tamen sufficit ad augmentandũ. Sic illud superfluum deseruiens generationi, quodam tempore determinato est sufficiens ad generandum, postmodũ verò redditur indispositum. Quia igitur multum est variabilis causa sterilitatis, & modis diuersis potest prouenire, ideo non potest determinatè cognosci, nisi quando accidit ex defectu naturæ, sicut in senibus. Tunc si cessant parere, scitur causa determinatè, quòd est ex defectu naturæ.

*Aristot. 2. de anima contex. 41. to. 5.*

*An maius miraculum sit Virginem parere, quàm sterilem generare.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd in vtroque, & quòd sterilis concipiat, & quòd Virgo pariat, Deus super naturam operatur ipsam iuuando, & impedimenta remouẽdo, Sed quòd Virgo pariat, operatur supra naturã sine ipsa natura operando: dictũ est enim, quòd sterilitas aliquando prouenit ex aliquo impedimento complexionis, vel organorũ, quandoque verò ex ipso defectu naturæ. Cũ ergo Deus facit quòd sterilis concipiat, facit quòd impedimentum remoueatur, & natura iuuetur & vigoretur. Operatur ergo in hoc supra naturam, ipsam naturam adiuuando, & impedimenta remouendo. Sed cùm facit quòd Virgo pariat, operatur supra naturam, sine natura operando. Nam partum, & conceptum in Virgine natura operatur mediante commixtione virilis seminis. Deus autem sine tali commixtione virilis seminis operatur partum in virgine, ita quòd Virginitas non opponitur partui, sicut cæcitas visui, sed opponitur commixtioni viri, non partui, vel maternitati, quia tunc Deus non posset facere, quòd Virgo manens Virgo pareret, sicut non potest facere, quòd cæcus manens cæcus, videret; implicaret enim hoc contradictionem.

Etsi dicatur, quòd non est impossile apud omne verbum, potest autem verbo homo dicere: Cæcus manens cæcus, videt: & Virgo manens Virgo, corrumpitur: ergo Deus potest hoc facere.

Dicendum est, quòd verbum dicitur non solum, quod profertur, ore, verùm etiam quod corde concipitur. Impossibile est autem simul concipere affirmationẽ & negationem, & quod cæcus manens cæcus videat, vel Virgo manens Virgo, sit corrupta. Ideo tale verbum non potest fieri, quacumque potentia. Vnde dicit Hieronymus: Quãuis omnia

*To. 1. ad Eustochi. epist. 22. de custodia Virginitatis.*

nia Deus posſit, non tamen poteſt Virginem ſuſcitare, ideſt, facere de corrupta incorruptam, valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam. Dicamus ergo: Vtrumq. eſt miraculum, ſcilicet, vt ſterilis concipiat, & quòd Virgo pariat, quia in vtroque Deus operatur ſupra naturam. Maius tamen miraculum eſt Virginem parere, quàm ſterilem generare, ſeu concipere, ſicut maius eſt ſine natura operari, quàm naturam iuuare, vel naturæ impedimenta remouere

Cur ergo Angelus ad prouandum partum Virginis, exemplum Eliſabeth induxit, quæ ſterilis erat; cùm maius non probetur per minus. Ad hoc eſt dicendum, quòd ſecundùm Bernardum, Angelus non induxit tale exemplum ad prouandum, vel ad dubij remotionem, ſed ad gaudij Virginis accumulationem, & propter cauſas ſuperius aſſignatas. Vel dicendum eſt ſecundum Ambroſium, quòd ad hoc multæ ſteriles in veteri Teſtamento pepererunt, vt partus credatur Virginis. Ideo Eliſabeth ſterilis per Angelum inducitur in exemplum, non tanquam argumentum maioris ad confirmationem minoris, ſed tanquam figurale exemplum ad confirmationem figurati.

*Super Miſſus hom. 4. to. 1.*

## *LECTIO XVIII.*

### De renunciatæ certificatione ex Virginis conſenſus acceptatione.

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

HIc vltimo certificata nunciatione Angelica exempli inductione, certificatur, vt ſupra dicebatur, ex Virginis conſenſus ſingulari acceptatione. Cuius ſingularem conſenſum ſecundùm Ambroſium, duo ſpecialiter commendant. Primum eſt, obſequioſa præparatio, cùm dicit: *Ecce ancilla Domini.* Secundum eſt promiſsionis votiua obſeruatio, cùm addit. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* In obſequioſa igitur præparatione nota, quod Virginis glorioſæ reſponſio fuit humilis, & mãſueta, quia dixit: *Ecce ancilla Domini.* Humilem namque, & mitem paritura, humilitatem debuit Virgo præferre, ſimul etiam ſe ancillam dicendo, aut ſibi nullam prærogatiuam tantæ gratiæ vendicare, vt dicit Ambroſius: Et ſignanter, ſecundùm Auguſtinũ, B. Virgo MARIA vocata in matrem Domini, ſe ancillam nominauit, & ſicut ipſa effecta eſt Virgo, & mater, ita ſimul effecta eſt ancilla, & domina, quia cum Virginitate optimè ſtat ancillæ humilitas, tanquam ipſius Virginitatis conſeruatiua. Nam ſicut ſuperbia Virginitati, & cuilibet virtuti inſidiatur, vt pereat, ita humilitas virginitatem, & omnem virtutem habet conſeruare. Cum maternitate autem optimè ſtat dominationis, & reuerentiæ dignitas, tanquam eius prærogatiua, quia honor, & reuerentia eſt prærogatiua matri debita, iuxta illud: Honorem exibeas matri tuæ, omnibus diebus vitæ tuæ. Ante igitur quàm beata Virgo mater eſſet, ſolum monſtrauit ancillæ humilitatem, quæ erat ſuæ Virginitatis conſeruatiua, dicens: *Ecce ancilla Domini.* Sed poſtquam mater eſt effecta, voluit monſtrare dominãdi, & imperãdi dignitatẽ, quæ erat matris prærogatiua, quia Chriſtus in tota ſua infantia, non ſicut ancillæ, ſed ſicut veræ matri, & dominæ fuit ſubditus, & ſubiectus, iuxta illud: Deſcendit cum eis, & erat ſubditus illis. In obſequioſa igitur glorioſæ Virginis præparatione nota, quòd eius reſponſio, fuit humilis, & manſueta, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini.* Sed in voti promiſsi obſeruatione nota, quòd fuit ſapiens, & diſcreta, dicens: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Promittit ergo Virgo ancillæ obſequiũ, dicẽs: *Ecce ancilla Domini.* Et petit ſibi fieri, vel obſeruari promiſsũ, dicens: *Fiat mihi ſecundùm verbũ tuũ.* Et vide, vt dicit Ambroſius, quã ſapienter, & diſcrete reſpõdit, non dãdo inſtantias, vel alium auctorem poſtulando, ſicut fecit Zacharias, dicens: Vnde hoc ſciam? ac ſi ſibi non ſufficeret Angelicum teſtimonium, nec ſtatim credendo, vt Eua, quæ ſtatim credidit ſerpenti. Nam ſicut qui cito credit, leuis eſt corde, ita & qui numquam vult audire verba prudentiæ, oratio eius erit execrabilis. Sed certificata ſibi nunciatione Angelica de facto, quòd Dei Filium eſſet paritura, & de modo fiendi, quòd Spiritus ſanctus ſuperueniret in eam, ſingulariter, diſcretè, ſapienter conſenſum præbuit, dicens: *Fiat mihi ſecundùm verbũ tuum*, ſimul vitans Euæ leuitatem, & Zachariæ proteruitatem. Sed hic poſſunt eſſe quinque dubitationes.

*In 1. cap. Lucæ li. 2. to. 3.*

*Ibidem.*

*Super Magnificat, to. 9.*

*Tob. 4.*

*Luc. 2.*

*Super 1. ca. Lucæ lib. 2. to. 3.*

*Eccl. 19.*

*Prou. 28.*

1 Vtrum in beata Virgine commendabilior fuerit humilitas, quàm Virginitas.

2 Vtrum humilitas eius à Deo ſingulariter fuerit approbata.

3 Vtrum ipſa à Chriſto ſemper fuerit ſicut mater, vel ſicut ancilla reputata.

4 Vtrum ſtatim dicto illo verbo: *Ecce ancilla Domini*, fuerit mater Dei, & hominis effecta, & nominata.

5 Vtrum ſtatim Eliſabeth naturaliter, vel Spiritu ſancto reuelante cognouerit Virginem matrem Dei eſſe.

## An in Beata MARIA semper Virgine commendabilior fuerit humilitas, quàm Virginitas.

Quæst. 1.

*In homil. super Missus est, to. 1.*

AD primam est dicendum, quòd Bernardus in homilia super Missus est, hanc dubitationem soluit, dicens, commendabiliorē esse, vel fuisse in Virgine humilitatē, quā Virginitatem, quattuor rationibus. Primo ratione maioris communitatis. Secundo, ratione maioris necessitatis. Tertio, ratione maioris securitatis. Quarto, ratione maioris vtilitatis. Primo quidem ratione maioris communitatis, quia communior virtus est humilitas quàm Virginitas. Habetur enim Virginitas in natura Angelica per naturam. In natura verò humana per gratiam. Sed in neutra est Deo placita sine humilitate. Nam planum est, quia ex parte cecidit natura illa, cui cognata est Virginitas ex sola carentia humilitatis, ita quòd in natura illa Angelica Virginitas sine humilitate non placuit. Vnde dicit Hugo de sancto Victore, quòd si homo cōtinens est, diabolus hoc non timet, quia ipse mulierem numquam cognouit: si ieiunat, hoc diabolus non timet, quia numquam cibum sumit: si vigilat, hoc non timet, quia ipse numquā dormit. Sed si humilis est, & mansuetus hoc valde expauescit, quia videt eum obseruare in terra, quòd ipse in cœlo obseruare contempsit. In natura igitur Angelica Virginitas grata non est sine humilitate. Similiter in natura humana fatuæ illæ Virgines à Christo sponso receptæ non sunt, quia superbia elatæ, dum gloriam humanam foris appetiuerunt, intus à mercede euacuatæ sunt. Vnde dicit Bernardus, quòd Virginitas MARIÆ Deo fuit grata, hæc humilitas fecit, sine qua, vt ita dicam nec Deo eius Virginitas placuisset, propter quod humilitas est cōmunior virtus, quā virginitas, quia humilitas per se est Deo grata, sed Virginitas nō sine humilitate. Secūdo, ratione maioris necessitatis. Nam virginitas consulitur, sed humilitas præcipitur. Potest enim quis saluari sine virginitate, sed sine humilitate numquam. Nam Saluator de virginitate, & continentia loquens, dixit: Qui potest capere capiat. Sed loquendo de humilitate ait: Nisi quis humiliatus fuerit sicut paruulus iste, non intrabit in regnum cœlorum. Necessarior est igitur humilitas virginitate, quia virginitas non est sic necessaria ad salutem, sicut humilitas. Tertio ratione maioris securitatis. Nam ceteræ virtutes sine humilitate sunt dubiæ, & habent casum magnum annexum eo, quòd sunt quandoque occasio, & materia superbiendi, vel operandi, & aggrediendi illa, quæ ducunt ad casum, & interitum. Sola autem humilitas est secura, quia se Deo in ōmnibus subijcit. Vnde in Luca cum discipuli dicerent Christo: Domine, etiam dæmonia in nomine tuo subijciuntur nobis. Saluator respondit eis, dicens: Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. Super quo verbo dicit Gregorius, quòd volens Saluator de cordibus discipulorū elationem reprimere, iudicium Angelicæ ruinæ eis retulit. Quod ipse Magister elationis accepit, vt in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. Quarto ratione maioris vtilitatis. Nulla namque virtus est tantæ vtilitatis sicut humilitas. Per ipsam enim placatur, & pacificatur homo in se ipso, per eam placatur Deus, & placatur proximus: omnia alta per eam inclinantur, omnia rigida per ipsam franguntur: omnia diuisa, diuersa, dissipata, & disiuncta integrantur, & vniuntur. Vnde dicit Hieronymus, quòd Virgo beata nō didicit à filio suo, cœlos fabricare, non Angelos creare, non miracula deitatis insignia operari, vt mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare, cęcos illuminare, & alia miracula operari, sed hoc solum: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc enim verbum priusquam Christus ore proferret, MARIA corde concepit, in cuius signum paritura humilitatis Magistrū, dixit: *Ecce ancilla Domini.*

*Luc. 10.*

*Luc. 10.*

*Super Lucæ ca 10. in 32. Iob lib. 23. c. 4. to. 1*

*To. 9 ser. de Assumpt. epistola 10. Ad Paulam, & Eustochium.*

*Mat. 11.*

## An humilitas Beatæ MARIÆ semper Virginis à Deo singulariter fuerit approbata.

Quæst. 2.

*Greg. super Mat. 25. homi. 12. to. 3.*

*Super Missus est, homi. 1. to. 1.*

*Mat. 19.*

*Mat. 18.*

AD secundam est dicendum, quòd Augustinus in quodam sermone de beata Virgine, pertractans illud verbum: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, hanc dubitationem soluit dicens, quòd humilitas MARIÆ fuit singulariter a Deo approbata, ab Angelo fuit singulariter admirata, ab homine fuit singulariter laudata, & prædicata. Fuit enim à Deo singulariter approbata, quia multi sunt humiles, quorum humilitatem Deus non respicit, eo quòd non approbat, & acceptat, modo quo dicitur, quòd respexit Deus ad munera Abel, ad Cayn verò non respexit munera. Sed Virginis humilitatē Deus respexit, quia approbauit, & acceptauit ipsam. Vnde dicit Augustinus loquens de Virginis humilitate: Et verè beata MARIA humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cęlos innouauit, mūdum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas liberauit. Facta est MARIÆ humilitas scala cælestis, per quam Deus descendit ad terras. Et subdit: Quid est dicere respexit humilitatem, nisi approbauit? Nam multi in conspectu hominum videntur humiles esse, sed eorum humilitas à Deo non respi-

*Super. Luc. 1. to. in ser. 2. de Assumptio.*

*Gen. 4.*

*To. 10 in 2. ser. de Assumpt.*

respicitur, quia veraciter humiles non sunt: A nam si veraciter humiles essent à Deo, non ab homine, laudari vellent, non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret. A Deo igitur Virginis humilitas fuit singulariter approbata. Ab Angelo fuit mirabiliter admirata. Sicut non est aliquod vitium, quòd tantum bonus Angelus expauescat sicut superbia, quia per eam solam cognoscit eorum naturam, iacturam, & ruinam fuisse passam, sic non est aliqua virtus, quam ita admiretur, sicut humilitas. Et quantò maior, tantò ipsum magis in admiratione trahit. Et quia humilitate Virginis in pura creatura non fuit maior, nec esse posset, ideo vehementer MARIÆ humilitas Angelum in admira- B tionem duxit, intantum, vt audito hoc Verbo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ Verbum tuum*, non putaret se dignum eius præsentia amplius. Vocauerat enim ipsam Matrem Regis cœli, & terræ, & ipsa se eius ancillam appellauit. Vnde super hoc Verbo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum, & discessit statim Angelus ab ea*, dicit Eusebius: Angelus discessit à Virgine non solùm impetrans, quòd optabat, sed stupens, & admirans in Virginea, & fœminea forma tantæ humilitatis, & virtutis pulchritudinem. Ab homine humilitas Virginis fuit vniuersaliter laudata, & prædicata. Sterilinamque in veteri lege maledicebatur pro tanto, quia in contemptum, & despectum hominum habebatur. Vnde illa maledictio secundùm Bernardum despectio, & exprobratio quædam erat. Sicut habemus de Anna matre Samuelis, quæ propter sterilitatem in despectum habebatur ab æmula sua, quæ semper improperabat ei, quòd Dominus conclusserat vuluam eius. Beata igitur MARIA sola humilitate ab isto despectu, & improperio fuit liberata, quia sola humilitate fuit fœcundata. Concepit enim Christum prius mẽte, quàm corpore, per cuius conceptionem, & partum Beatam prædicauerunt, & laudauerunt, non vna gens, vel vnus populus, sed omnes generationes, ipsamet Virgine prophetante, & dicente. Cùm enim dixisset: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*: statim subiunxit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*. Igitur Beatæ MARIÆ humilitas à Deo fuit singulariter approbata, ab Angelo singulariter admirata, ab homine vniuersaliter prædicata, & laudata.

*Super Missus est, homil. 3. tom. 1.*

*Canticũ Virginis. Lucæ 1.*

### *An Beata MARIA semper Virgo, vel tanquam mater, vel tanquam ancilla à Christo semper fuerit reputata.*

Quæst. 3.

AD tertiam est dicendum, quòd Hieronymus in sermone de Assumptione, dicit Christum plenè impleuisse illud præceptum: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Nam quòd Patrem honorauerit ipse sibi testis est, cùm ad Iudæos ait: Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat, & iudicet, sed ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoratis me. Quòd autem Matrem honorauerit in quatuor sicut bonus Filius præcipuè ergo Matrem honorem, & reuerentiam demonstrat se habere. Primò, in eius adolescentia. Secundò, in aliorum præsentia. Tertiò, in eius absentia. Quartò, in funerali diligentia. In quatuor ergo Christus erga Matrem suam monstrauit honorem, & reuerentiam se habere, & ipsam non vt ancillam, sed vt veram Matrem habuit. Primò, in eius adolescentia. Vnde super illo Verbo: Descendit cùm eis, & erat subditus illis, cum esset annorum duodecim, dicit Basilius: Licet MARIA, & Ioseph essent personæ iustæ, atque honestæ, pauperes tamen erant, & necessariorum penuriam patiebantur, teste præsepio, ministro reuerendi partus. Vnde labores, & sudores corporeos continuè frequentabant, necessaria vitæ sibi acquirentes, cum quibus Christus simul labores, & sudores corporeos sustinebat, plenariam subiectionem eis ostendendo, & obsequium, atque famulatum exhibendo. Secundò in aliorum præsentia. Dicit enim Augustinus in libro C de Symbolo super illo Verbo: Vinum non habent: Tentauit illa fœmina (loquens de Virgine) in primo miraculo posse se iubere Filio tanquam Mater, & tanquam Domina, quæ se agnoscebat ancillam, & dixit: Vinum non habent, facit igitur, vt aqua in vinum conuertatur. Ille autem, vt ostenderet, quòd in hoc non tenebatur ei obedire, quia superabat humanæ naturæ facultatem, quam ab ea acceperat, dixit: Nondum venit hora mea, id est, hora, in qua conditio humanæ naturæ ostendetur, quæ fuit hora passionis. Ne tamen in præsentia aliorum matrem confunderet, ne matris præceptum contemnere videretur, ad mandatum matris, dicentis ministris: Quodcumque dixerit nobis, facite, D aquæ in vinum sunt conuersæ. Tertiò, in eius absentia. Nam pendens in cruce, & relicturus matrem secundùm præsentiam corporalem, secundùm Chrysostomum, nullius alterius, cum multæ aliæ mulieres ibi astarent, meminit, nisi matris, alterum pro se filium prouidendo, dicens: Ecce filius tuus, loquens de Ioanne. Et Ioanni: Ecce mater tua. Docẽs nos per hoc, vt dicit Augustinus, suo exẽplo, quòd à pijs filijs parentibus cura est spectanda, ita vt illud lignum, vbi erant fixa membra morientis, fuerit Cathedra etiam magistri docentis. Quartò, in funerali diligẽtia. Consueuerunt deuoti filij funeralia obsequia honorabilia matri exhibere, parẽtes, & ami-

*Epist. 10. to. 9. Ad Paulam, & Eustoch. Ioan. 8 Exod. 20.*

*Super illud Lucæ 2. cap.*

*De Symbolo super illud Ioã. c. 2. lib. 2 c. 5. to. 9. Ioan. 2.*

*Ibid. & to. 3. de fide, & Symbolo cap. 4.*

*Hom. 84. tomo 3.*

cos vndique cõuocando, & se ipsum cum pompa, & magno apparatu demonstrando, quòd nullo modo est credendum, Dei Filium in requiem suæ matris prætermisisse. Nam, vt dicit Hieronymus in sermone de Assumptione, legimus quàm sæpe ad funera, & ad sepulturas quorumlibet sanctorum Angelos aduenisse, & eorum exequijs obsequia præstitisse, nec non & animas electorum cum hymnis, & laudibus vsque ad cœlos detulisse. Vbi & vtriusque sexus chori commemorantur frequenter auditi, laudesque cecinisse: interea, & quod perspicacius est, multò nonnunquam lumine eosdem resplenduisse, insuper, & adhuc viuentes in carne ibidem mirti odoris fragrantia diutius persensisse, quòd si ad creandam spem, & corroborandam interdum fidem Saluator noster IESVS Christus ob merita etiam sanctorum amplius comprobanda, talia, & tanta dignatus est exhibere per suos cœli ministros circa defunctos: multò magis est credẽdum, quòd Christus suæ matri hunc honorem peramplius, & perfectius voluerit impendere, & per se ipsum sibi occurrere. Habuit ergo Deus Filius Virginem gloriosam, vt Dominam, & Matrem in eius adolescentia. In aliorum præsentia. In eius absentia, & in funerali diligentia. Vt quantò ipsa se magis humiliauit, ancillam nominando se, tantò eius filius magis, vt Matrem, & Dominam honorauit, & reputauit quatenus in ea primò impleret, quòd dixerat: Qui se humiliat, exaltabitur.

*Inser. de Assumpt. epist. 10. tomo 9. Ad Paulam, & Eustoch.*

*Luc. 14.*

*An dicto illo verbo:* Ecce ancilla Domini, *statim fuerit Mater Dei, & hominis effecta, & nominata.*

Quæst. 4.

*Libr. 83. q. 54. to. 4*

AD quartam est dicendum, quòd Augustinus pertractans illud verbum: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, dicit: Tot diebus ædificatur, & formatur corpus humanum in vtero matris, quot annis illud materiale ædificatum fuit. Nam substantia illa, ex qua corpus humanum formatur, vt ait, primis sex diebus habet formam lactis, nouem verò sequentibus diebus conuertitur in sanguinem, deinde in xiij. diebus solidatur, & postmodum in xviij. diebus organizatur, & per debita lineamenta membrorum formatur, quibus simul tunctis faciunt vlvi. qui si ducantur per senarium numerum, qui est istius numerationis caput, faciunt nouem menses, & sex dies: nam sexies xlvi. faciunt cclxxvi. Et hoc est totum tempus, quo Christus fuit in vtero Virginali, nouem scilicet, mensibus, & sex diebus. Sciendum est ergo, quòd in corpore Christi, dum fuit in vtero Virginali, aliquid fuit operatum per naturam, & aliquid immediatè à Deo. Nam illius substantiæ, ex qua corpus Christi debuit formari, ad locum generationis deductio, & corporis Christi vsque ad spatium nouem mensium successiua augumentatio in tempore facta est à Deo mediante natura, & quia natura operatur per motum, sicut motus non potest esse in instanti, imò necessariò requirit tempus. Sic tàm illius substantiæ ad locum generationis deductio, quàm corporis Christi successiua augumentatio in tempore facta fuit. Sed Christi corporis formatio per lineamenta membrorum, completa organizatio, facta fuit à tota Trinitate, appropriatè tamen à Spiritu Sancto. Animæ verò Christi creatio, & illius corporis animatio à tota Trinitate est facta, appropriate tamen à Patre. Similiter illius corporis cum anima rationali ad vnitatem personæ diuinæ assumptio, à tota Trinitate est facta, terminata tamen ad personam filij solam. Et quia Deus ipse operatur non mediante motu, sed in instanti, ideo statim dicto verbo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum:* in eodem instanti hæc tria facta sunt. Corporis Christi formatio, eius animatio, & Verbi Dei personalis assumptio. Vnde, quia per ista Christus statim fuit perfectus Deus, & perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, ideo fatendum est eodem modo, quòd statim dicto Verbo: *Ecce ancilla Domini*, Virgo Beata fuit vera Mater Dei, & hominis. Sicut enim statim circumdedit virum specialiter perfectum, ita statim concepit verum Deum, & veraciter Mater Dei, & hominis est effecta: quòd fuit nouum super omnia noua, quæ Deus fecerit super terram, vt scilicet, mulier, dicente Ieremia, statim circumdaret virum.

*Vide hãc materiã tractatã superius, & Ægid. Rom. de formatione corporis humani, c. 5*

*Iere. 32.*

*An statim Elisabeth naturaliter, vel Spiritu Sancto reuelante cognouerit Virginem, Matrem Dei esse.*

Quæst. 5.

AD quintam est dicendum, quòd nec Elisabeth, nec infans eius existens in vtero naturaliter potuit cognoscere MARIAM Virginem factam esse Matrem Dei. Non quidem Elisabeth, propter carentiam obiecti cognitionis: nam naturalis cognitio in nobis consistit ex cognitione obiecti cognoscibilis. Planum est autem, quòd licet Virgo veraciter iam esset facta Mater Dei, quando salutauit Elisabeth, non tamen erat naturaliter cognoscibile. Primò quidem, quia tam paruæ quãtitatis adhuc erat Christus in eius vtero conceptus, vt non posset discerni visu venter eius intumescere, vt Virgo grauida appareret, potisimè, quia absque mora, discedente

dente Angelo à Virgine, dicto verbo: *Ecce ancilla Domini*, statim Virgo abijt in montana cum festinatione. Nescit enim, vt dicit Ambrosius, tarda molimina Spiritus sancti gratia, licet illo instanti, vt dictum est supra, facta sit corporis Christi perfecta formatio, per quam mater Dei effecta erat, non tamen adhuc facta erat corporis Christi augumentatio, quia hæc successiuè facta est, virtute animæ Christi, vsque ad nouem menses, modo, quo fit in alijs. Secundo dato quòd Elisabeth potuisset per signa vultus, vel tumefactionem ventris cognoscere esse grauidam, & matrem hominis factam, non tamen per hoc poterat ipsam scire esse matrem Dei, quia excedebat omnem intellectum, & rationem. Infans verò eius in vtero existens non poterat hoc cognoscere per carentiam vsus rationis, quia nondum naturaliter capax erat rationis, vt posset discernere, vel sentire per se, & per cõsequens, nec matri naturaliter indicare, quæ esset, quam matrem salutabat. Dicamus ergo, vt dicit Augustinus in libro de præsentia Dei, quòd Elisabeth cognouit Virginem esse factam matrem Dei per Spiritus sancti reuelationem, quia repleta Spiritu sancto, vt dicit Euangelista, vocem illam magnam emisit: Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me? Ioannes verò existens in vtero, exultãs, hoc cognouit per vsus liberi arbitrij acceleration em. Quamuis enim Augustinus dicat in dicto libro, quòd illa exultatio Ioannis potuerit esse signatio rei tantæ à maioribus cognoscendæ, non ab ipso paruulo cognitæ, tamen infra in prædicto libro magis videtur hoc asserre, quòd illa scilicet exultatio magis miraculosè diuinitus facta fuerit in infante, nec humanitus ab infante, vsque adeo, vt in eo acceleratus sit vsus rationis, & volũtatis: ita, vt intra viscera maternaiam posset cognoscere, credere, & consentire ad quòd in alijs paruulis ætas expectatur, vt possit hoc in miraculis haberi diuinæ potentiæ, & non trahendum communiter ad exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, etiam iumentum animal, rationabiliter est locutum.

*In lib. de præsentia Dei. ad Dard. to. 2. epist. 57. q. 2. m.*

*Luc. 1.*

*Ibi. & Magister sent. lib. 4. d. 6. c. Illud.*

*Ibid.*

*Num. 22*

Ipsa ergo Virgo beata ad cuius laudem hoc opusculum est compilatum, sicut nobis Dei filium edidit Redẽptorem, ita suis pijs, ac deuotis precibus, in hora mortis nostræ acquirat Saluatorem, qui viuit, & regnat insæcula sæculorum.

Amen.

## A INDEX QVÆSTIONVM, seu Dubitationum

### Augustini Triumphi Anconitani

*In salutationem, & annunciationem Angelicam.*

### LECTIO PRIMA.

*Missus est Angelus Gabriel à Deo.*


VTrum conueniens fuerit Angelum ad Virginem mitti. quæst. 1

Vtrum talis Angelus debuerit esse Gabriel. quæst. 2.

Vtrum iste Gabriel fuerit ille qui pugnauit cum principe Persarum pro liberatione Danielis, & Iudæorum. quæst. 3

Vtrum talis Angelus debuerit esse de supremo ordine. quæst. 4

Vtrum talis Angelus debuerit immediate mitti à Deo. quæst. 5

Vtrum Angeli omnes possint dici missi, vel aliqui sint qui numquam mittantur. quæst. 6


### LECTIO II.

*In ciuitatem Galileæ.*


Vtrum Beata Virgo fuerit in peccato originali concepta. quæst. 1

Vtrum in vtero matris fuerit sanctificata. quæst. 2

Vtrum per talem sanctificationem totaliter ab omni peccato fuerit mundata. quæst. 3

Vtrum possit celebrari eius Conceptio ratione Conceptionis. quæst. 4

Vtrum indiguerit iterum sanctificari quando fuit ab Angelo nunciata. quæst. 5


### LECTIO III.

*Ad Virginem desponsatam viro*, &c.


Vtrum Virgo fuerit creatura à Deo illuminata. quæst. 1

Vtrum fuerit ipsa singulariter illuminatrix omnium. quæst. 2

Vtrum fuerit singulariter stella maris. quæst. 3

Vtrum ipsa fuerit propriè amarum mare. quæst. 4

Vtrum ipsa fuerit Domina hominum, & Angelorum. quæst. 5


LE-

## LECTIO IIII.

*Et ingressus Angelus ad eam dixit.*

Vtrum in angelica salutatione sex verba solum contineantur. quæst.1
Vtrum Angelus in forma hominis Virginem salutauerit. quæst.2
Vtrum Angelus per ostium clausum ad Virginem intrauerit. quæst.3
Vtrum corpus, in quo Angelus Virgini apparuit, fuerit verum corpus hominis. quæst.4
Vtrum illud corpus fuerit formatum de igne vel de aere. quæst.5

## LECTIO V.

*Aue.*

Vtrum beata Virgo ante fuerit tali salutatione salutata. quæst.1
Vtrum genu flexò & cum reuerentia hanc salutationem Angelus fecerit. quæst.2
Vtrum salutatio sit neganda alicui propter excommunicationem. quæst.3
Vtrum salutatio sit neganda alicui propter prædicationem. quæst.4
Vtrum salutatio sit neganda propter odium & rancorem. quæst.5

## LECTIO VI.

*MARIA.*

Vtrum MARIA fuerit singulariter mater omnium sanctorum. quæst.1
Vtrum singulariter fuerit aduocata omnium peccatorum. quæst.2
Vtrum fuerit singulariter regula omnium virtutum & morum. quæst.3
Vtrum fuerit interfectrix singulariter omnium vitiorum. quæst.4
Vtrum fuerit singulariter armarium Spiritus sancti omnium donorum. quæst.5

## LECTIO VII.

*Gratia plena.*

Vtrum ipsa fuerit magis plena gratiæ, quàm aliqua creatura esse possit. quæst.1
Vtrum fuerit plena gratiæ sicut Christus. quæst.2
Vtrum fuerit in gaatia perfecta statim in sua natiuitate. quæst.3
Vtrum ipsa habuerit omnia dona gratis data. quæst.4
Vtrum ipsa habuerit omnem gratiam gratum facientem. quæst.5

## LECTIO VIII.

*Dominus tecum.*

Vtrum singulariter fuerit cum ea Dominus Pater. quæst.1
Vtrum singulariter fuerit cum ea Dominus Filius, quæst.2
Vtrum singulariter fuerit cum ea Dominus Spiritus sanctus. quæst.3
Vtrum fuerit cum ea Dominus antequam mitteret ad eam Angelum. quæst.4
Vtrum nobiliori modo Deus esset cum aliqua creatura, quàm fuerit cum MARIA. quæst.5

## LECTIO IX.

*Benedicta tu in mulieribus.*

Vtrum beata Virgo super omnes mulieres fuerit benedicta. quæst.1
Vtrum sola virgo à maledictionibus mulierum fuerit liberata. quæst.2
Vtrum per eius benedictionem omnes mulieres sint benedictæ. quæst.3
Vtrum per talem benedictionem super omnes Angelos sit exaltata. quæst.4
Vtrum per talem benedictionem sit ad cœlum in corpore & anima eleuata. quæst.5

## LECTIO X.

*Benedictus fructus ventris tui.*

Vtrum Eua quasierit in fructu ligni, quæ Virgo MARIA quæsiuit in fructu, vel in ligno ventris sui. quæst.1
Vtrum talis fructus fuerit singulariter benedictus. quæst.2
Vtrum talis fructus fuerit causa benedictionis in omnibus. quæst 3
Vtrum talis fructus matrem fecerit benedictam, an conuersò. quæst.4
Vtrum per talem fructum nobis sit porra paradisi aperta. quæst.5

## LECTIO XI.

*Quæ cum audisset turbata est, &c.*

Vtrum verum sit quòd beata Virgo fuerit turbata, & timuerit de visione Angeli, vel de annunciatione eius. quæst.1
Vtrum laudabile sit mulierem esse timidam. quæst.2
Vtrum laudabile sit mulierem esse verecundam. quæst.3
Vtrum beata Virgo fuerit cogitatiua. quæst.4.
Vtrom laudabile sit mulierem cogitatiuam esse. quæst.5

## LECTIO XII.

*Ne timeas MARIA: inuenisti gratiam.*

Vtrum semper bonus Angelus post timorē, quando apparet, tribuat securitatem. q.1

Vtrum

Vtrũ tutius sit homini esse in timore, quàm esse in securitate. quæst.2.
Vtrum Angelus bonus vel malus, quãdo apparet, possit illudere sensus hominis, vt faciat ei apparere vnum pro alio. quæst.3.
Vtrum beata Virgo pro omnibus inuenerit gratiam apud Dominum. quæst.4.
Vtrum proprium fuerit Virgini gratiam apud Deum inuenire. quæst.5.

LECTIO XIII.

*Ecce concipies, & paries filium.*

Vtrum B. Virgo in pariendo Christum fueri vera & naturalis Mater. quæst.1.
Vtrum conceptum, & incarnatum Christum ex MARIA Virgine, sit articulus fidei. q.2.
Vtrum conceptus masculinus citius formetur in vtero, quàm fœmininus. quæst.3.
Vtrum extra vterum fœmininus citius formetur, quàm masculinus. quæst.4.
Vtrum conceptus semper assimiletur patri, vel matri, vel cui magis. quæst.5.

LECTIO XIIII.

*Et vocabis nomen eius Iesum.*

Vtrũ hoc nomẽ *Iesus* cõtineat sub se omnia nomina scripta de Christo in veteri testamento. quæst.1.
Vtrum Christus fuerit magnus secundùm quòd homo, vel secũdùm quod Deus. q.2.
Vtrũ Christus secundũ quòd homo, & secũdũ quòd Deus fuerit filius, vel duo filij. q.3.
Vtrum verum sit, quòd ipse Christus sederit in sede Dauid, & regnauerit in domo Iacob. quæst.4.
Vtrum solum Regnum Christi debeat esse æternum. quæst.5.

LECTIO XV.

*Quo modo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Vtrum dubitare de omnibus sit bonum, & vtile. quæst.1.
Vtrum beata Virgo dubitauerit de verbis Angeli. quæst.2.
Vtrum beata Virgo fecerit votum virum non cognoscere antequam esset desponsata. quæst.3.
Vtrum aliqua mulier possit concipere absq; eo quòd cognoscatur à viro. quæst.4.
Vtrum sic natus, vel conceptus deberet dici sine patre, vel cuius filius deberet nominari. quæst.5.

LECTIO XVI.

*Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus, &c.*

Vtrum formatio corporis Christi in vtero virginali facta fuerit per Spiritum Sanctum. quæst.1.
Vtrum Spiritus Sanctus possit dici pater Christi in vtero virginali concepti. q.2.
Vtrum Spiritus Sanctus possit dici Pater Dei in vtero virginali incarnati. quæst.3.
Vtrum negandum sit Virginem fuisse Matrẽ Dei ex hoc quòd naturam diuinam Dei Filius ab ea non acceperit. quæst.4.
Vtrum virtus Altissimi in vtero virginali sit obumbrata. quæst.5.

LECTIO XVII.

*Et Ecce Elisabeth cognata tua, &c.*

Vtrum exemplum Elisabeth sterilis debuerit induci ad confirmandum partum Virginis. quæst.1.
Vtrum tempus partus pueri, vel puellæ determinatè possit sciri. quæst.2.
Vtrum nati in sexto vel octauo mense possint aliquando viuere. quæst.3.
Vtrum causa sterilitatis sic sit determinata, quòd possit determinatè cognosci. q.4.
Vtrum maius miraculum sit Virginem parere, quàm sterilem generare. quæst.5.

LECTIO XVIII.

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Vtrum in beata Virgine commendabilior fuerit humilitas, quàm virginitas. q.1.
Vtrum humilitas eius à Deo singulariter fuerit approbata. quæst.2.
Vtrum ipsa à Christo semper fuerit sicut mater, vel sicut ancilla reputata. quæst.3.
Vtrum statim dicto illo verbo: *Ecce Ancilla Domini*, fuerit Mater Dei, & hominis effecta, & nominata. quæst.4.
Vtrum statim Elisabet naturaliter, vel Spiritu Sancto reuelante, cognouerit Virginem Matrem Dei esse. quæst.5.

# D. AGVSTINVS DATHVS.

## NOTA.

*NAtus in Senensi Etruriæ nobili ciuitate Orator insignis, atque Philosophus eximius, Augustinus Dathus Senensis communiter dictus, floruit tempore*

*Pij II. Pontif. Max. ad annum nostræ salutis MCCCCLX. plura doctè, & eruditè scripsit, quæ typis mandata fuerunt Senis per Symionem Nicholaum Nardum anno à Virgineo partu MDIII. Auctoris laudes celebrarunt Ioannes Antonius Sarracēnus, Angelus Fundius Zœnodarius, & alij. Opusculorum verò numerum Antonius Possevinus, & Gesnerus recensent, inter alia, lib. 2. fol. 66. Duas orationes sequentes de Virgine Dei Matre MARIA posteritate reliquit.*

# ORATIO XII. DE LAVDIBVS GLORIOSISSIMÆ Virginis Matris Dei MARIÆ.

ADmone hodierna solemnitas: cogit iustè imperantium auctoritas: suadet obediēdi voluntas excelsi Domini, ac excellētissimi Patres, vt de intemerata Virgine, & gloriosissima Dei Matre perpauca, cū multa nequeat imbecilitas mea, in medium proferenda esse videantur. Vna cunctis seculis extitit, quæ mortalis conditionis dignitatem antecelleret, & gloriam MARIA inclyta Regina cœlorum, quæ vel in ipso Matris vtero à totius peccati labe, atque culpæ omnis exēpta contagio, æternæ prædestinationis fœlicitatem auspicata est. Quæ mundo exorta, quasi stella matutina, & aurora veri Solis prænunciata, venturo Saluatori purissimum habitaculum præparauit. A Gabriele Archāgelo salutata, concepit de Spiritu Sancto, ac grauis facta confestim, humanæ pignus redēptionis accepit. Illum gestauit in vtero, quem præcursor glorioſus, Matris albo clausus, & sensit, & admirando exultauit gaudio. Quando & benedicta inter mulieres à cognata Elisabeth prædicata est, & benedictus fructus ventris eius. Quippè, quæ Saluatorem mundi genuit, & post partum Virgo permansit. Sed & quem adorat multitudo Angelorum anno xiiij. concepit ætatis, quinto decimo peperit, legitimo tempore præsentauit in tēplo. Tres circiter, ac xxx. cum illo vixit annos. Ad duodecim (vt plerique tradunt) post Filij Passionem superstes, tandem ad Regni gloriam translata, & in cœlum assumpta est. Exaltata super Choros Angelorum ad superas beatorū sedes, siue in corpore, siue extra corpus, fatetur se nescire Hieronymus. Vel si cum Augustino sentire malumus, & anima simul & corpore. Vel quòd sanctæ mulieri Saxoniæ diuinitus reuelatum est. Prius quidem anima: mox verò etiam corpore. Nunc cū eo, quē eundē Patrē habet, & Filiū cœlestis Regni assecuta, immortalitatē æuo sempiterno fruitur, & illum intuetur gloriosum in cœlesti solio, quem passum aspexerat pro salute humani generis in crucis patibulo. Quo nos magno empti pretio, supplices deprecemur illam, quæ hunc salutis Auctorē mundo edidit, & illum sacris lactauit vberibus, vt eius interueniente ope, viuentes in hoc seculo, mundi huius vitemus insidias, & corporum laxati vinculis, non quidem per speculum in enigmate, sed glorificati Deum, faciem videamus ad faciem. Ac vestra deniq; præclara ciuitas fieri mereatur templum Domini. Vos cum beata Virgine sacrarium Spiritus Sancti, nosque omnes eadem optima viuendi duce post mortalis vitæ cursum, æternæ fœlicitatis palmam assequamur, & gloriā. Volente illo, qui per ineffabilem bonitatem dedit hanc dulcissimam patriam glorioſissimæ Virginis patrocinio gubernari. Dixi.

*Oratio XIII. de Assumptione Virginis, quam habuit ad cætum Florentinorum in Ecclesia Cathedrali, cùm Pius Secundus Pontifex Maximus Senæ ageret, & turba frequentissima Episcoporum, & Maximorum Patrum, ac ciuium Florentinorum, & Senensium adessent.*

MAgnæ festiuitatis celebritas mutui amoris commemoratio, vestrorum meritorum amplitudo ornatissimi consessus, splendor optimi, ac Reuerendi Patres, & præstantissimi viri, non indesserti hominis inculta orationem; sed eloquentissimi viri facundiā postulare nō immerito videbātur. At me dicere, & obedire cōpellit generosi, ac magnifici Equitis auctoritas, eiusquē hæc Respublica, & Senēsis populus huius sacratissimi tēpli administrationi præfecit. Proximi namque diebus celebrata est, & hodie quoque recolitur glorioſa solemnitas, in qua Regina cœli, Domina Angelorum, Ianua Paradisi, Fons virginitatis, & pudoris, Speculum sanctitatis, Exēplar virtutum omnium, Tutissimus mortalium portus, ac singulare perfugium, glorioſissima Mater Christi assumpta est ad ęthereum thalamum, & pacto mortalis æui cursu, rebus derelictis humanis, exaltata est super Choros Angelorum ad cœlestia Regna, vbi cum illo viuit, & immortali, atq; immarcescibili gloria fruitur, quæ nostræ salutis Auctorem genuit æterni Patris Vnigenitum Filium, quem si cœli, & mundus totus capere nō potuit: sola meruit ob ineffabilem virginitatis, atque humilitatis magnitudinem intra vteri angustias mundi Re-

dempto-

demptorem pijssimum continere. Hunc nos celebrem, ac lætissimum diem agimus, & quoniam amicorum omnia meritò debent esse communia: vestra, & optata præsentia, & communi participatione, multò certè alacriorem, ac iucundiorem intuemur. Nam scitè, & preclarè, F. Quintilianus non reperio, inquit, quid in rebus humanis ex cogitauerit natura præstantius amicitia: quam laudans diuinus Doctor Casiodorus ait. In humanis rebus nihil dulciùs inuenitur: nihil Sanctiùs appetitur: nihil fructuosiùs custoditur, habet enim fructum vitæ, quæ nunc est, & futuræ, amicitia propria suauitate virtutes alias condit, aduersa temperat, iustitiam componit, tristitiam iucundat. Hæc verò inter Florentinos, ac Senenses maximè profecto viget, floret, ac plurimum, quiquæ admodum proximis finibus iuncti sunt, ita arctissimo amoris vinculo, & naturali quodam, atque indissolubili charitatis fœdere copulantur. Atque ob summam animorum concordiam, tuendæ pacis, ac seruandæ iustitiæ commune studium, ob præcipuum denique tum in diuinis, tum in humanis rebus, cum beneuolentia, & charitate consensum non iniuria vno spiritu viuere creduntur. Qui igitur ad præclarissimam huius diei solemnitatem piè, amicè, atque humaniter conuenistis, maximis vos laudibus dignissimos iudicamus, & pium glorioßissimæ Virginis cultum, atque summam illi exhibitam veneratione acceptissimam ferimus, tanquam ab ea ciuitate, quę flore eximiæ laudis, & maximarum rerum omnium splendescit, atque enitet gloria. De qua præsertim ab in docto viro, & in his temporum angustijs fileri satium est, quam exiliter prædicari.

---

# F. AVGVSTINVS VVICHMANS.

## NOTA.

*DOCTVS pariterque Deuotus R. P. F. Augustinus Vvichmans Antuerpiensis Canonicus Norbertinus S. MARIÆ de Turgelo, & ibi Nouitiorum Magister, qui ad annum M. DC. XX. clareuat: pietatem, deuotionem, ac studium solidè demonstrauit erga Deiparam Virginem in opere à se præstito, cuius titulus* Sabbatißmus Marianus, in quo origo, vtilitas, & modus colendi hebdomatim Sabbatum in honorem Sanctißimæ Deiparæ explicantur, *excursum Antuerpiæ anno M. DC. XXVIII. dicatumque Augustißimæ cælorum Reginæ glorioßißimæ orbis Dominæ MARIÆ. Candidi Ordinis, & Habitus niuei Cæleßti Præmonßtratici. Antiquæ Noßtræ Trungorum Coloniæ diuæ Tutelari, Maießtate maximæ, Pietate optimæ. Patronæ ßuæ æternum colendæ, in Templo Ieroßolimitano hodie præßentatæ, ße, & hæc ex integro corde præßentat. Author Neothericus est, ßed opuscul um multis dignum, vt in hac noßtra Bibliotheca in laudem glorioßæ Virginis MARIÆ omnibus Chrißticolis, & denotis notum fiat.*

## PROLOGVS OMNIBVS MARIANIS CVLTORIBVS, & Parthenijs Amatoribus. Virginei Consodales, & Magnæ Matris electi Filij.

*NON est idem, vel scribendi*
*Vel in lucem quid edendi*
*Omnibus ingenium.*
*Bellum canit hic Troianum:*
*Ludum ludit ille vanum,*
*Vel amoris canticum.*
*Mihi placuit laudare,*
*Et laudando commendare*
Sabbatum *Deiparæ.*
*Quod qui dignè obseruabis,*
*Sponsor sum, non trepidabis*
*Mortis in examine.*

*Nam*

*Nam* MARIA *protestabit,*
*Et Cœlorum impetrabit,*
*Sempiterna gaudia.*

Quod hic dico, doceo exemplis, & SS. Patrum testimonijs fide dignis, ac veritate ipsa firmiter subnixis; quibus nemo contradicat, nisi *Cui tantum lingua est: perijt Mens ipsa Pudorque*, quales moros hic non morror, neque æstimo, vel hili quidem.

Causa verò huius Scriptionis, duplex mihi est. Amor, scilicet in Sanctiss. Deiparam, & Charitas erga proximum. Illum indui ab ipsa tum, adolescentia, & adfectu semper robustiore eam venerari conatus fui. Quo factum, vt innumera tum animæ, tum corporis beneficia, ab eadem semper obtinuerim. Quibus, vt eucharistico aliquo Symbolo publicè responderem, ne ingratus audiam, dudum mecum egi. Contexere incœpi ab aliquot mensibus, augustissimo eius vertici *Coronam stellarum duodecim*; in qua plurima ad eius Cultum, Laudem, & Honorem. Verùm quia prolixioris operæ istud Opus, nec adhuc ex omni parte completum; visum fuit hunc *Sabbatissimum Marianum*, veluti prodromum ei præmittere: in quo de Origene, Vtilitate, & Modo colendi Sabbati hebdomadarij in honorem Sanctissimæ Deiparæ, disseritur. Ad cuius maiorem Cultum, vt me alioque incitarem, Charitas quam omnibus debeo, memet incitauit. Quid enim? videmus quotidie (atque vtinam sanctè inuideamus! nam sanguineis lacrymis deplorandum est) ministros Satanæ, & discipulos illius Cacodidascali, omni modo, qua voce, qua stilo, ad æternæ dominationis barathrum homines perducere satagentes. Quid ni Discipuli Christi, qui non nisi salutem iuuit animarum nostrarum, ex aduerso se obponant: & pestifero huic veneno, ceu spirituales Machaones, antidotum præparent salutare; si quo modo possint eas suo Domino lucrari in salutem. Qui conatus, extremæ est in hunc, & illas Charitatis.

Deinde, quis est qui ignoret, quot, & quã pestilentes, blasphemiarum, & conuitiorum plaustris plenos, euulgent hodie Libros, & famosos libellos scommatibus collotenus infarcitos huius temporis Sectarij, ijdemque Mariomastyges, quibus vnicum, & commune est studium.

*Hanc Heroinam petulante ferire cachinno.*
Feret hoc, & silebit verus MARIÆ Cultor, & Amator? Iterum dico.

——*feret ista MARIÆ.*
*Scommata, quisquis amat illius esse Clies?*
*Non ego, sim minimus licet, ò pia Virgo*
*Clientum,*
*Non feret hoc pectus, quod tibi deuoueo.*
*Non feret hic calamus, rudior licet ille. Sed ante*

A *Sanguineis fluet is, quàm ferat ista, notis.*
*Sic dico, sic Diua (Deum) quoque sentio (testor)*
*Atque vtinam mecũ sentiat omnis amans!*

Hoc, & sic me docuit, quæ me protulit, & aluit, Ocellus Orbis, Vrbs *Antuerpia*, cui tu præsides, vt Sacra *Marchionissa*.

*Seu medio* Regina *foro. Felicius Vrbem*
*Defensura meã, quã bellicus ille Colossus,*
*Qui tibi sacratam sedem violarat auitam.*

Idem me similiter, docuit Sanctissimus Pater meus *Norbertus*, in solidum tuus, eiusque sacra Comux, & Mater mea, *Religio nostra Præmonstratensis*, quæ quanta est, tota tua est: tibique, & Filio tuo me pariter ge-
B nuerunt. Sic me docuerunt eorum Filij, Fratres mei (licèt ego ab his degener) sanctitatis opinione omnes illustrissimi, *Milo*, Episcopus Tarnanensis, *Horoznata*, Princeps Bohemiæ, *Fredericus*, Horti Marianii in Frisia Fundator, & primus Abbas, *Siardus*, huic in eodem Loco, & Officio successor, ac Domus nostræ Tungerloensis Sacer Inquilinus: *Hermanus Ioseph*, Canonicus Steinfeldensis Cœnobij Beniaminus ille tuus, Amasius, & sponsus. *Gerlacus* ex Tribuno Equitum, in ditione Falcoburgensi humilis, & austerus Eremita. *Vvilhelmus* Rhotensis in Sueuia Canonicus Norbertinus, alijque sexenti, eximij Cultores tui omnes: quorum plurimi,
C sanctissimi Patris sui vestigijs insistentes, Sabbatinum hoc tuum Festum, mirificè semper venerati sunt, sic me denique docuit, Moses noster, & Magnus Pater, S. Præsul Hipponensis, *Augustinus*, cuius nomine, licet indignus, gaudeo, & exulto: qui vbique, & semper, in omnibus suis Libris, tam honorificis Titulis te salutat; tam eximijs præconijs te deprædicat, vt nil scire, nisi MARIAM: nihil scribere, nisi *Deiparam* videatur.

------ *cuius sibi nomen, in ore est.*
*Mel super, & nectar, & super ambrosiã.*

Et vt omnia hæc præteream, quidquid hic obsequij est id ipsum iure alimentationis, tu ipsa meritò à me exigis, vtpote quæ iam à Lustris tribus, & quod exambit, in hac Do-
D mo tua Tungerloensi, me, licet indignum Alumnum, benignè sustentasti. Tu enim mihi, non triennio tantùm, sed per tria, vt dixi, integra Lustra, maternum misericordiæ tuæ lac dedisti, aluisti, & in ætatem istam perduxisti, ingratissimus profectò audiam, nisi Altrici meæ, vel hoc pacto gratus existam.

Et verè, *Tungerloa*, Domus tua est, antiquorum *Tungrorum* antiqua Colonia: apud quos, à S. Materno D. Petri Discipulo, prima infra Alpes, Virgineo tuo nomini dicata olim Ecclesia est: ad cuius exemplum, ab ijsdem postea, hæc nostra Tungerloensis peculiariter tibi consacrata creditur; quam iam

*P. i Duæ lib. 2. rerũ. Brab. Tho. Bozius de sig. nis Eccle siæ lib. 9. cap. 9. Archiu Monast.*

ab

ab annis quingentis, continua ser'e etiã mir A
caulorum gloria ibidem olim coruscans, inhabitasti, & feliciter gubernasti. Quam vt deinceps inhabitare, & gubernare digneris, humillimis votis, omnes tui Alumni, vnanimiter supplicamus.

*Hisce stimulis adactus,*
*Votum Virgini sum pactus,*
*Mariani Socij,*
*Stilo quidem non polito*
*Corde tamen haud inuito,*
Sabbatum *hoc scribere.*

Quod dum facio, vt cum fructu faciam, vos obtestor, atque rogo, quatenus vestris precibus id à *Domina Nostra*, mihi impe- B
trare dignemini: non meo quidem nomini; (nam hìc, & vbique Propheticum illud obuersatur: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*) verùm Mariano, cuius honorem vnicè intendo. Ideoque plena voce, & plano corde iterum Te inclamo, pro me, & omnibus qui hæc legent, ò Sanctissima!

*Me dignare, Te laudare,*
*Gratiarum magnum Mare,*
*Ter* MARIA, *maxima.*
*Et da nobis tuum sinum.*
*Post hoc festum Sabbatinum*
*In superna Patria,*
Amen.

Pro Authore ad Deiparam Præcatio.

*Diua Parens, Proles que Dei, quæ sola reperta es,*
*Corpore quæ pareres intemerata Deum:*
*Flecte huc, queis Numen iratum flectis ocellos,*
*Et quos aspicere spiritus omnis auet.*
*Ecce nouum* Augustinus *opus tibi Candidus offert.*
*Quæ vultues, quàm Sol, candidiore, faue.*
*Ille tui cultus (quo te per* Sabbata *cuncta*
*Et opis, & veniæ plebs egebunda vocat)*
*Scribit, & à prima deducit origine ritum,* D
*Quis cœpit, & quo tempore, quoue modo.*
*Fac pia vt innumeris prosint hæc mentibus, vtque*
*Ignis in obsequium sit nouis iste tuum.*
Ita vouet F. Laurentius Landtmeter S.T.L. & Pastor in Rethij.

Idem ad Authorem.

Augustine *meos non infimus inter Amicos,*
*Quem iunxit studium, Religioque mihi:*
*Mitto tibi nostræ sincera præcamina Musæ*
*Quæ fundit pro te, at lãguida, frigidula.*
*Sed fidit, sperat que tuo feruescere ab igne.*
*Iste focus, nostra frigora pellet, ait.*
*Sic erit: & mea fors, quod vota indigna nequibunt,*
*In Diuam obsequijs tu mereare tuis.*
*Quam rursus adeo, repetitaq; nũcupo vota:*
Adsiste Virgo Laudibus ipsa tuis.

In otiosum detractorem Idem.

*Tu cum nec facias, legasue quidquam.*
*Totum cumque teras diem otiosus:*
*Dic cur displiceat labor alius;*
*Aut fac quæ melior probet Minerua,*
*Et longum excute* Dormio *veternum:*
*Aut linguam nihil vtilem refrena.*
*Namque carpere dente nigriore,*
*Atque fingere Iudicem otiosum,*
*Hoc possit mulier procax, puerue,*
*Et quot quot scola nutrit impudentum.*
*Et quot quot schola nutrit Arrogantum.*
*His tu iungere, vel sile quietus.*

Ad Deiparam Virginem ode Sapphica pro Sabbatismo Mariano.

*QVAS tibi tandem recinemus odas,*
*Quas tuis dignis meritis feremus*
*Vocibus laudes tremuloue plectro*
*Candida Virgo?*
*Nulla præcellens licet, ac diserta*
*Lingua, te nullis valeat referre*
*Cantibus, nostræ via quæ salutis*
*Prima fuisti.*
*Angelus faustam* G A B R I E L *salutem* C
*Auferens cœlo tibi missus alto,*
*Nuntiat summi genito parentis,*
*Te fore matrem.*
*Moxque conceptam sobolem pudico*
*Ventris amplexus, nitido beati*
*Corporis clausam gremio, noueno*
*Mense tulisti*
*Inde consueti spatio peracto*
*Temporis, nullum patiens dolorem*
*Lucidas partu puerum sereno*
*Edis in auras,*
*Ac sacrum pignus teneræ papillæ*
*Lacte sustentas, niueoque succo,*
*Pascis, affigis generosa blandis*
*Vbera labris.*
*Nec tamen fœdo Violata tactu*
*Castitas vnquam tua, vel virilis*
*Seminis consors fuit, at manebas*
*Integra mater.*
*Antequam natum pareres, pudica*
*Virgo fulgebas, pariensque Virgo,*
*Edito partu simili nitore es*
*Virgo relicta.*
*Nam tuum fido pia cura sacri*
*Flaminis ductu moderata pectus*
*Semper illæsam tenuit, nec vila*
*Labe notatam.*
*Tanta nimirum decuit futuram*
*Puritas matrem superi Tonantis,*
*Quæque cælestem paritura Solem*

Om-

*Omnibus esset.*
*Qui suis castas radis piorum*
*Almus illustrans, recreansque mentes,*
*Munda, discursis animo tenebris*
*Pectora reddit.*
*O quater felix decieſque Mater,*
*Quæ Theantrophon peperisse regem,*
*Cui subest Orcus, Mare, Terra, Cœlum,*
*Digna fuisti.*
*Filium nostris placidum precamur*
*Lapsibus reddas animæque culpis,*
*Quo sua nobis pietate Cœli*
*Gaudia donet.*
*Tuque quam Terræ Dominam vocamus,*
*Quam Maris Stellam tumidi nitentem,*
A *Quamque Reginam spatiosi Olympi*
*Esse fatemur.*
*Si tibi gratos humili Camœna*
*Concinunt hymnos miseri clientes,*
*Auribus pronis simul ac benigno*
*Excipe vultu*
*Cerne* Vuichmanni *quoque* Sabbatismum.
*Quo nihil factum magis est ad vnguem,*
*Quo pium nil, & magis est probandum*
*Lumine blando.*
B

Franciscus Suveertius
*Antuerpiensis Conciui suo.*
CIↃ. IↃC. XXVIII.

# SABBATISMVS MARIANVS.

## CAPVT I.

### *De Sabbato Iudaico.*

SAbbatum peculiari semper in veneratione fuit, etiam ab origine mundi. Genesis namque 2. cap. legimus: *Et benexit*, Deus scilicet, *diei septimo, & sactificauit illum.* Hoc est, Deus ab exordio mundi, hoc primo Sabbati die quo requieuit, seu cessauit ab vniuerso opere, quòd patrauerat, illum actu festum instituit, colique voluit ab Adamo eiusque posteris, sacro otio, & cultu Dei, maximè recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi, illo die completæ. Quod vt firmiùs obseruarent, iterato præcepto eis denuò, Exodi 20. per suum Legislatorem Mosen, in monte Sina iniunxit dicens: *Memento vt diem Sabbati sanctifices.* Et Deut. 5. *Obserua diem Sabbati sancti, vt sanctifices eum*, quasi dicat, Obserua, & celebra Sabbatum, quasi sanctum, & à reliquis diebus separatum, quieti, ac recolendo creationis operi, alijsque Dei beneficijs, dicatum: cuius finis, vt te moneam, addidi Exodi 20. *Memento.* Nam colendo hoc modo Sabbatum, vt Deus iusserat, tacitè profitebantur Hebræi, Deum Creasorem esse, & largitorem bonorum omnium, ac idola omnia execrabantur. Vnde summa erat apud eos huius diei solemnitas præ ceteris festis diebus, adeo vt nec cibum in eo parare liceret, nec ignem accendere; quæ tamen in alijs festis permissa erant. *Qui fecerit in eo opus peribit anima*, id est, vita, *illius de medio populi sui*; scilicet, qui laborando illud violauerit, morte plectatur per sententiam iudicis. Ideoque Iudei semper superstitiosissimè coluerũt, & etiam num colunt Sabbatum, vt ab omni prorsus opere abstineant: in tantum, vt quidam eorum, Dosithei, dicti, teste Origene l. 4. Periarchon, cõ superstitionis progressi fuerint, vt quo quisque habitu, loco, situ, die Sabbati inuentus fuisset, siue stans, sedensue, intus, vel foris, eo loco, eademque positione, ea die vsque ad Vesperam permaneret. Cui confirmando, exemplum hoc Synesius ad Euoptium producit: *Cum exorta*, inquit, *tempestate, peracta esset dies Parasceues, & vespere decidente Sole, Iudæi qui nautæ erant, Sabbatum inchoarent; qui clauum tenebat, mox vt Solẽ reliquisse terram coniectauit, relicto clauo prosternit se, seseq; cuiq; calcandũ exhibuit. Rati autem nauigantes, eum ex desperatione id fecisse, omnes consternebantur. Cum autem causam accepissent, quidam gladio euaginato necem eidem intendebant, vt in opus incumberet. Ille verò immobilis librum legebat Legis, nec minùs quàm Machabæus aliquis mortem comminatam contemnebat: sicque tota nocte cum sequenti die vsque ad dimidium noctis. sedit Iudæus otiosus; tunc verò sponte surrexit, & clauum omissum recepit.* Hactenus Synesius. Videtur, & mihi de hac secta Dositheorum fuisse Iudæus in Anglia, qui in foueam Sabbato decidens, & ob illius reuerentiam extrahi recusans, à Christiano iudice coactus est, & Dominico die, in eadem remanere. Cum enim ille diceret:

*Sabbata Sancta colo, de stercore surgere nolo,*

Regesit iudex, vti referunt Annales Anglici:

*Sabbata nostra quidem, Salomon celebrabis ibidem.*

Exod. 21

Quantô autem religiosiùs Iudæi de Sabbato sentiebant, tantò contemptibiliùs Ethnici. Vnde Romanus sapiens Seneca, teste Doctore Africano, & Auo nostro *Augustino*, ridet Iudæos quod septimam ætatis, & vitæ patrem otiando perderent. Plutarchus l. 4. sympos. quæst. 5. censet eos in honorem Bacchi, qui *Sabbos*, dictus est, Sabbatum cele-

*L. 6 de Ciuit. c. 11.*

celebraſſe, alij in honorem Saturni, id eos fe-
ciſſe exiſtimant, diem enim ſeptimum, gen-
tiles vocant diem Saturni, ſicut primum,
diem Solis, ſecundum Lunæ, tertium Mar-
tis, &c. Melius nos Chriſtiani, *Ferias* dici-
mus: quæ nomenclatura ab ipſo Eccleſiæ ex-
ordio, fidelibus in vſu fuit, quandoquidem
*Tertul. c. 2. aduerſus Pſychicos, & cap. 10.* Tertullianus vetus Author, frequenter me-
minerit, de quarta & ſexta feria, quibus Chri
ſtiani, in memoriam congregati Concilij de
Chriſto interficiendo, & Chriſti interfecti,
antiquitus ieiunare conſueuerant. Idemque
ait, Chriſtianis omnem diem, etiam vulga-
tam, conſecratione celebrari. Cùm enim hi
ſanctiores, non hanc vel illam ad diuinũ cul-
tum præſcriptam haberent diem, vt Iudæi
ſuum Sabbatum, & gentiles ſua Feſta: ſed
cunctis propenſius diuinum Numen quoti-
die venerarentur, ex his videtur inferri poſ-
ſe, inquit Baronius, ea potiſsimum ratione,
*C. Baro. an. 58.* in Eccleſia antiquitus inſtitutum fuiſſe, vt
omnes dies hebdomadæ, *Feriæ*, nomine di-
cerentur. Accedit & alia ratio, videlicet
quod ſicut Iudæi Paſchalem ſolemnitatem
ſeptem diebus celebrabant: ita placuit alia ra
tione Eccleſiæ, totidem dies poſt Paſcha, ſo-
lemniter & feriando celebrare, eamque ob
cauſſam, *Ferias*, eoſdem dicere, quarum,
quoniam prima erat ipſa feſtiuitas Paſchæ,
& quæ mox ſequitur, ſecunda, ac deinceps
ceteræ numerentur eodem ordine. Quia ve-
rò qualibet die prima, nempe Dominica, eã-
dem Chriſti reſurgentis memoriam ſingulis
agendam hebdomadibus ſtatuerunt, inde
etiam factum eſt, vt ſicut in prima Reſurre-
ctionis hebdomadę, dies ſinguli dicerentur,
*Feria*: ita etiam fieret ſequentibus ſingulis
hebdomadibus; cum præſertim fideles hor-
rerent, vel Iudaico more, primam, ſecundam
Sabbati, &c. vel Gentilium ritu, ab eorum-
dem Dijs, Ioue, Saturno, Marte, &c. illos
nominare. Quæ Maiorum noſtrum religio,
vtinam poſterorum pectoribus inhæreret ho
die, quorum plurimi, in recenſendis diebus,
gentilizant potius quàm Chriſtianizent: in
quem abuſum, Iacobum Ianſſonium Doc-
torem Louanienſem pietate & doctrina cele-
brem, non ſemel in vehementem audiui.

Iam verò quia præceptum de Sabbato,
qua parte, certum diem diuino cultui per
ſingulas hebdomadas determinabat, erat erat
ceremoniale, rectè Apoſtoli in memoriam
glorioſæ Reſurrectionis Dominicæ, Sabba-
tum in primam Feriam commutarunt; quo
die inſuper Chriſtus natus eſt, & Eccleſia
quodammodo inſtituta: nam die Dominica
Spiritus ſanctus in Apoſtolos miſſus eſt, eadẽ
que die mũdus fieri cœpit, imô principalio-
*D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4.* res eius partes, cœlũ, terra, Angeli & lux, tũc
factæ ſunt. Audi Doctorem Angelicum de
hac tranſlatione ita differentem: Hoc præ-

A ceptum, de colendo ſcilicet Sabbato, litteraliter intellectum, partim eſt morale, & partim ceremoniale. Morale quidem ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum rebus diuinis, &c. ſed quãtum in hoc præcepto determinatur ſpeciale tempus in ſignum creationis mundi, ſic eſt præceptum ceremoniale. Similiter & ceremoniale eſt, prout fuit ſignum quietis Chriſti in ſepulchro, quæ fuit ſeptima die: & ſimiliter prout ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo. Similiter prout figurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Vnde præceptum de ſanctificatione Sabbati, ponitur inter præ-
B cepta Decalogi, in quantum eſt præceptum morale, non in quantum ceremoniale. Voluit Deus vt cuſtodiretur vnus dies in memoriam, quod omnia creauerat in ſex die bus, & in ſeptimo quieuerit à nouis creaturis condendis: ſed quia Chriſtus veniens, fecit nouam creationem, qua ſcilicet homo cœleſtis effectus eſt, ſicut per primam, terrenus, iuxta illud Apoſtoli: *In Chriſto IESV, neq; Circunciſio aliquid valet, neque præputiũ, ſed noua creatura.* Et hæc noua creatura eſt per gratiam, quæ incœpit in Reſurrectione, iuxta illud ad Romanos ſexto Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis &c. ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et quia Re-
C ſurrectio facta eſt in Dominica, ideo celebramus illam diem, ſicut Iudæi Sabbatum. Obſeruantia diei Dominicæ in noua Lege, ſuccedit obſeruantiæ Sabbati, non ex vi præcepti Legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ & conſuetudine populi Chriſtiani. Hactenus Doctor Angelicus. Dies igitur Dominica ob ſeruanda nobis eſt præcepto, in vicem Sabbati Iudaici; quod ne Chriſtiani deinceps obſeruarent, ab Apoſtolis, & à Concilio Laodiceno ſub anathemate prohibitum reperitur, vnde Gregorius Pontifex à rerum mag nitudine, cognomento Magnus, prædicatores Antichriſti eos vocat, qui ſuo tempore,
D vel ex ſuperſtitione Iudaica, vel ritu Græco, Sabbatum perinde atque, diem Dominicum, colendum adſerebant. Antichriſtus ſiquidem Sabbato operari prohibebit, quia populum Chriſtianum Iudaizare compellet: Dominico item, quia eo die, ſe reſurrecturum mentietur. Sed de Sabbato Iudaico hactenus abundè: nunc de Mariano agendum.

## CAPVT II.

### *Sabbati Mariani prima Origo, & Inſtitutio.*

ABrogatum quidem eſt Sabbatum illud Iudaicum, quia vmbra erat futuor-

turorum : verum succesſit illi Marianum *Sabbatum* ſanè *delicatum, & ſanctum Dominæ glorioſum.* Cuiuſq; enim hebdomadis Sabbatum, S. Deiparæ ſacrum eſſe, vix eſt qui ignoret. Toto ſiquidem orbe Chriſtiano, peculiari ritu, & ſolemniori ceremonia, ea die eius Laudes, vel cantantur, vel leguntur, ac ſacrum Miſſæ Officium, *De Domina*, vt vocant: celebratur, & eiuſdem ſacræ Horæ, paſsim à pleriſque recitantur. Vnde & Miſſale Romanum, aliaque diuerſarum Diœceſum, & Ordinum Religioſorum ſacræ Conſtitutiones, idem faciendum præſcribunt. Sanè in Ordine noſtro Præmonſtratenſi (cuius illa non tantùm Patrona, ſed & Parens eſt) Sabbatum prænominatum ſolemniter admodum obſeruatur, ſitque tum Miſſę ſacrificiũ pretioſiori ſacrarum veſtium ornatu cantu grauiori, & organorum modulatione magis feſtiua: atque inſuper ordinario Virgineatũ veſperarum penſo, Reſponſorium, *Gaude MARIA*, cum Proſa, *Inuiolata*, ſuperadditur. Quod & Cathedralis Eccleſiæ Antuerpienſis Canonici cum reliquo Clero, ſingulis Sabbatis poſt perſolutum diei Officiũ, in Mariano Sacello decantant: ſicut & plurimæ aliæ Eccleſiæ idem hodieque ea die faciunt.

*Iſa. 58.*

In ordine etiã S. Dominici, & apud omnes qui ſacræ Roſarij Sodalitati ſunt inſcripti, Sabbatum hoc admodũ ſolemne eſt, in Hiſpania maximè; cuius incolæ idem in hac patria obſeruant. Vnde Alexander Epiſcopus Foroliuienſis, & Legatus Apoſtolicus à Latere in Germania, conceſsit omnibus, qui diebus Sabbatinis profeſtis ac feſtiuis, Cantico, *Salue Regina*, quando à PP. Prædicatoribus decantatur poſt Completorium, interfuerint, 40. dies indulgent. de iniunctis pœnitentijs. Confirmarunt eaſdem Leo X. & Paulus V. Rom. Pontifices, quorum poſtetior ad 200. dies eaſdem extendit tam pro ſecularibus, quã Religioſis. Refert etiã Vincentius Hẽsbergius in ſuo Viridario Mariano, plurimas dulcedine plenas Sequentias ſiue Proſas, quæ in ſuo ordine Dominicano ſingulis Sabbatis in honorem S. Deiparæ, ſub diuino Miſſæ ſacrificio ſolent decantari, quæ & ab antiquo, in Ordine noſtro decãtari conſueuerunt; quarum vna, quæ incipit, *Aue mundi ſpes MARIA, Aue mitis, Aue pia, Aue plena gratia*, delectatus noſter *Iacobus* Viconienſis, ſanctæ & immortalis memoriæ Nouitius, morti appropinquans, inſtar oloris decantare eam cœpit, & ſimul ad præoſtenſum ſibi in cœlo inter Virgines locum, virginẽ ſuam animã, in manus Reginæ Virginũ emiſit: corpus verò triennio poſt, incorruptum planè repertum fuit. Deſiderabat ſcilicet hic Cultor Marianus, hoc ſuaui Cãtico, Marianũ Sabbatũ ſemel adhuc in terris celebrare, quo æternum poſſet in cœlis obtinere. Apud Patres autem Societatis IESV, quanta hoc Sabbatum Marianum in veneratione ſit, teſtantur Sabbatinæ Laudes cum Marianis Litaniis, ſingulis Sabbatis muſico concẽtu & extraordinario ſacrorum apparatu, decantari conſuetæ in eorum dẽ Collegijs. Sed & plura tunc ſunt per omnes Eccleſias pietatis exercitia, & Mariani cultus argumenta, ſicut cuique ſatis obuium, quamuis non ita, quonam tempore ea dies Virgini Deiparæ ſit primum ab Eccleſia, conſecrata Hic enim, prout ſæpè alibi.

*Hiſtorici variant, & adhuc ſub Iudice lis eſt.* Hieronymus Rauennas l. 5. hiſtoriæ, & Arnoldus Vuionius l. 5. Ligni vitæ, tribuũt id Concilio Claromontano ſub Vrbano II. Pon. Max. pro recuperatione Terræ ſanctæ è Saracenorũ tyrannide, anno 1095. cõgregato: quã in opinionem etiam deſcẽdit Rutilius Epiſcopus in *Magnificat* l. 22. dub. 7. Mouentur veroſimiliter, quod in dicto Concilio mandatum fuerit omnibus Chriſtianis, vt ſingulis diebus Sabbatinis, Officium B. Virginis recitaretur, prout habet ſcriptus Codex Abbatiæ Dionyſianæ. Vrbanus namque Pontifex, vt res illa difficillima inchoanda, optatum poſſet conſequi effectum, Dei Genitricis precibus annitens, vt cœleſte Numẽ ſibi redderet propitium, quod probè ſciret experimento, quæque ardua progreſſura feliciter, quibus B. MARIÆ Virginis faueret gratia, & aſpiraret auxilium, de Patrum ſtatuit ſententia, vt Horariæ illæ Preces & Laudes, quæ vulgò *Officium Dei Genitricis* appellari conſueuerunt, à Clero potiſsimum, omnibuſque Chriſtianis, ſi non quotidie, ſaltem diebus Sabbatinis, dignè eidem Virgini perſoluerentur; vt nimirum ipſa apud Filium ageret, quo fidelis populus in tot ac tãtis diſcriminibus ſubeundis, eius præſidio muniretur. De quo etiam ſtatuto habetur mentio in vita S. Brunonis apud Surium 6. Octob. Quod quidem tunc à Claromontana Synodo indictum, & à Clericis piè ſuſceptum, ad laicos etiam tam viros, quàm fœminas, magno cum fœnore gratiarum fuit propagatum. Quamvis ad ſummum, pro laicis ſaltem, nõ fuerit niſi temporale præceptum; durante ſcilicet huius ſacræ militiæ expeditione, quæ nihilominus Conſtitutio, apud te nerioris adfectus Marianos Clientes, etiamnum hodie in vſu eſt. Verum non hic prima Mariani Sabbati inſtitutio, ſed tantummodo illius, quod iam in more erat, per adiectionem Mariani Officij omnibus iniuncti, amplior determinata ſolemnitas, ſeu publicata obſeruantia. Neque enim vel verbulo mentionem facit Synodus, de initio celebrandi Sabbati in honorem Deiparæ; quod iam in viridi obſeruantia,

*Binius tom. 3. Concilio.*

& quaſi

& quasi consueto more ita celebrari præsupponere videtur: quamuis facilè crediderim, nõ ita generaliter & promiscuè, vt benè post illa tempora. Altius itaque de hac origine nobis indagandum.

Qui de præstanti Cardinale & Episcopo Ostiensi Petro Damiano scribunt, ait Canisius (quem miror tã parum, aut pœnè nihil, in magno suo Mariali, de hoc Sabbatino festo scripsisse) ad Gregoriũ VII. Pont. Max. referunt ad institutum; quorum hunc anno 1073. Pontificatum inijsse: illum verò circa eadem tempora, scilicet anno 1068. floruisse, Annales Ecclesiastici testantur. De Claromontana autem Synodo iam ante citata, ait idem Canisius, quod vel legem tradiderit, vel confirmauerit, vt horariæ Preces, Virgini sacrosanctæ in Ecclesia recitarentur, vtque dies Sabbatinus, peculiariter eius cultui dedicaretur. Magnus verò ille Polyhistor, & Ecclesiasticarum rerum peritissimus Cardinalis Baronius, ad annum 1056. ita scribit: Quod insuper ad alios ritus spectat (loquitur de Petro Damiano) sacrorum Monachorum & Eremitarum institutione seruari cœptum est, quod nos iam videmus vbique in Ecclesia Occidentali receptum, nempe vt Feria secunda Animabus defunctorũ liberandis à pœnis, sacro sancto Missarum sacrificio, sit adscripta: Feria sexta pro memoria Dominicæ Passionis, eodem sacrificio, insuperque ieiunio, & verberum adflictione (disciplinam hodie vocamus) colenda esset: Sabbato verò in honorem sanctissimæ Dei Genitricis, celebrandum esset idem incruentum sacrificium Missæ. Hactenus Baronius; qui immediatè ante dixerat, eumdem Damianũ authorem fuisse, vt in suo Monasterio, Officium Dei Genitricis persolueretur: quo ex fonte, inquit, in totum Orbem Christianum Occidẽtalis Ecclesiæ, postea dimanauit, monente maximè Vrbano II. in Concilio Claromontano. Igitur iuxta Baronium, ante Vrbanum II. & Gregorium VII. Sabbatũ fuit Deiparæ consecratum, nempe circa annum 1056. eiusdemque festi Authores, Monachos habemus sub institutione Damiani agentes.

Verùm quamuis vbique prontè gressibus in Baronij sententiam lubens descendam: ægrè tamen vt hìc faciam, possum adduci, saltem quoad primam Mariani huius Sabbati institutionem, antiquius enim multò mihi id apparet. In vita siquidem S. Gerardi Canadiensis apud Hungaros Episcopi reperio, eũ singulis Sabbatis in honorem S. Deiparæ (cuius eximius, si quis alius, fuit amator) ante eiusdem Aram, Officium Marianum cum nouem Lectionibus, vt in die Assumptionis eius fieri consueuerat, magnis laudum præconijs recitare fuisse solitum. Floruit autem hic sanctus Episcopus, temporibus D. Stephani Hungarorum Regis, cui summmo semper fuit in honore; & diem suum vltimũ martyrio consecrauit anno 1047. primus eius regni Martyr, & Hungarorum Apostolus nuncupatus. Breuiario autem Ordinis Cluniacensis (qui, teste eodem Baronio, ante annum 912. incepit, nam hoc ipso, eius primum Abbatem, & Fundatorem, Bernonem obiisse scribit) Rubrica hæc inserta legitur: *Statutum est vt ab octaua Purificationis B. MARIÆ vsque ad quartam feriam Cinerum; & ab octaua Paschæ vsque ad Rogationes, & ab octaua Pentecostes, vsque ad Aduentum Domini, nisi festiuitas duodecim vel trium Lectionum, seu Euangelium proprium, vel octaua occurrerint, celebretur in Sabbato festum duodecim Lectionum de intemerata & perpetua Virgine MARIA, singulari spe nostra post Dominum IESVM, quatenus eius meritis & intercessionibus, ab omnibus mereamur aduersitatibus liberari, & gaudia supernæ Ierusalem adipisci.* Quam constitutionem sub initium Ordinis à sanctis illis primis Abbatibus, *Bernone, Odone, Maiolo, Odilone & Hugone*, Deiparæ addictissimis, eiusque Cultoribus eximiis, editam & continuatam suspicor, qui eamdẽ Virginem in peculiarem Patronam nouelli sui Ordinis, contra obtrectatores, quos plurimos patiebantur; eo quod à Benedictinis tum degenerantibus, sese sequestrarent, delegerunt. Sanè à S. Odilone (quem Fulbertus nominat, *Archangelum*; Baronius, *ingentis nominis Abbatem, & illius sæculi astrum lucidissimum*) primitus institutum fuit, vt die secundo Nouem. Omnium in Domino quiescentium memoria ageretur in suo Monasterio: quem ritum postea, vt testatur Romanum Martyrologium 1. Ianuarij, vniuersalis Ecclesia ab eodem mutuata recepit. Qui Odilo in tantum B. Virgini Matri fuit addictus, vt quotiescumque *MARIÆ* nomen audiret proferri, profundè sese inclinaret; & in Choro cum alijs constitutus, quoties versiculos ille cantabatur. *Tu ad liberandum susceptur us hominem, non horruisti Virginis vterum*, in terram se prosterneret: corpore videlicet ostendendo, quantum mente in eamdem Virginem æstuaret. *Odo* verò pei Virginis Deiparæ merita, sterilibus parentibus diuinitus datus, eam impensissimè semper, sicut & *Maiolus* ac *Hugo*, honorauit, non aliter eam adsuetus compellare, quã, *Matrẽ misericordiæ*. Hæc & his similia esto non plànè conuincant, multũ tamen, ac magna cũ probabilitate suadere videtur, Marianũ Sabbatũ, dudum ante Monachus Petri Damiani, apud hosce Cluniacenses in vsu fuisse: imo ab his ad illos, & in vniuersam Ecclesiam dimanasse. Qua in opinione non parum confirmor ex eo quod Petrus Damiani, A-

*Canisius l. 5. c. 29.*

*Ibidem.*

*Baro. an. 1047. & 912.*

*Vide D. Bernard. epist. ad Guiliel. Abb. Cluniacens.*

*Surius 1. Ianuarij.*

*Vide Surium in vitis.*

*Surius 24. Septemb.*

*Bar. an. 1048.*

postolica functus in Gallia Legatione, nobile Monasterium Cluniacense visitauerit, ibi demq; breuiatoris multiplicium rerum ab alijs collectarum, functus sit munere, vt ipse testatur; quas & ad proprium Monasterium reduxit. Vrbanus autem II. quem huius instituti, vt sup. vidimus, multi authorem faciunt, ex Monacho Cluniacensi, sicut & Gregor. VII (ad cuius tempora alij referunt) Romanus Pontifex est electus: qui sacros ritus in Ordine suo obseruari solitos facilius in Ecclesiam propagarunt; & vt verisimile est, hanc Mariani Sabbati venerationem, Pontificia sua authoritate confirmarunt. Sanè Gregorium VII. Mariano cultui propagando mirifice studuisse, vel ex eo potest probari, quòd Mathildi, filiæ Beatricis Ducissę Tusciæ, feminę integerrimæ, & de Romana Ecclesia optimè meritæ, deuotionem Virginis Deiparæ hisce verbis commendauerit: *De Matre verò Domini, cui te principaliter commisi, & committo, & numquam cõmittere, quousque illam videamus, vt cupimus, omittam, quid tibi dicam? Quam cœlum & terra laudare, licet vt meretur, nequeant; tamen non cessant. Hoc tamen pro culdubio teneas, quia quanto altior & melior & sanctior est omni matre, tantò clementior & dulcior circa conuersos peccatores & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccãdi, & prostrata coram illa, ex corde contrito & humiliato, lacrymae effunde. Inuenies illam, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.* Ita Gregorius ad Mathildem Ducissam.

Anne igitur Monachi Cluniacenses, primi Mariani Sabbati institutores? Certè non ausim adfirmare, cum existimem dudum ante illorum tempora in vsu fuisse alibi eius obseruantiam. Consueverunt quidem antiqui Christiani in ipsis Ecclesiæ incunabulis, singula per Sabbata ieiunare, vt testantur Tertullianus, Innocentius primus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus & alij, quos videre est apud Baronium in Annalibus ad annum 57. & Bellerminum de bonis operibus in particulari: verum quod id fecerint in honorem Deiparæ, non ita apud eos inuenio, sed benè, in memoriam sepulti Saluatoris, qui die Sabbati iacuit in sepulchro: tum etiam vt imitarentur Apostolos, aliosque Discipulos Domini, qui cum ipsa Deipara & reliquis mulieribus, non solum feria sexta, sed etiam Sabbato, ob occisum Christum, in mœrore & adflictione fuerunt. Qua forte an occasione, paulatim primi fideles, in memoriam Mariani doloris, Sabbatum ad eius simul honorem colere cœperunt: quod succedentibus deinde temporibus, nunc hìc, nunc illìc, priuatim receptum & obseruatum fuit, maximè ipsa Virgine de Cœlo, diuersis in locis, vti postea dicemus, ad hoc fideles excitante. Quamuis lubens hìc fatear, quod Baronius & alij Ecclesiastici Scriptores de pluribus festis Marianis, ac nominatim de festo Natiuitatis Virgineæ fatentur; nec constare liquido adhuc hactenus quando & à quibus, Sabbati nostri prima sit facta institutio. Per antiquum valde illud facit Guillielmus Durandus in Rationali diuinorum Officiorum l. 4. c. 1. Is enim agens de Missis, quæ peculiariter olim ex instituto Alcuini seu, Albini Flacci, Caroli Magni Imp. magistri, rogatu tamen Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, singulis cuiusque hebdomadæ diebus erant adsignatæ, ait Feria 5. missam dici de Angelis, feria 6. de S. Cruce, Sabbato autem de B. Virgine. Claruit autem Alcuinus circa annum Domini 770. Sed nec hìc, veluti ad primigenium eius fontem, est nobis consistendum. Si fidem demus Pelbarto, antiquo & pio ex Ordine Seraphico Scriptori, inueniemus iam ab anno 657. Sabbatum nostrum Marianum in Hispanijs religiosè obseruatũ fuisse. Ille enim l. 1. p. 4. c. 2. ita scribit: *Legitur præcipuè in lib. qui intitulatur Scala Cœli, & etiam in miraculis B. Virginis, quòd S. Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus, cum fecisset librum contra Heluidium hæreticum ad honorem B. Virginis, atque nouem Lectiones in quolibet Sabbato dicendas pro Officio composuisset: dum in quodam Sabbato audiuisset sonare in Ecclesia mirabilẽ harmoniam, credidit quòd Canonici ipso absente, Matutinas dicerent. Surgens ergo subito cum suis, & perueniẽtes ad Ecclesiam, viderunt mirabilem claritatem, & Choros Angelorum ipsum Officium B. Virginis editum ab Hildephonso, cantantes; ac B. Virginem sedentem in Cathedra Archiepiscopali, quam omnes cum iubilo Angeli laudabant. Et finitis Matutinis, MARIA Hildephonsum vocauit, & regratiatur eidem de Officio edito & Libro: ac Casullam ei de Cœlo allatam dedit, in qua celebraret ad honorem ipsius Virginis.* Hactenus ille. Cui de veste Sacerdotali, ob defensam perpetuam Deiparæ Virginitatem, Hildephonso cœlitus per eamdem data, Cæsar Historiæ Ecclesiasticæ Baronius, alijque melioris notæ Historici adstipulantur: verum de Officio hoc Sabbatino mentionem non faciunt, neque inter Opera eius hactenus illud reperio. Sciendum tamen, teste eodem Baronio, Bellarmino, aliisq; plurima eũ tã prosa, quã versu scripsisse de B. Virgine Opuscula, quæ iniuria temporũ, & grassationibus Saracenorũ perierunt. Videtur nonnihil Pelbarto fauere S. Iulianus in eadem Toletana Ecclesia olim Diaconus, non Episcopus, vt malè nonnulli existimarunt, duos Iulianos in vnum

*Baron in Martyr. 8. Septeb.*

*Author libri, Scala Cœli, fuit Ioannes Ægidius siue Ioan. Minor ex Ord. Prædicat.*

*Baron. in Annalib. cica ann. 667. & Bellarm. de script. Eccles.*

vnum confundentes, qui præfatione in librũ Hildefonsi de laude S. Dei Genitricis, ita habet: *Tomo 7. bibliothecæ Patrũ.* *Superueniente vero die Assumptionis sanctæ & semper Virginis MARIÆ, ante 3. dies, tribus diebꝰ Litanias peregit, & Missã quæ in illius Laude decãtaretur, perfecit, quæ est septima.* An hæc Missa, dicta *septima*, quod septimo quoq; die, id est, Sabbato, fuerit decantanda? Hæreo, & in tam obscuris tenebris circũspicio ad facem clariorem. *Tit. 16. c. 1. Geneb. l. 4 Chro. apud Locrium l. 6 c. 3. Mariæ Augustæ.* Antoninus & Genebrardus, volunt Vrbanũ II. Sabbatinum officium composuisse. Quibus tamen hac in re, cum alijs non vlterius adsentior, quàm quod in Concilio Claromontano, Sabbato legendum, id iniunxerit, in nouum forsitan & meliorem ordinem redactũ. A quo etiam tempore, magis ac magis, hoc Sabbatum Marianum, toto Orbe innotuit, ac propagatum vbiq; fuit. Nam ex S. Bernardo liquidissimè habemus, eius tempore per totam Ecclesiam celebratum fuisse, dum hæc inter alia scribit: *Bern. l. de Passione Dom. c. 2.* *Aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam eiusdem Virginis, diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consueuit.* Vbi benè notandum verbum posterius, *consueuit*; cui conformiter loquitur Author vitæ S. P. nostri *Norberti*, dum ait c. 13. hunc Virum sanctum, Sabbato Missam de S. MARIA celebrasse, prout illo die fieri *Vide Surium 6. Iunij.* *solet*. Qui modi loquendi significare videntur, non fuisse tunc planè recentem Ritum illum celebrandi Sabbatum in honorem Deiparæ: nam S. Bernardus, eique coætaneus P. N. *Norbertus*, paulò vltra viginti annos post Concilium Claromontanum floruerunt, sicut & author vitæ Norbertinæ, qui se S. *Norberto* Synchronum fuisse testatur.

Quonam igitur tempore institutum hoc Sabbatum? Vis, ô lector, vt in re obscura sententiam meam clarè proferam? Dico, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, & Apostolorum temporibus: qua in opinione, à caussa principali, ob quam illud institutum existimo, confirmor; estque ea dolor ille acerbissimus, & verum Martyrium, quibus adflicta fuit S. Deipara, in tristi illo Sabbato sepulti sui Filij. De quo latiùs in Capitibus hoc subsequentibus. Et sicuti sacri illi Ritus & obseruantiæ Ecclesiasticæ, quos vniuersa tenet Ecclesia, quãdo de prima illorum origine non liquet, communiter ex sententia D. Augustini & doctrina Theologorum, ad Apostolorum tempora solent referri, & ipsi eorum authores haberi: ita etiam de hoc sacro Ritu hebdomadarij Sabbati sentiendum arbitror. Opinionem interim hanc meam, Romanæ Ecclesiæ, aliorumque melius opinantium iudicio lubens submitto.

(::)

A

## CAPVT III.

*De causis ob quas Marianum Sabbatum primitus institutum.*

NOn minus hìc mihi, quàm in superiori fonte, hæret aqua. Atq; vt fundamentalem rationem proferam, non modicè laboro. D. Bernardus, quem in fimbria præcedentis Capitis retuli, citato loco ita habet: *MARIA quæ sola benedicta est in mulieribus, sola per istud triste Sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola: propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam eiusdem Virginis, diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consueuit. Verè & singulariter benedictus paimes, qui à sua vite nullo modo potuit timore præcidi. Abscissi sunt viri, qui dicunt: Nos autem sperabamus quod ipse redẽpturus esset Israel. Abscissæ sunt mulieres, quæ quamuis piè præueniunt, mortuo humanitatis officium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant. Et fortasse propterea (quod tamen non adferendo dico, ne videar nouas adsertiones introducere) illa Mater quæ plꝰ habuit pietatis, cum alijs ad vngendum non venit corpus Christi sepultum, quia frustra putabat eum vngi, quem resurrecturum sciebat.* Hæc Bernardus, cui per omnia suffragatur hac in re Guil. Duran. l. 4. Rat. diui. Off. c. 1. & in eo quod adserit fidem in sola virgine permansisse, præter Durandum adsentiuntur Alexander Alensis, Turrecremata, & Caietanus. Expressissimè autem omniũ S. Ant. p. 4. t. 15. ca. 24. §. 3. hisce verbis: Præter officium paruum B. Virginis, quod est in præcepto singulis diebus quoad obligatos, addidit quoq; Ecclesia omnibus Sabbatis, cũ vacant, eam in Missis, vel Officio toto honorare solemniter, & cũ sequẽtijs: vt sicut honoratur Dominus Filius in Dominicali Officio ob suam Resurrectionem; ita & ipsa honoretur Domina Mater in Sabbato, quia illa die, mortuo Filio, & fide extincta de eius diuinitate in omnibus Discipulis & alijs, sola cognitio diuinitatis illa die in MARIA requieuit. Ita ille. Verum, pace tantorum Doctorũ dixerim, nullo modo probabile esse, ex aliorum sentẽtia cõmuniore & magis recepta, in sola Virgine tũc fidẽ mansisse, & omnes Apostolos eã amisisse: nisi fortè ã de fide explicita Resurrectionis intelligantur. Ex quo tamẽ nõ sequitur, vt inquit Card. Bell. in alijs fuisse errorẽ vel infidelitatẽ, quia nõ tenebãtur credere explicitè Resurrectionẽ, nisi post legitimã eius promulgationẽ, & probationẽ, & præsertim illi, qui aberãt à Ierusalẽ, & nihil de Christo audierãt. Et sanè periculosũ videtur dicere, aiti dẽ, in sola Virgine mansisse verã fidẽ: tũ

*Alens. p. 3. q. vltt. 2. Turrecremat. lib. 1. de Eccel. ca. 30. Caiet. l. 6. ratio. diuin. officior.*

*Lib. 3. de Eccles. militat. ca. 17.*

quia Ecclesia perijsset; non enim vna persona est Ecclesia, cum sit populus & Regnum Dei: tum etiam, quia tunc illi qui aberant à Ierusalem, & vsque ad illud tempus habuerant veram fidem, mox illam amisissent sine sua culpa. Sic Bellarminus. Item Maria Magdalena toto illo triduo flagrabat summa charitate, vt patet Ioan. 19. & 20. at sine fide non potest esse charitas, adeoque non amiserat illa fidem in Christum, quam antea habuerat. Scio quidem nonnullos pro priori opinione adducere argumentum ex cerimonijs Ecclesiasticis desumptum, nimirũ quod id significet candela illa, quæ sola accensa conseruatur in Ecclesia triduo ante Pascha in officio nocturno, quod *obscuras Matutinas* nominant. Verum Abbas Tuitiensis Rupertus pro leuissimo illud æstimat, qui dicit vltimam candelam suo tempore (scripsit autem hæc, circa annum 1111.) consueuisse etiam extingui: quod & in Ordine nostro hodieque fit, vbi vltimus cereus sub altari absconditur. Et addit idem Rupertus cap. 28. illis tribus noctibus post omnia lumina extincta, iterum postea ex lapide nouum ignem accendi solitum (apud nos, absconsus cereus denuò producitur.) Et quidẽ per omnia lumina quæ paulatim extinguebantur, significari Prophetas, quos diuersis sæculis Iudæi occiderunr, & occidentes illos, sibi ipsis tenebras mentis faciebant. Per vltimam verò significari Christum, quem cum occiderunt, sibi ipsis tenebras densissimas pepererunt. Per nouum autem lumen quod singulis noctibus ex lapide excutiebatur, significari nouum lumen Christianorum, quod ex lapide Christo, à Iudæis percusso, in mentibus nostris ortum est. Et sanè, quoad significationem occisorum Prophetarum, videtur Ordo noster consentire, cum non duodecim tantum, sed vigiti quatuor ponat cereos. Et cereus sub lapide altaris absconsus, & inde postea eductus, quem signat nisi Christum? Quod si tamen aliqui neglecta consuetudine antiquæ Ecclesiæ, vim faciant in eo vsu qui nunc est, vltimam candelam non extinguendi, responderi potest cum Abulensi, per illam quidem candelam denotari B. Virginem, in qua sola, vt piè creditur, fuit in illo triduo fides explicita Resurrectionis; verumtamen ad eam non fuisse alios pro eo tempore, ante legitimam promulgationem, obligatos. Ad Apostolos enim quod attinet, non leguntur illi reprehensi, nisi de fide Resurrectionis, quam amittere non potuerunt, cum eam non habuerint, nisi postquam Dominus resurrexit. Et si enim antea sæpius illis Christus prædicauerit se resurrecturum, tamen ipsi putabant eum loqui figuratè, neque eum intelligebant, neque credebant. Siquidem Lucæ 18. cum dixisset illis: *Occident eum, & tertia die resurget*, subiungit Euangelista: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Et Ioann. 20. legimus Petrum & Ioannem, audito, à Magdalena sublatum esse corpus Domini de monumento, mox cucurrisse ad monumentum, & visis linteaminibus & sudario, credidisse nimirum Christi corpus ab aliquo sublatum. Nam, vt inquit Ioannes, *Nondum sciebant scripturas, quia oportet eum à mortuis resurgere*, id est, ideo credebant sublatum, quia nesciebant eum debere resurgere. Præterea Lucæ 22. dictum est Petro: *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Quomodo igitur credibile est, eadem nocte fidem Petri defecisse, ita vt non saltem in corde eius remanserit? Nam quod in ore non permanserit, certum & notum est ex sciptura. Idem dicito de reliquis. Durandus antea citatus, & ibidem loco allegato, quasdam alias adfert huius instituti Mariani Sabbati rationes: dicitque ex eo initium sumpsisse, quod olim in quadã Ecclesia Constantinopolitana (quam M.S. nostrum Tungerloense de miraculis D. Virginis, vocat * *Lucernam*) fuerit imago Deiparæ, coram qua reuerentiæ causa, velum dependebat, quod totam Imaginem obtegebat. Sed hoc velum in feria sexta post Vesperas recedebat ab Imagine, nullo mouente, quasi in cœlum deferretur, ita vt ad plenum illa posset ab omnibus inspici. Celebratis verò vesperis in Sabbato, descendebat iterum velum ante dictam Imaginem, ibidemque manebat vsque ad feriam sextam insequentem. Et hoc singulis septimanis infalibiliter iterabatur. Hoc viso miraculo, inquit Durandus, sancitum est, vt semper feria 7. siue Sabbato de B. Virgine cantaretur. Quonam autem tempore id contigerit, neque apud eũ, neque apud alios hactenus reperio. Deinde, dies Sabbati inquit idem, ianua est & introitus ad diẽ Dominicũ. Dies autẽ Dominicus, dies, requiei est, & significat vitam æternam: vnde cum in gratia sumus Diminæ nostræ, sumus quasi in ianua paradisi. Et quia ipsa nobis porta est ad regnũ cęlorũ, quod per Dominicũ diẽ figuratur, ideo aptissime de ea sacrã memoriã agimus in Sabbato, quod est ianua ad diẽ Dominicũ. Et decebat quã maximè, vt solẽnitas Matris, solẽnitati Filij copularetur, qui die Dominico victor gloriosus ab inferis resurrexit.

Ioannes Carthagena Hispanus homiliastes, variæ lectionis & doctrinæ scriptor, l. 18. homil. 10. caussam huius instituti refert in illud, quod experientia ipsa sit compertum, B. Virginem beneficia multa eo die Sabbati contulisse, & miranda plurima patrasse, & adfert vnicum solummodo, de velo iam dicto. Inter mysticas autem, inquit, ratio-

*De diui. offic. cap. 26.*

*An forte, In Blachernis? aut Blacherna?*

rationes, prò ipsum locum tenet illa, quod quemadmodum Genes. 2. Sex diebus mundum creauerit, compleuitque die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat, benedixitque diei septimo: ita etiam idem perfectissimam & absolutam condidit Virginem; ac proinde si puras creaturas spectemus, cùm nihil sit ea præstantius, dici potest Deum in ea compleuisse, seu perfecisse opus suum, in eaque absque vlla contradictione perfectissimè requieuisse, tum in vtero ex quo carnem suscepit, & in quo nouem mensibus resedit; tum etiam in anima, in qua per gratiam copiosissimam, perpetuam suam mansionem fecit. Cui etiam instar Sabbati multis modis benedixit, adeo vt ipsa sit benedicta super omnes mulieres, sicuti Sabbatum super dies vniuersos. In opere verò Redemptionis, Christus Dominus (vt verbis vtar D. Bernardi serm. 1. de Paschate) in pat bulo feria 6. redemit hominem, ipsa die qua fecerat hominem in initio. Sequenti die Sabbatizauit in monumento, consummato opere quod fecerat. Tertia verò die quæ prima dierum est, primitiæ dormientium, apparuit mortis victor, novus homo. Sic Bernardus. At Christus longè præstantiùs, in nostræ Redemptionis opere, virgineo in vtero tam quam in sepulcro animato Sabbatizauit, & quieuit, vt ipsa Virgo testatur, dicens: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccl. 24. Virginis autem vterum, cum sepulcro Christi, non paruam similitudinem habere, contestantur D. Ambrosius serm. 2. de Paraseue, D. August. l. 4. de Trinit. c. 5. & S. Hieron. l. 1. contra Iouinianum. Et meritò quidem, nam imprimis sepulcrum erat in horto, amœnissimus autem hortus fuit B. Virgo, cœlesti sponso sanctarum cogitationum folia, odoriferos verborum flores, ac sacrorum operum fructus germinans. Si sepulcrũ illud fuit ex petra excisum: sanè Isaias c. 16. B. Virginem, Petram nominauit: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti. Petra* quidem propter inuictã eius fortitudinem: *Deserti* verò, propter virgineam vteri sacratissimi, ab omni viri consortio solitudinem. Si sepulcrum illud nouum, in quo nondum quispiam positus fuerat, audi D. Augustinum hanc nouitate Beatissimæ Virgini applicantem: *Octauo Kalendas Aprilis Dominus conceptus creditur, quo & passus; ita in monumento nouo, quo sepultus est, vbi nullus mortuorũ positus, nec antea, nec postea, congruit vtero Virginis, quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium.* Apud Carthag. sup. Sed & aliam nouitatem in B. Virgine reperio, quod videlicet ex veteri Adamo, nihil vetustatis originalis maculæ, aut fomitis contraxerit. Si sepulcrum illud sigillo signatum; quis ignorat B. Virginem fontem esse signatum sigillo illibatæ virginitatis? Fuit illud custodibus munitum? At Virgineus vterus, præter Ioseph sui adstantem custodiam, etiam habuit Angelorum excubias, qui domini sui Matrem, veluti fortissimi milites, tamquam veri Salomonis thronum obibant. Fuit illud loco Dominicæ Crucifixionis vicinum? B. Virgo Filium suum etiam adhuc vtero gestans, futuræ mortis illius conscia, eamdem crebrò secum ruminabat. In illo linteamina erant, quibus vestigia passionis impressa? In corde Mariano, veluti in prototypo, omnes Filij eius cruciatus, perfectissimè fuit intueri. Si illud propter odoremaromatum, suauissimam fragrantiam exhalàrit; Dei Genitrix, *virgula fumi est ex aromatibus myrræ & thuris, & vniuersi pulueris pigmẽtarij.* Sepulcrum illud, teste Propheta, & etiam num hodierna experientia, fuit glorioſum: at B. Virgo, nonne, *Gloriosa Domina excelsa supra sidera?* Sabbatizauit igitur Christus in sepulcro hoc Mariano, & ideo diem Sabbati Deiparæ consecratum existimatidem Carthagena, qui & alibi hæc sequentia: solemnitates Festorum institutæ sunt in gratiarum actionem probenedictio quopiam accepto. Non solùm autem Deo dicantur Festa, sed & Sanctis propter Deitatis participationem, quæ in illis reperitur. Hinc ergo est, quòd cùm B. Virgo participatione Deitatis, longo interuallo, reliquos Sanctos antecellat, excelentior etiã Religionis cultus ei debeatur. Et ideo Ecclesia Catholica quasi tributum dierum illi persoluens, singularum hebdomadum singulos dies Sabbati ei sanctificat, commutans festum gratiarum actionis propter beneficiũ creati mũdi, in gratiarum actionem propter beneficium creatæ Dei Genitricis, quæ fuit nouus mundus abbreuiatus, sed excellentior & capacior mundo hoc elementari. Siquidem, quem cœli cœlorum capere non potuerunt, illa suo vtero concluſit, prout de eadem canit Ecclesia: *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

Vltima tandem è misticis ea sit ratio, quia B. Virgo Sabbatum illud delicatum est, de quo Isaias: *Vocaberis Sabbatum delicatum, & sanctum Dominæ glorioſum.* Isa. 58. Et verè Sabbatum *delicatum*, quia. Delicię *humani generis Virgo, orbis* Amores

Sed de misterijs hactenus satis: nunc ad rem proprius, & magis propriè.

## CAPVT IV.

### *Fundamentalis ratio instituti Sabbati, ex mente Authoris*

IN fine Capitis 2. verbulo hanc rationem insinuaui; sed nonnullo cum scrupulo tamen, quia nouæ opinionis, nouum me Authorem verebar futurũ. Verum absoluto

hoc opusculo, nescio quo bono fato, incidi in Carthagenam vltimo editum (ante numquam à mele&tum) & in Opera Alphonsi Salmeronis, qui me plurimum in præconcepta opinione, confirmarunt, & scrupulum omnem de pulmone imitus evulserunt. Sentio itaq; & promodico meo censeo, quod quèadmodum certi quidam, ac fiati dies, in quibus aut Apostoli, aut Martyres pro Christo mortem vsque decertarunt, celebres, ac glorioli existunt, atque meritò quotannis commemorantur: ita multò præclarius statutum, vt sanctissima Deipara diem sibi aliquè peculiarẽ, & hebdomadariè vsurparet, in quo cum laude, & glorià, eius memoria recoleretur; & tantò iustitius, quantò ipsa inter Sanctos est sanctissima, inter Martyres plusquam Martyr, inter Apostolos, Apostolorum columna & Magistra: inter Virgines prima & summa, imò Virginum Virgo Primiceria. Vt ergò Dominus Iesus Feriam sextam, in bebdomada sancta, seu pœnosa, vel etiam magna, ob magna in ea peracta mysteria, ob memoriam suæ Crucis, ac mortis præsentandam selegit, quam & hebdomadariè recolendam voluit: ita etiam diem Sabbati propriam esse voluit, ac dicrtam Matris suæ martyrio. Dico, *Martyrio*: puia secundum gravissimorum Ecclesiæ Patrum doctrinam, in Passione Vnigeniti sui, verè Martyr fuit, & vt ijdem aiunt, plusquam Martyr; vnde ab Ecclesia, *Regina Martyrũ*, salutatur. Audite non mea, sed istorum Heroum heroica de nostra Heroina, testimonia. *Verè tuam*, inquit Abbas Clarevalensis, *ò beata Mater, animam gladius pertransivit, quando crudelis lancea, Filio iam mortuo latus aperuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua planè auelli nequibat, vt plus quàm Martyrem te non immeritò prædicemus, in qua sensum corporeæ passionis, excessit adfectus compassionis.* Et D. Hieronymus, vel vt alij dicunt, Sophronius, serm. de Assumptione: *Quia spiritualitor & caro eius passa est gladio Passionis Christi, plusquàm Martyr fuit.* Divus etiam Hildephõsus serm. 2. de Assumptione: *Ait enim. Simeon, vel Dominus ad eam: Et tuam ipsius animã pertransibit gladius. Quod si gladius vsque ad animam peruenit, quãdo ad Crucẽ stetit, fugientibus Apostolis, eam videret Dominum pendentem, etiam plusquam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quã mœroris est intus gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non deesset manus percussoris.* Sanè gladius ille acutissimus, dolor scilicet Dominicæ Passionis, animam piæ Matris penetrans, atque transverberans, eam spiritualiter commori Filio suo fecit: & pro Matre, Martyrem ei reddit Martyres alij fuere moriendo pro Christo: hæc commoriendo & bis Mater, & Martyr fuit, imo Christi Commartyr, Martyr non ferro carnificis, sed dolore cordis. Illi tum corporale matris spirituale; & proinde præstantius martyrium fuit. Plus est esse commartyrem Christi, quam Martyrem Christi. Martyres suo, hoc est hominis sanguine: MARIA Christi, hoc est Dei sanguine, intus rubebat. Alij Sancti patsi sunt pro Christo in carne: sed beata Virgo in ea parte sui passa est, quæ immortalis habetur; & ideo, vt verùm fatear, inquit Hieronimus vel Sophronius, quia spiritualiter, ideò atrocius passa est gladio Passionis, adeoque plusquàm Martyr fuit. *O dolores inexplicabiles! O ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur Matri: Mater verò compassa est patienti Filio. Tantus nempe impetus Passionis Domini fuit, vt quasi torrens, ipsum impleret patiẽtem; quia teste Psalmista: De torrente Passionis in via bibet, vt sic Christo impleto, in Matrẽ flueret cõpatientẽ, qua similiter impleta, ad Filiũ redundaret inundatio amaritudinis & mœroris.* Beatissima siquidem Deipara & eius Filius, erant quasi duo specula sibi inuicem opposita, in quorum quolibet splendebat alterum: nam omnia vulnera quæ Christi corpus vexabant, vulnerabant eius animam. Acetum illam potabat, & vinum felle mistum. Corona spinea, animum eius pungebat tantumdem, ac Christi caput. Flagella super vtrumque congregata fuerunt & in properia exprobantium. Crux & clani Filij, fuerunt etiam Matris. Quid enim? Erant duæ mysticæ citharæ, quarum vna sonante, resonat altera nullo etiam pulsante. IESV dolente, dolet & MARIA, Christo tristante, tristatur & Deipara. Filio crucifixo, crucifigitur & Mater. Vnde subtiliter D. Damascenus: *Doloris partus quos effugit pariens, illos tempore Passionis sustinuit ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens: & quem Deum per natiuitatem agnouit; illum vt maleficum interfectum videns, tanquam gladio, cogitationib⁹ discerpitur. Et hoc est: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, quemadmodũ illi prædixerat Dei expectator Simeon, Dominum gestans in vlnis.* Quid igitur vetet, quò minus horum Patrum insistens sanæ doctrinæ, cum Propheta Ieremia exclamem: *Cui comparabo te, & consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.* Profectò tam magna, vt nisi miraculosè Deus impediuisset, eius magnitudine animam exhalasset. Sicut igitur dies illi, quibus SS. Martyres pro Christo mortem obpetierunt, singulis annis in eorum honorem Religiosè coluntur, & veluti eorum Natalitia

*D. Bern. sem. 1.*

*Vide Guiliel. Parierss. in capit. 3. Cant.*

*Ijdẽ sup.*

*D. Bern. hom. sup. Evangel.*

*De fide Orthod. cap. 15.*

*Thren. 2.*

litia anniuerſaria ſolemnitate celebrantur: ita quoque, quia B. Virgo die Sabbati, quo Chriſti corpus in ſepulchro iacuit exanime, tam acerbi doloris gladio, ſimul, & ob præcedentis diei, vtriuſque Martyrium, fuit transfixa: aptè in honorem Mariani huius martyrij, Sabbatum ei hebdomadarium Eccleſia vniuerſalis conſecrauit, & veluti ſacrum eius Natale celebrat, ſicuti ob martyrium Saluatoris noſtri Chriſti, Feriam ſextam hebdomadatim ei conſecrauit. Et quidem prioris obſeruantia, pedetentim, vel vt cum Philoſophis loquar, vniformiter diffor miter, temporis progreſſu in diuerſis locis, nunc hìc, nunc illic, inualuit.

Confirmor in hac mea ſententia: quòd primos Fideles (Occidentales maximè) die Sabbatino ieiunare olim ſolitos inueniam, ob memoriam etiam Paſsionis, ſeu Mortis Dominicæ, cui Paſsio, & Mors Mariana (quantum ex vi doloris) coniuncta fuit. Ita namque D. Auguſt. epiſt. 86. *Alij malunt propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romani, & nonnulli Occidentalis Eccleſiæ. Nam populi Orientis, propter requiem ſignificandam, qua caro Chriſti in monumento requieuit, malunt in Sabbato ieiunium relaxare.* Et Breuiarium Romanum in vita Innocentij I. *Probauit etiam vt Sabbato ob memoriam Chriſti Domini ſepulturæ, ieiunium ſeruaretur.* Vnde idem Innocentius epiſt. ad Decentium, & habetur *de conſecrat. diſt. 3. cap. 3. Sabb.* adfirmat Fideles ieiunare ſolitos in die Sabbati, ob memoriam mœroris, quod Apoſtoli propter necem Chriſti, non ſolum feria 6. ſed & Sabbato confecti fuerunt. Inter quos omnes, prima fuit, & dolore confecta maximo, ſanctiſsima Chriſti Mater, & Dei Genitrix *MARIA*: ideoque Mater noſtra Eccleſia ſtuduit ei dare *Coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris*, ſecundùm illud Propheticum: *In tribulatione dilataſti mihi*; vt vbi abundauerit triſtitia, abundet pariter, & lætitia, ac gloriæ, honoris, atque exultationis copia, iuxta illud iterum eiuſdem: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

*Iſai 61.* *Pſalm. 4* *Pſal. 93.*

Sciendum nihilominus, Lector, quamuis acerbitas martyrij Mariani, acerbitatem aliorum Martyrum longè exceſſerit, nullatenus tamen admittendum, eam aut præ dolore animio ſpaſmum paſſam fuiſſe, vel in terram corruiſſe, vllo tempore Paſsionis Filij ſui, prout docet verior grauiſſimorum Theologorum opinio, quos tu apud Carthagenam vide, & ſimul rationes plurimas pro eadem opinione adlegatas, qui, & teſtatur, Romæ ſe præſente, mandato Magiſtri ſacri Palatij Apoſtolici picturas eſſe expunctas, & amotas, in quibus B. Virgo, ob Paſsionē, & mortem Filij ſui, præ doloris amaritudine in terram exanimis collapſa exhibebatur. Et Barthol. Medina part. 3. quæſt. 27. art. 4. teſtatur Cōcionatores oppoſitum huius, populo proponentes, iuſſu ſacræ Inquiſitionis ad palinodiam in Hiſpanijs cogi, vtpote derogantes magnanimitati, & fortitudini Marianæ.

*Carthag. l. 12. homil. 7.*

Quod autem antiqui tùs Eccleſia *S. MARIÆ de Spaſmo*, eo loco erecta fuerit, quo B. Virgo, Filio ſuo Crucem baiulanti occurrens, in terram exanimis corruiſſe dicitur, vt habent veteres Terræ Sanctæ deſcriptores; atque in nonnullis Eccleſijs celebrari conſueuerit feſtum *B. MARIÆ de Spaſmo* cum ſua Octaua, à Dominica in Paſsione, vſque ad Dominicam Palmarum, vt refert Caietanus tract. 13 de Spaſmo Virginis, reſpondeo cum Carthagena, ibi nomine Spaſmi, intelligi ſtuporem quendàm, & admirationem cum ſummo dolore coniunctam, quam B. Virgo ſuſtinuit ex viſione illius horrendi ſpectaculi, cum vidit dulcē ſuum Natum grauiſsimis tormentis adflictum, & toto corpore vulneratum, Crucis patibulum geſtare, & ſub eodem pondere aliquoties in terram proſterni, Feſtum verò ante dictum. Commemoratio ſolummodò fuit doloris acerbiſsimi, & compaſsionis Marianæ ob mortem Filij ſui; quam Commemorationem iam hebdomadario noſtro Sabbato Eccleſia obſeruat vniuerſa.

Dixi ante, acerbitatem Martyrij Mariani longè aliorum excedere Martyrum acerbitates, id nunc doceo tribus verbis, & Caput hoc ſimul concludo. Quantò inſtrumentum mortis eſt horribiliùs, tantò mors ipſa terribilior, vnde, qui igne cremantur, acerbius patiuntur, quàm qui aqua ſuffocantur: & qui varijs ſagittis confoditur, acerbiorem ſuſtinet mortem, quàm qui ſolo ſtrangulatur laqueo. Accedant ergo omnia inſtrumenta quibus martyres ſunt excarnificati, reuocate in memoriam lapides Stephani, ſagittas Sebaſtiani, enſem iugulantem Paulum, gladium excoriantem Bartholomæum, ardentem craticulam Laurentium aſſantem, leones Ignatium deuorantes, pectines tenerrimas Virgunculas dilaniantes, & alia his atrociora, omnia collata cum inſtrumento Paſsionis Marianæ inferiora erunt eodem; nam inſtrumentum Martyrij eius fuit ipſa Paſsio Chriſti, aut vt melius, fuit ipſemet Chriſtus in expertis doloribus in Cruce adflictus, qui fuit inſtar gladij intima cordis, & viſcerum Deiparæ ſæuiſsima laniena diſcerpens. Atque hinc eſt, quòd veluti ad imagines aliorum Martyrum inſtrumenta Paſsionis eorundem ſolent adpingi, vt craticula Laurentio, lapides Stephano, enſis Paulo, ſagittæ Sebaſtiano tita ad demonſtranda tormenta, quæ paſſa

fuit

fuit Deipara, nihil aliud ei adpingitur, quàm Filius eius, vel in Cruce, & subtus eam ipsa, pectus gladio doloris transverberata: vel è Cruce depositus, & toto corpore saucius in materno gremio veluti sepulchro collocatus. Martyr itaque fuit excellentiùs, quàm omnes alij, B. Virgo; ideoque S. Ephrem vocat eam, *Martyrum honorem, ac decus*: & martyrij huius memoria quolibet Sabbato hebdomadatim celebratur. Nam Christus Dominus verè, ac propriè Martyr fuit, cùm propter veritatem morum, & doctrinæ violenter interfectus sit, vt docet D. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 5. B. autem Virgo, tum propter summam cum Christo coniunctionem, tum quia simul cum filio constanter perseuerabat in suæ fidei, & amoris testimonio, simul cum ipso patiebatur, & vt inquit S. Patriarcha Venetus Laurent. Iustinianus, *cor eius clarissimum Passionis Christi speculum, & perfecta mortis imago effectum est*. Ergo simul cum Christo martyr effecta, vt argumentatur Suarez. Nam licet, inquit, Christi interfectores directè non intenderint illam propter Christum adfligere: tamen re ipsa persequendo Christum, ipsam simul persequebantur, & Christum occidendo, quantum in ipsis erat, eam interficiebãt. Qui modus persecutionis, & passionis sufficiens est ad martyrium, vt in Innocentibus constat, qui verè fuerunt, & ab Ecclesia colunter Martyres, quamuis persecutores non intenderent eos occidere propter Christum, sed hunc solùm interficere. Ergo ex hac parte sufficienter B. Virgo passa est propter fidem, & propter Christum. Aliũde verò sustinuit dolorem sufficientem ad inferendam mortem corporis, nisi peculiari Dei auxilio fuisset suffulta, quod satis est ad aureolam Martyrij comparandam. Verè igitur Sanctissima Deipara triplici aureola in cœlis coronata refulget, quia *Virgo Virginum*, quia *Doctrix, & Magistra Doctorum*, vt loquuntur SS. Patres, & quia *Regina Martyrum*, vt in suis Litanijs ei vniuersa concinit Ecclesia.

*Ephren. orat. ad Virg.*

*Libr. de triumphali Christi agone c. 21.*

*Suarez to. 2. in 3. p. q. 37. art. 4 disput. 21. sect. 4.*

## CAPVT V.

*Cœlestibus indicijs frequenter ostensum, D. Virginem, diem Sabbatinum peculiariter sibi delegisse, aliisque obseruandum præmonstrasse.*

NON paucas Festiuitates habet Ecclesia, quarum institutionem de Cœlo accepit. Inter Marianas, præter eam quæ *Ad Niues* dicitur, & omnibus innotuit, cum primis est festiuitas Immaculatæ Conceptionis eius, & simul Natiuitatis. De priori, præter Petrum Equilinum Præsulem, etiam Baronius, Bozius, Vvionius, alijque scribunt, D. Nicolaum B. Anselmo Cantuariensi Episcopo (Baronius tamen in notis ad Martyrolog. 8. Decemb. sustinet legendum esse *Eisino*, aliàs *Elpino*, Abbati Angelicano) in mari periclitanti apparuisse, dixisseque: Si saluus in patriam redire vellet, sibi coram Deo promittat, quòd festum Conceptionis Deiparæ, annis singulis celebraret, & celebrandum quibuscumque poterit, persuaderet. Cui, cum ille de die festi, & officio interrogasset, respondit, quòd 6. Idus Decemb. festum illud celebrandum esset, quo die B. Virgo concepta fuerat, & quod idem officium quo Ecclesia vtitur in eius Natiuitate, in hoc festo dicendum esset, mutato solùm nomine *Natiuitatis*, in *Conceptionis*. Anselmus verò epistola ad Coanglicanos Episcopos, scribit temporibus Caroli Francorum Regis, fuisse fratrem Regis Hungariæ, qui quotidie antequam comederet (nota, & hinc antiquitatem officij Mariani) solitus erat recitare Officium D. Virginis. Cùm autem infirmitate grauatus, vouisset eidem Virgini, si eum curaret, castitatem in eius honorem se seruaturum; vidit statim cubiculum luce repletum, & curatum se inuenit. Mortuo tandem Rege Hungariæ sine alio hærede, inductus est hìc à Regni proceribus ad matrimonium ne Regnum denuò successore careret. Cumque ad Ecclesiam vnà cum sibi desponsa pro nuptiarum benedictione duceretur, recordatus est se illo die Officium D. Virginis non persoluisse. Confestim ergo ad illud se accingit; cumque Antiphonam illam diceret: *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima*, ecce splendida Virgo ante altare apparuit, duobus Angelis comitata, quæ mox ad sponsum; si pulchra sum, & decora, vt dicis, cur me dimittens, aliam sponsam accepisti? Cui ille: ò Domina, quid me tubes facere? Et Virgo: Si sponsam carnalem meo amore dimitis, me in sponsam cœlesti in Regno habebis; & si festum *Conceptionis* meæ celebraueris annuatim, mecum in Regno Vnigeniti mei, laureatus eris. His auditis, adolescens clàm fugiens ab vrbe, & Regno, venit Aquileiam, & super rupem, vitam duxit eremiticam. Tandem veridica fama sanctitatis prodeunte, electus est in Patriarcham Aquileiensem, & mox publicè prædicauit, ac instituit festum *Conceptionis* immaculatæ deuotè celebrandum. Ista ex Anselmo, & Authore Pomerij lib. 12. cap. 60. atque Carthagena in Tomis Marianis.

*Petr. de Nat. in Catalogo SS. libr. 1. cap. 42.*

*Baron. in not. Martyrolog. 8. Decemb. Bozius lib. 5. c. 8. Vvion. lib. 5. ligni vitæ c. 103.*

De Festo autem Natiuitatis Marianæ narrat supra citatus Petrus Equilinus, sanctum virum contemplationi sedulò vacantem, singulis annis 6. Idus Septemb. iucundissimos Angelorum concentos audire consueuisse.

*Lib. 8. c. 51.*

*tal. SS. cap. 51.*

Cui

Cui instanter à Domino precibus contendenti, quorsum eo solo, non etiam alijs anni diebus, talis harmonia auribus suis insonaret; reuelatum tandem ei fuit, id fieri, quia tali die MARIA Virgo nata esset, ac deinde iussum scribit, vt re Summo Pontifici denuntiata, militans Ecclesia, in iubilatione triumphanti responderet. Quod & exinde seruatum fuit.

Simili modo Beatissima Virgo, & cœlestes Angeli Virginis administri, de Cœlo fideles docuerunt, Sabbatum cuiusque hebdomadis, Mariano cultui esse consecrandũ: & vt nos in terris tanta cum exultatione idem celebraremus, quanta Angeli, & Sancti omnes, illud in cœlis, monuerunt. Ne verò figmenta videar obtrudere, accipite historias veritate vndequaque plenas, à probatissimis authoribus conscriptas.

* *Locrius lib. 4. Mariæ Aug. c. 25. ex historia miracul. Montis Serrati, an. 1600. Francia Regi nuncupata. Marineꝰ Siculus lib. 5. de rebus Hispan. & alij.*

Anno quasi 890. inquit * Locrius, Godefrido Peloio rerum Barchinonẽsium potiente, opiliones aliquot, vt fit, *Montis Serrati* iugum cum gregibus fortè pererrantes, ecce inclinante Sabbati die, ingentia lumina è cœlo in antrum cominus hians collabentia, stupidi conspiciunt; moxque Angelicos concentus inde efflatos, auribus percipiunt. Quid faciant? Rem deferunt ad parentes, ad amicos, ad ignotos. Explorandi cuique libido; concurritur, & ipse Caucasus omnium ætatum, sexuum, Ordinum agminibus inhorrescit. Cumque iam dies Sabbatinus recurrisset, seque in Oceanum Phœbus præcipitem dedisset, ecce iterum inardescens æther faculas agminatim in specum eiaculatur, nihilque remissiùs sacrorum Geniorum Legio faciens.

*Obloquitur septem numeris discrimina vocum.*
*Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.*

Stupor inde singulos acriter ferit; neque diutius Barchinonẽsem Antistitem res latet, qui subitaria simul cupidine correptus, scandit rupem, spectaculum, & ipse exploraturus. Die & hora solitis, iteratur prodigium, Stupes tu quoque Pontifex, & rectè, inque antrum (muneris id erat tui) etiam venis. Quid porrò inuenis? Statuam Deiparæ, quã turba mortalium negligente, Angelicum famulitium honoraret. Non pateris, non differs: spemque metumque inter dubius, eam venerabundus excipiens, spelunca effers, & præeuntibus vexillis, tædis, Cruce, reliquijs, Clero multa prece, & cantu per aera strepero, templo tuo Cathedrali paras, & progrederis. Quousque tandem? Donec ad istum, vbi hodieque est, locum, pedem ponis. Tunc stare, nec posse dimoueri magis.

*Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.*

Nouum prodigium, cuius non alius interpres, quàm ipse Antistes. Statuam sacram ibi ponit, ac celeberrimam basilicam componit. Quæ quanta deinceps ea fuerit, *Montis huius Serrati* historia, nuper Gallorum Regi inscripta (in qua octoginta duo supra trecenta, ad Diuæ huius implorationem, patrata prodigia referuntur) non obscuro indice declarat. Hactenus ista Locrius. Quis autem dubitet ab illo tempore, diem Sabbatinum in memoriam, & honorem Virginis, ab incolis illis fuisse obseruatum, quem tam illustribus signis. Cœlum ipsum, obseruandum monuerat? Adeo vt vel etiam hinc, Sabbatum Marianum, dudum ante tempora Petri Damiani, in obseruantia fuisse, non obscurè comprobetur. Viso miraculo de velo supra memorato ante Imaginem Constantinopolitanam, singulis Sabbatis diuinitus amoto, sancitum fuit, vt supra retulit Durandus, quatenus Sabbatis deinde singulis, de B. Virgine MARIA, cantaretur sactum Missæ officium; sentiebant enim Ciues ad illud se diuinitùs commoneri, & non idem suspicabimur, imò adseremus in re eadem, euidentioribus adhuc documentis comprobata, Barchinonẽses feciſſe? Sanè quisquis hìc de eo dubitat, ne ille magnus Dubitantius.

*Supra cap. 3.*

Sed ecce tibi aliam ab ijsdem cœlestibus administris, cœlo etiam descendentem, Mariani Sabbati commendationem, *Roncaualli*, celebre est Canonicorum Regularium D. Augustini in finibus Nauarræ Cœnobiũ, celebrisque illius *Martini Nauarri* sacrum nuper domicilium. In hoc, teste eodem Nauarro, singulis Sabbatis ad fontem certum, ab Angelis olim decantari solebat nota Antiphona, *Salue Regina*: quem fontem exinde in hunc vsque diem, inquit, *Fontem Angelorum* appellant: quam vt alij aiunt (verba sunt eiusdem) S. Bernardus ab ijsdem audiuit decantari, vocaturque *Cantio Nautica*, quòd nimirum nautæ tẽpestate iactati, eam soleant decantare, vel recitare. Ecquid quæso, & quorsum concentus ille Angelicus? Inuitatorium erat, & excitamentum, statodie Sabbati, eam in honorem eius esse decantandam, quæ per prędictum Canticum ab Ecclesia salutatur. Solet namque Deus, aliquando per seipsum, aliquando per spiritus suos administratorios Angelos, subinde etiam per irrationabiles creaturas nos ad quædam his similia, quæ nouiter à nobis exigit, vel fieri desiderat, excitare. Ita peculiariter legimus in Annalibus Ordinis nostri, Monasterij Virginum, vulgò, *Vallis Liliorum*, extruendi occasionem dedisse cantum auium octodecim, quæ eo loco, vbi Monasterium postea fuit constructum in agro Mechlinienſi, septies quotidiè cantillantes, à Sacerdote quodam, & Paræco Humbecano visæ, auditæque sunt. Quod quidem augurium sic ipse, alij-

*Nauarr. de Orat. cap. 19. n. 183.*

que

que interpretati sunt, vt Deus septenas sibi horas Canonicas, sibi quotidie ab octodecim sororibus Religiosis decantari velle videretur. Quem numerum cùm aliquando excessissent, bis teruè obseruatũ fuit, Priorissam & Præpositum, quorum consensu id factum fuisset, intra anni spatium ex hac vita euocatos esse.

*Vide Miræum in Chron. Præmõst.*

Sed ad Virginem nostram reuertor, quam video hoc suum Sabbatum, veluti obicem, seu terminum diuinæ vindictæ statuere; eique illud opponere ac hoc pacto, ad idem celebrandum nos quasi beneficijs adlicere. Ita enim lego in Compendio priuilegiorum sacri Scapularis Carmelitarum: *Bulla Sabbatina.* Ioannes XXII. Romanus, scilicet, Pontifex, palam fecit reuelationem sibi factam à Deipara, quæ suis apud Filium precibus, desideratum animabus Purgatorij priuilegium conquisiuit, ne videlicet cruciatibus vltra *Sabbatum* detineantur, qui nimirum Fraternitati dicti Scapularis fuerint adscripti. Cuius rei amplam fidem facit hisce verbis: *Istam ego sanctam indulgentiam, accepto robore in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Christus concessit in Cœlis.* Hãc improbarunt Alexãder V. Gregorius XIII. & XIV. Sixtus V. & Clemens VIII. Eidem subscripsit Clemens VII. Bulla edita anno 1528. in qua hæc sequentia: *Die quo à seculo huiusmodi, Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei Genitrix MARIA, Sabbato sequenti post illorum Confratrum, seu Religiosorum, ac sororum obitus, visitando, à pœnis Purgatorij, huiusmodi eorum animas liberabit.* At verò, qui hoc præmio ducuntur, feria 4. ac Sabbato, etiam à Christi Natiuitate vsque ad Deiparæ Purificationem carnium abstinentiam obseruent; nisi hanc legitimum impedimentum compenset, vt superius, inquit, dictum est. Compensatio autem istius abstinentiæ propter tale impedimentum, est vt septies *Pater* & *Aue*, illius loco substituas. Ista in præcitato Compendio. Qua propter fauori huic Mariano impetrando, S. Ludouicus Galliarum Nonus, & S. Eduardus Primus Angliæ Reges, alijque innumerabiles omni sanctimonia, & dignitate conspicui, Confraternitati sacri Scapularis sese adnumerari procurarunt. Vt autem de veritate huiusmodi Indulgentiarum, è cœlo descendentium magis confirmeris, vide quæ nuper scripsi hac de re in Apotheca nostra spirituali cap. 54. Concludo hoc Caput, & dico:

*Septima quæque dies quod sit sacrata MARIÆ,*
*Cœlitus ostendit pluribus illa notis.*

## CAPVT VI.

### *Fons Sabbaticus Diuæ Virgini appropriatus.*

SImon Maiolus, Episcopus Vulturarien sis, Libr. 5. , oquem *Dies Caniculares* intitulat, hoc est, Colloquia physica noua, & admiranda, & Libertus Fromondus Philosophiæ Louanien sis Professor, l. 5. Meteorologicorum cap. 4. diuersa genera mirabilium fontium recensent. Quidam enim media nocte feruent, die medio frigent. Alij è contra, meridie feruent, frigent nocte. Quidam licet frigidi, flammas nihilominus euomunt. In Dodone fontem Iouis habes gelidum, qui cum faces immersas extinguat, extinctas tamen accendit si statim admoueantur. Nam spiritus sulphurei quos exhalat, in facem recens extinctam, & adhuc fumantem incidentes, flammari facilè valent, & rursum facem animare. Sunt & alij, qui æstate, media largissimè fluunt; hyeme verò exaresc unt. Inuenies qui soli homini sunt potabiles; reliquis animantibus noxij, & lætales. Xantum amnem irrufare, Cratim, & Cesiphum fontes candorem, Penium nigritiam pecori facere, adfirmant multi. Sic etiam fons vnus in Bœotia memoriam, alter obliuionem, violato cerebri temperamento, adducit. In Cilicia alius est, qui sensum bibentibus acuat, in Cea insula, qui hebetet. Clitorius fons in Arcadia, vini creat fastidium, teste Ouidio:

*Cliiorio quicumque sitim de fonte leuauit.* *Ouid. 15. Metamor*
*Vina fugit, gaudetque meris abstemius vndis,*

Lynceστus autem in Macedonia, temulentos facit, quôd mireris. Testem produco eumdem Poetam ex eodem loco, qui supra:

*Hinc fluit effectu dispar Lynceστius amnis,*
*Quem quicumque parum moderato gurgite traxit,*
*Non aliter titubat, quam si mera vina bibisset.*

In Bonicca insula, non procul ab Hispaniola noui Orbis, fons è vertice montis satis salit qui senes ad iuuentutem reuocet, etsi canitiẽ non aboleat nec rugas impleat. Cuius rei, inquit, Cardanus, præter perseuerãtem famam locuples testis Petrus Martyr Angerius Mediolanen sis, Regis Hispaniarum olim à secretis, in suis Orbis nuper inuenti nouis decadibus. Cyzici etiam fons quidam Cupidinis appellatur, à quo amantes (ò salutarem Meridionalibus, & omni genti amasiæ fontem!) frigerari, & amorem ponere, credidit Mutianus, & eo scribit Plinius lib. 31. ca. 2. Et quidni etiam credamus, inquit Fromondus. Certè frigore, aut aliter consumendo geni-

*Cardan. lib. 2. subtilit.*

genituras ait, id fortaſſe potuit. Et ſi Solino fidem habeamus, ſunt apud Gelonium ſtagnum fontes duo, quorum alter potatus à muliere ſterili, fœcundam eam faciet: alter verò hauſtus à fœcunda, ſterilis fiet. Et Leandro, eſt teſte in agro Volaterrano fons alius, cuius hauſtu, mulieres lacte deſtitutæ, vberrimum illud recipiunt. Sunt quoque, qi iniecta, in lapides mutent. Talis vis Anieni Italiæ fluuio, in quo, cadauer à latrone demerſum, & radicibus arboris implicitum, lapideum repertum ferunt. Item nuces, & amygdala in eum decidua, lapideſcere, vulgò notum eſt, appellarique, à propinquo Tibure, *Bellaria Tiburtina*. Sed & Albertus Magnus ætate ſua prope Lubecam extractum, è mari ramum, cum intexto nido pulliſque purpurei coloris ſcribit, quæ omnia in lapidem dirigerant.

*Solin. c. 10.*

Alia præter propter innumera hìc congeri poſſent, admiratione digna, quæ tu apud præcitatos Authores vide. Ego ad Sabbaticum noſtrum fontem deſcendo, non minùs admirabilem, in Palæſtina notum, & ſic dictum, quòd diebus ſolummodo Sabbatinis flueret: alijs verò alueo ſicco, non apparens de quo hiſce verbis mentionem facit Ioſephus, dum agit de Veſpaſiano Imperat. qui illum vidit, & admiratus eſt. *Conſpicit in itinere fluuium cognitione digniſsimum*, inquit. *Is fluit medius inter Arcas, & Raphaneas Agrippæ Regni ciuitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cùm ſit, quando fluit, plurimus, neque meatu ſegnis: tamen interpoſitis ſex diebus, à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum. Deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur. Atq; hunc ordinem ſemper eum ſeruare, pro certo compertum eſt. Vnde etiam Sabbaticus appellatus eſt; à ſacro Iudæorum ſeptimo die ſic denominatus.* Hæc Ioſephus. Ex quo erroris arguitur Plinius, qui de eodem agens, ſemper fluere, ſed Sabbatis omnibus ſiccari teſtatur. Quis autem vetet, niſi vecors aliquis Anti-Marianus, huic fonti Sabbatico, Deiparam comparare? Illa ſanè, ſponſo ſuo in Canticis adteſtante (& ſermo huius veritas eſt) *Fons hortorum, ac puteus aquarum viuentium*, quæ ardorem carnis refrigerant, & fomitem ardentis libidinis extinguunt, cognominatur. *Fons eſt aquæ ſalientis in vitam æternam, quam quicumque biberit, non ſitiet in æternum.* Illa *Fons eſt aſcendens è terra, & irrigans vniuerſam ſuperficiem eius. Fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Fons eſt, *cuius aquæ non deficiunt*, id eſt, cuius miſericordiæ fluenta nunquam exſiccantur: præfigurata per fontem illum, Romæ trans Tiberim è taberna meritoria, to-

*Ioſeph. de bello Iud. lib. 7. cap 24.*

*Plin. lib. 31. hiſt. natur. c. 2.*

*Cant. 4.*

*Ioan. 4.*

*Geneſ. 2.*

*Zach. 13*

A to die oleum largiſsimè profluentem. Qui locus, inquit Baron. meruit nobiliſsima memoria illuſtrari; Eccleſia nimirum ampliſsima Dei Genitricis titulo, à Caliſto Pontifice, prima omnium, quarum extet memoria, olim erecta. Illa fons eſt iſte *paruus, qui creuit in fluuium, & in lucem ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit*, qui repræſentauit Eſtherem noſtram, quam Rex accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?*

*Tomo 1. Annal.*

*Eſther. 10*

*Cant. 6.*

*Fons eſt illimis nitidis argẽteus vndis.*
*Splendidus* nimirum *vt chryſtallum;*
B *Qui, quodcumque rigat, creſcens dat millia fruſtum.*

*Apoc. 12.*

*De quo fonte*, vt ait S. Hieron. *Ille fluuius manat, iuxta Ioel, qui irrigat torrentem, vel funium, vel ſpinarum. Funium peccatorum, quibus ante alligabamur: Spinarum, quæ ſuffocant ſementem Patris familias. Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Ipſa eſt fluuius pacis, quem promiſit Dominus Iſai 62. dum ait: *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium.* Peperit enim Chriſtum, qui eſt *Princeps pacis*, & *expectatio gentium*.

*In apolog. ad Pammachium. Ioel 3. Iſai. 62.*

C *Fons eſt totus ſalutaris.* *
*Cuius aquas ſi guſtaris,*
*Viues in perpetuum.*
*Fons eſt tandem* Sabbatinus,
*Cuius fluit ſemper finus,*
*Magis ſed per* Sabbatum.

* *Vnde bene S. Damaſ. orat. 2. de dor. Virg. vocat eam, fontẽ per ennem curationũ.*

Quamuis enim Beatiſsima Virgo, ſingulis diebus illam inuocantibus, propitiam ſe exhibeat, die tamen Sabbati, quia ſpecialiter ei ſacratus eſt, copioſioribus gratiarum imbribus. Filiorum ſuorum corda irrigat, & vberiùs beneficiorum ſuorum fontem, in Clientes ſuos, pleno alueo exundat.

*Haud aliter quàm cum perrupto limite Nilus*
D *Irrigat Ægypti dudum ſitientia prata.*

Neque hoc cuiquam paradoxum videri debet. Scimus enim omnes, Sanctos in Cœlis diebus ſibi feſtiuis plus impetrare apud Deũ, & maiorem, vt ita dicam, audientiam dare ſuis Clientibus, quàm reliquis diebus communibus. *Vnde mos obtinuit Eccleſiaſticus*, inquit Ven. & S. Beda, *vt dies Beatorum Martyrum ſiue Confeſſorum Chriſti, quibus de ſeculo tranſierunt, Natales vocitemus; eorumque ſolemnia, non funebria luctuoſa, ſed Natalitia dicantur. Nam ſicuti conſuetæ naſci dicitur cum quis de vtero matris procedens, hanc in lucem egreditur*: ita *etiã rectiſsimè poteſt natus appellari, qui ſolutus*

*Beda homil. Dominicæ 3. poſt Paſcha.*

*tus*

*sus à vinculis carnis, ad lucem sublimatur æternam.* In Natalitijs autem Principum, Regum, vel Imperatorum, maiores fiunt gratiæ, ampliora dantur beneficia, plura distribuuntur munera, & facilius obtinetur, quòd petitur, aut rogatur. Ideoque tot fuere viri pientissimi, qui diebus sancto suo Tutelari sacris, aut ei quem in sacrum Patronum delegerant, festiuis, mori desiderauerunt. Probè icientes, illorum meritis (quorum tunc à Deo maior habetur ratio, & quâ ratione solent plus in illis diebus, pro suis Clientibus impetrare) se amplius suffragium, & subsidium abundantius obtenturos. Ita B. Cassius Narniensis Episcopus, exultabat vberius à Domino sibi concessum, Natalitio Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli mori; quo die annis singulis, eos veneraturus, Romam venire consueuerat, prout habet Roman. Martyrol. 29. Iunij. S. Odo etiam Cluniacensis Abbas gaudebat summopere se in Octaua S. Martini, ad Dominum ex hoc mundo decedere, quia illum apud hunc confidebat se inuenturum Patronum, quem tota vita, impensissimè semper coluerat, vt videre est in eius vita apud Sarium 18. Nouemb. S. autem Bernardinus, teste eodem Surio 20. Maij, concionando ita gloriabatur: *Ego Bernardinus B. Virgini me totum ab ineunte ætate deuoui. In eius Natalitijs ferijs natus, baptizatus sum. Illo ipso recurrente die, monasticum habitum completis annis legitimæ ætatis induit: ac me anno post, solemni D. Francisci instituti professione deuinxi. In issdem nascentis Virginis ferijs, immaculati Agni hostiam, ad altare incruenti sacrificij primitijs immolaui. Multis igitur nominibus sedulũ Virginis me oportet esse Cultorẽ.* Ita Belgicus noster Sapiens, & Litteraturæ melioris Princeps Iustus Lipsius, gaudebat se eo tẽpore anni, è vita discedere, quo memoria effusi pro nobis à Saluatore sanguinis, in Ecclesia solemniùs recolebatur. Obijt namque in hebdomada sancta anno 1606. Ita Martinus Nauarrus optauit, quàm sæpissimè, vt sibi in festo Deiparæ sacro, concederetur diẽ claudere extremum. Ita etiam Ludouicus XI. Galliarum Rex ardentissimi in Deiparam affectus (quem præter alia, abundè satis testatus est, dum ad eam oratione Angelica salutandam, meridiano tempore campanam pulsari instituit) mortiam vicinus, speranit se non, nisi ipsa Sabbati, feria Beatissimæ Virgini sacra, vitam cum morte mutaturum. Quam eius spem, haud vanam fuisse, probauit euentus. Augusti enim penultima, Sabbati tunc die, ex hac vita migrauit anno 1483. Ita Illustrissimus, ac pientissimus Alexander Cardinalis Vrsinus, Christo IESV eiusque Passioni, æquè, ac Deiparæ Virgini impensè admodum deuotus (vtpote in cuius

*Nauarr. de Orat. cap. 19.*

*Genebr. in Chron. an. 1472.*

*F Philip. Comin. cap. 136. sui Chrõ.*

A perunigilijs, acriter, & ad sanguinem vsque, seipsum solitus erat flagellare, vt Matri simul, & Filio, se, suamque vitam suo sanguine offerret, & consecraret) nuper anno 1626. festo Adsumptionis Virgineæ (quod tunc in Sabbatum incidit) ægrotare cœpit: atque in Octaua eiusdẽ, æque Sabbato, pretiosa morte, pijssimè animam suam in sinum Matris suæ spiritualis, emisit. De quo plura, imitatione, & commendatione digna, vide apud Cornel. à Lapide comment. in epist. 1. S. Ioannis cap. 5. Quod & Illustriss. Cardinali Baronio, magnæ, & piæ memoriæ viro, à B. Virgine concessum fuit. Obijt namque anno B Christiano 1607. pridie Kalendas Iulij, quæ dies festo S. Pauli, & *B. MARIÆ in Sabbato*, sacra extitit; quorũ se patrocinijs, iam totum antea deuouerat, oblatam in mortis agone sibi Sanctissimæ Deiparæ Imaginem, summa cum animi pietate prius exosculatus. Didicerat namque Baronius à Matre sua, quòd cum adhuc eius vtero contineretur, & illa ad Beatissimæ MARIÆ templum voti causa appropinquasset, se pariter quasi Virgini semet vltrò offerre voluisset, inusitato quodam motu, ad instar pœnè D. Ioannis Baptistæ, intra materna viscera, commotum fuisse, ac veluti præ gaudio prosilijsse. Vnde & permota mater, simul atque filium in lucem edidit, eumdem Beatissimæ Virginis pa C trocinio obtulit, & commendauit: meruitque, vt cum exacto biennio, infantulus grauissimo morbo correptus, de vita periclitaretur, ipsa eidem filio suo, ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis ad *Vallis* radicem, mille passibus à Sora, natali solo, distantem, deducto, post triduanas preces, pœnè mortuo, in cunabulis iacenti, sanitatem de repente impetrauerit; voce ad eam, ex improuiso delapsa: *Bono animo lætoque sis: filius tuus nequaquam morietur.* Cuius beneficij à Virgine accepti, præter alia plurima, ipse haud immemor, neque ingratus singulari eam semper obseruantia coluit: quòd in Annalibus suis D frequentissimè ostẽdit, & in schedulis, libris, tabulis, imaginibus, huiusmodi arbitraria nota ⁋ sexcenties designauit. Cuius inscriptæ litteræ hunc sensum reddunt: *Cæsar seruus MARIÆ.*

*Vide Henric. Spondan. in vita Baronij Epitome Annal. præfixa, editione 2.*

Quamuis autem Sabbatum non sit Virgini Natalis dies; est tamen eius festum, non minus ei sacrum, quàm alijs Sanctis sua Natalitia: in quo eius Martyrium, vt supra dixi (quod, æquè Sabbato, ac Feria 6. præ maximo dolore, ob mortem Filij, passa est) ab Ecclesia recolitur: ideoque quodammodo, vt de alijs Martyribus, Natale eius dici potest. In passione siquidem Vnigeniti Filij sui, quantum ex vi doloris fuit, mortem obijsset, nisi præpotenti Dei manu, miraculosè fuisset ei vita conseruata, vt communiter SS. Pa-

tres

tres, & Scholaſtici. Vnde exiſtimo, & verè auſim dicere, nullo die totius hebdomadæ, imò omnibus ſimul diebus totius hebdomadæ, tot *Libellos ſupplices*, vulgò *Requeſtes*, miſerorum mortalium in Curia cœleſti, ab hac noſtra *Referendaria*, ſummo Regi præſentari, atque ab eadem ceu *Cancellaria* eius, ſubſignari, & vt loquuntur, expediri, atque in die Sabbati. Tunc enim magis quàm aliàs, ſupplicationes â nobis acceptas, Filio ſuo re-
*Lucæ 1.* præſentat, dicens illi iſtud Euangelicum: *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum.* Illo autem rogante. Quodnam eſt hoc Verbum? Non aliud, illa reſpondet, quàm quod mihi Curiam cœleſtem ingredienti ipſe dixiſti: *Pete*
*3. Reg. 2.* *Mater mea à me quod vis. Neque enim fas* B *eſt, vt auertam faciem tuam.* Quo audito, Chriſtus Dominus continuò per hanc ſuam *Cancellariam*, ſupplicationes ſignari mandat per cõſuetum illud, *Fiat.* Et ſic ſignatas, peccatoribus confeſtim eas ipſa reſtituit, ad eorum miſeriam ſubleuandam; quia illa verè eſt mulier de qua dicitur: *Manus ſuas ape-*
*Prou. vlt* *ruit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Gerit namque B. Virgo in cœleſti Curia, munus *Cancellariæ.* In Cancellaria ſiquidem Romani Pontificis, tria genera litterarum moris eſt expedire. Quædam ſimplicis ſunt *Iuſtitiæ*, aliæ, puræ *Gratiæ*, tertiæ verò, *Mixtæ*, quæ partim Gratiæ, partim Iuſtitiæ. Non abſimiliter in Curia Summi Pon C tificis Chriſti, ſpiritualem quandam *Cancellariam* imaginor, in qua ſimiles litteræ expediuntur. Ad Michaelem ſiquidem Archangelum ſpectat litteras puræ *Iuſtitiæ* expedire. Cui ſignificando, conſueuit eum cum ſtatera in manu, Eccleſia depingere, qua merita, & demerita animarum ponderare indicatur, iuxta illud Salomonis: *Pondus, & ſtatera,*
*Prou. 16.* *iudicia Domini ſunt.* Ad B. autem Petrum Apoſtolorum Principem, & Cœli Ianitorem, pertinet litteras Mixtas *Iuſtitiæ*, & *Gratiæ* expedire. Adultis enim, qui diuina gratia adiuuante, per opera propria ſaluantur, claue *Iuſtitiæ* Regnum Cœlorum aperit; quia cum Apoſtolo Paulo dicere poſſunt:
*2. Tim. 4* *Repoſita eſt mihi coronæ Iuſtitiæ.* Et iterum: *Ei autem qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm*
*Roman. 4* *debitum.* Alijs verò, qui operibus carent, vt infantes, & ſemper amentes, claue *Gratiæ*, Paradiſi portas aperit. At Beatiſsima Virgo, quæ ſupræmæ *Cancellariæ* munus gerit, litteras puræ *Gratiæ*, & *Miſericordiæ* expedit, quia *Mater Gratiæ*, & *Miſericordiæ*, teſte Eccleſia, eſſe perhibetur. Huiuſmodi namque litteras obtinere, cùm alioquin, nec iure Iuſtitiæ, aut fidelitatis, eſſent à Deo debitæ, ſed ex purâ liberalitate, pura munificentia, ac mera ſummi Largitoris gratia omninò dependeant; magnam Sanctiſsimæ Virgi-

A nis potentiam commendat, & quàm multum apud ſupremum Regem, eius interceſsio valeat, apertè commonſtrat. Vnde ſi de Cæſare olim Poeta Mantuanus, *Virgil.*

*Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet:*
Potiori iure nobis dicere licebit:
*Diuiſum Imperium cum Patre, Mater habet.*

Etenim Iuſtitia, & Miſericordia roboratur Regnum Dei, Dauide adteſtante: *Quia po-* *Pſal. 61.*
*teſtas Dei eſt, & tibi Domine Miſericordia.* Ex his autem Deus reſeruans ſibi Iuſtitiam, Miſericordia Matri reſignauit, quã conſtituit *Dominam domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſsionis ſuæ;* ampliùs multò B quàm Aſſuerus Reginam ſuam Eſtherem, *Eſther. 5.*
cui dixit: *Etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* Quam eius ſummam poteſtatem, ſciuerunt quàm optimè ſanctiſsimi Eccleſiæ Patres, qui in omnibus ſuis neceſsitatibus, ad communem hanc *Miſericordiæ* Matrem, ſemper confugerunt; & vt ad eamdem confugeremus, quà ſtylo, quà facto nos ſemper adhortati ſunt. De quibus (Deo, & Superiotibus fauentibus) latiùs in *Corona mea Stellarum duodecim*, auguſtiſsimo eius vertici contexta. Nunc verò de Sabbatinis Cultoribus, qui id ipſum nõ ignorarũt, ſermo mihi inſtituẽdus, ſi tamẽ prius, C bona Lectoris gratia, hoc Caput, in fonte Sabbatico concluſero, ſicut idem in eodem inchoaui. Redarguẽdus eſt, inquit Carthagena, Ioſephus Hiſtoricus, qui huius fluuij *Sabbatici* miraculum, in Iudaici Sabbati honorem deriuat; cum ex ipſius narratione, contrarium potius colligatur. Exiſtimo enim Deum optimum, huiuſmodi miraculo oſtendiſſe, non tantum ex Deipara, cui Sabbatum erat conſecrandum, gratiarum ac miraculorum aquas, perpetuò manare; verùm etiam eodem fluuij miraculo, in Iudaicæ perfidiæ deteſtationem, innuere voluiſſe, ceremoniam qua Iudæi ab omni opere, quin etiã à lõgiori itinere (*Sabbati iter habens*, quod præter propter, milliare Brabanticũ cõputatur) feriabantur, iam tũ æuo illo Veſpaſiani *Vide à La-*
ceſſaſſe, quando Saluatoris noſtri Euangelio *pide in*
longè lateque coruſcante, Sabbati feſtiuitas *Actu.*
in diem Dominicũ tranſiuerat. Manare quippe fluuio, idem eſt quod operari, & quodammodo iter agere: ſiccari verò nihil aliud dixeris, quàm à proprio opere quieſcere. Quare ſicuti ante Chriſti Euangelium, dum Lex Moſaica vigebat, crediderim in veteris Sabbati commendationem, fluuium hunc Sabbatis ſiccari; reliquis verò diebus fluere ſolitum (quod Plinius, vt ſup. vidimus, adſerit, his verbis: *In Iudæa rius Sabbatis omnibus ſiccatur.* Ita extincta iam & ſepulta poſt mortem Chriſti, Sinagoga, è contrario, Sabbatis

*Tomo 2. lib. 14. homil. 15. & 16.*

no

non solùm fluxisse, verùm etiam reliquis diebus cessasse à fluxu, vt nimirum hac memorabili commutatione, antiquatam fuisse Sabbati Religionem, nemo, nisi obstinatus, non animaduerteret. Et hac ratione Plinius, ac Iosephus, qui & mihi superiùs, alijsque alibi, contraria dicere videntur, conciliari poterunt: si nimirum ea quæ de hoc *Fonte Sabbatico* scripserunt, ad diuersa tempora referantur. Id quòd valde rationi consentaneum est: nam etii vterque ijsdem Imperatoribus claruerit; Plinius tamen, qui Opus suum Vespasiano dedicauit, cùm ante Iosephum scripserit, ea quæ antiquiori seculo ex aliorum relatione, vel etiam Libris acceperat, posteritati tradidit; eiusdemquè fluuij, seu fontis nouissimam mutationem, ipse absens ignorasse videtur. Iosephus verò, ea quæ præsens ipse spectauit memoriæ prodidit. Quod non sine diuinæ prouidentiæ nutu, factum videtur. Ne quid enim Scriptoris gratiæ, vel odio in tanti prodigi, descriptione, tribui posset, voluit Deus, vt quod in antiqui Sabbati commendationem faciebat, à gentili scriptore, Plinio: quod verò ad eiusdem postea abolitionem, à Iosepho Iudæo, litteris mandaretur.

Sed iam ab hoc Fonte Sabbatico.

*Ite domum Saturæ. Satis hausium est.*
*Ite capellæ.*

## CAPVT VII.

### *Eminentiores aliquot Mariani Sabbati Cultores recensiti.*

NON hìc aliquos de triuio, aut
——*communi de grege vulgi*
produco triobolarios. Genus erit Electum, Regale, Pontificale; imò plerique omnes, *Gens sancta, & populus acquisitionis*, qui hoc Marianum Sabbatum, & in Sabbato, ipsam MARIAM, pietatis suæ operibus honorarunt; ac idipsum, honorando illustrarunt. Exemplum nobis non vnum, neque vanum relinquentes, vt eorum vestigijs, quàm sedulò insistamus.

Primus in hoc Ordine, quia summus in Ecclesia, sit *Vrbanus II.* Roman. Pontifex, sanctitate vitæ admodum commendabilis, & zelo promouendæ Ecclesiæ, ac honoris Mariani, non minùs feruens. Hic, prout supra vidimus, Sabbatum nostrum, plurimùm solemnizauit, & adfectum suum in Deiparam, ac præcipuè, fiduciam ostendit maximam, dum eius patrocinium, subsidiumque peculiariter inuocandum statuit, quò feliciùs, vrbem sanctam, Christi sanguine purpuratam, quæ Aurora fuit Ecclesiæ, primumque eius Regnum, à Turcis, ac Saracenis sacrilegè eam polluentibus, recuperaret. Quod ipsum, A eiusdem Virginis cultu, ac subsidio, paulò ante mortem obtinuit; capta nimirum Ierosolyma per Godefridum Ducem Bullonium, & S. R. I. ad Scaldim Antuerpianum, Marchionem, ann. 1099. die 15. Iulij, ipsa Crucifixi Christi feria, & dispersionis Apostolicæ anniuersaria die; quatuor, scilicet, supra decem, diebus, antequam Vrbanus II. ex hac vita ad æternam discederet: vt nimirum in cœlo posset triumphare, cui non erat in terris par laboribus honor, vt inquit Baronius, qui diem 14. ponit interceptæ Ierosolymæ, cum plerique alij, 15. sed obuia, & nullius quasi discrepantiæ est conciliatio. *Vide Baron. anno 1099.*

*S. Petrus Damiani*, Cardinalis, & Epis- B copus Ostiensis, præterquam, quòd ex singulari erga Deiparam amore, sacrum eius Officium in Monasterio suo decantari iusserit, cùm nondum ita passim illud esset in vsu: etiam Author apud suos Monachos, & Eremitas extitit, vt dies Sabbatinus, eius cultui peculiariter dedicaretur. Vnde inter alia beneficia, illud quoque ab ea meruit accipere, vt in eius sacra domo, Monasterio, scilicet, B. MARIÆ, vulgò, *Foris extra portam*, ex Legatione Apostolica Rauenis domum rediens, medio itinere, Fauentiæ, in eiusdem manus, spiritum suum Deo offerendum, commendauerit.

*S. Carlus Boromeus*, æquè Cardinalis, & C Archiepiscopus Mediolanensis, non immeritò, *alter Ambrosius* dictus, magnus, & ipse, magnæ Dei Matris cultor, & amator, vt vel ex eo patet, quòd inter cetera statuerit, quo per vniuersam suam Diœcesim, supra fores omnium templorum Parochialium, eius effigies collocaretur; significare videlicet intendens, neminem in cœleste Templum intromitti, qui non eam veneretur, quæ decantatur ab Ecclesia, & est, *Ianua cœli*, *Porta Paradisi*. Hic tantus Cardinalis, & Princeps adeò delicatus, non contentus carnium, ouorum, ac piscium esum sibi interdixisse, singulis insuper Sabbatis, in eiusdem honorem, panenudo, & cruda aqua, consueuit ieiunare, D vti vitæ eius Scriptor testatur: ideoque, & immortalitatis corona à B. Virgine in morte decoratus.

*Robertus* Cardinalis, & ipse, *Bellarminus*, virtutum meritis vniuerso orbi Christiano, etiam quà paret Fidei hostibus, conspicuus; quem & ideo præsens ætas, ac posteritas omnis mirari debet, eo fuit in Virginem nostram, eiusque Sabbatum adfectu, vt præter feriam sextam, & quartam, atque Aduentum totum, singulis Sabbatis ita ieiunare fuerit solitus, sicut lege fit in Cineralibus. Cumque aliqui existimarent asperitatem nimiam esse, Cardinalem prouectæ adeò ætatis, & multifariæ occupationis, ter in hebdomada macerari, respondit egregiè: Necessa-

rium

rium id planè eſt ſi quidem velim ſaluus fieri, & Scripturæ oraculo, id pro me ſatis conſtat. Certum eſt, inquit, debere iuſtitiam noſtram, abundare plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, aliter non intrabimus in Regnum Cœlorum. Cum itaque Phariſæus illud, de ſe prædicet, *Ieiuno bis in Sabbato*; qui non fatebitur, vt pro cœli acquiſitione, plus quàm Phariſæorum noſtra ſit probitas, neceſſarium eſſe, ter vel minimùm ieiunare? Quotidie inſuper recitabat Officium Defunctorum, & Beatæ Virginis. Ad horam etiam ſermonis de prandio, quæ animi cauſa ſumi ſolet, ipſe nihil aliud quàm ſecretò ſolus inambulare, & aperto capite recitare eiuſdem Virginis Rotarium, & Coronam alteram Chriſti Saluatoris. Obijt nuper Romæ ingenti ſanctitatis opiuione, anno 1621. die ipſo ſacris D. Franciſci ſtigmatibus ſacro, quem dudum exoptauerat, & prædixerat.

*S. Thomas* Canturienſis in Anglia Archiepiſcopus, & pro libertate Eccleſiaſtica tuenda, Martyr purpuratus, diebus Sabbatinis duriſsimum geſtabat cilicium ad carnem nudam, in quo reſarciendo, à Sanctiſsima Deipara benignè fuit adiutus: illa nimirum cilicium tenente; ipſo verò idem reſarciente, prout ſcribit Cantipratanus, & S. Antonius, alijque permulti. Cum enim ſimplicem Sacerdotem, ad tamen pium, & Beatæ Virgini addictiſsimum, ab Officio ſacrificandi ſuſpendiſſet, quòd non, niſi vnam Miſſam, & ſemper eamdé, de Beata Virgine nimirum, ſciret legere: Sacerdos multùm triſtis, à Deipara hanc conſolatoriam monitionem diuinitùs accepit, vt videlicet Archiepiſcopum ſuo nomine pro abſolutione accederet, quæ nuper illum tali loco, die tali, & hora, in cilicio reſarciendo adiuuiſſet. Fecit Sacerdos, quòd erat imperatum, & obediuit Deiparæ Archiepiſcopus (cui etiam ab eadem, mortem intra 30. dies, ni obediat, fueſſe prædictam, ſcribit Bellouacenſis) eidemque poſtmodum inter letales ferientium ictus, animam ſuam, & Eccleſiam commendauit, indutus ipſo cilicio, quòd continua poſt geſtatione, ſcatens vermibus eſt repertum; ſicut & illud, quo S. Laurentius Dublinenſis in Hibernia Epiſcopus fuerat indutus, vti narrat Surius 14. Nouemb. Patrem verò dicti cilicij Thomæ Cantuarienſis, magna cum veneratione adſeruant Monachi Bertinenſes Ord. D. Benedicti, intra muros hodie Audomaropolis in Arteſia degentes, apud quos, in exilium ab Henrico Anglorum Rege pulſus, aliquandiu egit.

*S. Gerardus* Epiſcopus Canadienſi, in Hungaria, magnum quoque huic Sabbato, ſuo cultu, per illud Regnum, incrementum dedit. Ad honorem ſiquidem Sanctiſsimæ

*Anton. q. 1. tit. 15. c. 2. p. 2. Cantipr. lib. 2. cap 29. in append.*

*Vincent. Vellouacenſ. in Spec. Hiſt*

*Arnold. Raiſe in Actario Molani.*

*S. Omer.*

*Surius 24 Septemb.*

A Deiparæ altare erexit, ante quod, argenteum collocauit thuribulum, eiuſque miniſterio, duos prouectæ ætatis deputauit viros, qui iugiter vigilarent, ne vnquam illic thymiama deeſſet. Singulis verò Sabbatis, cum nouem Lectionibus, inquit, Author, vt in die Adſumptionis Dei Genitricis fieri ſolet, magnis laudum præconijs, deuotionis ſuæ Officium ibidem explebat. Cæteris autem diebus, Matutinis, & Veſpertinis precibus abſolutis, bis eo proceſsionaliter venire ſolebat, quæ conſuetudo (ſcribit idem) hodieque perſeuerat. Fuit autem Beatiſsimæ Virginis veneratione adeo deditus, vt ſi quis reus, clàm ab eius familiaribus edoctus, ve-
B niam ab illo petijſſet in nomine Matris Dei, mox audito Matris miſericordiæ nomine, lacrymis totus perfunderetur, & perinde, ac ſi ipſe reus fuiſſet, à reo veniam peteret. Filium quoque ſuum, eum fore affirmabat, qui eam ſincerè crederet Dei Genitricem. Ipſo quoque Authore, ab Hungarica gente, nomen proprium Deiparæ, cauſa reuerentiæ, non ſolet olim pronuntiari, ſed *Dominam* eam vocant. Si autem aliquando nomen eius pronuntiari contingat, ſtatim genibus flexis, & in terram demiſsis capitibus ſe inclinant. Vt meritò Hungaria, olim *Familia S. MARIÆ* fuerit appellata. Ita Surius in vita Sancti.

C Sacro huic ſanctorum Præſulum cœtui, inſerendus etiam venit ſanctiſsimus ille Magdeburgenſium Archiepiſcopus, & totius Germaniæ Primas, Patriarcha noſter *S. Norbertus*, totiſsimus Mariano cultui addictus, ideoque, ab ipſa Virgine, veſte candida donatus, & *Filij* nomine honoratus. Hic in medio etiam itinere conſtitutus, nunquam die Sabbati Miſſam de Beata MARIA intermittebat, quò vel hoc pacto, præter alia conſuetæ pietatis exercitia, eam veneraretur. Imò quodam Sabbato, cum in pago Monaſterienſi, vulgò *Mouſtier*, verſus Namurcum, reconciliandis fatalibus inimicis eſſet occupatus, & Miſſam, vt vocant, *Requiem*, pro occiſis
D inde in mutua pugna, celebrare decreuiſſet: ne tamen hebdomadariam ſuam, Deiparam illo die venerandi, conſuetudinem intermitteret, primò in eius honorem, ſacrificium Miſſæ Deo obtulit, ac deinde pro Defunctis aliam celebrauit. De qua Miſſarum, vt vocant, binatione tum temporis ſatis in vſu, vide noſtrum Chryſoſtomum vander Sterre in vita *S. Norberti* 3. libris Flandricè ab eo edita, vbi etiam addit, Authore *S. Norberto*, Antuerpienſes eius ſacris concionibus excitatos Sanctiſsimam Deiparam Virginemque MARIAM, in Vrbis ſuæ Patronam, ac ſacram Tutelarem primitùs accepiſſe. Quamuis enim D. Virgo ante aduentum *S. Norberti*, ibi coleretur, non

*Vide Suium 6. Iunij in eius vita.*

*Lib. 1. c. 12. & lib. 2. cap. 10.*

tamen vt Patrona Vrbis, sed S. Michael Archangelus; cuius templum Canonici Antuerpienses cum certis donationibus Viro sancto, in actionem gratiarum pro expulsa Tanchelmiana hæresi, cesserunt, & ipsi Collegium suum ad eum locum, quò hodieque visitur, transtulerunt; vbi tum temporis Capella D. Virginis erat, dicta Onse Liebe Proume opit Stoclishen, magna vndequaque confluentium visitatione celebris, adeo vt vicina platea ex multitudine peregrinantium, ab antiquo hodieque nomen retineat, vulgò, *Platea Peregrinorum*, in qua ipsis parata hospitia, & circumcirca, vbi hactenus fuerunt ligneæ officinæ vendentium chirothecas, erant ad eorum vsum Cauponæ victuales, vulgò Cabaretten. Colebatur autem in prædicta Capella, miraculosa D. Virginis Imago, quæ ex Normannorum incendiaria depopulatione in suburbio Burgi inter arbores fuerat superstes. Verùm exigua hæc Capella, opera, & concionibus *S. Norberti* ad largissimas donationes populum excitantis, ex paruis initijs ad eam paulatim amplitudinem excreuit, qua hodie Orbi toti prodigium est.

*Traditiones Antuerp.*

Patrem suum secutæ sunt eius proles, in Mariano huius Sabbati cultu imitando. De B. siquidem nostro Frederico, primo *Horti Mariani* (Cœnobium est Ordinis Præmonstratensis in Frisia Occidentali prope Leouvardiam) Abbate eiusque Fundatore, scribit Ioannes Molanus, quòd ea fuerit illius in Deiparam pietas, vt ex eius recordatione, siue institutione, in pago Hallumensi, vbi prius Parochum egerat, laudabilis illa consuetudo inoleuerit, singulis anni Sabbatis, etiam in Quadragesima, *Missam de Beata Virgine cantare.* Cui etiam in refrigerium animæ matris suæ defunctæ, seipsum totum suaque omnia, adhuc Presbyter secularis existens, deuouit. Quod ei adeò gratum, vt eiusdem ope, mortuum puerum suscitauerit, ac baptismatis vnda abluerit. Nec hunc tantummodo, sed & duos alios; ita vt de eo illud Ecclesiasticum in officio S. Martini Episcopi decantari solitum, concinere liceat: *Fridericus trium mortuorum suscitator magnificus.* Obijt plurimis miraculis gloriosus anno 1175. die 3. Martij, cuius ad sepulchrum frequentissimæ multis annis fuerunt visitationes, ob miraculorum gloriam inde promanantem.

*Molanus in natali. SS. Belgij 7. Mart. Sed ponendus est 3. Martij.*

Non segnior in eodem cultu fuit *S. Gerlacus* ex nobilissimo Tribuno Equitum in dictione Falcoburgensi, in cadido Ordinis Præmonstratensis amictu, austeræ pœnitentiæ Eremita. De quo ista quæ ad rem nostram pertinent, in Lectionibus Matutinalibus à Clero Ruremondensi, 5. Ianuarij eius festo die, quotannis recitari solitis, habentur:

*Quàm diu corpore valuit, omni die ad S. Seruatij honorandas Reliquias summo mane sesquihoræ sat difficili, & molesto itinere, Traiectum Mosæ: Sabbatinis verò diebus, ad memoriam Deiparæ Virginis, Aquas grani, nudis pedibus semper incedens, piè peregrinando se contulit; donec per ætatem, & alterius pedis impedimentum redditus impotentior, asello vti cogeretur.* Cuius sanctissimi obsequij remunerationem, præter cetera, hanc in mortis agone recepit, vt cum nullus ad manum esset Sacerdos, qui ei Sacramenta administraret, à Deipara (vti piè creditur) submissus sit S. Seruatius in specie venerandi senis, qui niuea amictus stola, Sacramentis omnibus ritu Catholico eum muniuit. Sacrum autem eius corpus, nuper anno 1599. per Henricum Cuyckium Episcopum Ruremondensem eleuatum est, & miraculosus eius puteus simul repertus, qui denuò sacris prodigijs clarere cœpit. Floruit circa annum 1170. & quieuit in illustri sui nominis monialium Cœnobio in Diœcesi Ruremondensi, 2. lapide à Traiecto Mosæ, vbi eius dies feria 2. ante Pentecostem solemniter celebratur, licet obierit 5. Ianuarij.

*Lectiones Ecclesiæ Ruremõ.*

*S. Nicolaus Tolentinus* de Ordine Eremitarum *S. Augustini*, exemplo magni illius Nicolai Myrensis Episcopi, sacri sui Tutelaris, secunda quarta & sexta feria, ac in honorem Beatissimæ Virginis MARIÆ, inquit, Surius, etiam Sabbato, semel tantum reficiebatur, solo pane, & aqua contentus. Quocirca meruit etiam in morte, ab eadem visitari, cui eius filius Christus Dominus innixus, præsente simul *S Augustino*, dixit ad eum: *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

*Surius 10 Septemb.*

*B. Didacus à S. Nicolao*, aliàs *Diego de Alcala*, sapiens ille, & sanctus Idiota humilis quidem Ordinis D. Francisci Laicus, sed sublimis planè Sanctissimæ Deiparæ cultor, & amator, in omnibus Marianarum festiuitatum per vigilijs, & Sabbatis, ieiunium panis, & aquæ ad eius honorem obseruauit. Vnde etiam maximis à Deipara beneficijs præuentus fuit. Oleo siquidem lampadis, quæ ante Virginis altare lucebat, quoscumque vngebat ægrotos, reddebat sanos. In Sabbato itẽ pretiosam suam animam, per manus Dei Genitricis, Creatori suo reddidit, anno 1463. hisce verbis comprehensam Crucem complexus: *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna portare Regem cœlorum, & Dominum.* Relatus est in numerum SS. per Sixtum V. ipso festo Visitationis Marianæ, anno 1588. Vide Petrum Galetinum Protonotarium Apostolicum, & Henric. Sedulium in vita S. Didaci.

*Vide Sedulium in vita eius.*

*Alphonsus Salmeron*, vnus ex illis Societatis

tatis IESV Patriarchis, qui ſe Pariſijs ad S. Ignatium aggregarunt, vt cultum Virginis, & Sabbati huius Mariani, celebrationem alijs inculcaret, tantò fuit erga Deiparam affectu, vt de ea ſingulis Quadrageſimæ Sabbatis, etiamſi aliud feriæ illæ depoſcerent, concionaretur; populo optimatibuſque ſtupeſcentibus, & in Sanctiſsimæ Dei Genitricis amore, & pietate creſcentibus.

*Petrus Ribaden. ra in vita eius.*

*Guilielmus ab Iſiaco* laudatiſsimus, inquit, ex Gazæo Locrius, Atrebatenſium Epiſcopus, ordine à S. Diogene quadrageſimus ſeptimus, quaque hebdomadæ die Sabati non impedita, MARIÆ Virginis Officium, ſub ſemiduplici, tota ſua Diœceſi (quòd, & in Cameracenſi, atque Audomarenſi ſeruatur) celebrari præcepit. Obijt an. 1293.

*Locrius lib. 6. c. 23. Mariæ Auguſtæ.*

*Ioannes à Prato* (cuius regimen, *religioſum* vocat Abbas Ægidius) quòd erga feſtum hoc Sabbatinum, peculiarem habuerit affectum, declarant, quòd præter Miſſam quotidianam ad Deiparæ altare, nomini eius dedicatum in Eccleſia Tornacenſi, cuius erat Epiſcopus, faciendam, Laudes ſolemniter cantandas, in ſingulis quoque Sabbatis, eadem, ſed maiori ſolemnitate fieri decreuerit.

*Circa annũ* 1342.

*Ioannes* item *Coupignÿ* Montis D. Eligij in Arteſia nobilis Archimandrita, de eadem Virgine, Officio duplici, feſtum ſingulis Sabbatis peragi ordinauit. Sed & inſuper quotidie Miſſam de Deipara, in crypta Eligiana, cantari inſtituit. Ceſsit è viuis ann. 1520. Porrò, quòd prolixum nimis foret oſtendere, in ſingulis Prouincijs ſimilia Epiſcoporum decreta reperies. Et, ò ſi! vbi hactenus non reperiuntur, ad maiorem Virginis honorem inſtituantur.

*Locrius Supr.*

Veniat etiam in Marianum hoc Collegium *Ioannes Vendeuillius*, ex Conſiliario Regio Epiſcopus nuper Tornacenſis admodum laudabilis. *Quaſi enim Sol refulgens, ſic iſte refulſit in templo Dei.* Hic vt Author eſt Nicolaus Zoeſius, Epiſcopus Buſcoducenſis, & Vendeuillio, dum vterque viueret, à ſecretis, ſingulis ferijs ſextis in memoriam Paſſionis Dominicæ, & Sabbatis ſingulis in honorem Deiparæ, ieiunare conſueuit. In Aduentu autem ter in ſeptimana. Et cùm plures ſoleant diem anniuerſarium ſuæ conſecrationis, feſtiuo conuiuio celebrare, hoc ipſe non fecit. Sed diem præcedentem in ieiunio, ac alijs pietatis operibus tranſigebat. Quod ipſum faciebat in vigilijs Circumciſionis, & Epiphaniæ, quia altero illorum feſtorum, elata prius vxore, ſacerdos ordinatus, altero Primitias Deo obtuliſſet. Placidiſsimè non ſine opinione ſanctitatis, in Domino obdormiuit, an. 1592. Biennio poſt obitum cum ex cauſa monumentum eius aperiretur, cadauer cum inteſtinis ſepultum, ne-

*Nicolaus Zoes inuita eius à ſe edita.*

A que balſamo, oleo, aromate, neque arte vlla conditum, planè incorruptum, ac ſi modò humatum fuiſſet, non ſine admiratione, & opinione miraculi repertum fuit.

*Vis & Reges, ac Reginas*
*Qui deuotè Sabbatinas*
*Coluerunt Ferias?*
*Dabo viros, Ludouicos,*
*Eduardos, & Henricos:*
*Iſabellas fœminas.*

En occurrit primo in limine, Francorum gloria dicam, an ſanctitas? an veriùs vtrumque? occurrit, inquam, *S. Ludouicus* eius nominis nonus Galliarum Rex, Virginis Deipa-
B ræ interceſsione, & meritis, ſterili matri ſuæ Blancæ de cœlo datus, & natus. Hic non contentus quotidiano penſo horarum eius perſoluendo, cilicio duriſsimo Regiam carnem exedente, ieiunio rigidiſsimo ſolius panis, & aquæ, ſingulis Sabbatis ad honorem eiuſdem ſuſcepto: inſuper vt profundiſsimam eius humilitatem, humillimo imitaretur exercitio, ſingulis præfatis diebus, priuato in cubiculo, vt neſciret manus ſiniſtra, quid faceret dextera, pedes lauabat egenorum, exſiccabat, exoſculabatur, ijſdemque menſæ poſtmodum accumbentibus, cibos afferebat inſtar famuli, ſeu miniſtri, diuidebat, & nouo prorſus Regiæ ſubmiſsionis exemplo, quòd eat in
C æternitatem, miniſtrabat.

*Vide Iudocum Clichtouæum in vita Sancti.*

*Henricus II.* Anglorum Rex, ſingulis Sabbatis ab hora 9. in feriam 2. proximam, & ſingulis MARIÆ Vigilijs, Iuſtitium per vniuerſum Angliæ Regnum, ad eius honorem inſtituit; quam etiam impensè veneratus eſt. Fuit quidem hic Henricus, magnus perſecutor S. Thomæ Cantuarienſis, & Author necis illius: verùm poſtea ductus pœnitudine, vitam emendauit, & ſepulchrum Martyris, incredibiliter humiliatus viſitauit; pauperis nimirum ſerui formam induens, nudis pedibus, totoque nudatus corpore, præterquam vili quadam tunica ſuper nudo amictus, per vicos, & plateas luteas cum ſuſpiriis, & gemitibus incedens, tota die, totaque nocte in Oratione pervigilans; ſed & inſuper ab Epiſcopis, qui aderant, quinquies cæſus: deinde à Monachis, ampliùs octoginta ternos accipiens ictus.

*Rogerius in Annal. Anglic.*

*Baron. anno* 1174.

D

*Eduardus* item Angliæ Rex, cognomento populari à tibiarum longitudine *Langſchanx* dictus, auſterum planè, & rigidum, in crudo pane, & aqua, hebdomadarijs Sabbatis, venerandæ Deiparæ, obſeruare olim conſueuerat. Et hæc quidem olim, Reges tui, ò Anglia! cum celeberrimus, liberrimuſque, tuo in Regno, Virginis Deiparæ cultus floreret, neque ex Kalendario tuo ſacrum eius nomen expungeres, vel minuſculis notis, ijſque nigris; at Elizabethæ

*Bzouius in Annal. an.* 1278.

tuæ, castissimæ illius, si Dijs placet, virgunculæ, rubris signares. Quando sacrum illud Oleum tantopere venditabas, quod vngendis Regibus tuis, ipsa sacra Virgo, D. Thomæ Cantuariensi tuo in exilium ablegato, commisit. Quando Arthuris tuis Regibus solemne erat Deiparę Imaginem in aciem proferre, parua manu, ingentes hostium tuorum exercitus, eius adiutorio, in fugam conuertere, & extinguere. Quando auscultabunda tuis Anselmis, Bedis, Edmundis, alijsque, ad plaudebas si quid de Virginis Laudibus, vel dicerent, vel scriptis commendarent. At nunc, *quomodo mutatus est color optimus?* Vbi nunc illa? & vbi tu modò, Anglia? *Deni grata est super carbones facies tua.* Respisce, respisce, & è cœno tuo, vel serò tandem emergere, Virginẽ Matrẽ, & in Matre. Filiũ, vel ex Filio, Matrẽ reuerere, ac probũ concipiens votum, reminiscere te olim in Occidentis Ecclesia, omnium primam, circa an. 1070 Conceptionis Marianæ, festum, magna tua cum laude publicitùs celebrasse.

*Vide Lociũ, lib. 2. cap. 8. Mariæ Augusti.*

*Bzou. de signis Eccles. lib. 9. cap. 8. sed vide cap. 5 supr.*

Verùm ad Lusitaniam, constanter hucusque in Mariano cultu perseverantem, me conuerto: vtpote quæ etiamnum hodie, singulis annis, Virginis Adsumptæ festo die, nobili ceremonia, Virgines duodecim, Matri Virgini, Virginumque Matri, solemniter offerre consueuit. Et ecce illic inuenio *S. Elisabetham*, cognomento *Pacificam*, eius Regni laudabilem Reginam. Quæ æmulata raram avi sui Iacobi primi, Aragonum Regis, cognomento *Expugnatoris*, in Deiparam pietatem (quippè in cuius honorem, bis mille Ecclesias fundauit, & dotauit) hebdomadario ieiunio Sabbatino in pane, & aqua Sanctiss. Dei Genitricem venerabatur. Quod etiam in omnibus eius Pervigilijs obseruabat; sicut, & quadraginta diebus continuis, ante Adsumptæ Virginis Solemne Festiuitatem. Cui obsequio remunerando, Beatissima Virgo, innumera Sanctorum Angelorum, & Virginum stipata multitudine, ægro tanti se consolatricem exhibuit; cuius dulcissimum nomen sæpius ingeminando, inter hanc orationem.

*MARRA Mater gratiæ,*
*Mater misericordiæ,*
*Te nos ab hoste protege,*
*Et hora mortis suscipe.*

*Extat vita typis Histenij impressa Louanij.*

Sanctissimam animam efflavit. Retulit eam nuper anno sacro 1625. 25. Maij in Sanctorum Cathalogũ *Vrbanus VIII.* Rom. Pont.

Quam sanctè autem, hanc sanctam suam Cognatam, in Marianis obsequijs, *Isabella Clara Eugenia* Belgarum Princeps, quotidie æmuletur, plurimus possem hìc magnificè admodum prædicare, nisi illud Sapientis id ipsum mihi prohiberet: *Ne laudaueris hominem in vita sua.* Lauda post mortem, magnifica post consummationem. Qua propter supersedeo ne in illius modestiam simul impingam. Erunt digniores Encomiastæ, qui æternaturis Laudum Panegyricis, securiùs ea post mortem decantabunt. Interim votum meum, & totius Belgij est.

*Exuperet Princeps longæui Nestoris annos.*

## CAPVT VIII.

*Regna aliquot, & Prouinciæ enumerata, Beatissimæ Virgini sacra, in quibus hoc Sabbatinum Festum, ad eius honorem religiosè obseruatur, aut olim obseruatum fuit.*

SAnctissima Virgo Deipara, non solùm *Regina Cœli*, sed & *Domina Mundi*, ab Ecclesia sanctisque Patribus nominatur, & est; vtpote quæ iure Maternitatis, Orbem super vniuersum dominatur. Vnde benè Gregor Nazianzenus: *Regina mundi, gaudium mortalibus.* Et Diaconus Edessenus: *Regina omnium, eademque optima.* Item Arnoldus Carnotensis Abbas: *Christus Dominus, MARIA Domina, & licet ipsa se profiteatur ancillam Christi: hoc seruitutis genus, omni Regno sublimius esse intelligit. Constituta quippè est super omnem creaturam, & quicumque IESV curuat genu, Matri quoque pronus supplicat, & accliuis.* Hinc omnes Christiani, omni lingua, mirabili consensione, *Dominam nostram*, quasi proprio nomine eam indigetant. Galli, *Nostre Dame.* Hispani, *Nuestra Señora.* Itali, *Nostra Dona*, siue, *La Madona.* Nos Belgæ, Onse Liebe Proume. Græci Δέσποινα ἡμῶν. Vt benè idcirco in *Corona* mea *Stellarum duodecim*, hoc distichon eius tholo suspenderim:

*Nazian. carm. de B. Virgin. Bozius, lib. 9. c. 11. ex Ephrem. Tract de laud. Virginis.*

*Es Domina, & Princeps super omnes, Orbis, & Axis.*
*Seruit vterque tibi, laudat, honorat, amat.*

Cui dominio recognoscendo facit, quòd tot vbique Regna, prouincias, ciuitates, Municipia, & Vicos sit cernere, quæ veluti præstito homagio, in Patronam suam, seu Tutelarem eam sibi delegerunt; adeo, vt in toto Orbe Christiano vix gens vlla, aut natio reperiatur, cui non sit templum, aut sacellum, Deiparæ consecratum, plurimisque miraculis decantatum. De singulis id ostendere, & stylo consignare, esset Orbem maximum. Circo huic minimo velle includere: nam citius stellas cœli, & guttas maris enumeraueris, quam ad exactos calculos horum calculum. Dabo tamen potiora quædam Regna, &

Pro-

Prouincias, quæ ipsa exemplo summi Dominatoris Dei (cuius licet sit *terra, & pleni tudo eius*, Israelem nihilominus in peculiarem sibi populum olim delegit, secundùm illud Dauidicum: *Iacob funiculus hæreditatis meæ*) Principe ocello ubi signauit, & in singularem suam Clientelam selegit; aut à quibus ipsa singulariter fuit electa.

*Hispania*, quia Regnorum omnium hodie Princeps est, etiam Principem locum hic habebit. Hoc suæ curæ eâdespondisse specialiter Regnum, ipsa Virgo Sanctissima, B. Iacobo Hispaniam peragranti, ibidemque (vt habet Lectio Breuiarij Romani 25. Augusti) Euangelium prædicanti, Ierosolymis illuc Angelorum ministerio delata, significauit. Visiturque etiamnum hodie in Hispania, teste Francisco Suarez tract. de Religione, idem saxum, seu Columna, quam ipsa D. Virgo suis pedibus calcasse, & cui tunc institisse perhibetur, eamque adorant Hispani in loco Sancto, vbi steterunt pedes eius: vulgò, *Nuestra Señora del Pilar*. Et hæc est, inquit, Suarez, antiquissima, & generalis omnium Hispaniæ Ecclesiarum traditio; cui vel le resistere, est omnium reliquarum Ecclesiarum traditiones, in dubium reuocare. Restitit quidem ei, & ab hac opinione, cui primò adhæserat, abduci se passus fuit Cæsar Baronius; aduersus quem consurrexit mox tota Hispania, multis ea de re, à quocumque hominum genere editis Libris. Verùm si hæc ipsa, vir ille modestissimus vidisset, etiamsi non id necessariò euincant, quòd illi volunt: sunt tamen eiusmodi, inquit, eius Epitomista Henricus Spondanus ann. 44. editionis vltimæ, vt eum potuerint in priori sententia continere.

Quid porrò ab Hispanis huic Deiparæ adfectui repariatum fuit? Præter innumeras sumptuosissimi operis, eius nomini dicatas Ecclesias, aliaque infinita erga eadem obsequiorum argumenta, Sabbatinum hoc nostrum festum tanta pietate obseruant, vt iam præter votiuas eius diei Missas, magna cum solemnitate peragi solitas, totam per Hispaniam quasi, hebdomadatim Sabbato ieiunetur. Quam religiosam consuetudinem Hispani à suis maioribus edocti, etiam in hoc Belgio, dum ad illud veniunt, constanter obseruant, vt vel in ipsis Militibus Præsidiarijs aduertere licet, qui eo die extraordinariæ in Deiparam pietatis exercitia solent hic in Belgio exhibere. Adstipulatur huic meæ adsertioni Ioan. Carthag. Scriptor Hispanus, alijque, qui in Hispania commorat sunt, à quibus hæc ipsa didici.

*Carthag. lib. 6. homil. 17.*

*Hungariam*, Pannonum, & Dacorum Regnum, MARIÆ sacram, & hæreditariam fecit, S. Stephanus Rex. Hungarorum non temerè prædicatus Apostolus, vel ipsius Romani Pontificis calculo accedente. Testem signo Chartuitium Episcopum, vitæ eius Scriptorem apud Surium: *Ego, inquit, Pontifex Regijs Legatis fum Apostolicus; at ille meritò Christi Apostolus dici potest, cuius opera tantum populum sibi Christus acquisiuit.* Ideoque Crucem ante Regem, ceu Apostolatus insigne, gestãdam ijs dedit. *Seipsum quoque*, inquit, Chartuitius, *& Regnum suum per votum, & oblationem, in perpetuæ Virginis MARIÆ tutelam, assidius precibus contulit.* Vnde postea ortum est, vt quàm rarissimè Hungari, nomen proprium Deiparæ, *MARIA*, scilicet, vsurpent; sed eam in familiaribus colloquijs, *Dominam*, compellent. Atque ob hæc aliaque, teste Canisio, lib. 5. cap. 28. Martialis, veteri, & solemni epitheto, Hungaria, *Familia MARIÆ*, fuit appellata, eiusque Assumptionis festum, non aliter quàm *Dies Dominæ*. Quid autem de Sabbato? Solemne illud planè apud eosdem, etiam ab antiquo. Testatur hoc, vetustissimum Archiepiscopalis Ecclesiæ Strigoniensis Breuiarium, quòd in Ecclesia nostra hodieque reseruatur; in quo speciale Officium Sabbatinum, de Beatissima Virgine reperio, diuersum prorsus ab eo quo Ecclesia Romana vti solet: suntque in eo, notatu digna, quàm plurima. Atque vtinam, totum illud per Regnum, idem hodie posset obseruari. Sed eheu! quàm nunc temporis attrita, deplorauda Hungaria? potiorem eius partem Mahumetanis canibus miserè discerpentibus, & in puris Pseudo Prophetæ istius spurcitijs, fœdè omnia commaculantibus. Expergiscere tandem aliquando Regum Rex pijssimè, *Stephane*, & vide, ac visita vineam istam, quam plantauit dextera tua, ne eam funditus, aper de silua, & singularis ferus, barbarus, inquam, ille hostis depascatur, & exterminet. Et vos Reges Christiani intelligite, ac inter vos seriò pacisentes, in ferox istud Babarorum genus, arma vestra conuertite, *Virginis familiam*, sed & Ecclesiæ priscum decus restaurantes. Hoc nomen vestrum Christianum, hoc Catholicum, imò Christiani, & Catholici omnes, quin & ipsa Virgo, Virginisque Filius Parens, suo iure à vobis efflagitant.

*Surius 20 Augusti.*

*Italiam* sibi in Regnum suum Deiparam elegisse, vel ex eo patet, quòd ex Palæstina transmigrans, domicilium suum ibi fixerit, sacerrima illa sua Æde per Angelos illuc delata, in qua ipsa nata, nutrita, ab Angelo salutata, Mysterium Redemptionis humanæ inchoatum, & *Verbum caro factum est*, nutritus pariter Saluator, & fotus. Et quòd maius quæras Virgineæ dilectionis Symbolum, & Marianæ clientelæ argumentum? Pignus hoc est.

*Nobilius totus quo nihil Orbis habet* A
Pignus hoc est, ò Italia!
*Quod celebrem Regno te reddit Solis vtroque,*
*Verbum vbi conceptum, nataque Virgo parens.*

Ideoque nunquam te pigeat, tot illi vbique Templa, Monasteria, Xenodochia consecrasse, imò & Vrbes plurimas dedisse, vt Neapolim, Patauium, Viterbium, Florentiam Luceriam, Anconam, Senas, *Cittas di S. MARIA*, siue *Virginis Ciuitates* nuncupatas; quarum omnium Princeps est, Orbis Domina, & Vrbs Vrbium, *Roma*, inter 300. Diuorum templa, quadraginta sex sacris eius Ædibus honorata. Imò ipsius Bozij testimonio B suffragante: *In Italia Vrbs nulla absque aliquo Deiparæ templo, miraculis illustri conspicitur.* Quantus autē ibidem cultus Sabbati Mariani? *Vix vllus adultus in illa prouincia inuenitur, ait Cæsarius, qui diem Sabbati in honorem Dominæ nostræ non ieiunet.* Sed & in eadem Italia studio Petri Damiani, eiusdē diei veneratio maximè propagata fuit, adiecto sacro sanctæ Missæ sacrificio, & recitatione Officij Horarij de B. Virgine. Quæ omnia ex ipsius Monasterio, ceu fonte, etiam ad alios deriuata fuisse, superius vidimus.

*Laurent. Schrad. lib. 2. monument. Italiæ.*

*Lib. 7. c. 59.*

*Franciam* Deiparæ sacram esse, vel ex Lilijs eius suspicarer, quæ cum *Lilio conuallium*, MARIA, non temerè comparauero. Vt enim illa extincto bufone: sic ista contrito serpentis capite, glorioſa. Verùm non hic me contineo, euidentiora multò argumenta producam. Regni Metropolis, & caput *Lutetia*, an non secundùm illud Abbonis.

*Vrbs in honore micat, celsæ sacrata Mariæ?*

Quæ, vt testatur Aimoinus Monachus, à fide suscepta, nunquam templo Mariano orbata fuit. Vt meritò Frāciscus Bencius: *Vrbs hæc Dei Matris auxilio, quam Patronam sensit semper in omnibus rebus se fetisse gloriatur.*

*De gest. Franc. lib. 3.*

*In Annal. an. 1587. Vide Locriū lib. 2. & 6.*

Augustoritum oppidum à proditione Anglorum, custoditis per se ciuitatis clauibus, ipsa liberat. Sacro suo Indusio, Carnotensem ciuitatem à piratis eam inuadentibus, protegit. At quid euidentius huic Reginæ, Regnum Franciæ adserit, quàm factum æterno calamo consignandum, aut Ludouici XI. Gallorum Regis, aut Cardinalis Ioyeusij Galliæ Protectoris? Ille *Bononiam* in pietatis suæ testamentum, Virgini Matri solemniter obpignorauit. Corde puri auri oblato, pondere bis mille aureorum, lege sancita, vt qui in ævum futuri essent successores, tantundem præstarē, ac *MARIAM*, eius tractus *Dominam* recognoscerent. Hic verò in Æde Lauretana, indictis 40. horarum precibus, sacris ipse pijssimè ibidem operatus, vniuersum Galliæ Regnum, patrocinio Virginis solemniter commendauit; Lauretano Præsule non solùm id ad probante, sed & luculentissima ad populum habita concione, factum honorante. Quàm verò ab antiquo, hodieque in hoc Regno vigeat Sabbatum Marianum, nemini dubium relinquitur, qui vel meminerit tantùm, in ciuitate Claromontensi siue Aruernensi, iussu Vrbani II. veluti Pontificia tuba, idem esse publicatum, & horarijs ab eo indictis precibus, honoratum. Ex quo fonte, in totum sex mox Regnum, vicinasque Prouincias diffudit; subditis suis sanctissimo Rege Ludouico IX. prælucente, & Monachis Cluniacensibus ad idem festum obseruandum, alios adhortantibus, quorum etiam peculiaris est Oratio, quam singulis Sabbatis fundunt in honorem Deiparæ, incipitque: *Missus est Gabriel Angelus, &c.* Sed & in Gallia Narbonensi in Monte Pessulano, celebris admodum huius Sabbati obseruantia viget, vt habet Cæsarius lib. 7 cap. 15. de quo plura nos inferius capite, hoc sequenti.

*Turselli. lib. 5. c. 11*

*Locrius lib. 3. c. 11*

In ordinem hunc etiam veni, ò *Anglia!* *Dos Virginis*, iam olim per excellentiam, nuncupata. Veni, inquam, sed non ea quæ nunc es: at quæ olim fuisti, cum tota esses Angelica, tota *Mariana*. Quando Eduardis tuis, solemne erat. B. Dei Genitricem, in Tutelarem suam adsumere, & in supremis Regni negotijs, non alio iuramento se adstringere, quàm isto illis sacro sancto: *Per Sanctam* C *MARIAM*. Quod eximiæ recognitionis in Deiparam signum est. Scito enim, Lector in partibus Britanniæ, maxime autem Hiberniæ, nullum esse Angulum, vel familiam nobilem, quin sui sacri Tutelaris campana, baculo, nomine, vel aliquibus eius sacris Reliquijs, inter iureiurandum vtatur. Ita apud Vrsulanos in Hibernia (ex quorum progenie *S. Dimphna* nostra Gelensis) nullum magis sacrosanctum iuramentum quam *Bachull Damphnod*, hoc est, Baculus Dimphnæ, quo in peregrinatione Romana, creditur vsa, & qui in Hibernia, ob crebra per eum patrata miracula, magnam iuit in venerationem, vbi hodieque adseruatur. Ita Princeps Tirconel D liæ (est de hac familia, æterno calamo digna, virago illa supra sexum suum, eumque, adinstar S. Euphrosinæ, piè mentita, *Maria Estuarda Condesa de Tirconel*, quæ à biennio, propter fidem Catholicam, ex Britannia, ad Serenis. Hispaniarum Infantam, *Isabellam Claram Eugeniam*, in habitu virili huc confugit) suæ stirpis S. Columbæ reliquias ad iuramentum adplicant, vt *Cathach.* sic vocant Librum Euangeliorum à S. Columba exaratum; in cuius defensionem, prœlium inierūt, cum Hiberniæ supremo Rege Dermitio, Filio Cheruali, & alijs; ac victores eius opera euaserunt. Hæc, occasione Regis tui *Eduardi III.* ò Anglia! extra orbitam digressio.

*Locrius lib. 1. cap. 31.*

*R. P. Hugo Vardæus, Conuentus Hibernicī Guardianus Louanij. Albertus Enriquez lib. suo de ea Hispanicè edito.*

Sed

Sed veni, veni, inquam, qualis eras quando tot ei Templa, tot Cœnobia, tot Collegia consecrasti. Quando Regis tui *Henrici II.* ad exemplum, singulis Sabbatis, ab hora 9. in feriam 2. vsque, sequentem proximè; & singulis item MARIÆ Vigilijs, iustitium, per vniuersum Regnũ tuũ, in honorẽ Deiparæ ob seruabas. Tertiũ dico, Recordare, recordare hæc, ò *Anglia*! & conuertere ad Dominum Deum tuum: & ad Dominam tuam, Domini tui Matrem, reuertere; cuius *Dotem*, iniqui inuasores (hæreticos puto) hactenus iniustè possident, & sacrilegè deprædantur.

*Dos D. Virginis Anglia.*

Leuo anchoram, mi Lector, & ex Occidentali plagam, ad Orientalem me conuerto, & vela pariter mea. In Regnum, inquam, *Græciæ*; quòd vt Virgini Matri sacrum faciam, cogit me, tum maximè ipsius Vrbis Metropolitanæ, & Imperialis maiestas. Illa est Constantinopolis *Noua Roma*, olim dicta, & toti Orienti dominata, vt antiqua Roma, Orbi toti. Iacebat ruinis suis insepultũ, à Seuero Cæsare excisum, nobile quondã *Bizantium*. Non patitur id, Cõstantinus verè Magnus, & Christianorum Imperat. Primitiæ, iam pridem factus Christianus. Ruinosum illud, & cachinnabile cadauer, *Bizantium*, cuius rudera solùm extabant, eius opera, & sumptu, Vrbium Domina, & Regina exiurgit, Quidni? *MARIÆ*, Reginæ cœli, & Dominæ mundi parabatur. Coronide operi imposita, tota in plausus resoluta Græcia, Vrbium maxima, Reginarum maximæ, sacrosanctæ Virgini Matri *MARIÆ*, consecratur: amplissimo trecentorum, decem & octo Episcoporum, qui ad Nicœnam Synodum conuenerant, præsente Senatu, vnde etiam gloriosum illud nomen obtinuit, vt *Ciuitas Dominæ*, fuerit nuncupata.

Constantini pietatem in Deiparam, eius successores imitati sunt, vt Theodosij, Iustiniani, Iustini, Comneni, Zemiscæ, Heraclij, alijque dignitate Imperatoria, & Mariana pietate celeberrimi. Quibus adiungendum, lectissimum illud par sanctissimarum Imperatricum, *Helena* Constantini; & *Pulcheria* Arcadij filia, & Marciani postea Imperat. vxor, in Concilio Chalcedonensi à SS. Patribus, *Noua Helena*, appellata. Quarum prior, non contenta in Subsolano suo Orbe, plurimas Basilicas Sanctissimæ Deiparæ, eiusque Sponso Iosepho ædificasse: etiam in Occiduo, eorumdem cultui propagando, alias extruxit, vt *Bonnæ*, *Coloniæ*, *Treuiris*, *Sanctis*, vulgò *Santen* (oppidum est ad Rhenum fluuium, à Sancto Victore, eiusque Socijs 330. Legionis Thebææ militibus, & martyribus, eo loco sub Maximiano, & Diocletiano Imperatores passis, nominatum) atque alibi. Posterior, singu-

*Vulgò, Ad Sanctos Martyres.*

la, quæ Deiparæ corpus adtigerant, aut vsui fuerant sacra monumenta, vndequaque terrarum conquisiuit. Quæ vbi fuit adsecuta, sumptuosissimis Basilicis exornauit. In quarum vna, (fortè τῶν ὁδῶν ἀγ, id est *Viæ Ducum*, dicta) miraculum illud factum suspicor, quo Cõstãtinopolitanis B. Virgo, Sabbatinum hoc suum festum publicauit, dum singulis Sabbatis, velum quoddam à sacra sua Icone (fuit forsitan Imago illa, à S. Luca depicta, quæ in eadem Basilica, adseruabatur) remouebat: quibus transactis, idem velum suapte sponte, seu magis occulta vi Numinis ad priorem locum reducebatur. Quo, viso miraculo, inquit Durandus lib. 4. cap. 1. Rationalis sui, sancitum fuit, vt sem per illa feria, de B. Virgine cantaretur. Perseueraſti in illo cultu, ò *Græcia*, quàm diu illam Tu, Te illa adamauit. At nunc, heu! spreto primum illius tuoque vero Deo, *Spiritu Sancto*, quo plena Virgo fuit: deinde ipsa quoque Virgine, *Facta es quasi vidua, Domina gentium, Princeps prouinciarum facta es sub tributo, quia Dominus locutus est super te, propter multitudinem iniquitatum tuarum. Vide Domina adflictionem Regni tui*, & fac, ò clemens! ò pia! vt qui Vrbem tuam, Regnum tuum, & Imperium tuum, impudenter iam olim profanarunt, & tenent potenter, aliquando tandem, vel desinant, vel subiugentur. *Tren. 1.*

Sed ab Orientali tuo Imperio, ad Occidentale, tuum quoque, reuertor; quod fidelius, saltem pro nobiliori parte, in cultu tuo hactenus perseuerat. *Germaniam*, volo, quam Imperium tuum dico. Ciuitates eius pleræque id persuadent, partim sua ipsa, partim Templorum nuncupatione Tibi sacratæ. *Non paucæ*, inquit Costerus præfat. in lib. Sodalit. Virgin. *olim Respublicæ, adeoque Ditiones integræ huius sacratissimæ Virginis patrocinio se commiserunt; quod Alsatia tota, Hunguria, & Belgica, nobilis Prouintia, testantur: quæ simul atque fidem susceperunt, simul etiam Christi Matrem, in singularem elegerunt regionis Patronam;* cui, & Argentinensis Ciuitas, Rempub. suam Florentissimam debet. Quæ, sicut & *Bauaria*, melior hodie per regnum Germaniæ, portio gregis Dominici, *Basilea*, *Prussia*, ac *Principes Palatini*, aureis suis nummis, *MARIÆ*, effigiem adponit, cum his, & similibus in circulo epigraphis: *O MARIA, ora pro me. S. MARIA ora pro nobis.* Ex quibus. *Bauariam*, Rupertus primus Vuormatiæ Episcopus, Sanctissimæ Deiparæ consecrauit.

Quam religiosè autem per Germaniam totam, Sabbatum in honorem B. Virginis MARIÆ, olim fuerit obseruatum, fauetur que etiamnum hodie in pluribus eius lo-

cis, testantur varia beneficia, isto fine Marianis cultoribus illic commorantibus collata, & à me, sequenti Capite recensenda. Sanè generatim hic dixisse sufficiat, de alijs Regnis, quòd Antonius Sucquetius in via Viæ cap. 23. de praxi colendi B. Virginem scripsit, nimirum: *Ieiunium Sabbatinũ à probis omnibus vsurpatur, & in plerisque Regnis obseruari solitum est.* *Lib. 3. c. 13.*

Non possum verò, nisi ingratus audire velim, quin superioribus Regnis, *Belgium* nostrum adnumerem, cui sanctissima hæc Heroina, summa semper in veneratione fuit. Magnum sanè nobis congratulandi, & piè gloriandi argumentum est, quòd primum cis Alpes Templum, nomine Virginis conspicuum, iuxtim & quasi in Belgio; imò in ipso Belgij (nam Tungros cum Belgis, Molanus alijque miscent) habeamus. Testem produconõ domesticum, ne in suspicionem Veritas veniat, sed externum, exceptione omni maiorem. Is est Thomas Bozius Congregationis Oratorij Romæ Presbyter, qui de illo ita meminit: *Sed & apud Tungros, volunt prisci Annales, à Matarno Petri discipulo, Ecclesiam de nomine Virginis conditam, quam primam dicunt infra Alpes Ecclesiam fuisse.* Nempe, non B. Virginis modò, sed absolutè primam: nam, nulla alia, quolibet titulo extabat, quando ista primum constructa est; vnde, & in Cathedralem eleuari meruit. Quid autem Belgæ? Hæredes illi patritæ in Deiparam pietatis, constantissimè semper in Mariano cultu perseuerarunt. De singulis, ceu vniuerso Belgio id ostendere, instar Iliadis esset opus. Quare antiquissimum, nobilissimumque eius Ducatum, *Brabantiam*, solummodò in comprobationem adferam: quæ peculiari sibi adfectu, Sanctissimam Virginem Matrem, in peculiarem Patronam elegit; & hæc illam, in singularem suam Clientem. *Molan. c. 1. Chron. recapit. SS. Belgij* *Lib. 9. c. 9. de sign. Eccles.*

Prius ita doceo. Vix vllam Vrbem (numerantur in ea, vltra viginti & sex) mihi dabis, in qua non speciale aliquod Deiparæ titulo, Sacellum est extructum. Imò eius vrbes omnes, vel saltem pleræque eidem sacræ sunt; & si non primariam, ad minus secundariam, eam habent vt Patronam. De *Antuerpia* nemo ignorat, nisi qui Belgium, imò Europam totam ignorat.

*Templum etenim illius, dudum super æthera notum.*
*Vt sileam Eoas, Hesperiasque plagas.*

Illius siquidem Emporij Mariana acroam. ita sunt:

*Vrbis te volumus Dominam cantare, MARIA.*

Et ita rursum:

ANTVERPÆ POPVLVM GEnitrix veneranda tuere.

A Fecit hoc, facitque hactenus; cuius sacris auspicijs, in eam quam modò cernimus, excreuit amplitudinem. De qua re, Heroicis verè versibus Ioan. Bochius S. P. Q. A. olim à Secretis, quibus effigiẽ eius ante Ædes Senatorias, in locum profani cuiusdam Colossi restitutam, describit. Vide eos, nec lectionis pœnitebit, in inscriptionibus, & Monumentis Ducatus Brabantiæ Cl. V. *Francisci Suueertij* Ciuis Antuerpiani. *Louanij* quos Diuuos tutelares inuenies, nisi cum Apostolorum Principe Petro, Sanctorum omnium Principem, MARIAM? Bruxellis? Inter Michaelem, & Gudulam, Vrbi toti, & vniuerso Suburbio insidentem B MARIAM. Testatur id Ecclesia Mariana in Sabulo, vbi Deiparæ statua, quam *Beatrix* Buthens Antuerpia an. 1348. aduerso flumine eo asportarat, multis increbuit miraculis; donec Iconomacorum feritate (quibus nihil sacrum stetit) an. 1580. rapta, & contrita est. Testatur, & Sacellum, vulgò, Onse liebe Proume han Bustant, id est, *Diua Auxiliatrix*, & Hispanis, *Nuestra Señora de Socorro.* Et quæ nuper nobilissimo munere, Serenis. nostræ Isabellæ Infantæ ad Eremitas Augustinianos solemni pompa delata est Imago. Ecclesia Mariana de Laken, de Halsembergh, & *Nostra Domina de Gratia* in C Scheut-veld, circa Suburbia; vt *Hallas* suæ Hannoniæ relinquam. Buscoducis quos inuenies? Cum Custode suo Virgineo Ioanne Euangelista, *Dulcem MARIAM Buscoducensem*, vulgò. De Soete Liebe Proume. Tra iecti ad Molam? Ante tempora D. Seruatij, & post illa, cum ipso semper ibi culta *MARIA* est. Diestij? Inter Dionysium, & Sulpitium sanctos Episcopos, media *MARIA* est, peculiari etiam Basilica ibidem honorata, ad quam olim vndequaque populorum concursus, venerandarum reliquiarum gratia. *Asper Collis*, magnum illud deuotionis, & pietatis Marianæ Theatrum, & miraculorum publica Officina, vnde prodijt, & innotuit per Orbem vniuersum, nisi à *MARIA*? D Cui prodigiosum illud Templum, Serenissimi iuxta, ac pijssimi Belgarum Principes, *Albertus*, & *Isabella*, perfectissimæ Christianarum virtutum, & Marianorum Clientum Ideæ, excitando subditorum suorum in Virginem adfectui, nuper erexerunt. Cuius, nobilem sanè Inscriptionẽ, vide apud supra memoratum Francisc. Suuertium, loco citato. Arschotum, nonne à seculis propter *MARIAM*, notum est? *Arschotum*, inquit Diuæus l. 7. rerum Brabant. *D. Virginis miraculis, Sichenæ solo nomine cognitæ. Diuam Consolatricem* Vilvordiæ, quis ante centenos annos ignorauit? Breda, antiquitus hodieque, suo Regi, & Deo, nuper Marchionis Spinolæ industria, vel inuitis ini-

iniquis eius possessoribus, restituta, quam agnoscit Tutelarem, nisi *MARIAM*? Thenæ, nonne *Capellam nostræ Dominæ* sacram & celebrem, medio foro, venerantur? sicut & Herendalium, vbi sub mœnibus, Sabbatis præsertim, visitatur ob expertam sæpius miraculorum gratiam, vulgò, *Nostra Domina in Arena*. Quid S. Gummarus nostras, siue Gundtmarus, vt scripsit Baldericus l. 2. cap. 48. Chron. Camerac. Iam à nongentis annis, Liræ Oratorium D. Virgini ædificauit (præter eam Capellam quæ per illum D. Petro est extructa) miraculosa illa arbore, quam excisam, collectis assulis denuo fecit excrescere, notissimum. Frequentatur etiamnum hodie religioso cultu, diciturque *Clusa S. Gummari*. Minora opida reliqua, quia tecum festino Lector, omitto.

*Vide Gramaye in descript. Liræ.*

Ad Pagos autem quod attinet (qui præter decem & septem municipia, septingenti in hac nostra Brabantia numerantur) vix decem ex ordine, tota ea percurres, quin vnus, Tutelarem, *MARIAM* habeat. Imo, puto nullum, qui non Altare ei sacrum.

Monasteria autem pleraque, maximè quæ ab vrbico strepitu, semotiora sunt *MARIAM* pro Patrona sua agnoscunt. Inter quæ non vltimum nostrum Tungerloense, iam dudum ante quingentos annos D. Virgini sacrum, eiusque miraculis glorioſum. Ita enim vetustissimum M. S. fundationem Cœnobij huius continens, & circa tempora tertij eius Abbatis *Vuiperti* compositum: *Porro iste est locus, quem diuinis, ijsq; multis miraculis, ad laudem, & honorem Matris Domini plerumq; audiuimus illustrari.* In quo etiam Cœnobio, iam ante 300. annos, sacræ eius Litaniæ, ante Lauretanas cognitas, ei recitari consuetæ. Nec hic solus locus est, sed plurima tam Templa, quàm Cœnobia, miraculosis Deiparæ Imaginibus, antiquitus & etiamnum, celebria sunt & glorioſa: adeo vt *Brabantiam* verè, & sine inuidia aliarum Prouinciarum, *Familiam nostræ Dominæ*, nuncupare possimus; sicuti Capharnaum Matth. 9. Ciuitas Christi nominatur, non quod ibi natus, sed quod commoratione, & frequentibus inibi editis miraculis, eam quasi in Patriam suam adoptauerit.

Taceo Societates Brabantorum tam sacras, id est, augendo sacrificio diuino erectas Mariano titulo; quàm profanas Baliſtariorum (*Guldas* hodie vocamus, quod in eas nõ nisi aurei viri, Guldebroeders, ost Guldemannen, hoc est, ab irreprehensibili vita commendati admittantur; licet nonnulli, *Gildas* & Gildebroeders ab ingenua liberalitate, velint) qui ferè vbique, ab ea nominari delectantur.

Taceo speciosas & pias Supplicationes, A ingenti apparatu, in eius honorem hìc adornatas, vt Louanij. *Septem dolorum*, septennalem. *Recollectionis festorum D. Virginis*, ibidem annuam. *Capellensem* Bruxellæ. *Assumptionis*, Antuerpiæ. *Consolationis* olim Viluordiæ, & alias hisce similes alibi, in plerisque oppidis frequentari solitas.

Quàm impense autem in cultu Mariani Sabbati, Brabanti omnes sint deuoti, quam feruentes, testantur hebdomadaria eius diei ieiunia, aut ad minimum, peculiares abstinentiæ, à probis ferè omnibus, vsurpari consueta. Testantur Templorum Marianorum tunc religiosæ visitationes. Testantur sacrosancta Missarum solemnia maiori apparatu, & vespertinæ Laudes, musico plerumque cõcentu celebria. Testantur denique extraordinaria plurima pietatis exercitia singulis Sabbatis ab ijsdem obiri solita, quæ, quia omnibus in Brabantia degentibus, sunt notissima, prolixius non commemoro. Adeantur solum modo quatuor primariæ eius Ciuitates, *Louanium, Antuerpia, Bruxella, Siluaducis*; & ex vngue leonem, ex linea Protogenem, ex tabula Apellem, ex pollice gigantem agnosces, id est, ex ijs de reliquis poteris iudicare, & vera me dicere deprehendes. *Bruxelæ*, præter solemnem illam in quoq; Sabbato ad D. Gudulæ Missam, à viris Principibus nuper institutam, & dotatam, in Parochia S. MARIÆ in sabulo, hebdomadaria in Sabbato supplicatio obseruatur: & in Sacello *Diuæ Auxiliatricis*, supradicto, tantus hominum singulis Sabbatis est concursus, vt illud hos non capiat, & celebrandis Missis ante meridianum tẽpus non sufficiat. Quod idem diebus ijsdem accidit Louanij in sacello Diuæ Virginis, *Via Flaminia*. Antuerpiæ, in *platea Cæsarea*, vbi Sacellum Marianum, ob miraculosam hodieque Imaginem, ex agro Vuillibrordiano in Vrbem adductam, celeberrimum; in quod, quoque Sabbato. Vrbs pœnè tota se effundit. Siluæducis ad S. Ioannis, vbi *Dulcis Domina*, vulgo, De Suete Liebe Droume, miraculis etiã coruscans, religiose admodum visitatur, non minor est deuotio. Breuiter, vt verbo vno concludam omnia,

*Tota Mariana est, hæc nostra Brabantia, quanta est.*

## CAPVT IX.

*Beneficia tum corporalia, tum spiritualia, à Beatissima Virgine, colentibus eius Sabatum, exhibita.*

VT filios Israel ad obseruantiam Sabbati, efficacius Deus induceret, plurima eis

eis quàm sæpissimè promisit beneficia. Ita namque Isaiæ 56. legimus: *Beatus vir custodiens Sabbatum, ne polluat illud, &c. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Ieremiæ etiam 17. *Si sanctificaueritis diem Sabbati, ne faciatis in eo omne opus: ingredientur per portas ciuitatis huius, reges & principes, sedentes super solium Dauid: & ascendentes in curribus, & equis, ipsi & principes eorum, viri Iuda, & habitatores Ierusalem, & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum.* Ac si patenter vno verbo dicat, pax erit vobis, & rerum omnium abundantia, si Sabbata mea sanctificaueritis.

Isa. 58.

Ita pariter B. Virgo, obseruantibus hebdomadarium suum Sabbatum, & piè illud colentibus, innumera sæpè beneficia animæ & corporis promisit, ac reapse præstitit. Quæ Lectori, vt spero, erunt iucunda auditu; & quò eadem assequatur, imitatu facilia. Dabo ea ex Authoribus fide dignis, & a nota falsitatis alienis, desumpta, vt Cantipratano, Cæsario, Bellouacensi, Bonfinio, Costero, Catechismo Historiali, Discipulo, alijsque pluribus, licet non Classicis omnibus, haud tamen contenendis, vt pote qui à Classicis, sæpè sepius citentur. Nimis enim superstitiosi Critici sunt, & supercilioſi Aristarchi, qui nulla Deiparæ miracula recipiunt siue prouant, nisi ea tantum, quæ à SS. Patribus tradita reperiuntur. Media siquidem via incedendum hic est, inquit Canisius lib. 5. cap. 18. Nimirum vt in Marianis miraculis admittendis & comprobandis, neque nimium faciles, neque rursum plus æquo difficiles, ac morosi esse velimus. Sicut enim Ecclesiæ hostes in eo peccant, quod ad solas scripturas nũquam non prouocent, & ex ijs peti velint omnia: sic & quidam inmodico rigore dilinquunt, quoniam historias, & miracula, etiam quæ nihil absurdi ac duriusculi continent, sine per vetustis, certis, ac Classicis Authoribus ægrè amplectuntur, & amplectenda esse censent. Etsi enim omnia, ait idẽ, quæ in hoc genere leguntur, eiusdem semper non sint ponderis, & authoritatis: tamen quia Charitas nõ est suspicax, neq; secundum Apostolum, *cogitat mala, sed credit omnia*; & temerè aliena iudicare prohibet Christus, atque *palato non sano, pœna est panis, qui sano est suauis, & oculis ægris odiosa lux est, quæ puris est amabilis*, sitque paucorum, sacris de rebus iudicare: ideo minus in eo erit periculi, si à bonis & probis probabiliter narrata, & à doctis non reiecta, quæ ad piorum ædificationem faciunt, recipiantur, quã si eadem fastidioso & contentioso, præfracto que animo reijciantur. Nullum ego interim hic producam, quod vel Ecclesia (me sciente) non receperit; vel Scriptores noti, & fidi, non expresserint: sed omnia, à Maiorum traditione, ipsa rei euidentia, & ab Authoribus fidei integræ comprobata; vt vel nostro hoc nimium Critico sæculo, veritas nulla tergiuersatione celari, nec sine pudore, negari posse videatur. Sciantque omnes huius temporis Sectarij, eorumque alumni, veris miraculis, siue quæ per Deiparam, siue quæ per Sãctos fiunt, non propterea esse derogãdum, quod simpliciores quidã Prædicatores, siue scalptores falsa pro veris, & dubia seu apocrypha pro certis nonnũquã euulgent, aut populo venditent. Nõ enim mendaciũ debet veritati præiudicare: & hominũ vitia vanaq; cõmenta, veris & probatis Sanctorum miraculis, non magis incommodant, quàm Christi & Apostolorum, officiant præstigiæ Antichristi, & Pseudo Prophetarum. De qua re, si plura cupis, inter alios consule Canisium l. 5. Marial. cap. 18. Ego interim beneficiorum hanc Marianorum seriem ita exordior.

Cæsarius Heisterbacensis Monasterij Religiosus sub Instituto Cistercienſi, & postea Prior Villarienſis in Brabancia (qui in præfatione suorũ Dialogorum, quos circa ann. 1222. conscripsit, Deum in testem, aduocat, se ne vnum quidem Capitulum in ijsdem contexendis, finxisse) narrat l. 7. c. 59. fuisse in vicinia Ciuitatis Tridentinæ famosum latronem, multos quotidie deprædantem, & occidentem; qui à Monacho quodam Cisterciensi, quem iam spoliare aggrediebatur, monitus fuit, vt singulis hebdomadibus, diem vnum in honorem B. MARIÆ ieiunaret, quo salutem æternam tandem assequeretur. Consensit Monacho Latro, & ex eius instructione diem Sabbati elegit, pollicitus insuper voto addito, se nihil ea die comesturum, nullum deprædaturum, læsurum quoque neminem: imò è contrario, quoscumque posset è sociorum manibus liberaturum. Vouit hoc, & fideliter votum obseruauit. Contigit eum postea inermem die Sabbati, à Ciuitatis satellitibus captiuari, nullo modo sese defendentem. Adductus coram Iudice, morti est adiudicatus, & minutus capite; atque in loco supplicij extra Ciuitatem sepultus. Nocte eadem ciuitatis vigiles, ad excubias pernoctantes, circa eius tumulum, luminaria plurima conspiciunt. Sed & quinque honorarias Matronas, defuncti cadauer effodientes, & caput corpori adaptantes, nec non in feretro, miræ texturæ purpura superiecta, idem collocantes. Ex his, quatuor, ardentes candelas manibus gestabant, & per quatuor partes, feretrum sustollebant; quinta, quæ omnium pulcherrima, & clarissima erat,

*Chron. M Cœnobij Villar.*

erat, cum candela quoque feretrum subsequente. Atque hoc ordine, & schemate, ad portam vsque Ciuitatis pervenerunt, ante quam, & cadauer depositum est. Tum illa quæ omnium princeps erat, & feretrum fuerat subsecuta, ad Vrbis custodes, hæc alta voce inclamauit: *Dicite Episcopo vestro, vt Capellanum meum à vobis decollatum, in tali loco Ecclesiæ honorificè sepeliat.* Addebat insuper minas, si negligeret; hæc quænam esset luculenter, significabat. Factum continuo ab illis, quod fuerat imperatum, & summo manè, Episcopus cum Clero Populoque vniuerso egrediens, purpuram à feretro remouet, caput præcisum, corpori reunitum conspicit, & præ rei nouitate expauescit. Texturam purpuræ humanum artificium excedentem admiratus, relatis credidit, & hominem cum timore & honore maximo, non iam vt latronem, sed veluti Christi Martyrē, inquit author, in loco designato sepeliuit. *Ab illo tempore vsque hodie* (verba sunt eiusdem) *vix aliquis adultus in illa Prouincia inuenitur, qui eius exemplo, diem Sabbati in honorem Dominæ nostræ non ieiunet.* Porro dictum exemplum, ab omnibus passim citatur, & pro Contione ac Catechismo, populo passim proponitur, vt de eo non sit dubitandum; sicut nec de hoc quod iam subijcio.

Thomas Cantipratensis, qui Leuuis S. Petri prope Bruxellam nostram ortus, primum Canonicus S. Augustini in Cantipratensi prope Cameracum Abbatia, deinde Ordinis D. Dominici, Louanij Suprior, & sacrarum litterarum Lector, denique Cameracensis Suffraganeus, in toto Belgio, circa annum Christi 1260. eruditione, & sanctitate clarus fuit, scribit inter alia, fuisse in Normanniæ partibus, virum admodum flagitiosum, & impium; rapinis, & cædibus hominū quotidie debaccantem. Quem inimici in decliuo montis deprehendentes, capite amputato peremerunt. Cuius caput abscissum, trunco corporis in loco manente, in vallem subiacentem vbi deuolutum est, horribiliter in hæc verba exclamauit: *Virgo sancta MARIA, da veram confessionem.* Attoniti occisores insitato hoc clamore, qui per horas plures continuabatur, ad Sacerdotem vicina in villa vnum ablegarunt. Venit Sacerdos, sed capiti appropinquare non audebat, nisi prius relatum, corpori denuo compaginaretur. Quod vbi factum, accessit presbyter, adsedit, & loquente capite, confessionem audiuit. In cuius fine, subiunxit presbyter: *Miror in miraculo de te facto, super omne miraculum quod audiui.* Cui caput ita respondet: *Caussa miraculi hæc est. Audiui adhuc iuuenis, quod quicunque quartam feriam aut Sabbatum, in honorē B. Virginis MARIÆ ieiunaret, veram confessionem antequam ex hac vita discederet, Matris Christi precibus obtineret. Hoc vt audiui, in omni sceleratissima vita mea, dictum ieiunium obseruaui, alterius verò boni, nihil aliud feci.* Hoc audito, Sacerdos miratus est: atque vbi hoc dicentem, & confitentem absoluit, confestim rediuiuus iterum mortuus est, & loquax caput conticuit. Ista Cantipratensis; & ex eo noster Seruatius Lairuelz, Abbas Nemoris Mariani in Lotharingia. Simile prorsus inueniens apud Bonfinium de rebus Hungaricis l. 3. decad. 3. de milite quodam, in bello sub Imp. Sigismundo, occiso, cuius secundo tertioue post mortem anno, loquax adhuc, caput confessionem postulauit, & accersito Sacerdoti eamdem fecit. Quod beneficium pariter se à B. Virgine obtinuisse testabatur, quod septena eius festa, religioso ieiunio in pane & aqua quotannis coluisset. Dicent hic alij quod volent; ego impudentes eos, qui tam sinceris narratoribus non credent. Et ne pro Apocryphis suspecta hæc habeas, recordare quoties præcisis capitibus, Martyres locutos fuisse legamus. De S. Nicasio Episcopo 14, Decemb. de S. Iusto 18. Octob. alijsque plurimis, apud Surium & alibi habemus id testatum. De Monachis Magiensibus Ord. Cistercienſis in Hibernia scribit Chrysostomus Henriquez, & passim alij, eos nuper numero quadraginta cum Abbate, sub Elizabetha regina Angliæ fuisse ab hæreticis in Choro capite plexos, ipsa Virginis Adsumptæ vigilia. Cellarius domū deforis rediens, & misera hac Confratrum strage perculsus, in genua Virgini prouolui-tur, & magis negligentiam tanti festi, quàm mortem eorum deplorans, *Nosti*, inquit, *ò Virgo & Domina nostra, quanta deuotione, & diligentia seruiuerint tibi semper in hac domo, & festa tua celebrauerint. Cur ergo purmittis, vt tanta hæc solemnitas, isto modo negligatur?* Quid autem? Dum sic orat, audit pulsari monasterij campanas, nemine tamen eas mouente, & videt Sanctorum corpora surgere, & quodque suum caput humo tollere, ac corpori imponere. Quo facto, ad sedilia sua vadunt, & Abbas, Vesperas, cæteris prosequentibus, incipit, tanta cantus dulcedine, vt potiùs Angelos quàm homines se audiuisse Cellarius profiteretur. Vesperis demùm absolutis, rursum mortui sunt, & in eundem statum redierunt. Alia huiuscemodi possem infinita adducere in comprobationem superiorum, sed abstineo, ne paritas ista, fastidium faciat. Et qui prædictis non credunt, etiam alijs quæ dici possent, creditu ros non puto. Verùm talibus hæc non scribo. Videant interim, & rideant, si ita peruicaciæ collibitum, ego benignissimæ Matris beneficia admitor & prædico, quæ nullum sibi

*Lairuelz in Catechismo Noui. tit. 2. lect. 45.*

*In fasciculo SS. Ord. Cis. l. 2. dist. 37. c. 1. 2. & 3.*

sibi præstitum obsequium, irremuneratum abire patitur: quæ sicuti à mortuis, ita etiam à mutis, suum Sabbatum prædicari voluit, & à surdis, idem intelligi.

Narrat vetus Author ex Ordine S. Dominici (qui se humilitatis ergo, *Discipulum*, nominat, licet re vera sit Magister (in Prõtuario exemplorum D. Virginis exemp. 28. habuisse quemdam diuitem Plebanum, famulum surdum, & mutum, cui agonizanti D. Virgo apparuit dicens: *Saluet te IESVS Christus Filius meus.* Quæ salutatio adeo fuit efficax, vt confestim, & surdum fecerit audire, & mutum loqui quod audierat, nimirum: *Beata Virgo mihi dixit, fac tibi vocari sacerdotem, & age pœnitentiam & confitere peccata tua, & sume Eucharistiam, atq; alia sacramenta: & postea ducam te in requiem tibi præparatam.* Fecit quod illa iusserat, accersito sacerdote, confessus est, & communicatus, atq; oleo extremæ Vnctionis perunctus. Quem cum omnes admirabundi interrogarent, vnde ei hæc tàm insolens per B. Virginem gratia; respondit se nihil antea de illa sciuisse, vel audiuisse: sed cum Dominum suum semper die Sabbati ieiunare advertisset: & populum die sequenti nihil operari, intellexi, inquit, aliquid boni operis per hoc exercitium eum intendere; cui intentioni, per ieiunium semper in Sabbato me conformaui. Quibus auditis, confirmauit eadẽ antedictus Plebanus, dicens: Sẽper Ille Sabbato, quo in honorẽ Deiparæ ieiunaui, mecũ pariter ieiunauit. Quã verum hic illud Danidicũ, *Cũ sancto sanctus eris?* Itẽ quod *Psal. 17.* Ecclesiasticus c. 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector ciuitatis, tales, & inhabitantes in ea?* Non enim mentitur qui dixit: *Princeps qui libenter audit verba mendicij omnes ministros habet impios;* *Prouerb. 29.*

*Cum faciat famulus, Dominus quod fecerit ante.*

Magnum profecto iam dictum beneficiũ, quod clienti suo ob eius hebdomadariũ Sabbatum religiose obseruatum, præstitisse Deiparam iam audiuimus. Sed non minus, quod *Discip. exem. 30.* ex eodem Cæsario, ac Abrahamo Bzouio *Cæsar. l. 7. cap. 24* nunc subiungo. *Bzouius in Annal. an. 1211.*

Cum Beato Dominico incentore, multi Catholicorum, contra Albigenses hæreticos sacræ militiæ fuissent adscripti, ac Cruce signati, & plurima in terris suis ab ijsdem hæreticis perpessi; duo honesti Clerici illac pertranseuntes, Ecclesiam in via reperorunt desolatam, aitque alter ad alterum: *Sabbatum est, intremus hanc Ecclesiã, dicamusq; Missam in honorem Dominæ nostræ.* Deferebant enim secum Librum, Calicem, & ornamenta Sacerdotalia. Antequam autem Missam absoluissent, proditi sunt hæreticis Albigensibus; qui armati Ecclesiam intrantes, & Sacerdotem foras trahentes, linguam ei radicitus exsciderunt. Quem socius multo cum labore deducens ad Monasterium Cluniacense, eius Monachis commendauit: qui omne humanitatis studium eidem exibuerunt. Accidit verò in nocte Epiphaniæ Dominicæ, cum vigiliæ solemnes decantarentur, vt parietem baculo pulsaret, & ministros aduocaret. Requirentibus quidnam peteret, in Oratorium se deferri indicauit. Victi importunitate illius, tandẽ adduxerunt, & ante altere quoddam deposuerunt. Ibi, cum Matrem misericordiæ tota mente inuocasset, illa ei apparuit, & carnẽ in linguæ formam figuratã, manu tenens respondit oranti: *Quia propter fidem Filij mei, & honorem mihi exhibitum, lingua tua priuatus es, aperi os tuum.* Quod cum ipse feciisset, digitis ori inmissis, radici linguæ præcisæ, eamdem carnẽ coniunxit, & vniuit, atque disparuit. Ille autem cum Angelo in vocem exultationis erũpẽs, salutationem Angelicam, clara voce, ita vt audiretur, recitauit; suæque sospitatrici gratias immensas egit. Cum autem, inquit Cæsarius, Ioannes Scholasticus Sanctensis circa idem tempus esset in Prouincia Albigẽsium, cum exercitu Domini sui; audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum (quo in loco iam ille, Monachus factus erat) venit, & iam dictũ Monachũ sibi ostendipetiit: & obtinuit linguã vidit, & ab eius ore, quædicta sũt, audiuit. Sicuti nobis retulit idẽ Ioannes, prædicta lingua, reliqua carne candidior est, in loco præcisionis seruans cicatricem. Huius miraculi testis est vniuersus Cluniacensium Conuentus vsque hodie. Hactenus Cæsarius. Nec est quod de veritate Historiæ dubites; cum non raro similes curationes de cœlo factas legamus. Ita Leoni tertio, Rom. Pontifici præcisam ab impijs linguam, diuinitus restitutam fuisse, narrat Baron. ad annum 799. Et de B. Ioanne Damasceno refert Martyrolog. Romanum, quod cum ei pro cultu sanctarum imaginum verbo, & scriptis acriter contra Leonẽ Isauricum Imp. decertanti, eius iussu dextera manus amputata fuisset, imagini B. MARIÆ quam defenderat, seipsum commendans, protinus dexteram integram, sanamque receperit; rubicunda tantum linea in loco præcisionis, relicta. Sed ecce tibi aliud; verum ab eadem benefactrice, & ad propositum nostrum. Mulier erat in ciuitate pecatrix, quæ numquam aliquid boni operis fecerat, nisi quod diebus singulis, B. Virginem religiose salutaret Angelica salutatione, & in vno Sabbato, ad eius honorem, Missam vnicam legi procurasset. Quæ cum iam morti esset vicina, ad Deiparam se convertit, dicens: *Domina, Regina, & Mater misẽ-* *Martyr. Rom. 6. Maij.* *Discip. exem. 73.*

*misericordiæ, licet numquam aliquid boni fecerim, tamen confido misericordiæ tuæ, tibiq; spiritum meum commendo.* Aduenerunt mox horribili in specie dæmones, vt animã eius quasi sibi debitam, secum asportarent. Aduenit, & MARIA, sed vt dixi, aduocata, eamdem fortius sibi vendicans. Illi verò instanter vsque repetebant, nostra est, & nobis debetur. Quibus Mater misericordiæ: Nescitis quia me quotidie salutauit, & ad honorem meum, Missam fieri procurauit? Atregerunt: Commisit plurima crimina. *Scitote*, respondit Virgo *quia illa anima numquam damnabitur, quæ mihi seruierit, neque ille vester vnquam erit, qui animam suam mihi commendauerit.* Quibus auditis, confusi dæmones aufugerunt, & Mater misericordiæ *MARIA*, cum peccatricis anima cœlum repetiuit. Ergo quicumque salutis tuæ es auidus, & ab insidiante calcaneo hominis, maligno hoste, liber esse desideras, dic frequenter, dic ardenter:

*MARIA Mater gratiæ,*
*Mater misericordiæ,*
*Tu nos ab hoste protege,*
*Et hora mortis suscipe.*

Item omni die dic MARIÆ, mane, vespere, & meridie, imo per diem quàm sæpissime, sed maximè in eius Sabbato: *Sancta MARIA mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.* Nam si verum fuit, quod à S. Episcopo, de filio suo adhuc hæretico, audiuit olim S. Monica: *Vade mulier à me ita viuas, Fieri enim non potest, vt filius istarum lacrymarum pereat*; Multo verius sanè fuit, quod ipsa Mater summæ veritatis, proprio ore iã adfirmauit. Impossibile siquidem est, vt filius talis Matris, malè vmquam pereat. Quapropter verissimè sanctus Abbas Clarævallensis B. Virgini à secretis, inter arcana cetera, quæ tamquam eius Actuarius nobis cõsignauit, adfirmando exclamat: *Sileat, ò Maria misericordiam tuam, quisquis in necessitatibus inuocatam, eam sibi vmquam nouerit defuisse. Nũ enim deest illi potestas, quia mater est Omnipotentiæ; nec impetrandi industria, quia mater est Sapientiæ: nec voluntas, quia mater est Misericordiæ, quæ diuinæ pietatis abyssum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire. Ergo si insurgant venti tantationum, si incurras scopulos tribulationum, si vndis superbiæ iacteris, si fluctibus ambitionis eleueris, respice stellam, voca MARIAM, non recedat à corde non recedat ab ore.* Sed præ ceteris, memento vt diem Sabbati eius sanctifices, & mortem non gustabis in æternum. Sciebat hoc puella illa paruula, quæ rogita à latrone quopiam, cur tam iuuencula singulis Sabbatis ieiunaret, respondit: *Quia quicumque Sabbatinis diebus, ad honorem B. MARIÆ Virginis ieiunat, numquam moritur sine vera pœnitentia.* Quod gratanter ille suscipiens, pium eius exercitium imitatus est; cumque caput posteà ob malefacta huic præcisum, clamaret, *Confessio, Confessio*; Virginis ope Confessionem à Sacerdote obtinuit, & post Confessionem, cœlestem gloriam acquisiuit. Sicut, & alius in latrocinio ei compar, quod Sabbato vno ad eius honorem ieiunasset, & Missam vnam audisset. Deiparæ auxilio, & intercessione, tantam obtinuit peccatorum suorum contritionem, vt in via cum ad laqueum duceretur, per quinque verba, quæ ei S. Virgo se procuraturam à Filio suo promiserat, ante mortem, veniam eorum, & salutem æternam obtinuerit. Erant autem illa quinq; verba: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

*Discip. exem. 53. & 45.*

Sed nunc audiamus, hisce confirmandis, Magistrum Ioannem Gritsch, ex Ordine D. Francisci, Theologum, & vna pariter Ioannem Carthagenam, eiusdem sacrum Collegam, libro de Mirandis Deiparæ, § 94. hæc sequentia ita describentem: *Miles fuit, raptor, & prædarius, nec Deum timens, neque homines: sed omni spurcitia vitiorum plenus. Vxorem nihilominus habuit admodum deuotam; quæ maritum induxeras; vt ad honorem Deiparæ, Sabbatum ieiunaret, & Aue MARIA, cùm procederet, quaque diceret coram Imagine B. Virginis. Cumque semel iret ad peccandum (verba sunt ad verbum præcitati Authoris citata) Ecclesiam quam præteribat casu ingressus, vidit Imaginem Virginis cum suo Puero in sinu. Et cùm cœpisset Virginem salutare per Aue MARIA, vidit puerum Christũ vulneratum, & eius sanguinem fluere in gremium Matris, quo viso, obstupefactus, dixit: ò Domina, quis fecit hoc? Respondit Virgo: Tu, & alij peccatores, qui amplius crucifigitis Filium meum, quã Iudæi. Volebatque Virgo sanguinem Filij sui tergere, nec poterat. Tunc peccator ille compunctus, ad Virginem dixit: ò Mater misericordiæ, intercede pro me. At illa: Vos peccatores vocatis me Matrem misericordiæ, qui non cessatis me facere matrem miseriæ, atquæ tristitiæ. At ille: Non Domina clementissima loquere sic: sed memẽto te esse Aduocatam peccatorum, & intercede pro me. Tũc ait Mater ad Filium: ò pijssime Fili, amore mei, miserere huic peccatori mihi supplicanti. Et Filius: Noli Mater grauari quod te non audiam; quia & ego rogaui Patrem meum, vt si possibile foret, scilicet, alio modo, redimere genus humanum, transferret calicem Passionis à me, & noluit me audire. Tunc Mater ait: ò Fili, memento quod materno amore te vis-*

*D. Bern. serm. 2. de Adsump. Virg. Idẽ serm. 1. in Salue Regina. & serm. 20.*

*viscerib⁹ meis alui, & condona huic peccatori. Et Filius ait: Ex iustitia tibi ostendo, quod te exaudire non teneor. Et Mater. Nō secundùm iustitiam causemur, sed secundùm misericordiam, quia ego sum Mater misericordiæ: ergo propter me, miserere peccatoris. Tunc Filius: & ego secundo rogaui Patrem transferre Calicem, & nondum audiuit me. Ad quæ iterum Mater: ò Fili, memento omnium laborum nostrorum, & dolorū quos substinui, & dona mihi hunc peccatorem. Et Filius: ò Mater, noli grauari, sed memento, quia ego tertio rogaui Patrem, & non audiuit me. Statim autem Mater deposuit Filium suum ad altare, volens procidere ad pedes eius, genuflexo. Quod videns Filius, dixit: ò Mater, quid sic vis facere? At illa: Tandiu ante pedes illos genuflexo prouoluta stabo, quousq; ei veniam cōcedes. Et Filius: Absit hoc à me, quia à lege diuina sancitum est, vt filius honoret Matrem: & cùm sim filius tuus, te honorare volo. Tunc ait: Peccatori isti, propter te, ò Mater, indulgeo; & in signum pacis, accedat, & osculetur vulnera mea. Quod cùm ille fecisset, ecce osculando, omnia sanabantur. Et sic cognouit misericordiam se promeruisse; & maximas gratias agens Deo eiusque Matri, abscessit: domumque rediēs, malè ablata restituit, mundumque deserens cum sancta vxore, Religionem intrantes, communi consensu, ad sua Monasteria, ibi felici fine quieuerunt.* Vnde benè de hoc ieiunio Sabbatino Thomas Cantipratensis:

*Lib. 2. Apum c. 28.* *Scio, & certus sum, quod in multis dictum ieiunium, efficaciam habuerit salutarem, vt in fine confessionem veram haberent, & arctiuæ pœniterent. Quod gloriosa Virgo ita voluit demonstrare, vt sedulos dilectores suos, iuuandos à se, & honorandos, altius cōprobaret.* Quod facit efficacius, dum hominibus huiusmodi flagitiosis, & pœnè desperatis, fidele suum patrocinium subministrat. Si enim in arido hæc faciat; in viridi quid fiet?

Et sanè notatu dignum est, non solum Deiparam, tot latrones, quotiam vidimus, sed, & plures multos Deum sæpius mirabiliter conuertisse. De latrone, cum Christo, Crucifixo, quem passim, Dismam vocant, & cuius nomini plura reperiuntur sacra sacella, omnes norunt, qui passionem Dominicam vel legerunt vel audiuerunt: eiusque festus dies, 25. Martij in Tabulis Ecclesiasticis assignatus habetur. De septem alijs à S. Iasone conuersis, ac postea sanguinē suum, non pugnando, sed pro Christo patiendo, profundentibus, agit Martyrol. Rom. 29. Aprilis. Sicut & 28. Augusti, vbi legimus Commemorationem S. Mosis, qui ex insigni Latrone, insignis Anachoreta factus, multos Latrones

*Martyr. Rom. 25. Martij.*

conuertens, secum duxit ad Monasterium. Item 26. Iunij idem Martyrologium; *Thessalonicæ, S. Dauid Eremitæ.* Qui vt habent eius Acta, famosus primum Latro, & hominum trucidator; conuersus postea, frequentem populum ad tuguriolum suum aduentātem, salutaribus imbuens præceptis, à peccatis liberatos, sinceritati Christianæ disciplinæ restituit. Cumque Angelo cœlitus nuntiāti peccata pristina illi esse dimissa, credere noluisset, statim obmutuit, adeo vt deinceps linguæ suæ officio vti non posset, nisi cùm aut Deum oraret vel laudaret. Nec dedecori; imo gloriæ est Cœnobio Affligemiensi, à Latronibus exordium suum repetere. Et Villario, septem vna die Milites, *Conuersorum* cucullis induisse. Quid enim? Verissimum illud perseuerat Christi: *Non veni vocare iustos, sed peccatores. Neque enim est opus valentibus medico sed malè habentibus.* Sic & B. Virgo, quæ ab vniuersa Ecclesia salutatur, & est, *Refugium peccatorum*, his potissimum, quo efficacior eius pateat medicina, subsidio fuit.

*Math. 9.*

## CAPVT X.

### *Prosecutio superioris argumenti & Capitis.*

PRolixior sum, fateor, in recensendis beneficijs hisce Marianis. Sed cui rei melius, attramētum, & chartam ego impēdam: vos autem, horas etiam bonas? Erunt nonnulli, de quibus haud dubito, & quos ne minimum quidem formido; homines scilicet morosioris palati, atque in sensu proprio nimis quam sapienter abundantes, quique in amœnitates illas sacrorum exemplorum despuere solent, quibus hæc paritas erit fastidio. Sed hæc, si placet, ad trutinam examinent, etiam melioris notæ historicorum, qui eadem suis in scriptis promiscuè referunt, neque integros Libros ijsdem replere verentur. Accipite igitur, mei Belgæ, leuando tædio, & veritati prædictorum confirmandæ, Comprouincialem vestrum, eximium D. Virginis Amatorem, eiusque hebdomadarij Sabbati religiosum Cultorem. Is est Vualterus Birbachius, Baro de Birbeke (qui olim hæreditariè à Cubiculis Duci nostro) in Brabantia, & Henrici Ducis Louanienſis consanguineus. Hic officio quidem primum Miles (sonat hoc verbum antiquitus, Equitem auratum.) Sed pietate, adhuc in sæculo degens, verus Monachus (quem, & postea induit) præter quotidiana eaque eximia Mariani cultus argumenta, singulis Sabbatis, ad honorem Deiparæ, crudo pane, & aqua frigida ieiunare consueuerat. Quod ieiunium adeo Virgini nostræ placuit, vt nō raro, aqua

*Vide Chronicon. Brabant. in initio.*

*Cæs. l. 7. c. 32. & ex eo: Costerus in miraculis D. Virg. miraculo 16.*

sit in

fit in vinum conuersa. Cùm enim quodam Sabbato, minister ei de more aquam attulisset, in vinum subitò mutata est. Reprehensus minister quasi per errorem vinum porrexisset, denuo de fonte hausta frigida, in vinum merum conuertitur; non dubium quin eius beneficio, quæ in nuptijs Cananæis, hydrias aqua plenas in vinum optimum conuerti impetrauit. Quæ & insuper Vualterum prædictum, iam Monachum Cistercienfis Ordinis professum, à temporali hac vita, sub mortem invitauit, & deduxit ad vitam sempiternam. Id enim confirmant Miracula post mortem per eum patrata; imo per ipsius veteras etiam calceos, quorum aptatu, paralyticus quidam, & alter, periculoso circa pectus laborans apostemate, curati sunt. Vnde & Chronicon Brabantiæ, Brabanto idiomate olim editum, inter Sanctos huius Patriæ eum connumerat. De quo plura, eaque pulcra ad cultum Marianum pertinentia, vide apud supra citatum Cæsarium. Qui ibidem cap. 15. ita scribit: *In monte Pessulano (situs est is in Gallia Narbonensi) in quadam nominis sui Ecclesia, tantas operatur sanctissima Deipara sanitates, vt Medici, gratiæ inuidentes, pauperculis infirmantibus, & pro remedio sanitatum ad se confluentibus, dicere soleant: Ite ad Ecclesiam S. MARIÆ, deferte ei lumen, & recipietis sanitatem. Et cùm hoc irenice dicant, inquit idem, pauperes ab ijs passi repulsam, ad ipsam confugiunt, & sanantur. Numquid non vides, ait, quàm celerem sanitatem consequantur febricitantes, ieiunium trium Sabbatorum, vsque post Solis occasum ipsi vouentes?* Vbi nota, certum numerum dierum, iam ante 400. annos, in peregrinationibus aut votiuis visitationibus, à Christi fidelibus fuisse obseruatum; quandoquidem veluti solemnem tunc temporis referat, per tria Sabbata, pro curatione febrium, Ecclesiæ Marianæ visitationem, quæ & ab antiquo, ad *Dominam nostram in Arena*, extra portas Oppidi Herendalensis, cum miraculorum fœnore, in vsu fuit; vbi ex sacro Calice, post Missam, exputeo eiusdem Sacelli hausta aqua, febricitantibus tertiò per tria Sabbata bibenda, à Sacerdote porrigitur. Estque hic numerus ternarius, hodieque in similibus pietatis exercitijs, apud omnes passim, in quotidiana obseruantia; quamuis nouendialis, iam celebrior fiat. De quo, à superstitionis suspitione vindicato, litius in Historia nostra *S. Dimphnæ*, vbi ceremonias sacras quoad energumenorum curationem in Gela obseruari solitas, explico, & vindico.

Aliud hic Deiparæ beneficium subijcio, æquè in nostro Belgio, imo media pœne Brabantia, ipso eius Sabbato, & indubie, per ipsius merita, qui Virginem Sabbato venerabatur; aut, vt melius, per ipsam Virginem exibitum. *Teneramundæ, inquit Lipsius noster (à cuius verbis, quia meliora non suppetunt, ne vel verbo in hac narratione recedo) in Flandria ad Scaldim fluuium sartor opificio fuit, cui nomen Bartholomæus Broecus. Is cum panni aliquid fuisset, surgit, & vestem nouam parat scindere. Acu igitur cum filo in os accipit, vt liberas manus haberet: & dum operi totus intendit, acus insertæ oblitus, eam cum filamento demittit, & deglutit. Post factum sentit, & stat attonitus: ad vxorem deinde abiens, Perij ò mea, inquit, ac casum narrat. Illa vna lamentari, & ad vicinos, deinde cognatos, & Medicos ire, opem ab omnibus, aut consilium poscere. Multa dicuntur, & fiunt. Frustra omnis conatus est, & dies ipsos quatuor, acum in corpore circumfert. Venit deinde Mecliniam, vbi fratrem habebat rei medicinæ deditum. Consulit, & ipsum, & alios. Purgat, & medicantur: sed acum hanc inter eiectamenta, numquam vident. Forte dies Sabbati erat, & conuiuiolum aliquod Medicus instituerat fratri recreando. Producunt id hilariter, & more gentis nostræ, in vesperam. Ecce autem æs campanum sonat, & Medicus ad Templum iræ se infit, ad D. Virgines eodie solemnes Laudes. Alij tamen residunt: ipse Bartholomæus cui vultus quam animus, hilarior, surgit, & adignem adstat solus meditabundus. Incidit cogitatio, quoniam frater de sacra Virgine, illius inclytæ Hallensis: & statim animum eo mittit, & corpore vouet secuturum, si eius ope sit saluus. Vix dixerat, sentit in dentibus aliquid volui, & implicari digitos immittit, acum vna cum filo educit. Lætus fratrem reuersum lætificat, miraculum ostendit potius quàm narrat, & fidem à re facit.* Ista Phœnix noster Literarius. Sed nunc audiamus Augustinum Mannum, in historia rerum memorabilium in Ecclesia Dei gestarum cap. 80.

*Lipsius in Virg. Hallensi c. 25.*

*Quædam mulier, inquit, formosa satis, vitam meretriciam in Vrbe (Romæ scilicet) viuebat, quæ cum diebus singulis peccare nõ vereretur, Sabbati tamen diem, propter B. Virginis amorem, numquam se violaturam fornicando proposuerat. Quod cùm diu inuiolabiliter obseruasset, & multis procaciter sollicitantibus semper constantius restitisset; B. Virgo, misericordiæ Mater, inter media mulieris illius peccata, qualemcumq; animi deuotionem non contempsit; verùm, illi odium peccandi à Deo impetrauit. Vnde mulier, vt nec Sabbato, neque alio die peccare posset, Monasterium Conuersarum Meretricum ingredi deliberauit: at cum dotẽ, quæ Monasterio dari ab ingredientibus consueuerat, nõ haberet; ingressum retardabat.*

*Inte-*

*Interim ingreditur ad eam vir natione Anglus, qui cum illam rogaret, vt libidini suæ obsequeretur, & esset Sabbati dies, negauit illa se vmquam die illa peccatarum: imò se, vt nullo tempore Deum offenderet, constituisse, religiosam vitam in Monasterio Conuersarum acturam; verumtamen tristari quã plurimum se id primum exequi no posse, cũ sufficientem dotem non haberet. Quod cum Anglus audiuisset, quamquam libidine ferueus, pietate nihilominus motus, animum mulieris laudans, spopondit, sese, quidquid et deesset, libenter daturum, dummodo pium hoc propositum adimplere vellet. Accepit illa fidem viri, & obtinens ab eodem aureos quotquot habebat necessarios, Religionis habitum, & professionem in Monasterio Conuersarum (vulgo apud nos* Beheerde sondaerssen*) suscepit, anno 1601. mense Iunio.*

Sed accipe non absimile ipso quoque Sabbato, & propter honorem eius patratum. Mi-
*Vincen. l. 7. c. 202.* les quidam, vt refert Vincentius Bellouacensis, diuitijs, & gloria bellica celebris, sed feminarum concupiscentijs totus deditus, ad terneamentum, vt loquitur (nos hastiludium dicimus) Franco vocabulo, in Normanniæ partibus instituendum pergebat. In via, puellam Virginem perhonesta forma cõspicatus, mox cupidinem, & famulum suum ad eam mittit; spondentem hunc patri puellæ decem libras, & vestem ad opus, atque ad ornatum, dummodo filiæ suæ potestatem vna nocte Domino suo faciat. Parens promissione (vti etiamnum sæpius contingit) adlectus, filiam cum famulo ad Dominum demittit, licet multum reclamantem: quam cũ Miles, iam imminuendam in cubile seducit (*erat autem nox Sabbati,* inquit Bellouacẽsis, *quod S. Deiparæ, fidelium deuotio consecrauit*) illa toto animo anxia, in suspiria soluitur, & in lacrymas. Quod Miles aduertẽs, Ecquid, inquit, carissima, hæc suspiria? quid hæ lacrymæ? Ad amicum scito te venisse, nõ ad hostem. Cui puella, simul cum hisce de nomine eius interroganti, respondit: MARIA vocor, & MARIÆ, eiusque Filio Virginitatem voui; quam si mihi violaueris, melius erit mihi mori, quàm turpiter cum eius detrimento voti ream viuere. Animus, addit, mihi dudum, quo firmius illud obseruarem, Monasterium Virginum ingredi, atque in eodem me concludere: sed obstat parentum paupertas, & votum retardat inopia; nam eo fine, & litteras didici, & Horas B. Virginis persoluere, edocta sum. Mouerunt hæc ita Militem (non sine Diuæ illius numine) vt libidinem iam exilientem coerceret, & hæc sanctè ei affirmando sponderet: *Quia nox Sabbati est, & quia tu, MARIA diceris, propter noctis, & nominis huius honorabile sacramentum, intactam te seruabo: neque in hac nocte, quam sibi æternæ diei Mater dedicuit, in te operabor opera tenebrarum; sed sicut dies illuminabitur mihi ad conuersionem. Verum, & hæc præter, amplius; In Cœnobio Virginum locum tibi ære proprio comparabo, quo deinceps, Deo eiusq; Matri Virgini, Virgo inseruias.* Spoponuit hæc Miles; & mox sponsionem facto adimpleuit. Illa Monasterium, dote addita, ingressa est: & ipse hastiludium; in quo tamen infeliciter occubuit. At sanctissima Deipara Cultoris sui non immemor, obsequium, sui in honorem puellæ exhibitum remuneratura, eidem de cœlo apparuit, admonens, vt Abbatissimæ suo significet nomine, quatenus corpus Militis defuncti, intra Monasterij Claustra sepeliendum aduehat, fidelium suffragijs adiuuandum. Hoc autem, inquit Deipara, tibi erit signum me re vera esse quam profiteor: Rosam super sepulcrum eius vernantem reperies, cuius radix de ore sepulti pullulat in visceribus terræ. Significauit hoc Deiparæ mãdatum Abbatissæ suæ, obediens virguncula. Verum præter hypocrisis, & fictæ visionis improperium, retulit nihil. Vnde cum lacrymis ad MARIAM reuersa, eidemque negotium referens, secundò idem mandatum accepit, addiditque B. Virgo, nonnulla in confirmationem, de certo peccato, at occulto, quod Abbatissæ restabat confitendum, & vt aiebat, lacrymis eluendum. Quæ per hæc clariùs, & certiùs edocta, cum Conuentu suarum Virginum, demandata executura, nudis pedibus, & prompto animo processit ad locum designatum; confessione antea, vt monita fuerat, facta. Et ecce indicio rosæ dato, corpus militis inuentum, ad Monasterium suum transtulit, & honorificè ibidem sepeliuit. Magna sanè dignatio S. Deiparæ, magna gratitudo pro defuncti corpore tàm sollicitæ; cui & contritionem in morte, & per hãc, æternum gaudium impetrauit, eo quod in reuerentiam sui *Sabbati*, peccato iam iã perpetrando abstinuisset.

Quomodo Virgini iam dictæ, sanctissima Virgo subuenerit, quod Sabbatum suum religiosè obseruasset, modò audiuimus. Restat vt de coniuge (quoniam, & Deipara, Virgo Coniux est, secundum illud Ecclesiasticum,

*Gaudia matris habens cum virginitatis honore*)

etiam aliquid in commendationem Mariani Sabbati dicamus. Rem, quam volo, ita ex Annalibus Francisci Bencij narrat Catechismus Historialis, aliàs, *Flores exemplorum*. Excurrit vnus sub Epiphaniorum festũ, in oppidum Toparchæ cuiusdam excellenti pietate, qui olim educatus inter Conuictores Viennæ. Vxorem hic habebat sterilem, nec

*Catech. Hist. tit. de cultu D. Virg.*

nec satis firmam in fide, cùm vesceretur cibis illicitis. Persuadet mulieri noster (erat is de Societate IESV) vt si liberos velit, habeat hunc saltem honorem Virgini, *vt à carnibus Sabbato abstineat*; diuinam illi opem sub tanto patrocinio adfuturam. Fidei respondet euentus. Vno partu geminos, marem, & feminam enixa est: & agnoscens diuinum beneficium, vterq; coniux, aureæ casulæ, calicisque donum miro artificio, Deiparæ, quæ colitur in nostro Templo, ex voto dedit. Hæc ille de muliere, cui profuit diei septimi abstinentia, non quidem Iudaico ritu, sed Ecclesiastica propter Virginem pietate. Et sanè, quæ fructum nobis illum benedictum ventris sui peperit, quidni alias sibi deuotas parere faciat? Non enim minus est Virgo puerperarum, seu etiam sterilium Coniugum (vtpote de sterili matre, & ipsa miraculosè nata) quàm Virginum Patrona. Gaudet quidem impensissimè honorifico illo titulo *Virginis*, quod videlicet nulli simili, virgo semper fuerit ante partum, permanserit in partu, & post partum eadem permanauerit. Vnde in Ecclesia Dei, à perpetua virginitate, perpetuum hoc cognomentum adiecuta est, vt teste D. Epiphano, *nullo quis sæculo ausus fuerit nomen S. MARIÆ proferre, qui interrogatus, non statim intulerit Virginis vocem*. Sed multò magis, his non obstantibus, congratulatur sibi de excellenti illo Epitheto, *Deiparæ*, quo nullum maius, ne ipse quidem Euangelista, licet Spiritus sancti afflatu plenus, reperire potuit, dum tantummodo hoc audet: *De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus*. Pro quo nomine retinendo, ad mortem vsque contenderunt olim SS. Patres omnes; antiquum illud, Θεοτόκον, contra Nestorium summis viribus defendentes: ac veluti per manus traditum, peculiari studio Orthodoxis omnibus complectendum, Concilij Chalcedonensis sacri Senatores definiuerunt, vno ore conclamantes: *Christus Deus est. Sancta Virgo* Θεοτόκος. *Sancta Virgo* Θεοτόκος *scribitur, qui non capit, hæreticus est, Nestorianos mitte foras*. Atque hinc extimo laudabilem illam consuetudinem manasse, vt nouæ Nuptæ, siue etiam steriles, S. Deiparæ intercessionem pro obtinenda prole, hodieque implorent: probe nimirum edoctæ, quàm sæpissimè eam huiusmodi supplicationibus adnuisse; quemadmodum inter reliquas, de Regina Franciæ, Blancha nomine, Seraphinus Razius commemorat; quæ dudum sterilis, & infœcunda, Deiparæ ope, fœcunda effecta, Ludouicum sanctum, cœlo terraque gloriosum, postmodum est enixa. Sanè, extat propè Distemium ad fines Brabantiæ nostræ, sacellum D. Virgini sacrum, vulgo, Onse Liebe Droulue tẽ Donch, quod olim, atque etiamnum, impetrandæ fœcunditati, & proli obtinendæ, solent steriles, ac nouæ Nuptæ religioso voto frequentare. Sed, & in puerperio constitutæ, aut illi appropinquantes, specialiter se eidem Deiparæ, etiam præuia sacra cõmunione, adsueuerunt commendare; quatenus illa, quæ sine dolore peperit Saluatorem seculorum, in tam anxio vitæ discrimine, obstetricantem suam manum adhibere dignetur. Quod & frequentissimè præstitit, prout pluribus, in *Corona mea stellarum duodecim*, demonstro cap. decimo octauo. Quapropter, consultè admodum D. Fulgentius: *Venite Virgines ad Virginem. Venite concipientes ad concipientem. Venite Matres ad Matrem. Venite lactantes ad lactantem. Venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo MARIA in Domino nostro IESV Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret*. Cõfugit ad illam, nec frustra, quia auxiliatricem manum experta est, magnæ memoriæ Margareta, Hispaniarum nuper Regina, Philippi tertij Cõiux, & quarti Mater, quæ quoties partui erat vicina, obstetricantem eius dexteram, per se & per alios deposcere consueuerat, & nouẽdiales preces, ac supplicationes, ad diuersa Deiparæ templa instituebat, in quibus nouẽ sacra ad Deiparæ honorem, & parturientis Reginæ subsidium decantabantur quàm solemnissimè. Primum erat de Conceptione Virginis. Secũdum, de eius Natiuitate. Tertium, de Præsentatione. Quartum, de Annuntiatione. Quintum, de Visitatione. Sextum, de Expectatione partus Virginei. Septimum, de Purificatione. Octauum, de Assumptione. Nonum denique, quod in festo *S. Mariæ ad Niues*, celebratur. Tempore verò partus, Officium Ecclesiasticum de partu eiusdem Deiparæ, & Christi Domini, canebatur. His munita præsidijs Regina, quam prolem feliciter enixa fuerat, eam solemni delatam supplicatione, ed Ædem D. Virginis, à *S. Florentio*, vulgo nominatam, stans coram eius magine imiraculosa ibidem adseruata, deuotissimè eidem offerebat, & copiosam sibi, suisque prolibus benedictionem reportabat; ingenti totius Ecclesiæ bono & gaudio, prout experientia comprobauit, comprobauitque in plures deinceps annos. Quod est votum omnium & singulorum Belgarum. Imò esse debet omnium, & singulorum Christianorum; vtpote quorum salus, à salute hodie pendet Domus Hispanicæ. Imitentur porrò hanc Heroinam, omnes Nuptæ, & quæcumque parere gestiunt, antequam parturiant. Sed, & insuper caueant, eiusdem opem hac in re contemnere, aut vilipendere, ne & illis contingat, quòd de duabus puerperis, fideliter planè refert

*Epipha. hæresi 78.*

*Matt. 1.*

*Act. 1. Concil. Chalced.*

*In horto exempl.*

*Serm. de laud. D. Virg.*

*Historia vitæ & mortis eius, p. 2. ca. 10. & 11.*

Guil. Lindanus, Episcopus nuper Ruremun A
densis, ac postea Gandauensis. Quarum altera (contigit anno nostro Iconoclastico 1567.
*Lindan. Apolog. 2 fidei Catholicæ c. 11. item lib. de fugiend. idolise. 2.* in Hollandiæ oppido, vulgo, *Asperen*) de secta Anabaptistarum, iam parturiens, sed periculose admodum laborans, cũ ex more, ab vna circumstantium esset admonita, D. Virginem vt inuocaret auxiliatricem, respõdit perulãter omnino, quin & blasphemè: *Quid mihi istam dicis scrofam?* Respondit, inquam, istud: Verũ non impunè. Mox enim nigellas quam plurimas, sed emortuas, in lucẽ edidit suculas, siue paruas sues. Altera verò, prædicto Lindano benè nota, sed eadem hæreseos nigra fuligine aspersa, & Hollandiæ pariter incola, cum iam medijs in puerperij anxietatibus esset constituta, videretq; B
à quadã Catholica ibidẽ præsente, candelã ante Imaginẽ S. Deiparæ ibi pendulã, accẽdi, quo facilius parturienti eiusdẽ opẽ obtineret; non obstante extremo hoc vitæ discrimine, clamat, vociferatur, & imperat, lumẽ ab Imagine amoueri, ne honorem soli Deo debitũ, idolo tribuat. At quod præmium zelati huius diuini honoris? Per ingentes cruciatus, miserabilem fœtum in fruttula plurima turpiter dissectũ, miserè emittit, Cauete, ô Coniuges, à fermento hoc hæreseon, & æmulamini charismata meliora; ac imprimis cum muliere illa Germanica superius relata, *Marianum Sabbatum* piè obseruate. Istud denique C
festinanti exciderat. Sed reprehendo in manum; & accipe, priusquàm me hinc amolior. Antonius Spinellus tractat. de miraculis D. Virginis, num. 65. scribit de puero, vndecim tantummodo annos nato, qui singulis Sabbatis, in honorem Deiparæ, lacticinijs cõ sueuerat abstinere: atque ob hoc aliaque Marianæ pietatis obsequia, ab incẽdio, & extremo mortis discrimine, per eamdem meruit liberari. Tu Lector eum consule, & de alijs alios quàm plurimos. Nolo enim densissimã hanc veratium exemplorum siluam penitius subire; cui cædendæ, obtusa mea securis non sufficiat. Quare manum de tabula tollo, & D
intra pelliculam meam me contineo; ne quis illud Apæleum mihi obijciat. *Ne sutor vltra crepidam.* Et, *sufficit diei malitia sua.*

*Namque voluptatem commendat rarior vsus.*

## CAPVT XI.

### *Quænam pietatis opera, singulis Sabbatis, in honorem Deiparæ, sint exercenda?*

QVamquam nonnulla eorum, ex ijs quæ iam tribus quatuorue consequenter Capitibus à me relata sunt, desumi abundanter satis possint: tamen vt eadem planiori ordine plenius explicem, & proponam, visum fuit quædam hic repetere, ac nonnulla insuper adijcere; non quidem à me conficta aut inuenta (candide enim profiteor, me in huiusmodi exercitijs debere doceri potius, quàm docere) verum quæ in aliorum Spiritualium, & Theodidactorum Libris, ac Scriptis inueni. Etũ enim pœnè nihil à me hic scribatur, quod non ab alijs iam sit scriptum ante (nam, & hodie, illud vetus verum est:

*Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius*) *Teren. in Eunucho.*

Tamen, quia non ad omnes, fortè etiam paucos, ista peruenerunt aut peruenient; ideo haud inutile vel superfluum iudicaui, eadem alijs subministrare, & veluti digito ad plenos fontes remittere, vbi plinis faucibus haurire poterunt, quantum desiderent, & opus fuerit.

Postquam igitur cum B. Ioanne Euangelista, virgineo Virginis Deiparæ Custode, eam in tua receperis, hoc est, singulari pietate, amore, & deuotione in tuam Matrem illam elegeris, atque in intima cordis penetralia deduxeris, mane cuiusque Sabbati, simul atque euigilaueris, ardentiori quàm aliàs affectu, quàm primùm eam salutabis: & alacriori animo è lectulo te proripiens, per Orationem, genuflexo, te tuaque omnia, per istum diem agenda, eidem deuotissimè commendabis. Iuuabit ad hoc, si melior ad manum non fuerit, oratio subsequens, in Ecclesia multum frequentata:

*O Domina mea, sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuã sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & disponantur opera, secundum tuam tuiq; Filij voluntatem. Amen.* *Habetur in fine Breuiarij nost. Præmonst.*

Deinde ex toto corde, & viribus totis, offeres ei ad laudem, & gloriam nominis eius, omne quodcumque eo die facies, in verbo, & in opere; cum ardenti desiderio, vt omnia, & singula cedant ad augmentum obsequij, ac cultus illius. Quo fiet, vt singula opera tua, etiã indifferentia alàis, virtutis, & meriti rationẽ sint haqitura, & copiosũ diuinæ benedictionis lucrũ sis consecuturus. Siue ergo tũc manduces, siuebibas, siue aliud quid facias, omnia, & singula ad illius gloriam, tuumq; meritũ dirigentur. Qua in re multi simpliciores opifices, agricolæ, alijq; permulti deficiunt, facientes permaximos labores

in ope-

in operando, sed sine merito, quia laborant A tantum ex motino, & fine naturali, vt scilicet sibi, suisq; de vitæ necessarijs prouideãt: qui si docerentur eosdem vlterius quotidie ad Dei; diebus autem Sabbati ad Deiparæ honorem, & obsequium referre, nullo lucro terreno fraudarentur, sed præter hoc, ingens meritorum lucrum apud Deum, eiusque Matrem sibi conquirerent. Vnde legimus in vita S. Mechtildis, quodam die per reuelationem, eam audiuisse: *O si scirent mortales, quantum quolibet die mereri suamq; coronam augere possint! si scirent, quam pretiosum sit æquè, ac breue tempus huius vitæ, exultarent, & iubilarent in Spiritu, manè cũ expergiscuntur, ac immensas gratias ageret* B *Deo, quod eius gratia dies ille eis illuxisset; quo tantos sibi thesauros, in omnẽ æternitatem mansuros comparare possunt.* Profectò si serio cogitaremus, quanta gloriæ, & bonorum lucra in cœlis, singulis horis per actus humilitatis, patientiæ, charitatis, orationis, imò vt iam prædixi, per opera etiam alias indifferentia, in sublimiorem hunc finem relata, comparare possemus; quomodo opera operibus, merita meritis, lucra lucris, instar mercatorũ congregandis opibus inhiãtium, in dies singulos accumularemus. Audiant ergo torpidi, & tepidi admonitionem hanc Sapientis, ad modum sapientem: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* C Audiant, & clasicum hoc Boetij l. 4. consol. Philos. & 7.

*Ite nunc fortes, vbi celsa magni*
*Ducit exempli via. Cur inertes*
*Terga nudatis? superata tellus*
*Sidera donat.*

Offeres itaq; Deiparæ corpus tuũ, & animã, cogitationes tuas, desideria, opera, atq; vsum omnium sensuum tuorum. Neque generali hac oblatione, eo die contentus eris, sed & in superfirmo proposito statues, te nihil eodem dictarũ, vel actarũ, quod honori eius contrarietur: quin imò, tum verbo, tum exemplo, quoscumq; poteris, ad eius cultum prouocaturum. D

Particulare quoq;; aliquod vitiũ quo maximè infestaris, seu peculiarẽ aliquem defectum, sumes eo die expugnãdum: quo ad vltque per singula Sabbata, de omnibus victoriam reportaueris, & ad concupitam mentis puritatem veneris. Dum enim fortissimum vitium quod nos maximè inquietat; & quasi aliorũ dux est, vincimus, facilè etiam reliqua paulatim superabimus. Occiso namque Goliath à Dauide, *videntes Philistim quod mortuus esset fortissimus eorum*, in fugam conuertuntur. Ad quod plurimum conducet, si feruenter, & frequenter in actibus contrariæ virtutis, isto die te exerceas. Contraria siquidem contrarijs curanda sunt.

1. *Reg. cap. 17. Vide Iac. Paz l. de extir. vitior. & adept. virt.*

Deinde, à te ipso tu ipse pete, vt in honorem B. Virginis abstineas ab isto vitio, ad illum saltem diem; aut ad minimum, per tres horas, si tale sit vitium, in quos frequenter incidas. Postea, elapso hoc tempore, idipsum denuo pete, vt ad alias tres horas, ac sic deinceps; donec adiuuante S. Virgine, victor euaseris. Quod si subinde emergẽtibus occasionibus, grauior te vrgeat tentatio, & tu ipse grauius, ac fortius vrge te ipsum hisce considerationibus: *Tu ne B. Virginem desiderantem, rogantem, obsecrantem vt ab illo vitio abstineas, non exaudies pro sua reuerentia?* Hac sanè industria D. Bernardus nobilem Gallum, ad meliorem vitam traduxit. Nam post tentata iam dudum, at frustra, alia remedia, vt reuocaretur à grauiori quodam crimine: Agedum, inquit Bernardus, quandoquidem diu abstinere non potsis ab isto crimine, ad triduum saltem abstine in honorem Dei. Abstinuit Gallus. At post illos tres dies, iterum rogauit Sanctus, vt ad alios tres, pariter abstineret in honorẽ Deiparæ. Consensit supradictus. Deinde post illos tres, abstinuit, & ad alios tres dies, in honorem Sanctorum omnium, prout fuerat ab eodem rogatus: donec tandem ad D. Bernardum reuersus, non iam trium dierum inducias, sed pacem perpetuam cum Deo iniuit, alium prorsus in hominẽ transmutatus. Nec dubiũ, si hunc fueris imitatus, quin illa, quæ speculum, & exemplar est virtutum omniũ, nec non Mater gratiarum, gratiam tibi impetrabit ad virtutes istas conquirendas: atque instar Debboræ, tecum in aciem descendet contra Sisaram infernalem deprælatura. *Vt autem impetres orationis eius suffragiũ, ne deseras conuersationis illius exemplum.* Qua propter singulis etiam Sabbatis, particularem aliquam Deiparæ virtutem, propones tibi imitandam; cuius sanctissima conuersatio in terris, nõ aliud fuit, quàm perfectissimum exemplar omnigenarum perfectionum. Vt merito S. Ambrosius, idem nobis in prototypon, & idæam proponat, vbi dicit: *Sit vobis tamquam in imagine descripta Virginitas, vitaq; B. MARIæ, de qua, velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tãquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt.* Ausim sanè affirmare, sine hac imitatione, cætera pietatis nostræ obsequia, parũ Virgini placitura. Nulli reuerentiæ, nulli fiduciæ, amori sue actus solidi, perfecti, grati: nulla deuotionis exercitia, sine hac imitatione profutura sunt. Præcipuum namque obsequium est, si non tantum precibus, sed magis vita, & conuersatione eam sequaris. Non mea hæc est affirma-

*Vide Bernard. sup.*

*Ambr. l. 2. de Virginib.*

tio, sed ipsius Virginis; quæ iuueni cuidam, sibi quidem multum deuoto, attamen in vita, & moribus admodum dissimili, hoc est, dissoluto & impuro, in vasta solitudine oberranti, & famelico, de cœlis apparuit, obsonium sedandæ fami oportunum deferens: verùm in lance adeo sordida, ac putida, vt ille nauseabundus, quantumuis esuriret, bolum vllum, ex eadem sumere adhorreret. Cui tũ apposite Virgo: *Et talia sunt, quæ tu mihi quotidie offers fercula, Rosarium, Officium, aliaq; pietatis exercitia, quæ tu singulis diebus mihi exsoluis; bona sunt quidem, & sapida, sed tu ex tam impura lance, ex tam inmunda, graueolenti, ac scelerata cõscientia, ea mihi præbes, vt primo aspectu nauseam, & horrorem pariant.* Hoc viso, argutoque monito instructus, & permotus Inuenis, quã primum resipuit *Munda igitur prius*, ò Cultor Marianæ, *quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat & id quod deforis est, mundũ. Quia non omnis qui dicit ei, Domina; Domina, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem eius, & Filij qui in cœlis est.* Quantum enim suorum Clientum puritate, humilitate, modestia, aliarumq; virtutum exercitijs, oblectetur purissima, humillima, modestissima, omniumq; virtutum exemplar *MARIA*; & quantum ijsdem fauoris ac, opis ad huiusmodi suarum virtutum imitationem conferat, vel hoc exẽplo ostendere dignata est.

*Vide Albert. Castell. lib. de Rosario.*

*Matth. cap. 7.*

Offerebat quodam die S. Geõtrudis, ex D. Benedicti Familia, Sanctimonialis, no tantùm suas, sed & aliorum plurium id petentium preces, S. Dei Genitrici. Et ecce oranti, ipsa se sistit Virgo, pallio circum amicta viridi, quod aureis vndequaque floribus perlucebat, trifoliorum specie figuraq; & admirabili, ac decora, simulq; quid tã florido pallio designaret, hisce verbis eã edocuit. Quot voces quilibet eorum, à quibus ista mihi defers præcando diffudit, tot me floribus exornauit; quorum vt vides, non vnus atque idẽ splendor apparet. Vt enim quisq; purissimè orauit, ita pulcherrimè mihi suum florem, consignauit. Ego interim cuiusq; precantis, meq; venerãtis animũ, floribus depingo virtutum; & pulcritudinẽ qua me isti vestierũt, sanctitate remetior. Ita Hortulus Marian. F. de la Croix, in quo & pulcherrimas praxes imitandæ Deiparæ reperies.

Curet igitur quã maximè, & ante omnia Marianus Cultor, & Sabbati Mariani religiosus obseruator, vt mẽtẽ ac memoriã suã Dei Genitricis promptuarium efficiat, vti loquitur Damascenus. Quo autẽ modo id assequetur? Respõdet idẽ Sanctus: *Et Virgo ipsa est, & Virginum amans, pura, & purorũ amãs. Quocirca, si & corporis, & animi castitatẽ colla mus, ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones auersatur, itgluuiem execratur, impuras, ac sceleratas cogitationes, non secus ac viperarum fœtus fugit. Sermones fœdos, ac scurriles propellit, iræ tumorem, odio habet, inhumanitatem, & inuidiam, ac simultates non admittit. Superbiæ fastui, animo hostili resistit. Horum autem cõtrarijs delectatur. Cum puritate, virginitate, ac pudicitia, pulchrè illi conuenit. Pacem, animiq; lenitatem complectitur. Caritatem, misericordiam, atque humilitatem, tamquã alumnas suas, vlnis fouet. Atque (vt rem brebiter perstringam) quolibet vitio offenditur ac discruciatur: qualibet autem virtute, vt particulari sua nota, lætatur, & exultat,* Ista Virginis cultor, Ioannes Damascenus. *Beati igitur qui custodiunt vias eius: & qui vigilant ad fores eius quotidie, & obseruant ad postes ostij eius,* vt insistãt vestigijs illius, & currãt in odorem vnguentorum eius. Quod factu erit facilius, si quouis Sabbato, isti fini, & Virgini simul venerandæ, peculiarem assumas carnis mortificationem. Exẽpli gratia, vno Sabbato, corporis castigationem, quam *Disciplinam*, vocant, altero, duri cilicij è setis equorum, aut aliũde contexti, gestationẽ altero, humicubationem, aut saltem alicuius commoditatis inquiescendo, subtractionẽ. Nonnumquã etiam si citra speciẽ singularitatis, aut offendiculum communitatis in qua degis, fieri possit, ieiunium in pane, & aqua; aut saltem Ecclesiasticum, vel ad minimum, aliquam in cibo, & potu abstinentiam. Quãdoq; cũ alij cubitum eunt, in oratione, & vigilijs diutius persistes. Antequam è lecto alij surgant, eos, vt contemplationi, vel orationi te tradas, in maturitate præuenies, Vilia quoque, & abiecta seruitia, à quibus alij abhorrent, si ita se offerat occasio, libenter eo die ad eius honorem obibis. Qualia sunt, inquit citatus de Paz, domũ euerrere, patellas mundare, fratribus ad mensam sedentibus ministrare, & alia huiusmodi ministeria humilitatis sexcenta, quæ feruor inuenit, humilitas probauit, & victoriæ passionem desiderium introduxit. Quæ omnia B. Virgini tãtò erũt gratiora, quantô feruentius se in similibus, adhuc viua exercuit. De illius siquidem abstinentia, ita S. Præsul Mediolanensis: *Quid exequar ciborum parsimoniam? officiorum redundantiam? Alterum vltra naturam superfuisse: alterũ pœnè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora: bis congeminati ieiunio dies. Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delitias subministraret.* De somno autem eius, ita ipse ibidem: *Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas ei fuit: & tamen cum quiescere corpus, vigilaut animus, qui frequen-*

*Ora. 2. de dormit. Virg.*

*Prouerb. 8.*

*Vide de Paz l. 3. ca. 11. & 12. de vita reli. instit.*

*Ambros. lib. 2. de Virginib.*

*quenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut dispositа gerit, aut gerenda pronuntiat.* De contemplatione verò, & orationis studio, hæc Doctor Stridonensis: *A mane vsque ad tertiam, orationibus insistebat, à tertia verò vsque ad nonam, operi manuum intendebat, à nona verò, adhuc orationem suam incipiebat, à qua non recedebat, quo vsque ei Angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat.* Cui suffragatus D. Anselmus, de eadem testatur: *MARIA perseuerans erat in orationibus, lectione, ieiunijs, & omni bona virtuosa operatione*; ita tamen, vt ritè sanctèque cœlestia curaret, humana non despiceret, vtrumque munus Marthæ, & Magdalenæ complexa, adeo vt nec Actio Contemplationem, inquit Damianus Cardinalis, & Contemplatio non defereret Actionem. *Sic namque*, teste Guarrico Abbate, *se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi, vt nihilominus MARIÆ partes exsecuta credatur, in studio Verbi cognoscendi.*

*Hieron. epist. ad Heliodorum.*

*Anselm. opusc. de moribus D. Virg.*

*Serm. de natiuit. Domin.*

B

De obsequijs eius manualibus, præter ea quæ in Templo adhuc puella, in lana, & lino exercebat, & iam Mater Christi, ac Coniux Ioseph effecta, in filio suo educando, & rebus domesticis procurandis obibat, testatur Baronius, inter Heliopolim, & Babyloniam, medio ferè itinere, hortum balsami esse, qui modico fonte, copiosè tamen, irrigatur, in quo fama est B. Virginem, puerulum suum IESVM sæpè lauisse, panniculos eius, & linteola abluisse, cum in Ægypto metu Herodis exularet. Sed & lapis ibidem ostenditur, super quem eosdem Christi pannos, quos abluerat, exsiccasse perhibetur. Quæ omnia eo fine hic à me adducta sunt, vt sint veluti idæa Marianarum virtutum, cui magno cum affectu, Sabbatinus Cultor pro oportunitate se studeat conformare. Sed redeo in semitam.

*Baron. to. 1. n. 7.*

C

Si Sacerdos es, Horarium istius diei pensum, quoque Sabbato, ei deuotissimè offeres: & vel tunc ad minimum, si non aliàs, Officium Dei Genitricis, siue *Horas de Domina* superaddes, quod posterius, singulis Sabbatis Laici facient; cum plerique Mariani Cultores, quotidie soleant id persoluere. Si verò legendi illius peritiam non habeas, poterunt iustituui, *Litaniæ Lauretanæ*, *Rosarium*, *Psalterium Marianum*, *Corona 12. Salutationum Angelicarum*, *Salue Regina*, *Aue maris stella*; imo vel sola salutatio Angelica, vbi aliud non suppetit, prout sæpè simplicibus, & idiotis cõtingit. Quod quam gratum sit Deiparæ, patuit in veterano illo milite, qui Cistercien sem Ordinem professus, post ingentes molestias exantlatas, nihil aliud addiscere potuit, præter Salutationem Angelicam, quam sæpissimè & quasi continuò per diem B. Virgini offerebat. Ex cuius postea tumulo, à parte capitis, arbor pulcherrima, sed ignoti generis, vita est excrescere, cuius folia litteris insignita, *Aue MARIA gratia plena*, notabiliter singula continebant.

D

*Flores ex empl. tit. 35. exem. 4.*

Nullatenus verò, hoc die Mariano Cultori omittendum est (dummodo solemnius aliud festum non coincidat) quin Missam de B. Virgine celebret, exemplo S. Patris nostri *Norberti*, aliorumque de quibus supra, quem morem iam fere vbique receptum videmus. In qua Missa, nonnulli Collectas vt vocant, de *SS Ioseph*, & *Barbara* solent seruare, pro felici præsidio mortis. eo quod, & ille, & hæc, isto fine, qui est finis rerum nostrarum omnium, ab Ecclesia soleant inuocari. Quod si homo laicus, propter diurnas occupationes, quotidie aut nõ possit, aut non soleat Missam audire, studeat saltem hoc Sabbato eam non intermittere, certus omnino, opificium suum, & temporale lucrum, hoc pacto copiosius benedictum iri ab ea, quæ est inter mulieres omnes benedicta copiosissimè. De qua re, exemplum pulchrum sanè, vide in Catechismo Historiali, sub titulo de auditione Missæ, Audis eam quotidie? Alteram in honorem Deiparæ superaddes hodie: & si temporalibus occupationibus non distrahentibus, deuotionis Spiritus id suadeat, communicabis in Sabbato sacramentaliter: sin minus, spiritualiter saltem, id est, pio voto, & desiderio. Nam, & hic illud habet locum:

*Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas;*

quæ semper, secundùm id quod habet, & potest, Domino est accepta; cui & ipse recens natus, per Angelos suos pacem iussit nuntiari. Cui insuper, duo æris minuta panperculæ viduæ, magis fuerunt accepta, quã magna, & multa talera locupletiorũ. Qua ex occasione de pecunijs sumpta, etiam faciẽdas dico hoc die præ reliquis, eleemosynas, tam corporales quàm spirituales, vniuscuiusque pro viribus; idque exemplo nostræ Deiparæ, quæ, & eadem pro modulo suo exercuit, adhuc in viuis constituta, *manum suam aperiens inopi, & palmas suas extendens ad pauperem.* De esca enim quam quotidie ex manu Angeli accipiebat, teste Doctore Seraphico, ipsa reficiebatur: quam verò à Pontificibus templi obtinebat, pauperibus erogabat. Quod ipsum confirmat Deiparæ synchronus & familiaris, *Christipherus Ignatius*, dum ait: *Miseris, & adflictis, commiserationis affectum præstitit, ac illorum impigrè subuenit necessitati.* Huc spectat munerum, quæ à Magis acceperat, in pauperes distributio: vnde in die Purificationis suę, manus eius nõ potuit inuenire, nisi obla-

*Prouerb. 31. Bonauent. in Meditat. c. 13.*

*Vide Canisium l. 1. cap. 13.*

*Lucæ 2.*

tionem paupertum, *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Commendat etiam Marianam beneficentiam, subsidium imploratum, & impetratum pauperibus sponsis in Cana Galileæ. Et quam viua semper exercuit, etiam moriens non deseruit liberalitatem. Motris enim accelerantis præsaga, imo conscia, bonis viduis binas Tunicas suas, nobili planè testamento legauit. Historiam ita narrat Nicephorus: *Tum Virgini Discipulo* (Ioanni nimirum Euangelistæ) *& itidem alijs, ipsa Virgo præcipit, vt duas eius Tunicas, vicinis viduis, quæ præter cæteras, propensiore erga eam amore, & pietate fuissent, donent.* Quarum altera, postquam per annos fermè 400. frequentissimis apud Iudæos inclaruisset miraculis, Constantinopolim tandem sub Leone. I. Imp. delata est. Cuius etiam participationem, temporis collapsu, pluria loca sacra, etiam in hoc nostro Belgio, obtinuerunt. De quibus latè Ferreol. Locrius in MARIA Augusta l. 5. cap. 24.

*Nicephl. 2. hist. c. 21.*

De operibus autem misericordiæ spiritualibus, siue de zelo animarum, quo D. Virgo, dum in terris ageret, continuò exarsit, quis digne satis loquatur? facta est omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret; sciens vtique finem præcepti, & Legis plenitudinē, esse charitatē. Itaq; teste S. Brigitta, fuit illa Magistra Apostolorū, Cōfortatrix Matyrū, doctrix Cōfessorū, clarissimū speculū Virginū, Cōsolatrix viduarū, in coniugio viuentiū saluberrima Monitrix, atq, omnium in fide Catholica perfectissima Roboratrix. Cuius demū verbis, exemplis, studijs, ac operibus honestissimis effectum sit, vt innumerabiles Iudæi, ac Ethnici, ad fidem Christi conuerterētur. Ex quo verò in Cœlos assumpta est, non cessat modis omnibus, salutē procurare mortalium. Illa enim *Bernardum, Norbertum, Dominicum, Franciscum, Ignatium, & Xauerium,* cū suis Cohortibus, Orbi periclitāti suppetitas misit, & veluti Duces Triarios, ac Primipilos in sacrā aciē, ad instar nouæ Deboræ, produxit, vt præliarentur prælia Domini, contra Sisarā infernalem. De quo, rursum latius, in *Corona mea stellarū duodecim.* Sed in orbitam iterum, extra quam hæc digressiuncula, sub manum nata.

Non contemnendum etiā in Sabbato exercitium, & Deiparæ obsequium, sacra ei Altaria, ac Imagines, floribus, sertis fericis, alijsq; elenodijs, solito amplius exornare. Quod non parum, licet paruum obsequium, sibi gratum esse, ipsa declarauit. Cum enim pauperecula opilionis filia, gregem pasceret prope Ædiculam B. Virgini sacram, sed desertam, in qua tantum Imago eius visebatur, inculta planè & neglecta; frequenter inuasit eam desiderium, locum à squalore, & neglectu vindicandi, atque aliquid ornamenti in Imaginem conferendi: verùm obstante pijs votis inopia, quod vnū poterat, animum hunc suū Virgini Matri exponit, & ornamētorū loco, salutationē Angelicā identidē fert; & quidē per multos annos, constanti semper pietate: donec morti iam proxima, experientia didicit, nullius adfectū, aut quātūcūq; obsequiū, à B. Virgine indonatū cotemni. Adfuit enim morienti, tribus turmis beatarū Virginū stipata, earū imprimis quæ virginitatē quidē, sed nullo voto obstrictam seruarunt; aliarum deinde, quę eius votum nuncuparūt. Deniq; aliarum, quæ rosam martyrij, castitatis lilio innexuerūt. Inter has, media Martyrum, & Virginum Regina, non dedignata est exile tugurioluin, in quo iacebat Clientula, eamq; suo, & comitatus fui adspectu, affatuq; mirificè solata, paulo post, expirantis animā inter maternos exceptā amplexus, serto pulchertimo, quod manu tenebat redimitā, triūphantis in morem, cœlo intulit glorioſam, abunde sic, vel ipsum desideriū obsequij deferēdi remunerata. Quapropter, quisquis similem gloriam, talem coronā, eiusmodi triumphū, post mortem ambis à Virgine, vide vt tu illā vicissim dū viuis, sertis, & coronis tuis exornes, & Imaginū honorē, cultu tuo, & debitis obsequijs, in Sabbato præcipuè, promoueas. Quod quā male hodie nōnulli, nasuti nimiū, & superbi, ad talia se demittere dedignātes, Beginarum tantum modo, & Nonnarū opus, calūnioſe nominent, discent tandem, sed suo damno, cum Dominus ad iudicandum venerit. Religiosius multo, & sanius D. Hieronymus, qui impēsatis Nepotianū laudat, quod *basilicas Ecclesiæ, & Martyrū conciliabula, diuersis floribus, & arborum comis, vitiumq, pampinis adumbraret.* Cui & cū pari laude comparatur Brabantus noster *S.* Guido, qui annis plurimis Ecclesiæ B. MARIÆ in Lakem prope Bruxellam deseruiuit, & simili obsequio eam exornauit.

*In vita Nepotiani. Vide Molā. de SS. Belgij 12 Sept. & Apoth. noſtrā c. 59.*

Eodem spectat, ante Marianas Imagines, singulis Sabbatis cereos lampadesque accendere; quod iam passim in Brabantiæ maioribus ciuitatibus, religioſi moris est, adeo vt pauciſsimas Antuerpiæ officinas, & domos reperias, in quibus Imaginem Deiparæ simul non inueni as, quam quolibet Sabbato circa Vesperum cereis, lampadibusque illustrant: sicut, & illas Statuas Marianas: quas in angiportibus, seu finibus platearum, egregij Deiparæ Cultores, promiscue collocarunt, in tantum, vt eo Vespere, primitiuæ Ecclesiæ *Lucernarium*, siue *Preces Lucernales*, ibi peragi existimares. Et sanè quam optimè accēso lumine Deipara honoratur: ipsa est enim quæ veluti Aurora consurgens, sedentibus in tenebris, & vmbra mortis, verū iustitiæ solē produxit. Ipsa stella maris, caliginoſi huius

*Specul. exempl. dist. 19. exēp. 118.*

mun-

mundi; micans meritis, illustrans exemplis. *Ipsa stella ex Iacob*, inquit Doctor mellifluus, *cuius radius vniuersam Orbem illuminat: cuius splendor, & præfulget insupernis, & inferos penetrat.* Ipla denique Luminare magnum est, & Mulier amicta Sole, Lunam habens sub pedibus; à quo sidere, quisquis hoc mare magnum, & spatiosum navigas, caue oculos tuos auertas: verum in omni tua angustia respice hac stellam, & voca MARIAM: ac certus esto, quia liberabi te, & illuminabit abscondita tenebrarum.

*Bernard. ho. 2. sup. Missus.*

Quantum autem Deiparæ huiusmodi piũ studium placeat, miraculoso hoc signo, Cultori suo, Ioanni Eremitæ ostendere dignata est. Habebat hic, vt scribit Sophron. & ex eo, 2. Concil. Nicænum, spelunca prope Vicum, *Sochum*, & in ea imaginem Deiparæ, filium intra brachia complexæ, quam accenso cereo, iugiter venerabatur. Cùm autem loca sacra in Ieruſalem, in Monte Sina, Epheſi atque alibi, peregrinationis causa vellet visitare, prædictum cereum primo accendebat ante Imaginem; tum Virginem hunc in modũ alloquebatur: *Quandoquidem, ò sanctissima Dei Genitrix, longum iter conceperim, & pluribus diebus abfuturus sim: hunc cereum tuum idcirco tibi commendo, ne deficiat aut extinguatur, tuoq; fretus auxilio, itineri huic me accingam.* Nõ in vanum fusę preces, audijt Virgo, & curam sibi commissam, strenue gesit. Nam cum aliquando post duos tresue menses, nonnumquam post quinque aut sex, domum rediret, semper suum cereum eo modo ardentem reperit, quo antequam discederet, eum reliquisset: indeficientem scilicet materiam, B. Virgine continuo submini strante; aut vim virtutis suæ, in reuerentia Deiparæ, igne obliniscente. Similitudo memoriam mihi suscitat prodigiosi illi' Cerei Atrebatensis, qui licet sæpius accendatur, & plures etiam per horam ardeat, nulla tamen sui parte minuitur. Experimẽtum, præter alios, nuper an. 1600. sumpsere Belgarum Principes *Albertus & Isabella*, coram quibus per tres amplius horas, similiter arsit, nihilum tamẽ imminutus. Simile quid reperies in vita B. *Hermanni Ioseph*, ex Ordine nostro Candido, quam tu Lector consule, & relatis mecum fidem adhibe.

*Vide Apothecã nos. spiritual. c. 44.*

*In vita eius c. 35.*

De Milite quodam, qui vnicam tantum candelam D. Virginiobtulerat, eiusque ideo precibus, á dæmonibus animam ipsius auferre volentibus, liberato, vide Promptuarium exemplor. Discipuli, exemp. 49. Quàm miseticors Mater, MARIA Virgo, quæ tam lenia seruulorum obsequia, tanto rependit fœnore! Amen dico vobis, non perdet mercedem suam, quisquis vel minimũ obsequiũ in nomine eius, illi obtulerit: maximè autem in *Sabbato*.

Vtilissimum quoque fuerit hoc die, aliquid de vita ipsius, vel laudibus, in SS. Patrũ scriptis, aliorumue libris euoluere; ac postea, per aliquantulam partem horæ, idem secum ruminare, quo affectus cordis, feruentius in eam accendatur: cumque exabundantia cordis, os loqui soleat, & gestiat; seruiet ea lectio, & contemplatio, in ordine ad alios, per frequentiora eo die de S. Virgine colloquia, ad eiusdem honorem, & cultum incitandos. Neque enim Sabbatum transigendũ est, quin punctũ aliquod de inenarrabili hac Virgine, coram alijs referatur, ad * *os dulce faciendum*, vt quidam insignis eius Cultor dicere solebat, qui in singulis suis Concionibus, semper aliquod miraculum de ea, in fine, istoc fine subiungebat. Quod in tantum placuit Deiparæ, vt eumdem in agone mortis, visitando consolari dignata fuerit; adeo vt præ nimia mentis dulcedine, se nequaquã à canendis eius Laudibus, potuerit continere, atque in hoc Epinicio, *Omnis spiritus laudet Dominũ*, animã exhalauerit, frementibus frustra tartareis Legionibus, atq; confestim magna cũ confusione obmutescẽtibus.

* *Flãdrice Genensoetẽ mõtmaechen.*

*Liber vitæ F. F. Prædicat*

Nihil insuper eo die negabis, quod quidem licitè, & prudenter concedi possit, petenti in honorem Deiparæ. Quo quidem exercitio, veluti hamo, sed vitali; in nassam B. Francisci pellexit D. Virgo, Alexandrũ Alensem, insignem doctrina, & in ipsam Virginem pietate; cuius hoc euidẽs testimoniũ, quod vouerat se nihil negaturum, quod in eius honorem, & amorem peteretur. Conuenit enim quadam die eum vnus de familia S. Francisci, & post varia de rebus, spiritualibus colloquia: Quidni, inquit Religiosus, secularem vitam deseris, & te Deo in religioso statu deuoues? Ego te, in honorẽ B. Virginis rogo, vt nostrum Ordinem ingrediaris. Perculsus hic primum fuit tàm inexpectata petitione Alexander. Paulò tamẽ post, voti sui memor, & Deo fortius intus vrgente, promisit se illico præstiturum quod promiserat: atque ita ob B. Virginis reuerentiam, & amorem Ordinem S. Francisci ingressus est, eumq; doctrina sua, & vita mirificè illustrauit. S. Gerardus Canadiensis in Hũgaria Episcopus, adeo in hoc obsequio eluxit, vt si quis re? ab ipso veniã per nomẽ Dei Matris petijsset, mox lacrymis perfunderetur, & reũ humanissimè in gratiã reciperet, prout latius c. 7. narrauimus. Qui nõ male illud A postoli ad Cor. 2 c. 12. sibi vsurpare poterãt: *Ego me pro te Virgo beatissima, libẽter impẽdã, & super impẽdar ipse.* Ita quoq; S. Elizabetha Hũgarorũ regis filia, nulli se quid quã negaturã promiserat, qui in honorẽ Patroni sui & S. Tutelaris, Ioann. Euangelistæ, eam id rogaret; quod & S. Eduardus Angliæ Rex, in eiusdem honorem vouisse legitur.

*Frac. de la Croix in horto Mariano cap. 9. ex Antonino 3. p. hist. 24. cap. 8.*

*Surius in vita vtriusque.*

Peregrinationes item ad loca peculiariter Deiparæ sacra, tunc non omittes, sed hebdomadatim piè frequentabis, exemplo S. *Gerlaci* nostri (de quo sup. c. 7.) sacram eius Ædem Aquis grani, singulis Sabbatis, nudis pedibus visitantis. De locis remotis eius cultu celebribus, nihil hic dico. Vicina volo; ad Sacellum videlicet aliquod B. Virginis in vrbe tua, aut loco habitationis tuæ vicinũ, cuius maior eo die sit frequentatio. Ita nuper, in istam Sabbatinam peregrinationem, Capellam D. Virginis *de Sterr borne* in *Butsel* propè *Bauterſem*, medio Thenas inter, & Louanium itinere, ad antiquæ deuotionis normam reduxit, Illustriss. Comes *Henricus T'ſs Heerenbergius*, cum lectissima sua pijssimaque Coniuge bonæ memoriæ; vbi diebus Sabbatinis maximus populi est concursus ad Imaginem Deiparæ, illi quæ in Colle Aspero est, simillimam; & ante ducentos annos miraculis gloriosam. B

Plura huic similia, in hac Brabantia, & vbiuis loca sacra reperies, eo die religiosis exercitijs frequentari solita. In via autem contemplaberis (dummodo nihil melius occurrat) diuersa itinera, quæ B. Virgo, in mortali hac vita adhuc peregrina, confecit. Videlicet, cognatam suam Elizabetham visitando. In Bethleem soluendi census causa proficiscendo, Templum Ierosolymitanum post puerperium, & annis singulis in Paschate, cum Iosepho coniuge, Filioq; suo adeundo. In Egyptum à facie Herodis fugiendo, & inde postmodum, sedato furore, redeundo. Christum ad Montem Caluariæ Crucem baiulantem insequendo. Post Ascensionem deniq; eius, Loca sacra, venerationis ergo, in & extra Ierusalem, sæpius adeundo. C

Aliam praxim huiusmodi peregrinationes obeundi, docet P. Richeomus in suo Peregrino Lauretano, & Franc. de la Croix, in horto Mariano c. 5.

Neque in hoc laudabili, & ab ipsis Ecclesiæ cunis vsitato, pietatis exercitio, impedimento tibi esse debent, Panto carpi huius tẽporis sectarij, alijue malè Christiani; quasi non in omni loco orari possit Deus, & Deipara. Fatemur, hoc sed, & insuper, quotidiana nimis nota experientia, & ipsius scripturæ sacræ (quam vbique plenis buccis illi crepãt) testimonio scimus, Deum, vti quosdam Sanctos ad particulares effectus: ita quoq; loca quædam particularia, tam sibi, quàm Matri suæ, alijsue Sanctis consecranea, præ reliquis elegisse, tamquam suorum beneficiorum certa promptuaria. De qua re, vide plurima, in Apotheca nostra spirituali c. 10. nuper apud Verdusium edita; vbi ex professo, argumentum istud pertractatur. D

Hoc solummodo generatim hic dixisse sufficiat, eiusmodi qui ad certa loca sacra præ reliquis, peregrinationes instituunt, aut peculiares aliquos Sanctos inuocant, non magis damnandos esse, quàm mendicos hodiernos, qui illorum domos, relictis alijs, frequẽtant, & ostia obseruant, à quibus rogatam stipem, communiter accipiũt, & manus plenas eleemosynis reportant. Sic fideles vident Deum laureti, Hallis, in Colle Aspero, atq; alibi etiam per alios Sanctos sua beneficia elargiri. Reprehendendi ne ergo sunt, quod ea loca adeant? Non magis quàm Verbi Precones in Hollandia, qui pro solutione stipendij sui annui, Quæstorem Statuum adeunt, & non ita opificem aliquem, seu sartorem, seu sutorem; aut cõmunem alium de grege vulgi,

*Res angusta domi cui sit, vel curta supellex.*

Vel non etiam magis, quam qui Libellos suos supplices, ad Curiam deferunt, & non ad tonstrinam, vel ad macellum. Sciunt enim in ea, non autem in hisce, postulationes suas expediri. Verùm quid hos moramur, quibus vnicum tantum studium est, & communis coniuratio,

*Hanc Heroinam petulante ferire cachinno;*
*Et salibus gaudent diuina illudere facta.*

Sexcẽta his similia pietatis exercitia, prædictis possent superaddi. Verum illud optimum, quod cuiusque Spiritus deuotionis, Mariani amoris flamma succensus, cuique suggesserit. Pluribus igitur supersedeo, ne prolixitate fastidium Lectori pariam, & finem facio, *quoniam adueſperascit, & inclinata est iam dies*; cuius Vespertinas Laudes, caue hoc die omiseris, vbi illæ publicè celebrantur (memor, quantum boni per has, Sartor ille Teneramundanus receperit, de quo Capite antecedente) aut priuatim ad minus, Litanias Lauretanas, sub vesperum recitato. Quæ consuetudo admodum salutaris, & cõmendanda plurimum, in familias plures, etiã sæcularium, hodie introducta cernitur, vt scilicet conuocatis sub noctem domesticis, publico in omnium conuentu Litaniæ recitentur. Sicut enim magnam, erga Virginem nostram excitant pietatem (quia quot ibi verba, tot elogia, quot apices, tot laudes) ita non sine magno emolumento, & subsidio, in ijs quæ ad animum, & quæ ad corpus spectãt, à Christianis vsurpantur.

Tandem itaque hora quiescendi, quæ discussionem conscientiæ subsequitur, te ad sõnum honestum, quietum, & religiosum paras, ita vt cũ Propheta regio possis dicere: *In pace in id ipsum*, id est, cũ illis ipsis, *quia à fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt* (quæ omnia per misticam adcõmodationem, obsequia Mariana ante dicta significant) *dormiam, & requiescam.* Ideo *Psal. 4.*

pura,

pura, ac simplici intentione, ad somnum te comparabis, vt scilicet, Deo ita statuēti placeas, & vt vires ad ei, eiusque Matri seruiendum, & pro eorum gloria laborandum, resumas. Quidquid autem boni operis toto illo die peregeris, denuò corde pleno Beatissimæ Virgini offeres, & pro culpis admissis, per eiusdem intercessionem, ac merita, apud Filium veniam petes.

*Vide Iacob. de Paz, lib. 2. c. 15.*

Ad extremum, hanc subsequentem, aut aliam ea meliorem, orationem subiunges:

*O desiderabilissima Virgo MARIA, Dei Mater dignissima dignare me, quæso, iam diu inseruulum tuum admissum, & in filium adoptatum, ad amorem tui castissimum, & venerationem deuotissimam, tuis intercessionibus aduocare. Fac me de eorum numero, quos pectori tuo Virgineo inscriptos, tibi familiarissimè designasti. Per amorem quoque Filij tui, & Domini mei IESV Christi, & diuitias omnium donorum gratiarum, priuilegiorum, charismatum, & gaudiorum tuorum, rogo te, ò amabilissima Domina, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo, in præsenti nocte, munditiem cordis, & corporis puritatem; vt nihil in me sit, quòd oculis omnipotentis, & cuncta cernentis displiceat: & orta luce, nouum ei tibique obsequium præstare valeam, Amen.*

Quæ omnia, vt obtineas (cùm sit ille benedictus, cui illa benedixerit) benedictionem ab eadem humiliter posces, dicendo:

*Nos cum prole pia benedicas Virgo MARIA.*

## CAPVT XII.

### *Hæretici venerationem Mariani Sabbati deridentes, confutati.*

RIdent hæc, qui rident, & rodunt omnia, quæ ad Deiparæ Virginis cultum pertinent, impertinentes huius temporis Sectarij, veluti noui Luciani, aut Porphyrij. Sed quid mirum? Verissimè iam olim scriptum est, quòd & hodiè perseuerat:

*Patrem sequitur sua proles.*

Et iterum: *Mali corui, malum ouum.* Qui enim ab initio, furijs agitati, in Christum salutis nostræ Authorem, facto agmine, & dato classico irruerunt, à Matris eius iniuria, nequaquam sibi temperarunt. Atque ita factum, vt Mater, & Filius, quibus nihil est coniunctius, ab eisdem etiam hostibus, plerumque sint impetiti. Cuius rei testes, Cerdoniani, Ebionitæ, Valentiniani, Apollinarij, Manichæi, Collyridiani, Nestorani, Eutychiani, & reliqui id genus Satanæ impij Ministri, & mendacij satores, sed MARIA mastyges acerrimi: quorum hæreses, Patrum diligentia, iam olim damnatæ, & explosæ sunt; atque vnà cum ipsis, noui Anti Mariani huius temporis, iugulati, & prostrati, qui falsa dogmata iam dudum extincta, & falsitatis conuicta, nostro hoc seculo in Orbem reuocant, & multa, ac si Luciani, aut Iuliani Apostatæ essent mancipia, petulantes effutiunt. Atq; imprimis, vt de reliquis Sanctissimæ Dei Genitricis festiuitatibus, quibus in vniuersum renuntiarunt, sileam (ne dicam Caluino Puritanos Angliæ, expuncto Natali Deiparæ de Kalendario, & Reginæ suæ Elisabethæ substituto, eumdem quàm solemnissimè quotannis consueuisse celebrare, sacro Cantico, *Salue Regina*, eidem sacrilegè adaptato) sabbatinum hoc Deiparæ festum, superstitionis, & iudaismi impudenter redarguunt. *Dies*, inquiunt, *obseruatis, & tempora*, quòd secundùm Apostolum pura, & puta superstitio est, ideoque subiungit: *Timeo vos, ne frustra laborauerim in vobis.* Item alibi: *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum; corpus autem Christi.* Sed ô vos Diuinos! & si dijs placet, e cerebro Palladis prognatos? Iterrogabo, & ego vos vnum sermonem: *Nunquid vos soli estis homines super terram, & vobiscum morietur sapientia? Erratis*, ô cæci, *nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Corticem quidem mordetis, sed nucleum non attingitis.

*Vide Locriū libr. 6. cap. 2.*

*Galat. 4.*

*Ad Colossen. 2.*

*Iob 12.*

*Matth. 22.*

Audite ergo rebelles veritati, & Deiparæ, ac vel tandem intelligite. Non loquitur Apostolus de obseruatione festorum, dum Galatas suos reprehendit; sed de obseruatione vana, & superstitiosa Gentilium, qui dicebant, vt inquit, Ambrosius cum spirituali suo Filio, Augustino, Cras non proficiscar, quia talis est positio siderum. Hoc anno non plantabo vineam, quia bissextus est, &c. Ad Colossenſ. autē, sicut & ad Rom. 14. vbi ait: *Alius iudicat diem inter diem; alius omnem diem*, tantum agit de festis, & ieiunijs Iudaicis, non verò Christianis (vt etiam fatentur vestri Patriarchæ Melanchton, Bucerus, Beza) vultque non esse audiendos Iudaizantes, qui ciborum delectum, & dies festos à Lege veteri præscriptos, obseruandos à Christianis asserebant: Sanè de Iudæis eum agere, vel ex hoc patet, quòd tum nondum ieiunia, aut sanctorum festa Christianis essent indicta, aut ab Ecclesia instituta 2. ex verbis *Neomeniæ, & Sabbatorum*, quæ Iudaica sunt, non Christiana 3. ex eo quod subdit: *Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi*: quasi dicat, loquor de veteribus festis, quæ fuerunt vmbra festorum Christi.

*Ambros. in c. 4. ad Galat. Auguſt. Enchrid. cap. 79.*

*Vide à Lapide in cit. loc.*

Sed redarguunt. Licet Apostolus propriè reprehendat Iudaizantes, tamen simul etiam eos, qui eodem modo tempora, & dies obseruant, vt nos Catholici, qui obseruationem

cer-

certorum dierum non sustulimus, sed mutauimus; & Iudaico Sabbato, Marianum substituimus.

Respondit huic cauillationi iam ante mille annos, magnus Doctor Africanus: *Iudæi*, inquit, *ea seruiliter obseruabant, non intelligentes ad quarum rerum significationes, & prænuntiationes pertinerent. Hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus, qui seruiunt creaturæ potius, quàm Creatori. Nam nos quoque, & Dominicum diem, & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias dierum Christianas festiuitates: sed quia intelligimus, quò pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis significantur temporibus.* Erant igitur ipsi similes ei, qui affert librum Doctori, aut citharam Magistro, cùm ipse tamen, nec legere, nec ludere sciat. Magnum, itaque inter illorum, & nostra festa discrimen. Nam in primis, illa post Christum falsam habet significationem: nostra veram. Illorum finis primarius, significare futura: nostrorum autem, agnoscere Dei beneficia, propter quæ, festa sunt instituta; sicuti, & hoc Sabbatinum, quòd præter superius adlegatas institutionis causas, etiam hebdomadariæ recollectioni acceptorum à Deipara beneficiorum, ab Ecclesia iamà tot centenis annis, consecratum est. Ab Ecclesia, inquam, vniuersa, & ab ipsis eius primis Patribus Conscriptis, prout latius in antecedentibus. Ecclesiæ autem velle resistere, cùm sit basis, & columna veritatis, apertissimæ insaniæ est, inquit, Augustinus; qui & eamdem tanti fecit, vt liberè profiteri non dubitauerit. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio; cur non obtemperem dicentibus mihi: Noli credere Manichæo.* Luthero (adde ego) Calvino, aliisque huius farinæ, omnia nouiter, at ignauiter, & ignoranter nouantibus? Crediderunt Ecclesiæ hactenus, in cultu Mariani huius Sabbati, prout antea vidimus, Pontifices Maximi, Cardinales, Episcopi, Prælati, Reges, & Reginæ, cœlo terraque sanctissimi, alijque innumeri vtriusque sexus pietate, & rerum gloria

——*celeberrimi ab ortu*
*Solis, ad Hesperium cubile.*

Cum quibus multò satius est Christianè desipere, quàm cum triobolarijs huiusmodi Mario Mastygibus, ambitiosè, & propterniter velle sapere, cùm desipiant quàm maximè. De quibus egregiè prophetauit patientissimus vates Orientalis: *Nunc autem deridentme iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum, mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni, egestate, & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate, & miseria. Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum, erat cibus eorum.* Et quàm ad vivum proprijs coloribus depingat hic Propheta Iobus. An non iuniores tempore, quorum peruersa dogmata, post mille quingentos annos à plantatione veræ orthodoxæ fidei ex adulterina radice pullularunt? Vnde benè Athanasius: *Quòd non à Patribus profectum est, sed nuper inuentum, quid de eo aliter existimari debet, quàm illud Pauli: In nouissimis temporibus deficient quidam à recta fide. Et illud Petri: venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.* Qui sanè nullo modo digni, vt cum canibus, aduigilatoribus, & propugnatoribus gregis Christiani, componantur. An non vita ipsa indigni, excucullatus Monachus, & sacrilegus Apostata, *Lutherus?* præderastes, & lilio cauturiatus, *Caluinus*, anagrammaticè *Lucianus?* sacrilegè adulter, *Beza?* votorum præuaricator impurus, *Bucerus?* & reliqui eiusce farinæ Satanici Ministri, in scelesta vita prædictis pares, aut superiores? Et Egregij omnes præclaræ illius religionis Patriarchæ, quæ

*Vt lucus alma nuncupatur à luce,*
*Pontusq; Græcis nominatur. Euxinus,*
*Fert Antiphrastum nomen hoc,* Reformatæ.

Quibus hoc potissimum studium, vt *aperiant os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomẽ eius, & Tabernaculum eius, & eos, qui in cœlis habitant.* Tontò ipsis Mahumetanis in Virginem Deiparam contumeliosiores, quantò illi in eamdem religiosiũres. Audite testem irrefragabilem, & quæ oculis vidit, fideliter enarrantem. Is est Ioãnes Cottouicus, qui lib. 3. cap. 3. Itinerarij sui Ierosolymitani, hæc commemorat: *Neque Christi solùm, sed & MARIÆ nomen blasphemantes, castigant Mahumetani. Sic enim lege cautum est: si quis siue Christianus, siue Turca, vel Maurus, vel Arabs Christum, illud verbum Dei, quem virtute Spiritus Sancti à MARIA procreatum credimus; vel etiam ipsam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit, & excellentiorem blasphemauerit, præter multam pecuniariam, sexaginta fustiarij plagas sustinebit. Cuius quidem legis*, inquit, *exactissima est apud Turcas obseruatio.* Et lib. 2. cap. 16. *Mausolæum quoque Virginis, Mahumetani, crebrò inuisunt, & precibus honorant. In summa namque estimatione etiam Virginem MARIAM habent, quam & ante, & post partum, Virginem semper permansisse constanter credunt, eamque Alcorani testimonio, tamquam à Deo electam, & sum-*

*Lib. cont. epist. fundam. c. 15*

*Iob 30.*

*Serm. 2. cont. Arrium.*

*1. Tim. 4.*

*Apoc. 13.*

*& ſumis virtutibus ornatam, cunctis mundi mulieribus anteponunt, atque omni laude digniſsimam fatentur.* Quid verò è contra, noſtri Mario maſtyges? Præter horrendas blaſphemias, plus quàm barbarico conatu, decretos, a ciam olim ſolemni ritu firmatos honores, qui MARIÆ tribui conſueuerunt, è templis Chriſtianorum procul exturbant; dies inſuper feſtos, Virgini Matri dicatos abrogant: nec ſolùm in contentionem, ſed in riſum etiam, & calumniam ea cupidè rapiunt, quæcumque ad Deiparam cohoneſtandam, maiorum pietas introduxit, & Eccleſiæ Catholicæ ſancta authoritas conſtabiliuit. Quin & fundamentalem Sabbatini cultus rationem eneruare contendunt, quò ſic penitus eum eliminent. Aiunt enim B. Virginem MARIAM in paſsione filij ſui nullo modo doluiſſe, ſed alacrem potius, ac lætam extitiſſe: tum quia videbat Patris voluntatem de redimendo genere humano adimpleri, tum etiam, quòd ſperaret eum poſt triduum reſurrecturum. Vnde Bullingerus inuentum hoc vocat Monachorum. At quid mirum? ſi enim, *Draco perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum*, quid ni, & genimina eius eamdem perſequantur? Sed quo fructu? Certè non alio ab illo, quem Draco reportauit, de quo ſcriptum legimus: *Ipſa conteret caput tuum.* Ita prorſus eidem Virgini hoc epinicium occinit Eccleſia: *Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti, &c.* Itaque blaſphemis ſuis linguis, impijſque calamis irruendo in lectiſsimum illud Tabernaculum, quod ſanctificauit ſibi Altiſsimus, nihil aliud profecerũt, niſi quòd MARIÆ laudem, & gloriam, nullis temporibus delendam, hac ſua inſectatione vti ampliorem, atque illuſtriorem, ita veritatis cauſam, longè quàm antea confirmatiorem in Eccleſia reddiderint; ac ſibi demum, ſuiſque nominibus turpiorem, adeoque indelibilem infamiæ notam conflarint.

*Vide Carthag. lib. 12. hom. 1. de B. Virg.*

*Apoc. 12.*

*Geneſ. 3.*

Nihil ergo meros hoſce moriones tu moreris, quiſquis verus Cultor, & Amator Deiparæ es, aut eſſe deſideras. Sed ſicuti in negotio fidei, non ſolam Scripturam Sacram, verum etiam antiquas traditiones Eccleſiæ ſequeris: ita pariter eas ſequere in cultu Mariani huius Sabbati, & *erit tibi Sabbatum ex Sabbato*, hoc eſt, perpetua quies, & exultatio, perpetua gaudij, gratiæ, & gloriæ innouatio. Vno verbo, *Sabbatiſmus ſempiternus* erit tibi in requie Domini Sabaoth, Amen.

*Iſai. 66.*

## CAPVT XIII.

*Filialis adfectus erga Deiparam, eiuſque Hebdomadarium Sabbatum, ſpeciale prædeſtinationis ſignum eſt.*

QVamuis ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 12. apertè doceat, *neminem, quã diu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeo præſumere debere, vt certò ſtatuat, ſe omninò eſſe in numero prædeſtinatorum: nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit;* cum teſte Spiritu Sancto per os Salomonis, *Neſciat homo, vtrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruentur incerta*: nihilominus ex ſacris ſcripturis, & ſanctorum Patrum doctrina, permulta ſigna diuinæ prædeſtinationis colliguntur: vnde D. Bernardus in ſerm. 5. de ſeptuag. ait: *Neſcit homo, vtrum amore, vel odio dignus ſit, quia in iſta vita certitudinem electionis non habet, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis huius anxietate crucietur. Propter hoc data ſunt ſigna quædam, & inditia ſalutis manifeſta, vt quibus certitudinem negat Deus etiam ſollicitudinis, vel fiduciam præſtet conſolationis.* Itaque licet ſecretum prædeſtinationis noſtræ in abdito illo diuinæ Maieſtatis conclaui, ſen ſcriniolo ſit conſuſum, neque dentur patentes, vt ita dicam, litteræ, curioſitati noſtræ: habemus tamen eximia quædam ſigna, quæ nobis quàm proxima demonſtrent eos, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Inter reliqua, vnum eſt propoſito noſtro deſeruiens, quòd non vltimum locum obtinet, ſcilicet, filialis erga Deiparã Virginẽ adfectus, & ſpecialis erga eiuſdẽ Hebdomadariũ Sabbatũ deuotio. Nolim mihi tantummodo, in hac adſertione fidem haberi, ſed vniuerſæ Eccleſiæ, quæ eidem ſuffragatur, ac potiſsimum communi ſanctorum Patrum cœtui, qui eãdem Sacræ Scripturæ teſtimonijs confirmãt: quos antequam ordine commemorem, audiamus, quid ipſamet Virgo B. Alano de Rupe, Cultori ſuo eximio reuelare dignata fuerit: *Secretum*, inquit, *iam tibi pandam diuinæ prouidentiæ. Scias enim, & ſecurè intelligas, quod & inde latè alijs patefacias, quòd videlicet ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationi, horrere, & adtediari, ac negligere ſalutationem Angelicam, totius mundi reparatiuam: habentibus verò deuotionem ad hanc, ſignum eſt ordinationis, & prædeſtinationis ad gloriam.* Cui planè conforme eſt, quod ſuperius cap. 9. ex eiuſdem Virginis ore retulimus, nimirum: *Scitote, quia illa anima nunquam damnabitur, quæ mihi ſeruierit: neque ille veſter* (aiebat hoc ad Dæmones) *vnquam erit, qui animam ſuam mihi commendauerit.* Vt benè illa puella à maioribus ſuis inſtructa: *Quicumque Sabbatinis diebus ad honorem B. MARIÆ Virginis ieiunat, nunquam moritur ſine vera pœnitentia.* Atque huic adſtipulantem ibidem produximus Thomam Cantipratanum, qui certum ſe dicit, in multis illud

*Eccleſ. 9.*

*Alan. lib. de Pſalt. Virg. c. 11*

*Vide cap. 9. ſuper.*

lud ieiunium efficaciam habuisse salutarem. Sed nunc ad Sanctorum Patrum testimonia, vndique seculorum, terrarum, atque hominum solerter collecta.

Dic tu magne Præsul Alexandrine, cui ab immortalitate nomen est, testimonium Virgini Deiparæ. *Athanas. in Euang. de S. Deipara.* *Ista Eua noua MARIA*, inquit, *mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.*

Et tu sancte Patriarcha Constantinopolitane, Diue Germane, testimonium dicito Virgini Matri. *Serm. de Zona Virginis.* *Quemadmodum corpus nostrum, vitalis signum operationis habet respirationem: ita Sanctissimum nomen tuum, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solum est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.*

Dic etiam Deiparæ testimonium, Anglorum clarum sidus, Beate Anselme: *Anselm. lib Orat. & lib. de excell. Virgin. c. 6.* *O MARIA, tu peccatorem toti mundo despectum, materno amore amplecteris; nec deseris, quo vsque Deus per te placatus, ipsum suæ gratiæ recuperauit.* Et alibi: *Velocior est nonnumquam salus inuocato MARIÆ, quàm inuocato nomine IESV, vnici Filij Dei. Et id quidem, non ideo fit, quod ipsa maior sit, & potentior, nec enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum. Sed quia filius est iudex omnium, & discernit merita singulorum. Inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non mereantur, vt audiatur; merita tamen Matris merentur, vt exaudiatur.* Qua propter non errabat, vt Errones quidam ei attribuunt, insignis ille MARIÆ cultor, auus noster, Præsul Hipponensis, cuius hoc frequentatur Apophthegma, inter Christum, & MARIAM genua figentis: *Positus in medio, quo me vertam nescio. Hinc pascor à vulnere: Hinc lactor ab vbere.* Quod pia libertate à S. Augustino dictum esse, facilè potest intelligi, etiamsi peruicacibus quibusdam huius seculi Nouatoribus, crudum nimis visum fuerit. Sed nimium ipsi crudi, qui adviuum, hoc ipsum tàm crudè resecant. An non experimur quotidie, frequenter nos per B. Virginem impetrare, quod à Christo, etiam post longas supplicationes, & multa vota, obtinere non potuimus, Filio sic Matrem suam honorante? Cur igitur Marianus cultor damnetur, si piè hæreat, vtrum se ad Matrem, an ad Filium conuertat? *Fugiat reus iusti Dei, ad piam Matrē misericordis Dei*, inquit, *idem* Anselm. supr. *refugiatque reus offensæ Matris, ad pium Filium benignæ Matris. Ingerat se reus vtriusque inter vtrumque: iniiciat se inter pium Filium, & Matrem: Piè Domine, parce seruo Matris tuæ. Pia Domina, parce seruo Filij tui. Qui me iniicio inter*

A *duas tam immensas pietates, nō incidam inter duas tam potentes seueritates. Habet homo*, ait Arnoldus Carnotensis, præclarus Deiparæ Encomiastes, *mediatorem causæ suæ Filium ante Patrem, & ante Filium, Matrem. Christus ostendit Patri latus, & vulnera: MARIA Christo pectus, & vbera. Nec potest vlla esse modo repulsa, vbi concurrunt, & orant omni lingua disertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.* Exaudiet vtique, adserente Bernardo, Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. *Cùm enim Christus diligat, & exaudiat orationes Sanctorum; multò magis Matrem suam exaudit pro peccatoribus orantem*, vt loquitur venerabilis Presbyter Anglicanus, *ac proinde*, vt idem mouet, *seruiamus semper tali Reginæ MARIÆ, quæ non derelinquit sperantes in se. Neque enim dubium*, teste magno Augustino, *quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus, liberatis impendere suffragium, ideoque eam obsequio frequētemus in terris, vt ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlo.* *Tract de Laud. Virgin.* *Beda homil. de S. Mar.* *Serm. 35. de Sanct.*

Veni, & tu in ordinem hunc, ac testimonium dicito Virgini nostræ, Florentinorum Antistes, Sancte Antonine. *In antiphona, Salue Regina dicimus*, inquit, *Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Vt enim, dicit Anselmus, im* C *possibile est quod illi à quibus Virgo MARIA oculos misericordiæ suæ auertit, saluentur: ita necessarium, quod hi ad quos conuertit oculos suos, pro eis aduocans, iustificentur, & glorificentur.* Quid enim? *Facta est MARIA scala cœlestis*, vt ait Ruspensis Episcopus, *quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam mereantur homines ascendere ad cœlos.* *Anton. 4. p t. 16. c. 14. §. 7.* *Fulgent. serm. de Laud. Virgin.*

Profer etiam auream illam tuam sententiam, dignam quæ omnium fidelium cordibus inscribatur, Doctor Seraphice. *Sicut, ò Beatissima, omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est vt intereat, ita omnis ad te conuersus, & à te respectus, impossibile* D *est vt pereat.* *Bonau. spec. B. Virg. c. 3.*

Quid autem Guarricus Abbas, secundus omninò Ecclesiastes? *Nullatenus autem credideris, maioris esse fœlicitatis, & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu MARIÆ, cùm thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.* Et Phœnix Theologorum, Angelicus Doctor? *MARIA sola maledictionem sustulit, & benedictionem paradisi aperuit, per quam, & Christiani omnes, sicut per stellam maris, ad portam æternæ gloriæ diriguntur.* Guilielmus item Parisiensium Episcopus? *Non præsumat aliquis Deum, vel Dei Filium se posse habere propitium, qui benedictam Matrem offensam habuerit.* *Serm. 1. de Assum.* *Opusc. 8. in expos. Angel. sal.* *Libr. de Rhet. diu.*

Ideo

Ideo cõfidenter S. Ioannes, à præciſa ob Deiparæ cultum dextera glorioſus, ſed ob reſtitutam per eandem glorioſior: *In vituperabilem, Deipara, ſpem tuam habens, ſeruabor, defenſionem tuam poſſidens, per quã pura, non timebo perſequar inimicos meos, & in fugam vertam, ſolã habens, vt thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.* Et tu ſapiens Idiota, qui iam ante ſeptingentos annos, tàm honorificè de Sanctiſsima Virgine ſcripſiſti, veni, & teſtimonium ei dicito. *Tanta eſt MARIÆ miſericordia*, inquit, *quod ab ea nemo repellitur, &c. Ipſa eſt aduocata noſtra apud Filium, ſicut Filius apud Patrem: imò apud Patrem, & Filium procurat negotia & petitiones noſtras. Et ſæpè quos iuſtitia Filij damnare poteſt, Matris miſericordia liberat, quia Theſaurus Domini, & Theſauraria gratiarum. Et ſicut nemo venit ad Filium tuum, niſi Pater traxerit eum: ſic & quodam modo auſim dicere, quòd nemo venit ad Filium tuum gloriosam niſi tuis ſanctiſsimis ſubſidijs traxeris eum. Trahe me torpentem, vt me reddas currentem.*

*Damaſc. in Hymn. Annunt.*

*Idiota lib de contempl. Virg. c. 1.*

Sed peccabo in te & in Virginem, ô Mariani mellis aluearium, ſanctiſsime Bernarde, niſi te etiam in teſtem aduocem, qui eius ſecreta de Virgineo pectore ſuxiſti. Dic igitur, dic Amaltæ tuæ teſtimonium: *Conuenienter vocatur Regina miſericordiæ, quod diuinæ pietatis abyſſum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinij ſui ſuffragia præſtat.*

*Bernard. ſerm ſup. Salue Regina.*

Ac tandem perdoctus Author Pomerij in ſuo Stellario lib. 12. part. 2. art. 1. *Si nulla poteſt eſſe repulſa, vbi orat MARIA, ſequitur, quod ei ſeruire, certiſsimum ſignum ſit ſalutis æternæ conſequendæ.* Quæ omnia, & ſexcenta his ſimilia, Sacræ Scripturæ teſtimonijs confirmari poſſunt, quæ in Marianis feſtiuitatibus, Sanctiſsimæ Deiparæ Eccleſia conſueuit adaptare. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & qui obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quid eſt operari in Virgine, & quid eſt eam elucidare, niſi erga eam benè affici, eius cultum, & venerationem promouere, eius laudes, & præconia celebrare? Inter quæ obſequia, vnum de primarijs eſt, Sabbatinum eius Feſtum hebdomadatim religioſo cultu venerari. Et quid in mercedem hiſce conſtitutum? *Vitam æternam habebunt. Ponam Tabernaculum meum in medio veſtri, & nõ abijciet vos anima mea*, dicit Dominus Leuit. 26. Et quod iſtud Tabernaculum, niſi illa de qua Pſaltes *ſanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſsimus?* Hoc Tabernaculum in medio noſtri põnitur, quando, quaſi in medio cordis noſtri, deuotio erga Sanctiſsimã Virginem Deiparam, à Deo infunditur. Vnde rectè de hoc myſtico Tabernaculo illud Iſaiæ intelligi poſſe exiſtimo: *Et Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia.* Hæc enim omnia à B. Virgine perfrequenter hominibus præſtantur (maximè autem eius clientibus) quibus in peccato nonnunquam computrescentibus, illud Salomonis ad Abiathar ſacerdotem, & tyrannidis Adoniæ ſocium, Chriſtus Dominus dicere potuiſſet: *Equidem vir mortis es; ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Domini Dei.* Cum enim Arca illa Teſtamenti, Sanctiſsimæ Virginis Deiparæ in qua mãna verè abſconditum, figuram geſſerit, prout latè, præter alios, Sanctus Præſul Mediolanenſis; ſanè Arcam Domini portare, nihil aliud erit, quàm affectuoſam in Deiparam deuotionem, verbo & opere declarare. Bone Deus! quàm multi in infernum fuiſſent præcipitati, niſi hanc myſticam Arcam portaſſent, & ad illam, vt olim ad Noachi Arcam, confugiſſent, quo à diuinæ iræ diluuio protegerentur? Non falſo ſiquidem dixero:

*Prou. 8.*

*Eccl. 24.*

*Leuit. 26*

*Pſal. 45.*

*Iſai. 4.*

*3. Reg. 2.*

*Ambroſ. ſerm. 8.*

*Si MARIA non oraret,*
*Mundus totus non diu ſtaret,*
*Nam offenſum placat Patrem,*
*Et ſe nobis offert Matrem.*
*Vt Abigal iratum*
*Dauid, reddidit placatum:*
*Sic hæc Iudicem ſeuerum,*
*Reddit mitem, & ſerenum.*

Ipſa namque eſt ſignum illud fœderis, Deũ inter, & homines, in generationes ſempiternas; Arcus, ſcilicet, in nubibus, vt non amplius terra diſperdatur, ſicut in diluuio. Verè Arcus fœderis, quæ genuit nobis Saluatorem, & Principem Pacis, qui fecit vtraque vnum. O quoties illud Dauidicum, ei Chriſtus reſpondet: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum; & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea. Ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. Vade pacificè in domum tuam. Neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* Quoties, inquam, talia Matri ſuæ pro clientibus ſuis ſupplicanti, Chriſtus reſpõdet, dum eleuatam ad vindictam peccatorum extendere parat dexteram?

*2. Reg. 25*

Vnus de præcipuis Marianæ excellentiæ titulis eſt, quòd vocetur *Porta Paradiſi*, & *Ianua Cœli*, adeò vt non immeritò de illa cum Propheta Regio dicere poſsimus: *Hæc Porta*

*Pſ. 117.*

*Porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Esto enim verisimè de seipso Filius eius dixerit: *Ego sum Ostium*; vtpote, qui morte sua, vitæ aditum nobis reserarit, Paradisi ianuam aurata sanctæ Crucis claui adaperiens: ipsa nihilominus hoc priuilegium ab eodem suo Filio accepit, vt sit *Ostiolum* magnæ illius *Portæ cœli*, atque vt Ecclesia in Litanijs Lauretanis eam salutat, *Ianua cœli*, per quã, qui ingreditur, pascua vitæ æternæ inueniet; cum ipsa suis precibus, subueniat hominibus etiam deploratissimis, ne penitùs desperent, imò, vt salutem consequantur. Audeo enim, neminem eorum, qui auræ fauoris eius sese commiserunt, cœlo vnquam exclusum præter eos, qui aut nimia mentis suæ elatione, aut immoderata animi dejectione ducti, seipsos in æternæ mortis barathrum, atque in ipsam inferorum abyssum, præcipites egerunt. Ipsa siquidem est *Anchora aurea*, quæ firmat, & quasi aduncat spes nostras in hoc vitæ salo fluctuantes, donec ad *Portum gloriæ* perueniamus.

Ioan. 10.

Fundamentum itaque hoc firmum stat, ingens, scilicet, prædestinationis signum esse, voluptate, ac desiderio Sanctissimæ Deiparæ seruiendi, trahi. *Non sentis te trahi? Ora vt traharis*, & ex toto corde frequenter ad eam clama: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Et cum Sapiente illo Idiota. *Trahe me torpentem, vt me reddas currentem.* Ait Poeta gentilis.

S. Aug. tract 26. in Ioan. Cant. 1.

*--- --- trahit sua quemque voluptas.*

Idiota supr.

Sit voluptas tua, ò homo, quæ ardenti desiderio ad Deiparam te trahat, quatenus eam ames, vt Matrem, venereris, vt Dominam, colas, vt Patronam, ad quam omnes homines refugium suum habere consueuerunt, qui mente meliores. Orphani enim vocant eam Matrem, pupilli Nutricem, infirmi Medicam, nauigantes Portum, rei Aduocatam, errantes Ducem, captiui Liberatricem, derelicti Præsidium, desperati Spem, tribulati Solatium, oppressi Adiutricem. Omnes denique ad MARIAM intentos habent oculos, & ad eam recurrunt, tanquam ad commune cœlestium thesaurorum ærarium: tanquam ad indeficientem diuinæ misericordiæ canalem. Et meritô, nam teste S. Fulberto Carnotensi Episcopo, Mariano lacte potato: *Nulla potior meritis inueniri potest ad placandam iram Iudicis, quàm illa, quæ meruit esse Mater Redemptoris, & Iudicis.*

*Totis igitur medullis cordium*, vti monet nos Sanctus Abbas Clarenallensis, *totis præcordiorum adfectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia hæc est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Ad Patrem vereharis accedere! IESVM tibi dedit mediatorem. Aduocatam habere vis, & adipsum? Ad MARIAM recurre. Exaudietur, & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet namque Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccatorum scala, hæc maxima mea fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potestne Filius repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. Ceterum quidquid illud est, quod adferre paras, MARIÆ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ redeat gratia, quo influxit. Nec enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæ ductu infundere gratiã prout vellet: sed tibi vehiculum voluit prouidere. ideoque modicum illud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Sed quia indignus eras, cui donaretur, datum est MARIÆ, vt per illam acciperes, quidquid haberes; quæ per hoc, quòd Mater est, genuit tibi Deum. Per hoc quod Virgo est, exaudita est prosna reuerentia, in causa tua, & totius generis humani. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per MARIÆ manus non transiret.* Meritò igitur, ò MARIA, in te respiciunt oculi totius creaturæ. Quia licet fidelis planè, & potens mediator Dei, & hominum, Homo Deus, Christus: diuinam tamen in eo homines reuerentur maiestatem, quia non solùm ei cantatur Misericordia, sed pariter etiam Iudicium. Iudicialem habet potestatem; siquidem Deus noster ignis consumens est. Quid ni vereatur peccator accedere, ne sicut fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Opus est ergo Mediatrice ad Mediatorem istum, nec alia nobis vtilior, quàm Virgo MARIA; cuius patrocinium tam potens est, vt verissimè S. Fulgentius: *Cœlum, & terra iam dudum ruissent, si non MARIA precibus sustentassent.* Proculigitur ab omni sincere Christiano homine esse debet, minus benè, aut religiosè erga Christi Matrem adfici, cum vel ipsis fidei hostibus attestantibus, reprobatæ mentis id sit indicium. Testem profero non indoctum, & rudem, sed inter nouos Ministros nobilem, & excellentem, quem ipsi solent admirari: quemque pro suo Episcopo habuerunt, & coluerunt Basileenses. Is est Ioannes Oecolampadius, quem nihil puduit magno in pretio habere Virginem Matrem, eamque præ sanctis reliquis amare, & venerari. Verùm ne quis mihi diffidat, illum ipsis loquentem in medium adducam, vt omnes in Mariana causa iudicare possunt. *Rectè admonet Propheta*, inquit, *vt in Sanctis laudemus Deum. In quo autem plasmate tam laudandus Deus, vt in*

Fulget. 4 Mytolog.

*Vir-*

*Virgine MARIA, quam hodie non solùm inhabitare, ceu templum sacratissimum, sed ex ea, & in ea, carne adsumpta, homo fieri dignatus est? Numquam de me, vt in Domino confido, audietur, quasi auerser eam, erga quam minus benè affici, Reprobatæ Mentis certum existimem indicium. Et quomodo non amarem? Et quis est qui non rapiatur in eius amorem, quam Deus ipse deamat, quam venerantur Angeli, & Archangeli, quæ peperit Saluatorem mundi, quæ humani generis est Aduocata, quæ Regina appellatur misericordiæ? Eia hortor iterum, atque iterum, vt summis viribus per eam laudemus Deum, quæ supra omnes, quæ Regina est omnium, quam Deus præ omnibus honorauit, cui similis non reperitur alia.* Hæc, furua illa Sathanici domicilij lampas, Oecolampadius, cum Ecclesiam Catholicam, excusso monastico D. Brigittæ habitu, deseruisset; minus, vt mirari, & irasci debeant aduersarij, nos in MARIA veneranda tam feruentes, quàm tantus alioquin Ecclesiæ hostis suspicit, & commendat. Sed & Martinus Bucerus, excucullatus quoque Apostata, ac quasi Argentoratensium Antistes: *Pius animus,* inquit, *de MARIA vase tam Sancto, atque electo, vt Christum nobis pareret, non nisi sanctissima cogitabit.* Quin & Martinus Lutherus, ac Ioannes Caluinus, ambo deformatæ illorum Ecclesiæ Patriarchæ, veritate cogente, honorificè admodum de Sanctissima Deipara loquuntur. *Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec in posterum erit,* inquit prior, *quæ fructum ventris sui benedictum parit; quando nulla citra voluptatem, & peccatum concipit.* Posterior autem, calculo veluti mundatus ignito: *Hodie,* ait, *celebrari nequit allata nobis per Christum benedictio, quin simul occurrat, quàm honorificè MARIAM ornauerit Deus, qui Vnigeniti Filij sui Matrem esse voluit.* Tanta vis est ecce veritatis, & tam aperta excellentia Deiparæ, vt etiam à suis hostibus laudetur, qui & ambiunt in eius clientelam admitti, ac eiusdem cultores sese profitetur, ne penitus tanquam reprobati habeantur. Quod si hos, vt pote Ecclesiæ hostes, non lubeat imitari; imitemur saltem Ecclesiæ, & Deiparæ prædilectum filium, S. Bonauenturam (vt infinitos alios prætream) qui frequentissimè Deum orabat, vt donum deuotionis erga sanctissimam hanc Virginem Matrem sibi conferret, dicens: *Dulcissime IESV, dignare donare mihi misero peccatori, Matri tuæ dignè seruire.*

*Oecolãp. serm. de laudando in Maria Deo.*

*Vide Mariale Canisij libr. 5 cap. 10.*

*Vide Locriũ, lib. 1. cap. 12*

Ceterùm, quia contingit nonnumquam aliquos feruentiores se exhibere in obsequijs Virgini præstandis, quam Christo Domino, placet hoc loco apponere, quod ex S. Antonino refert Author Pomerij, Pelbartus, vbi quæstionem hanc mouet in hæc verba: *Numquid igitur peccant ij, qui videntur certè multò magis, & deuotius, B. Virginem in veneratione habere, quàm Christum? Nam plerique deuotiores sunt ad ieiunandum Sabbatum in honorem Virginis, & vigilias festiuitatum eius, atque ad dicendum Officium Virginis ampliori reuerentia, quã faciunt in ieiunijs, & Officijs festiuitatum Christi, & amplius feruent in deuotione venerationis B. Virginis, quàm Christi.*

A

B

Respondeo secundùm prædictum Antoninum in 4. part. summæ, quòd tales moueantur sæpe magis ex simplicitate, quàm scientia. *Honor enim Reginæ iudicium diligit,* vt alibi S. Bernardus, & est zelus nonnunquam, non secundùm scientiam. Vnde licet id fieri non deberet: quia tamen secundùm Ioan. Damasc. *Honor Matris in Filium redundat,* patientiã habet Christus huius simplicitatis inquit Anton. Tenemus enim regulam S. Ildephonsi, rati: *Quòd seruit Ancillæ, ad Dominum quoque pertinere, quòd Matri impenditur, ad Filium reddundare, ac demum in Regis honorem transire, quòd infamulatum Reginæ transfertur.* Sanè insuper, ac non temerè credere possumus, Deum velle per Spiritum Sanctum inflammare plurimos ad suæ Genitricis deuotionem specialem; vt per eius menta, salutem cõsequantur æternam, & alij ad cõsimilem pietatis affectum, illorum exemplo inducantur. Pius namque in Matrem suam Filius, optimè nouit, quòd quidquid impenditur Matri, non nisi propter se Filium ex ea natum impendatur. Qui enim honorificat Matrem, honorificat Filium, & qui illam spernit, spernit eum quem illa genuit, Deum, scilicet, verum, & Iudicem viuorum, ac mortuorum, qui vindictam retribuet in hostes illius.

C

*Omnis enim Matris iniuria, creditur esse*
*Filij; & illius gloria, prolis honor.*

Quicumque ergo curiosa illa, & anxia de prædestinationis puncto sollicitudine liberi esse volunt, & humanitùs quasi loquendo, certiori signo inniti, deuotionem erga Deiparam animo concipiant filialem, & operibus iugiter eam exequantur. Quicumque etiam scire desiderant, quid faciendo vitam æternam possidebunt, satagant, vt per diuersa Mariani cultus obsequia, vocationem, atque electionem suam certam faciant, ac imprimis,

D

*Festum seruent Sabbatinum,*
*Et recipiet in sinum,*
*Illos Mater gloriæ.*
*Amen.*

## CAPVT XIV.

*Particularia quædam sacrosanctum Mariani Sabbati sacrificium, & Officium ingredientia, explicata.*

DIuus Epiphanius, Author grauis, & Doctor insignis, ac de Ecclesia præclarè meritus, Cypri Salaminæ Episcopus, ob quinque linguarũ peritiam πεντάγλωττος à Hieronymo; & Cypriorum murus, ac propugnaculum, à Polybio nominatur, hæresi 78. cõtra Antidicomarianitas, refert mulieres quasdam in Arabia morantes, adeò vesanas, & impias extitisse, vt simul congregatæ, nouum, & inauditum MARIÆ cultum inueherent, eamque Dei loco sibi colendam, atque adorandam publicè proponerent, contra omnem Ecclesiæ morem eidem sacrificantes. Etenim constituto anni die, vti etiam indicat Damascenus, currum quemdã siue stellam quadratam ornabant, & expanso super eam linteo, per dies aliquot panem, seu collyridem quamdam proponebant, & rem totam, in MARIÆ, ceu Deæ nomen, sacrificando peragebant, ac de eodem pane omnes participabant. Atque hinc nata hæresis Collyridianorum; quæ tamẽ penes mulieres maximè constitit, & ab vniuersa Ecclesia meritô damnata est, partim, quod MARIAM loco numinis adorarent: partim etiam, quôd à mulieribus illi sacrificaretur. Eamdem hæresim sectarij moderni nobis impudenter adfingunt, dum, & eam instar Deæ à nobis adorari, eidemque sacrificium offerri, quòd, *Missa de B. Virgine*, nominatur, falsò commiscuntur. Falso, inquam, & impudenter. Profitemur enim MARIAM esse creaturam, Ioachim, & Annæ filiam, secundùm Dei promissionem patri, & matri datam, atque ita honoratã á Deo, vt Sanctis omnibus sit honorabilior, ipsis etiam Cherubim, & Seraphim incõparabiliter gloriosior, qua nihil nobilius, nihil post Deum præstantius fuit, aut erit vnquam, prout vno ore omnes Sancti Patres confitentur: *Qui enim dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt is decretum à se promulgatum obseruet, & alios excederet, omnem Matri suæ, & gratiam, & honorem impendit.* Neque tamen Deus est MARIA, aut tanquam Dea à nobis colitur: neque corpus de cœlo habet, quam non conuenit vltra decorum honorari, puro homini debitum: *Honoranda Mater Domini est*, inquit, Bernardus, *& benè admones. Sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis.* Vnde neque etiam ei, tanquam superstitiosi Mariolatræ, vt loquitur Epiphanius, sacrificium offerimus, quamuis quotidie, & maximè in Sabbato, sacrosanctum Missæ officium de eadem offeramus. Quis enim nostrum, MARIÆ tanquam cœlesti numini, cui soli sacrificium debitum est, vnquam dixit, aut dicit, *Offerimus tibi sacrificium Deipara?* Quamuis enim in honorem eius Missam peculiarẽ in qua de excelẽtijs illius honorificam mentionem facimus, celebremus, non tamen illi, sed Deo soli, qui eam ita honorauit, & coronauit, sacrificium offerimus, pro gratijs illi à Deo collatis, Deum laudantes, & gratias agentes, illiusque patrocinia implorantes, vt pro nobis intercedere dignetur in cœlis, cuius memoriam agimus in terris. Et hic est vnanimis Doctorum Ecclesiæ consensus. Hoc vnum siquidem in Missa agitur, vt nobis proponatur, Deoque Patri mysticè offeratur, Christus IESV Dei, & MARIÆ Filius, qui seipsum in redemptionem pro omnibus dedit, & cruentum illud sacrificium, quod nihil, aut pretiosius, aut efficacius esse potest, ex obedientia, & charitate summa in Cruce peregit. Simul autem illic aguntur gratiæ æterno Deo pro beneficijs omnibus in MARIAM propter Filium, eiusque crucem, & mortem, quomodocumque siue in hac, siue in æterna vita communicatis. Eoque ipso testamur, virtute, & efficacia dictæ mortis Christi effectum esse, vt præ cæteris omnibus MARIA sit benedicta, & quasi principem locum habeat in Ecclesia tàm triumphante, quàm militante, vtpote Mater incomparabilis eiusdem Dei, & Domini nostri IESV Christi, quam sic voluit præ cæteris honorare. Deinde quoniam certò persuasi sumus, quidquid bonorum ad Matrem Domini deriuatur, & ad nos quoque iuuandos in illa reperitur, ex fructibus sacrificij in Cruce peracti profluere, & pendere, atque per hanc Christi gratiam, MARIÆ merita non solùm ipsi ad gloriam, sed nobis etiam ad multorum donorum impetrationem conduceret, tantó fidentiùs Patrem æternum in Missa præcamur, vt cum aliorum Sanctorum, tum MARIÆ in primis suffragia, fidaque patrocinia nobis ad protectionem fructuosa, & salutaria esse concedat, sed non nisi per Christum Dominum nostrum, vt sine quo Sancti omnes, nec sibi, nec alijs quidquam impetrare, aut commodare possent.

*Missa* igitur *de S. MARIA* (idem iudicium esto de reliquis Sanctis) est Missa in honorem B. Virginis Deo oblata, ac simul in gratiarum actionem pro beneficijs eidem Sanctissimæ Deiparæ collatis: à cuius exordio, ita exordior.

Communis Introitus Missæ Sabbatinæ est, *Salue Sancta Parens*, &c. Qui ex Sedulio Presbytero Scoto desumptus est, vti Missale notat Romanum, & habetur lib. 2. operis Paschalis carmine per eum cõscripti: quamuis inter opera quorundam Italorum Poetarum

*Vide Concil. Trident. sess. 6. cap. 3.*

*Methodius ora. de Purif.*

*Bernard. ep. 174.*

*Tom. 5. Bibl. Patrum.*

rum illi verſus quaſi alterius Authoris, etiam reperiantur. Quos, quia ita eos veneratur Eccleſia, vt toto Miſſali nullum præter hunc Introitum inuenias, qui non ex Scriptura ſacra, ſit deſumptus, viſum fuit pretium operæ, hic apponere. Vbi ergo agit Sedulius de Natiuitate Chriſti & Deiparæ puerperio, mox per apoſtrophem ad hanc ita ſe conuertit.

*Salue Sancta Parens, enixa puerpera Regem*
*Qui cœlum terramq; regit per ſecula, cuius.*
*Numen, & æterno complectens omnia gyro*
*Imperium ſine fine manet, quæ ventre beato*
*Gaudia Matris habens, cum Virginitatis honore,*
*Nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem.*
*Sola ſine exemplo placuiſti femina Chriſto.*

Poeta Italus hunc ſubnectit verſum, qui in Sedulio non reperitur:

*Affer opem, nobiſq; adſis pede Diua ſecundo.*

Nec temerè, inquit Locrius, Sedulij verſibus vtitur Eccleſia Etenim Osbertus Monachus Anglicanus qui an. 1020. claruit, in vita S. Dunſtani Dorobernienſis, ſiue Cantuarienſis Archiepiſcopi, & Deiparæ eximij Cultoris, ita ſcribit: Cum aliquando nocte media Dunſtanus ad ſacroſanctæ Virginis Oratorium orandi gratia pergeret (ſolebat enim vir Sanctus nocte concubia, fideli ſocio comitatus, loca ſacra viſitare (ipſa Cœli Regina, numeroſo Virgiuum choro cincta, venienti Dunſtano obuiam proceſſit, & ſummo honore acceptum, ad Oratorium ſuum deduxit, quo Præſul ipſe properabat; duabus interim ex illo cœleſtium Nympharum comitatu, illud Sedulij carmen præcinentibus:

*Cantemus Sociæ, Domino, cantemus honorem;*
*Dulcis amor Chriſti, perſonet ore pio.*

Recinebant & repetebant hos duos verſus, reliquæ Reginæ Cœli Sanctæ pediſſequæ, duabus primis binos quoſque perſequentibus, atque hymnum continuantibus:

*Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus.*
*Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.*

*Vide Surium 19. Maij.* Repetebant cæteræ, *Cantemus Sociæ*, duabus illis quæ primo cecinerant, ſingula diſtricha percurrentibus, & ad finem vſque cantantibus; ita tamen, vt poſt duos inpariter iũctos, Chorus vniuerſus, *Cantemus Sociæ*, vſque ad illud, *perſonet ore pio*, mira dulcedine concentus iteraret: donec ſanctum Præſulem ad locum orationis deduxiſſent. Merito igitur ſancta Mater Eccleſia, Sedulij verſus frequenter vſurpat, quos ipſa Cœli Regina, cum Sanctis illis Virginibus ita honorare dignata eſt. Fructuoſe etiam de eodem Introitu leges B. Mechtildis Reuelationes lib. 1. c. 63. & ſequentibus: in quibus videbis quàm deuotè illa Marianum hoc Sabbatum venerata fuerit, in quo ſæpiſsimè ſub diuino Miſſæ ſacrificio, a B. Virgine Deipara corporaliter ei apparente, plurima diuina Myſteria eſt edocta, viditq; nonnumquã cœleſtes Seraphinos, accenſas in manibus tædas geſtantes, ad Miſſam Marianam cohoneſtandam in Sabbato, è cœlo in terram deſcendere.

Euangelium Miſſæ Sabbatinæ, ex cap. 11. Lucæ deſumptum eſt, in quo mulierem habemus, quæ diuino afflata Spiritu, elata voce Chriſtum eiuſque Matrẽ illuſtri teſtimonio coram vniuerſa turba celebrauit, dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*, ob quod teſtimonium, magnis præconiorum laudibus, a SS. Patribus illa commendatur, putaturq; nonnullis, Marthæ, ſororis Magdalenæ & Lazari, ancilla fuiſſe, *Marcella* nuncupata. Quod ipſum Sibylla Tiburtina dudum ante Mariam natam, diuino vt creditur quoque ſpiritu edocta, vaticinando cecinit, vbi inter alia, hæc de beata Virgine:

*Lucæ 11.*

*Lyran. in c. 11. Luc. & alij.*

*O nimium felix, cœlo digniſsima Mater,*
*Quæ tantam ſacro lactabit ab vbere Prolem!*

Sed & ſanctiſsimus Pater noſter *Norbertus*, teſte Ludolpho de Saxonia, pio ex Ordine S. Brunonis Authore. (qui tamen vitioſe pro *Norberto*, ponit *Robertum*; quod & ſubinde apud alios Authores deprehendi) cum magnifico hoc Chriſti Matriſque eius præconio, a muliere quadam coram populo laudaretur, humilitate vt erat plenus, & nihil altum quod perfecti viri eſt, de ſe præſumens, ita eidem reſpondit: *Et maledicta tu, & qui tibi ſuggeſſit verba Dominica, & laudẽ eius in me miſerum retorquere, qui etiam modica laude capi conſueueram.* Arbitrabatur ſcilicet ſe indignum, cui tam excellens teſtimonium ex Euangelio petitum perhiberetur.

*Ludolph. c. 75. p. 1.*

Scribit porro Vincentius Epiſcopus Bellouacenſis in Gallia, fuiſſe Clericum (Petrus Damiani lib. 6. epiſtolar. epiſt. 29. dicit eum fuiſſe Eccleſiæ Niuernenſis item in Gallia) qui quotieſcumque Eccleſiam pertranſiret, genu flexo, prædicta Euangelica verba in honorem Deiparæ recitare conſueuerat. Contigit hunc poſtea infirmari, & præ morbi vehementia; linguam ſibi & labia dentibus præmordere & aſſumere. Non paſſa eſt id damni, & doloris, Mater miſericordiæ;

*Lib. 7. Spec. hiſt. c. 83.*

sed ab Angelo Clerici Tutelari aduocata, cõparuit, & ad lectum infirmia cedens, extracta sua Virginea vbera, quæ toties ille beata esse commemorauerat, visa fuit in os eius immittere, & sancti lactis sui rore infuso, subito ei linguæ integritatem, & labijs antiquum decorem, omnibusque membris sanitatem restituit pristinam; fidelis illius obsequij operam hac mercede remunerata. Quo ille percepto beneficio, vitam cum morbo mutauit in meliorẽ & religiosam. Cui narrationi, vt facilius fidem adhibeas, reuoca in memoriã, non tantum quæ de S. Bernardo mellifluo Doctore, & B. Alano de Rupe, Dominicano, eximio Deiparæ amatore leguntur, quod nimirum, exerto suo vbere, lactis copiam eis nonnumquam infuderit, sed etiam quæ apud Cæsarem Ecclesiasticæ historiæ reperies, de S. Fulberto Carnotensi Episcopo, & ab omnibus recipiuntur; cui vtpote prædilecto suo filio, idem beneficium exhibuit. *In Fulberto,* inquit, *præter scientiam & vitæ integritatem, maximè commendatur, quod erga sanctissimam Dei Genitricem Mariam addictissimus seruus & promptissimus eius amator fuerit, in cuius laudem Librum conscripserit, basilicamq; construxerit, laudesq; cecinerit, ab ea autem singulari remuneratus dono est, dum ipsi ægrotanti per visum apparens fugenda aperuerit sacra vbera.* Et verè donum hoc singulare, nam, *Meliora sunt vbera eius vino, fragrantia vnguentis optimis.* Eius insuper, Fulberti inimirũ, sunt duo illa sacra Responsoria de B. Virgine cantari solita: *Stirps Iesse Virgam produxit, &c.* item: *Solem iustitiæ Regem, &c.* teste Christiano Massæo in l. 16. Chron. ad annũ 996.

*Baron. tom. 11. Annal. an. 1028.*

*Cant. 1.*

Præfatio autem illa Sabbatina: *Et te in veneratione B. MARIÆ semper Virginis collaudare, &c.* Vrbano II. Pontifici Maximo, insigni Virginis Deiparæ Cultori, vti sup. vidimus, à Locrio & alijs, communiter tribuitur. Vnde Carolus Sigonius de eodem Vrbano agens, & citatur à citato Locrio in hanc comprobationem: *Sanxit,* inquit *hic idem Pontifex, multa alia Ecclesiæ salubria. Inprimis autem nouem Præfationibus, decimam addidit: Et te in veneratione B. MARIÆ semper Virginis collaudare, & quæ sequuntur, ad Deiparam laudandam & prædicandam aptissima.* Idem asserit Honorius Augustodunensis Presbytes, in Opere quod de Gemmâ animæ conscripsit l. 1. c. 120. & in eadẽ opinione hactenus ego cum illis. Sed ab ea me reuocat Petrus Canisius, qui lib. 4. c. 21. sui Marialis ita scribit: *Cõsonat & Missa Gregoriana, in qua mille ab hinc annis propemodum, quoties de Virgine solemnis memoria celebratur, præsentes omnes excitantur hac voce: Gratias agamus Domino Deo nostro, moxq; caussa huius gratiarum actionis adnectitur: Verè dignũ & iustũ est, æquũ & salutare. Et te in veneratione B. MARIÆ sẽper Virginis collaudare, benedicere & prædicare: quæ & Vnigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente, lumen æternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrũ.* Ex quibus liquido, Gregorium illũ re & cognomento Magnũ, authorem huius Præfationis habemus, & simul intelligimus antiquissimam esse in Ecclesia Missam de B. Virgine; nam & ante Ggregorium, in Missa Ambrosiana legimus hanc Præfationẽ: *Per Christum Dominum nostrũ. Et in huius diei venerãda festiuitate gaudere, in qua sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatũ; cuius intercessione quæsumus, vt mortem euadere possimus animarum, per eumdẽ Dominũ nostrum.* Imò & in Liturgia D. Iacobi Apostoli, his similia reperiũtur, quę vetustissimum morem commemorandi Deiparam in diuino Missæ sacrificio, contra Sectarios, id negantes, vel dãnantes, adstruunt. Sed vt ad Vrbanum redeam, puto eum tantummodo prædictam Præfationem Sabbatinam ceteris receptis addidisse, & noua Missa Mariana pro expeditione terræ Sanctæ ordinata, eam legendam vel cantandam statuisse. Neq; amplius quidpiam insinuare videntur Honorius, Sigonius, alijue, qui tantummodo dicunt Vrbanum II. eam reliquis addidisse; at composuisse, nequaquam. Et signanter Honorius scribit Pelagium Papam nouem Præfationes cantari statuisse, quas tamen certum est eum non composuisse. Sed nunc, *Ite Missa est.* Ad Matutinas propero, & ab hymno ita incipio.

*Locr. l. 7. cap. 13.*

*Sigon. l. 9 de regno Italiæ.*

*Hon. sup.*

Is est, cuius initium, *Quem terra, pontus, æthera,* &c. Hunc Romanum Breuiarium sub diuunctione tribuit S. Gregorio Magno, vel venancio Fortunato. In neutrius tamen operibus, eum hactenus potui reperire; licet huius sacros hymnos iam nuper accuratissimè recensuerit Christophorus Brouuerus, Societ. IESV Presbyter; qui nihilominus fatetur, plurima adhuc eius monumenta ingenij desiderari aut, perijsse, inter quæ fortean, & dictus hymnus. Sanè Iudocus Clichtouæus in Eluci datorio suo Ecclesiastico, absque scrupulo vllo Venantio Fortunato eum adscribit: cui etiam interserit versus illos qui ad Primam, Tertiam, ac reliquas Sabbatini Officij minores Horas legi consueuerunt (quod ipsum & Breuiarium Ecclesiæ Strigoniensis in Hungaria, facit) nimirum.

*Tom. 6. Biblioth. S.S.P.P.*

*MARIA Mater gratiæ,*
*Mater misericordiæ,*
*Tu nos ab hoste protege,*
*Et hora mortis suscipe.*

Qui

Qui ſanè verſus ab vnoquoque fidelium, & Mariano cultore, ſæpius per diem, & maximè ad pulſum campanæ, vſurpandi ſunt, ad obtinendum potens illud Dei Genitricis patrocinium in eo articulo, à quo tota noſtra dependet æternitas; quando etiam hoſtis ille infernalis tamquam leo maximè circuit, quærens quem deuoret, & inſidiatur calcaneo hominis cum tota æternitate decertantis. Fecit hoc magno cum fructu S. Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis in Anglia, de quo hæc Surius 2. April. Cum S. Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis, morbo eſſet præ-
*Pſal. 30.* grauatus, & confectus, illam Pſalmiſtæ vocem: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, crebrò iterabat. Ad Beatiſsimam quoque Matrem Chriſti ſemperque Virginem MARIAM, ſubinde corde ſimul, & voce ſe conuertens, aiebat:

*MARIA Mater gratiæ, &c.*

Mandauitque ſuis Capellanis, vt ea verba ad eius aures pronuntiare non ceſſarent: atque ita inter ſuſpiria piæ deuotionis, & verba ſacræ orationis, adſtantibus Religioſis Preſbyteris, & Clericis, Laicis quoque fidelibus, B. Richardus animam deinceps in illa Beatiſsima Ciuium ſupernorum victuram Societate, reddidit Creatori. Idem fecit, vt ante vidimus, S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina, erga Deiparam deuotiſsima, quæ inter eamdem orationem animam exhalauit. Fecerunt id ipſum plures alij, quos in exemplum aſſumito, & contra inſidiantem hoſtem te quoque, vt illos, proteget. Sicut & Iuuenem quemdam ab inuadente Diabolo liberauit, qui licet vitæ eſſet diſſolutioris, Sanctiſsimæ tamen Virgini plurimum erat addictus, cui quotidie prædictos verticulos recitando offerebat. Hiſtoriam habes apud Pelbartum, lib. 12. par. vlt. cap. 8. in ſtellario.

Sciendum tamen Locrium lib. 7, cap. 5. hymnum ad minores Horas decantari ſolitum, ſcilicet, *Memento Salutis Author* cum prædictis verſibus ſubſequentibus, æquè reſolutè D. Ambroſio adſcribere, atque Clithouæum, Venantio Fortunato. Vt vtſit, elige tu Lector. Ego iudex horum nolo eſſe. Pius interim eſt, & ab Eccleſia comprobatus. Hymnum ad Laudes, *O glorioſa Domina*, D. Ambroſio tribuit Romanum Breuiarium in cuius tamen Operibus, hactenus etiam illum non reperio, niſi fortè in vltima editione extet, quam videre non licuit. Clichtouæus autem, loco ſupr. citato, adſcribit eundem Venantio Fortunato. In eo autem notandi ſunt præclari illi tituli, quibus MARIA honoratur, & nuncupatur, *Feneſtra cœli*, *Regis alti ianua*, & *Porta lucis fulgida*, in quos tam acriter Lutherus cum damnata ſua progenie debacchatur, vt ab impio, & perditiſsimo Monachorum Gnatoniſmo eos in-

*Breuiar. Strigoniē ſe ponit hunc hymnum cum præcedenti, quaſi vnum in Laudibus Sabbatinis.*

A uentos eſſe, ſcribere non vereatur: cum tamen à Sanctorum Patribus, iam ante mille, & quod excurrit, annos, ei conſignati reperiantur. Audiamus ſacrum illud os loquens grandia Doctoris Africani: *Facta eſt MARIA feneſtra cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen. Facta eſt MARIA ſcala cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines mereantur aſcendere ad cœlos.* Quæ eadem verbotenus apud Diſcipulum eius S. Fulgentium reperiuntur. Et B. Andreas Cretenſis inſignis Deiparæ Encomiaſtes: *Hæc eſt Porta cœli*, inquit, *de qua Iacob dixit: Quàm terribilis eſt locus iſte? Verè nō eſt hic aliud, niſi Domus Dei, & Porta Cœli.* Sanctus item Methodius orarione de Hypap. Dom. *Portam Cœli*, MARIAM nominat: ſicut & B. Ildephonſus ſermon. 1. & 4. de Aſſumpt. ac B. Rupertus in Matth. lib. 1. de gloria, & honore Filij Dei, expreſsis verbis, *Ianuam cœli*, eam cognominat, prout etiam Sanctus Patriarcha Venetus, dum eam ita inuocat: *O Beata Dei Genitrix, Virgo fœcunda, Cœli Porta, delinquentium ſpes, pro nobis interuenire digneris. Non te repellet, qui naſci voluit ex te, honorauit te, requieuit in te, teque collocauit apud ſe, qui fecit te IESVS Chriſtus.* Nec mentitis eam laudibus hìc deformamus, Deoue eripimus, quòd ſuum eſt, aut Chriſti nudati ſpolijs eam ornamus, vti petulcus vitulatur Calfinus. Sciunt enim omnes in Schola Eccleſiæ probè inſtituti, Theologicam Regulam hìc, & alibi in ſimilibus eſſe obſeruandā, qua veriſimè dicitur, & docetur, multa nomina propriè, & per eſſentiam, ſiue per excellentiam diuinis perſonis competere, quæ ſecundario, minus principaliter, ac ſecundum gratiam, aut aliquam participationem, Sanctis in cœlo, imò & nonnumquam fidelibus ritè tribuuntur, etiam ab ipſa Scriptura Sacra, quam vbique ille cum ſuis crepat, & ad cuius lancem omnia vult trutinanda. Vnde licet quandoque ſit eadem vocum nuncupatio: ſepè tamen earumdem eſt ſignificatio planè diuerſa; quæ à Scriptura, ac fida eius interprete, Eccleſia, & à SS. Patribus eſt petenda. Sic Chriſtus vocatur, *Lux mundi* Ioan. 9. vocantur nihilominus, & ab ipſo, eius etiam Apoſtoli. Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*. Alibi dicit idem: *Nemo bonus, niſi vnus Deus*, cui in ſpeciem iterum videtur contradicere, dum ait: *Bonus homo de bono theſauro profert bona*. Supradicta igitur Regula Theologica, his & ſimilibus adhibenda eſt: ſecundùm quam citra Dei iniuriam, & Chriſti deſpoliationē, rectè Sanctiſsma. Deipara, *Porta, Ianua, & Feneſtra Cœli*, nuncupatur, eſto Filius eius dicat ſe eſſe *Oſtium*. Eſt namque talis MARIA, ex parte efficaciſsimæ interceſsionis, quia nimirum precibus, &

*Auguſt. ſer. 15. de Sanctis.*

*Orat. 2.*

*Laur. Iuſtin. ſerm. de Nat. Mariæ.*

*Ioan. 9.*

*Marc. 10*

*Matt. 12*

*Ioan. 10.*

meritis suis, Cœlum nobis aperit. Et hic modus eam salutandi, ex Scriptura desumptus est. Illi enim, quibus eleemosynas præstitum[9], dicuntur nos recipere in æterna tabernacula Luc. 16. atque eatenus nobis *Porta Cœli* sunt, & eius quasi *Ianua*. Timothæo suo etiã dicit Apostolus: *Hoc faciens, te ipsum, &* 1. *Tim.* 4. *alios saluos facies.* Dicite Scripturæ sacræ diuini interpretes, vt esse vultis, derogant hæc Christo, qui de se ipso apud Prophetam Oseam dicit, *Saluator non est præter me?* *Oseæ* 13. Nequaquam, sed ostendunt subalternas salutis nostræ causas, per quas Deus eam operari dignatur. Sic Virginis Deiparæ intercessio, diuinæ misericordiæ subijcitur, & tanquam causa secundaria, ei subalternatur; idque ex proportione, non ex æqualitate. Non malè itaque hic illud Augustini adaptabis: *Quare* *Aug. in* *Portæ Apostoli? Quia per ipsos intramus ad* *Psal.* 68. *Regnum Dei; præcant enim nobis, & dum per ipsos intramus: per Christum intramus. Ipse est enim Ianua. Et cùm dicuntur duodecim Portæ Ierusalem, & vna Porta Christus, & duodecim Portæ Christus, quia in duodecim Portis Christus.* Valeant ergo Momi isti, & Aristarchi cum suis blasphemijs, & nos in antiqua Maiorum nostrorum veneratione erga Deiparam constanter permaneamus, ac præcitatum hymnum reuerenter ei frequentius offeramus, nec stolidum argumentum Liliati Apostatæ auscultemus, aut æstimemus nos irridentis, dum eam *Gloriosam Dominam*, nominamus, qui alibi suo more concludit: *Ipsa se ancillam vocat, ergo Papistæ perperam Dominam, & Reginam nominant.* Sed ò bone! Numquid Esther, quæ se vocauit ancillam Regni Persarum, & Medorum sceptrum non tenuit, & coronam Regiam, vt Regina gestauit? *Tu scis*, aiebat, *quod* *Esth.* 14. *nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem.* An quia Abigail ad Dauidem. *Ecce famula tua* 1. *Re.* 25. *sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei*, ideo non vt Regis vxor fuit honoranda? Verùm vitulino hoc Calfini boatu contempto, voces potius Angelorum de cœlo canentium attendamus.

*Regina Cœli lætare, Alleluia.*

Quæ omnia hic prolixius à me dicta sunt, vt simul ab Sectariorum calumnioſis blasphemijs, & blasphemis calumnijs vindicem celeberrimam illam Antiphonam, cuius exordium, *Salue Regina*; quæ per maximam anni partem, Romano ritu, in Completorio Officij Sabbatini solet decantari, estque huiusmodi præclaris titulis, & glorioſis epithetis plena, sed ideo etiam præ reliquis, ab illis semper odio habita. Author eius, communi iam historicorum consensu, ponitur Hermanus, cognomento á membrorum vitio, Contractus, magnæ scientiæ magno dono à B. Virgine de cœlo dotatus. Fuit autem Sueuus natione, ex illustri Veringensium Comitum stemmate oriundus, & Monachus postea sub instituto D. Benedicti in Monasterio S. Galli. Inde electus Abbas Sangalensis, atque ex eo teste Cuspiniano, Episcopus Constantiensis, qui vt scribit Molanus, demum an. 1054. è vivis discesserit. *Vide Loc. l. 7. c. 8.*

Qui autem miracula, quæ ad eius recitationem contigerunt, nosse desiderat, adeat Chronicon Antonini, Cantipratanum, Speculum magnum exemplorum Ioannis Iunioris, Catechismum Historialem, & alios Authores passim obuios.

Magnam verò Dominicanorum Ordini inferunt iniuriam, qui nullo fundamento firmo nixi, asserunt ijs in pœnam, opinionis ab illis hactenus de originali Virginis peccato defensæ, à Sede Apostolica iniunctum, vt hoc Canticum, *Salue Regina*, processionali ritu extra Chorum persoluant. Error est ab anilibus fabulis, & vanis commentis originem trahens. Sublimiorem enim causam habet sacra hæc cæremonia. Vexabantur varijs Diaboli illusionibus prædicti Ordinis Religiosi circa ann. 1222. Placuit ijs auertendis, ad communem afflictorum Consolatricem, B. scilicet, Virginem Deiparam, confugere. Instituunt itaque, vt quotidie Completorio peracto, Processionali ritu, *Salue Regina*, decantetur. At quo fructu? Apparuit mox de cœlo, Mulier illa fortis, quæ Diaboli contritura caput, iam ab Orbis perditi initio, promissa fuit Orbi vniuerso, & canentibus illa verba, *O dulcis Virgo MARIA*, caput annuere visa est, & fallacis Diaboli insidias dissipauit. Alia etiam vice, dum canitur, *Et spes nostra salue*, eadem Virgo de cœlo lapsa, placida vultu canentes resalutat. Cùm verò Fratres exclamant, *Eia ergo Aduocata nostra*, procubuit coram Filio suo suppliciter, & pro canentibus, eumdem deprecata est. Tertiò, vbi dicerent, *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*, mitissimum in eos obtutum defixit. Quartò autem, in hunc modum supplicantibus: *Et IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*, illam tanquam puellaribus restitutam annis, atque lactantem paruulum suum pusionem, velut recenter natum, singulis offerentem, mulier quædam singulari vitæ sanctimonia commendata, aspexit, prout ista refert Viridarium Marianum Vincentij Hensbergij Dominicani. Cùm verò hæc Antiphona solemnis esset in Germania, & in Gallia, Gregorius IX. Roman. Pontif. Authore Abbate Vrspergensi *Conrardo à Lichtenauuu*, Ordinis nostri Præmonstratensis, in fine Horarum, eam per omnes Ecclesias iussit decantari, vt Author est Ioan. Carthag. lib. 18. homil.

homil. 12. in Tom. Marian. Sed nunc ad Vesperas Sabbatinas, quòd attinet, occurrit mihi, secundùm ritum nostrum Præmonstratensem, sacrum Responsorium in ijs decantari solitum, cuius exordium: *Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, &c.* Cum prosa, *Inuiolata, integra, & casta es MARIA, &c.* Quæ & Canonicos Antuerpienses singulis Sabbatis, B. MARIÆ offerre, supra diximus. Responsorij Author, fuisse putatur cæcus quidam musices peritus, qui eo post octauam Lectionem Officij Virginis Adsumptæ, in *MARIA Rotunda*, templo Romano, Bonifacij Papæ, & Phocæ Imp. tempore, ante Deiparentis altare, alacri, & alta voce decantato, lumin.s vsum recuperauit. Pulchram etiam inuenies historiam apud Pelbartum in Pomerio lib. 12. par. vlt. cap. 1. De puero à Iudæis clanculùm occiso, eo quod prædictum Responsorium sæpius, vt in Schola didicerat, per plateas decantaret. Qui postea à B. Virgine resuscitatus, & sanatus, inuentus fuit, & auditus in domo Iudæi, vbi occultè interfectus, absconditus iacebat, idem Responsorium cum Angelis alacri voce decantare. Atque ita mater pueri, quæ ad mortem ducebatur, quòd Iudæo intentatum crimen, probare non posset, & vitam retinuit, & filium suum recepit.

*Ioan. Iunior dist. 8. exemp. 58. Canti prat. lib. 2. in append. cap. 29.*

Hymnus, *Aue maris stella*, ob Annuntiationis Marianæ solemnitatem compositus putatur Clichtouæo, alijsque plurimis, quos citat Ferreolus Locrius lib. 7. cap. 4. Verùm à quo ille compositus sit, nemo adducit, inquit, idem: ideoque anonymi, & incogniti Authoris eum esse, opinatus fuit Doctor Exstaticus, Dion. Carthusianus. Attamen si coniecturis aliquid adsequi fas sit, stilus B. Bernardum redolet: eaque est sententia Franciſci Costeri, dum in suis meditationibus ad hunc hymnum, ita scribit: *Hoc carmen, incerti quidem Authoris est, refert tamen dulcedinem melliflui Bernardi, cui à nonnullis tribuitur.* Cui ijsdem pœnè verbis adstipulatur Arnoldus Vvion Benedictinus Belga, sed Montis Casini incola, lib. 5. Ligni vitæ. Quod ex eo quoque non ineffieaciter, vt puto, potest confirmari, quòd sacris Imaginibus D. Bernardum repræsentantibus, communiter hic versus ex eodem desumptus.

*Monstra te esse Matrem.*

Reperiatur subscriptus, cuius versiculi, cum tribus alijs in eadem stropha sequentibus, recitatione, vuenis quidam ante Imaginem Lauretanæ Virginis, schedulam, qua se Dæmoni, pacto veluti pignore deuouerat, recepit. Vidit enim subitò, vix ista precatus, nefarium chirographum in manus delapsum. Qui ex inopinato gaudio vix sibi credens, integrato flétu, grates Virgini enixius agit, cuius beA nignitate, ô seruitute Diaboli, in libertatem filiorum Dei erat assertus. Aliud lego in Libro miraculorum Nostræ Dominæ Montis Serrati. Voluisse nimirum, Abbatis & Monachorum Benedictinorum, eius loci incolarum, rogatu, Pictorem quempiam sacram illic, & miraculis admodum celebrem Deiparæ Imaginem, nouis coloribus reddere illustriorem. Quod vt attentat, & penicillum admouet, confestim cæcitate percutitur, quam menses tres integros patitur. Quibus elapsis, fors fuit, vt ipso ante dictam Imaginem supplice, hic hymnus à Clero caneretur. Cumque illuc esset peruentum.

*Solue vincla reis,*

B *Profer lumen cæcis.*

Nulla mora, fugit cæcitas, & amissum lumen, per eam quæ peperit nobis *Lumen ad reuelationem gentium*. Pictori restituitur. An non igitur pium opus Pictoris, & Monachorum desiderium laudabile? Vtrumque sanè pijssimum, vtpote è sincero, & ardenti in Virginem affectu dimanans. Sed existimo, Diuam nostram tum ipsis, tum Orbi vniuerso voluisse indicare, non adeò pulchritudine illa externa, quàm interno cordis nitore se delectari. Neque ob id Imaginem suam pluris faciendam, quod pulchra, quòd ad fabrefacta, C quòd oculis gratiosa, aut distanter ornata. Ita namque etiamnum hodie, in Colle Aspero, Hallis, Siluæ ducis, atque alibi, sacræ eius Imagines, infinitis licet miraculis coruscantes, abiecta, seu nullo modo exteriùs pretiosa, aut æstimabili forma, vel materia conspiciuntur: imò rarissimas inuenies ex auro, vel argento, miraculis claras, sed omnes pœnè ligneas, & quæ ordinariè vilioris, vt ita dicam, fuerunt prius æstimationis; quo sic fideles admoneantur, non à pretio, Imaginum, forma, vel materia earum, sed à Numine, & Virtute intùs residentibus miracula patrari, & beneficia concedi. Quamuis tamen, laudabili prorsus consuetudine, etiam pretiosissimis donarijs, auro, argento, gemmis, & lapidibus, à nobis exornentur. Ipsa est enim *Regina in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Ipsa est *mulier amicta Sole, coronam habens in capite stellarum duodecim.* Cuius splé- *Apoc. 12.* dori, & dignitati nihil par, aut simile tum in mũdo, tũ in cœlo post Deum reperitur; non tantum super mulieres, sed homines omnes, imò, & Angelos vniuersos benedicta, quorum, & Regina in Litanijs nominatur. *Psal. 44.*

De Matthia item Bossemio, viro pio, & docto (vtpote qui per 33. annos Duacenam Cathedram magna cum laude in Theologia tenuit) scribit in Bibliotheca sua Belgica Andreas Valerius, quòd quotidie ad S. Dei Genitricem, ter hanc Oratiunculam, ex præcitato hymno desumptam, emittere consueuerit:

*Horat. Tursell. l. 3. c. 33.*

*Virgo singularis,*
*Inter omnes mitis,*
*Nos culpis solutos,*
*Mites fac, & Castos.*

Obtinendo, scilicet, & conseruando dono Castitatis; cuius tantus fuit amator, vt exemplo *S. Augustini*, extraneam in ædibus suis fœminam in sit passus versari, neque vnquam solus cum sola, nisi in publico, sit locutus. Cui fini etiam specialem Tractatum conscripsit, in quo Clericorum cum fœminis cohabitationem multùm improbat, & damnat. Extat Duaci Typis Ioann. Bogardi. Obijt autem Vir admodum commendabilis, *MARIAM* semper in extremis ingeminans, ann. 1599.

Hymnum excipit decachordum Canticum, quòd à recenti Angeli colloquio inflammata, Tympanistria nostra, *MARIA*, coram Elisabetha ex tempore concepit, & Deo Patri in gratiarum actionem, quòd iam in vtero suo Virgineo, *Verbum caro factum esset*, decantauit. Et esto Sabbatino Officio non sit proprium; quia tamen eius opus est, cuius honori Opusculum hoc nostrum qualecumque deseruit, locum sibi hic etiam vendicat: maximè cùm tot eximijs præconijs, ab vniuerso SS. PP. cœtu dilaudetur; vt hic Antidicomarianitas omittam, qui magnis laudibus id ipsum extulerunt, quos tu vide in Mariali Petri Canisij lib. 4. cap. 5. Solet autem illud Ecclesia, sicut & Canticum Zachariæ, *Benedictus Dominus Deus Israel*, ac iusti & timorati Simeonis: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, stando, & erecto corpore, venerationis ergo persoluere, eo quòd Euangelia, seu partes Euangeliorum sint, vt inquit, Durandus, quæ stantes legimus, & audimus. Canisius verò supra ex Venerab. Beda, quoad *Magnificat*, huius ritus hanc adducit rationem, vt videlicet Christiani reuerenter adsurgendo, simul Deum in MARIA stantes venerentur, & Redemptoris beneficium, qui de sinu Patris in vterum Virginis sponte descendit, grato pectore complectantur. Hoc Canticum Marianum, Sancta Maria Ogniacensis morti proxima decantans, à Sanctissima Deipara (quæ eamdem ad sacri olei inunctionem tempestiuè accipiendam præmonuerat) eiusque Filio, atque integro Apostolorum Collegio fuit visitata, atque ad cœlestem thronum ab ijsdem deducta. S. Anselmus Cantuariensis, eodem integrè recitato, à grandi pedis dolore se conualuisse testatur. B. Ioscio, cognomento *Roseus*, Audomarensis Benedictinus, singulis noctibus post Matutinas, idem legere consueuerat cum alijs quatuor Psalmis à singulis litteris Mariani nominis incipientibus, videlicet:

*Luc. 1.* *Luc. 2.* *Rationdiuin officlib. 5. cap. 4.* *Surius 23. Iunij.*

AVE
- Magnificat. *Luc. 1.*
- Ad Dominum. *Psal. 119.*
- Retribue. *Psal. 118.*
- In conuertendo. *Psal. 125.*
- Ad te leuaui. *Psal. 122.*

*Ioan. Molan. de SS. Belgij 30. Nouemb.*

Singulis Psalmis, & Cantico, præmittendo salutationem Angelicam. Inuentus est hic postea circa festum D. Andreæ in Dormitorio mortuus, cum duabus Rosis purpureis ex oculis pullulantibus, totidem ex auribus, & vna ex ore, in qua nomen *MARIÆ* mirabiliter effictum habebatur. Et sanè quàm aptissimè, Mariano Cultori hæ Rosæ cum Deiparæ nomine excreuerunt, ipsa enim in Litanijs, *Rosa Mystica*, & à SS. PP. *Rosa Ierichuntina* toties appellatur. Vnde meritò B. noster *Hermanus Ioseph*, Steinfeldensis Ecclesiæ *Lilium* ab Angelo nuncupatus, & Sanctissimæ Deiparæ verus *Benjaminus*, eam vix aliter, quàm *Rosam suam* nominare solebat. Hinc toties in mellitissimis eius Opusculis, hos & similes versus reperies.

*Obijt an. 1163.*

*Gaude mea Speciosa:*
*Tibi clamo*, Rosa, Rosa
*Pulchra nimis, & formosa,*
*Super omnes amorosa.*
*Gaude* Rosa *speciosa;*
*Super* Rosam *tu formosa.*
*Tu es* Rosa *singularis.*
*Sola* Rosa *tu vocaris.*
*Gaude* Rosa *charitatis,*
*Admirandæ suauitatis:*
*Toto corde complectenda,*
*Et nequaquam dimittenda,*
*Salutanda dulciter.*

Et quid ni eam sic salutet, & nominet? Est namque, *quasi plantatio Rosæ in Iericho, circumdata floribus Rosarum, & Lilijs conuallium.* Nempe, *Rosa Candida*, immaculata Virginitate, & *Rubicunda*, ardenti in omnes Charitate. *Eccl. 24.*

At nunc tempus, vt hoc Caput cum Completorio compleamus; in quo ab Aduentu Domini ad vsque Purificationis Marianæ festum, cantari, aut legi solita, Antiphon. *Alma Redemptoris mater, &c.* Quæ ab historicis diuersis, eidem Hermanno Contracto supr. memorato tribui solet. Illa verò, *Aue Regina cœlorum*, quæ à Purificatione Virginea, in quintam hebdomadis sacræ feriam, sub Completorio etiam diebus Sabbatinis recitatur, Authore Pelbarto in stellatio, Domina nostra iam moriente, ab Apostolis inuenta, & cantata est. Qui in probationem allegat Cosmæ, nescio cuius, authoritatem, qui ex ijs forte verbis: *Vale, ò valde decora, & pro nobis Christum exora*, persuasus, id alijs persuadere conatus putatur. Sed meritò hac in re, maiorem mecum quæres fidem. Certius fundamentum habet illa Paschalis, & Angelica, *Regina cœli lætare, Alleluia*, ante mille

*Vide Lorium lib. 7. cap. 9.*

an-

annos de cœlo audita; cum nimirum Gregorius Magnus, graſſanti in populum Romanum atrociſsimæ peſti cohibendæ, ſacram Deiparæ Imaginem, à S. Luca depictam, ſolemni ritu per Vrbem circumtulit, & peſtem per Virginis Deiparæ interceſsionem cohibuit. De quo latius in Apotheca noſtra ſpirituali contra peſtem, cap. 11. egimus; quam ſi lubet apud Verduſsium conſule. Ego interim finem huius Operis facio, & funem ſcriptionis præſcindo, ſi tamen prius coronidis loco, & quaſi pro mantiſſa, ſequentem Quæſtionem propoſuero, & pro tenuitate ſcientiæ meæ eandem ſoluero.

## CAPVT XV.

*An licita ea conſuetudo plurimorum Belgarum, qui in memoriam puerperij Mariani, Sabbatis intra Natalem Domini, & Purificationem B. Virginis occurrentibus carnibus veſcuntur?*

VT illicitam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptelam, eam plurimæ exterorum Prouinciæ condemnant, quam ex Lutheri culina in hoc Belgium dimanaſſe credunt. Imò intellexi, nonnullos Belgarum ſuperioribus annis Romæ agentes, & huic ſuæ conſuetudini, quam domi didicerant, inhærentes, ceu Lutheranos ſacræ Inquiſitioni delatos, in vincula, & Romanos carceres coniectos fuiſſe. Verùm deprehenſi, quòd citra dolum malum proceſsiſſent, ægrè licet, indemnes manumiſsi ſunt, & inſontes declarati. Interim dum lite pendente negotium hinc inde diſcutitur, & prædicta conſuetudo tanquam licita (ſaltem ſub hoc Belgico clima-
te quo ipſi nati: nam aliàs illud vetus obſeruandum,
*Cùm fueris Romæ, Romano viuito more)*
à noſtris defenditur, vtpote ſcientibus, nec inhibentibus Superioribus Eccleſiæ; ecce inter Archiua, & Decreta Pontificia, reperta Bulla quædam Adriani VI. Rom. Pont. Vltraiecto in hoc Belgio oriendi, qua adprobat prædictam Belgarum conſuetudinem, & tanquam licitam, ratam habendam decernit, ſicut, & illam Bonifacij VIII. Bullam confirmat approbatque, qua olim Germanis tàm inferioribus, quàm ſuperioribus conceſſæ Indulgentiæ poſt menſalem gratiarum actiodem bibentibus. Quod nequaquam eſt accendere fomitem intemperantiæ (eſto quidam malitia ſua hodie iſto priuilegio abutantur, plus ſæpè à menſa, quàm in ea ſeſe ingurgitantes) ſed occaſionem ſuggerere, Deo pro acceptis ab eo beneficijs, dicendarum gratiarum. Vtramque prædictam Pontificiam Bullam, ſe Romæ vidiſſe, & legiſſe teſtatur Ioannes Hemelarius, ad Diuæ Virginis Antuerpiæ Canonicus, prout ex ore eius mihi nuper retulit Amicus noſter Cl. Vir Franciſcus Suveertius, à diuerſis ingenij ſui monumentis publicè editis, notiſsimus.

Sciat autem Lector, præfatam iam conſuetudinem in Diœceſi Siluæducenſi, certis de cauſis eſſe prohibitam. Ita enim in Statutis illius per Reuerendiſsimum D. Gisbertum Maſium IV. Siluæducenſium Epiſcopum editis, Titulo de Feſtis, & Ieiunijs cap. 11. legitur conſtitutum: *Cum vno eodemque Eccleſiæ Dei præcepto, omnibus ferijs ſextis, & Sabbatis, vti & toto Quadrageſimæ tẽpore, carnium eſus interdictus ſit; diſtrictè inhibemus, ne quis, etiam Sabbatis intra Natalem Domini, & Purificationem B. MARIÆ Virginis occurrentibus, eſum carnium attentare præſumat, aut viatoribus, etiam alterius Diœceſis proponat.* Contrarium huius etiamſi non litteris ſignatis, in actu tamen exercito ſtatuiſſe dicitur, Illuſtriſs. *Matthias Houius*, nuper Archiepiſcopus Mechlinienſis, qui prætactis Sabbatis, vt perplexis hac in re ſeruulum tolleret, carnes in ſua familia eoqui, & apponi mandauit.

Cauſa huius conſuetudinis, & quæ mouiſſe potuit Eccleſiæ Præſules, videtur mihi ea nonvltima, magnum ſcilicet, illud gaudium, quòd in puerperio Deiparæ nobis cœlitus per Angelos denuntiatum fuit. Vnde ſicuti in Natalijs magnorum Principum, feſtiua ſolitò magis conuiuia, ampliora munera, aliaquæ lætitiæ argumenta ſolent exhiberi, & in populum diſtribui; ita conueniens duxit Eccleſia, puerperij illius tempore, nonnihil diſciplinam Eccleſiaſticam, in gaudij, & lætitiæ, quæ nato Saluatore, fuit omni populo, mitigare; ac veluti munus, quoddam, poteſtatem veſcendi carnibus diebus Sabbatinis, qui Deiparæ ſacri ſunt, filijs ſuis impartiri, eo quod ipſa inſtrumentum fuerit Redemptionis humanæ. Qua etiam de cauſa, incidente feſto Natiuitatis Dominicæ in feriam 6. vbique carnibus veſci licitum eſt, & obtinet conſuetudo vniuerſalis. Quia enim *Verbum Caro factum eſt* (quòd myſterium die Natiuitatis, & toto durante puerperio ab Eccleſia recolitur) aptè ſanè tunc carnibus veſcimur, vt prætatum myſterium, hac conceſſa indulgentia, ſæpiùs nobis refricemus. Curandum nihilominus omnibus animarum curam habentibus, ne hac occaſione abuſus irrepat, ſcilicet, extra dictum puerperium abſtinentiam à carnibus dictis diebus infringendi, aut minùs eam æſtimandi, quaſi non ſit tantæ obligationis abſtinentia diei Sabbati, atque ea quæ feria ſexta indicta eſt; quòd apud malè inſtructos non rarò exiſtimatur. Quod enim in ſpiritualem animi relaxationem conceditur ab Eccleſia, non debet contra eam militare. Vnde ſicuti ex eo quod inciden-

te Natiuitatis festo in feriam 6. carnibus vescamur, non minuitur obligatio abstinendi ab ijs cęteris per annum ferijs sextis, ita neque ex supra dicta indulgentia, obligatio abstinentiæ Sabbatinæ minuenda est.

Quod autem iam immediatè dixi, vbique secundùm vniuersalem consuetudinem, carnibus vesci licitum esse, festo scilicet, Natalitio in feriam sextam incidente, ab ipsius, vt puto, Ecclesiæ exordio, in vsu fuit. Ita enim D. Epiphan. à SS. Patribus per nos superius in tantum laudatus: *In die Epiphaniorum, hoc est, Apparitionis, & Aduentus, quando natus est in carne Dominus, ieiunare non licet, etiamsi contingat, vt sit Quarta, aut pro Sabbatum.* Quin, & Leo, nomine, & reipsa Magnus, improbat Priscilianistas tali die ieiunantes, causam hanc dū adducit: *Vt per omnia sint à nostræ fidei vnitate discordes, & dies qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur.* Qui licet solummodo de ieiunio, & non simul de comestione carnium loqui videantur, de vtroque tamen intelligendos puto, quandoquidem Honorius III. Rom. Pont. antiquæ consuetudini inhærens, à Pragensi Episcopo quid hac in re agēdum sit, consultus responderit: *Quod illi qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam, vesci possint, secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen reprehendendi sunt, qui ob deuotionem voluerint abstinere.* Habetur in decret. lib. 3. tit. 46. cap. 3. *Explicari.*

*Epiphā. in fine Panarij.*

*S. Leo epist. 93. cap. 4.*

Vbi nota, omnibus in primis Religiosis, eam indulgentiam non esse concessam, vtpote, qui austerioris vitæ disciplina, alijs debent prælucere. Pontificis huius sententia, inquit, Henricus Sedulius comment. in vitam S. Francisci cap. 10. fecit in plerisque nostris Cœnobijs ieiunium obseruari isthoc tali die. Sed an ea mens sit S. Francisci, subdubito, ait idem. Nam commemorat Bartholomæus Pisanus, quæstionem versatam de ieiunio illius diei inter Fratres, viuente adhuc S. Francisco, atque Fratri Morico, qui ieiunandum dixerat propter diem Veneris, S. Franciscum sic respondisse: *Peccas frater Morice diem Veneris vocans, diem quo natus est nobis puer IESVS. Volo, inquit, quod & parietes tali die comedant carnes, si fieri potest, vel de foris liniantur.* Scribit quidem hæc facta ante confirmationem Regulæ secundæ, sed tamen videtur ad soluendum ieiunium illa die, propensior. Hinc forsitan inuenias, qui non ieiunant, inquit, Sedulius. Igitur vbi comedendi carnes consuetudo inualuit, benè faciunt, qui non ieiunant, qui secus, melius faciunt. Hactenus ille. Licet itaque tali die (exceptis Regularibus, & ieiunandi voto obstrictis) frui Ecclesiæ gaudio, licet etiam instinctu pietatis, exerceri ieiunio. Hieronymus autem à Politio Capuchinus, explicans illud Regulæ S. Francisci: *Alijs autem temporibus non teneantur, nisi feria sexta ieiunare,* scribit in hunc modum: Si Natalis Domini feria sexta venerit, tunc ieiunare tenemur respectu feriæ sextæ, in qua ex voto ieiunare debemus. Nam & cęteri Christiani, qui fortè ex voto in die Veneris ad ieiunandum se adstrinxerunt, ieiunare tenentur in die Natalis Domini occurrente in sexta feria, licet absque eo voto, licitè carnibus vesci possint, vt latè habetur Cap. fin. de obseru. ieiun.

Sed occurrit hic scrupulus, seu dubitatiuncula aliqua, qua nōnunquam aliquos vidi moueri, vtrum videlicet præstet, diebus Sabbatinis puerperij Mariani in memoriam Incarnationis Dominicæ carnibus vesci; an verō in honorem Sanctissimæ Deiparæ ijs abstinere? Multa enim licent, vt ait Apostolus, sed non omnia statim expediunt. Ideoque, & ipse licet tanquam Euangelij prædicator, de Euangelio iure potuerit viuere, vt tamen seipsum formam daret alijs ad se imitandum, & neminem grauaret, nocte, ac die manibus laborare non detrectauit, prout ipse fatetur. *2. ad Thes. cap. 3.*

Huic ego scrupulo ex eodem Apostolo, ita respondeo: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet: Nam qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Vnusquisque ergo in suo sensu abundet;* & quod spiritus internæ deuotionis suggesserit, hoc sequatur, vbi ius commune non est in vigore. *Rom. 14.*

Hæc sunt Mariani Consodales, quæ de *Sabbato Mariano* pro tenuitate ingenioli mei scribenda habui; non alio sanè fine, quàm vt me imprimis, deinde alios, ad idem summa veneratione hebdomadatim secundùm vniuscuiusque deuotionem, in eius honorem celebrandum, inuitarem. Atque oro per viscera Misericordiæ Marianæ, vt quicumque hæc legerint, quam plurimos ad eius cultum prouocare conentur; remunerationem fidelis operæ præstitæ, & obsequij exhibiti (pro quo libenter hanc animam meam in obpignorationem, & meipsum ceu vadem interpono) ab ea recepturi, quę dies est in omnes, qui diligunt eam, & quæ nullum hactenus obsequium sibi exhibitum, indonatum, aut mercede vacuum abire passa est. Hæc enim Virgo Regia, Aulam Clementiæ suæ perpetuō apertam seruat; neque verbum *Nego*, aut *Recuso*, in eius Cancellariam siue Curiam ingressum habet, sed *Fiat*, *Fiat tibi secundùm verbum tuum*; per quod omnes iustæ postulationes expediuntur, & obsequia præstita vberrimo

cum

cum fœnore compenſantur, de qua multò verius, quàm de Imperatore illo Romano verum eſt: *A conſpectu MARIÆ, nemo triſtis abſcedit.* Vt benè ſpiritualis eius Amaſius, S. Abbas Claræuallenſis: *Sileat miſericordiam tuam, ò MARIA quiſquis eam inuocatam in neceſsitatibus ſibi meminerit defuiſſe.* Non etiam deerit tibi, ô Mariane Cultor, ſi deuoto venerationis affectu, quòd ex toto corde voueo.

*Feſtum ſeruies Sabbatinum:*
*Per quod venies in ſinum*
*Summæ Matris gloriæ,*
*Amen.*

## CAPVT XVI.

### *Apoſtrophe Authoris ad Beatam Virginem MARIAM.*

NAuigatio in portu. Vela contraho, rudentemque adligo ſolidæ petræ. Quod reliquum, Dei Templum ſemper patens, ſanctiſsimam Deiparam, acturus gratias ſupplex adeo, vota redditurus, & vt nautæ ſolent remos, ita ego illiquantulumcumque hunc meũ Libellum offeram; quatenus cuius ope cœptus, & perfectus eſt, eius quoque meritis omni labe mundatus diuino reddatur dignus conſpectu. Cùm enim ad locum vnde exeunt, flumina reuertantur, vt iterum fluant, dignũ planè eſt, vt quo ex fonte iſthęc omnia noſtra dimanarunt, illuc tanquam ad ſuum propriũ principium reuocentur, eodemque fluxu reciproco refundantur, vt inde in nos iterum effundantur vberius; quo fiat tandem in nobis fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam.

Tibi igitur, ò Beatiſsima Virgo MARIA, ſupra omne quod Deum infra eſt, in æternum benedicta, Tibi, inquam, ô ſelectiſſima Dei Patris Sponſa, Mater Chriſti, & ſimul Dei, Diuerſorium Spiritus Sancti, ac totius Trinitatis aureum Triclinium, ſicuti hęc omnia accepta fero, ita pariter plurima cum gratiarum actione ex fundo cordis offero. Neque enim aliud quàm quod præſtitiſti, & quod de manu tua accepi, tibi reddo. Tu nam que me, vt hæc ſcriberem excitaſti, direxiſti, docuiſti, & ad finem vſque perduxiſti. Vnde munus hoc meum, donum tuum eſt, atque adeo tibi debitum; cui ſic finem, vt principium conſecro. Quod ſi alibi à recta ſemita aberrauerim, culpæ id meæ eſt, qui ſacrum tuum filium, certiùs multô quàm illud Poetarum commentis nobile Ariadnæum, in hoc hiſtoriarum Labyrintho paſſus ſum mihi excidere. Veniam interim dabis, quia quidquid hìc à me ſcriptum, ad honorem tuum, & augmentũ cultus tui ſcribere ſum conatus, quamuis querar, & doleam imparem ſtudio facultatem; minuſque me quàm volui potuiſſe, quàm debui, feciſſe. Non enim ſum Ephrem cum quo dicere audeam: *Dignare me laudare te Virgo ſacrata,* nec ſum Damaſcenus, vt nouos hymnos tuæ dignitati ſpondeam. Longè etiam ſum ab Ildephonſis, Anſelmis, Bernardis, Fulgentijs, & ſexcentis alijs, qui præter ſanctæ conuerſationis vitam, ampliſsima laudum, & præconiorum talenta, gazophylacio tuo plena manu intulerunt. Sed ego vir videns paupertatem meam, egentior illa pauperrima vidua Euangelica, quæ minuta duo, ex paupertate, labore manuum collecta, in Templum Deo afferebat. Sed eſto pauper ſum cẽſu, & ſenſu, nõ tamẽ voto, & charitate, quæ mihi erga te opulentiſsima. Vnde millies, & iterum millies, imò infinities voueo, & ſincerè deſidero, vt quot huius ſcriptionis ſunt apices, tot fluant vberes præconiorum tuorum imbres, quot ſyllabæ, tot laudum tuarum fontes erumpant; quod verba, tot encomiorum tuorum maria, ô MARIA! quõ ſic omnes ad venerationem, & obſeruantiam tui alliciam.

*Quæ magnigenus es Dei,*
*Cui Deus ipſe*
*Imputat genus, & ſuam*
*Inſcribit ſibi Matrem.*

Quô etiam ſic viciſsim, Orbi ſi fieri poteſt vniuerſum, ad te amandum, & laudandum inuitem, quæ amari digna es, nec ſatis potes, ab omnibus, &

*Quæ laudes hominum ſupra,*
*Quæ Geniorum es.*

Accipe itaque, ô Domina mea (atque vtinam Mater!) hoc qualecumque, verè leuiden ſe, obſeruantiæ erga te meæ teſtimonium, & oblati munuſculi exiguitatem, ſtudioſa offerentis voluntate metire, quæ erga te multa, ac magna, quia à corde, quòd totum tuum eſt, foris quidem mutum, intus autem garrulum; cuius clamorem affectuoſum, quæſo auſcultа, quia clamat ad te ex fundo, cui poſt Deum, *Salutis, & clementiæ,* non vnam Aram cum mille obſequiorum hoſtijs ſe debere agnoſcit. Atque ideo, quidquid in hoc Opuſculo laboris eſt, & operæ, macto tibi victimam. Felix, ſi admittas. Quidquid in hoc Corpuſculo virium eſt, & à Filio tuo datorum talentorum, tuis pedibus ſubſterno arenam ad illam Aram, quæ etiam ſeruatum it eos ipſos, qui ſe perdunt. Beatus ero, ſi calcaueris. Et, ô ſi omnes, eruditionis ſuæ (liceat dicere) ſtellas omnes ſpargerent, & defigerent in hoc ſecundo Cœli vertice! Hoc votum meum in honorem tuum, ô ſanctiſsima, ad omnes emiſſum, quos opto mecũ dicere:

*Huius ero viuus: mortuus huius ero.*

Neque enim habebit Deum Patrem, qui tẽ non elegerit in Matrem; quia nemo benè Chriſtianus, qui non idem Marianus. Tuus ergo

ergo esse desidero, ò MARIA, dummodo me in tuum assumere digneris; si non in Filium, vt minimum in Clientem, aut in seruum. Quod si nec istud merear, desiderio nihilominus meo contentus ero, quòd tibi hoc Libello testatum venio, ceu oblato veluti inuitatorio munusculo. Tu verò, quæ sic accipis minima, vt reddas maxima, dignare saltem mihi donare pro hoc *Sabbato* tuo *Mariano*, quod pro paupertate mea illustrare, & alijs commendare conatus sum, *Sabbatum ex Sabbato*: & pro *Sabbatismo* temporali, *Sabbatismum sempiternum*. Quæ omnia per te vis, *ò Bona*! per Filium autem potes, *ò Magna*! Cui vna tecum gloria sit, & honor perennis, in seculorum secula. Fiat, Fiat.

*Lectori beneuolenti.*

AMice Lector N. Dum diutius præter opinionem *Sabbatismus* noster *Marianus* sub prælo Typographico desudat, certior eius factos Reuerendus admodum in Christo Pater, ac Dominus, *D. Iosephus Geldolphus van Rijckel* nobilis Abbatiæ Gertrudanæ Louanij Præsul dignissimus pro suo quo in Deiparam flagrat affectu, magnoque quo pro omnium salute æstuat zelo, *Hymnum glorificationis B. Virginis MARIÆ* à se nuper luci publicæ postliminiô restitutũ; quiq; in diuersis locis diebus Sabbatinis, vt scribit, publico concentu decantatur, vna cum *Rosario* 12. *Stellarum*, ac *Exercitio menstruo*, quo per singulas hebdomadas Mysteria Mariana distribuuntur, benignè nobis transmittere dignatus est, vt prædicta *Sabbatismo* nostro subnecterentur, quo sic Cultor Marianus ampliorem habeat materiam Sanctissimam Deiparam Sabbato alijsque diebus religiosè venerandi. Amplexus sum donum, & à quo profluebat, pium desiderium exosculatus sum. Tu Lector idem mecum facito, & Munerario huic gratias age, eiusque muneribus in salutem tuam, ac honorem Virginis benignè vna mecum fruere, quòd posterius vbi feceris, iam prius quoque adimpleuisti. Nihil enim Marianus ille Phinees, & animarum indefessus Zelotes aliud desiderat, quàm de honere B. Virginis, & hominum salute benè mereri. Cui vt nos Tungerloenses ab vno eodemque cum illo patre, magno nimirum Hipponensium Præsule S. Augustino, in Christo IESV progeniti, & sub eiusdem Matris patrocinijs æquè militantes, pro viribus cooperemur, eundem in finem nonnulla alia deuota subnectimus, vt non pigeat nos pudeatue in hoc sacro cultu Maiores nostros imitari, vtpote eamdem cum illis religiosæ operæ mercedem à Regina cœlorum post mortem recepturos, quam tibi quoque pleno modio admetietur, quicumque *Brabantiæ Marianæ* adornandæ, quæ de ea nosti, subpeditare dignaberis. Quod vt capias, scito Lector, me iam loca pleraque per Brabantiam Deiparæ sacra, aut eius miraculosis Imaginibus, vel populorum concursu celebria in vnum collegisse, sicut & Monasteria vtriusque sexus ei dedicata; eorumque origines, progressus, omniaque quæ ad Deiparæ honorem spectant descripsisse, secundùm ea quæ in probatis, & fide dignis Historiographis, vel ex fida traditione intelligere potuit. Verùm quia inter Obedientiæ Religiosæ Claustra constituto, & inueni adhuc Historico plurima sunt incognita, ideo per viscera Misericordiæ Marianæ, te Amice Lector, quam possum enixissimè rogo, vt si quid huic instituto deseruiens nosti, libenter communicare digneris, quo sic Brabantia nostra, quam Capite 8. huius *Sabbatismi* totam dixi Marianam esse, MARIÆ quoque ex fide publica, & quasi ad oculum adseratur. Fidem interpono candidam, me quidquid accepero, non sine honorifica mentione eius à quo accepero, commemoraturum. Obsecro autem, vt si quid horum habeas, oportunitate proxima transmittere labeat, *Brabantia* enim mea *Mariana* iam ad prælum circumspicit, & modò commissa fuisset, nisi spe communicationis tuæ foueret, quæ ne vana sit, tu Lector effice ad eius honorem per quam nobis à Deo, veluti per aquæductum iugiter manantem omne datum optimum descendit. Nihil enim nos Deus habere voluit, inquit, alibi S. Abbas Clarauallensis, quòd non per MARIÆ manus dispensetur. Quidquid igitur, & nos habemus, ei per quam habemus, plenis manibus lubenter impendamus. Quidquid inquam, in pectoribus nostris eruditionis est, mactemus illi victimam. Felices, si admittat. Illius pedibus, quidquid in nobis ingenij est, substernamus arenam. Beati, si calcauerit. Quidquid talentorum est, defodiamus ad illius Aram, quæ etiam seruatum it eos ipsos, qui se perdunt: eademque veluti stellas spargamus, & defigamus in hoc secundo cœli vertice, *MARIA. Qui enim illam elucidant, vitam æternam habebunt.* *Eccl. 24.*

HYMNVS.

*Glorificationis B. Virginis MARIÆ, à Diuo Bernardo compositus, Cantari per Festa, & Octauas eiusdem B. Virginis in quibusdam Brabantiæ locis solitus, Dignissimus in omnibus vbique Societatibus ad tantæ Matris, & Virginis laudem decantari: Ideoque publicè nunc à Cultore Mariano Parthenio propositus.*

TE Matrem Dei laudamus, te MARIAM Virginem profitemur.

Te

Te æterni patris ſponſam omnis terra venera- A
ratur.
Tibi omnes Angeli, & Archangeli, tibi omnes principatus humiliter ſeruiunt.
Tibi omnes Poteſtates, & ſupremæ virtutes cœli cœlorum, & vniuerſæ dominationes obediunt.
Tibi omnes Throni, tibi Cherubim, & Seraphim exultantes aſsiſtunt.
Tibi omnes Angelicæ creaturæ inceſſabili voce proclamant.
Sancta.
Sancta.
Sancta MARIA Dei Genitrix, Mater & Virgo.
Pleni ſunt cœli, & terra Maieſtatis gloriæ B
fructus ventris tui.
Te glorioſus Apoſtolorum Chorus ſui creatoris matrem collaudat.
Te Martyrum cætus candidatus Chriſti genitricem glorificat.
Te amabilis Chorus virginum ſuæ virginitatis exemplum prædicat.
Te tota cœleſtis Curia cœlorum Reginam honorat.
Te per vniuerſum orbem Eccleſia ſancta inuocando concelebrat.
Matrem diuinæ Maieſtatis.
Venerandam te veram Regis cœleſtis puerperam.
Sanctam quoque dulcem, & piam. C
Tu Angelorum Domina.
Tu paradiſi ianua.
Tu ſcala Regni cœleſtis.
Tu Regis gloriæ thalamus.
Tu arca pietatis, & gratiæ.
Tu vena miſericordiæ.
Tu refugium peccatoris.
Tu es Mater Saluatoris.
Tu ad liberandum exulem hominem, Filium Dei ſuſcepiſti in vterum.
Per te expugnato hoſte antiquo ſunt aperta fidelibus Regna cœlorum.
Tu cum filio tuo ſedes ad dexteram Patris.
Tu ipſum pro nobis roga Virgo MARIA,
quem ad nos iudicandum credimus eſſe D
venturum.
Te ergo poſcimus, nobis famulis tuis ſubueni, qui pretioſo ſanguine filij tui ſumus redempti.
Æterna fac Virgo ſerena cum ſeruis tuis in gloria præmiari.
Saluum fac populum tuum Domina, vt ſimus participes hæreditatis tuæ.
Et Rege nos, & extolle nos, vſque in æternum.
Per ſingulos dies, ò pia te ſalutamus.
Et laudare te cupimus in æternum, deuota mente, & voce.
Dignare dulcis MARIA, nunc, & ſemper nos ſine delicto conſeruare.
Miſerere nobis pia, miſerere nobis.
Fiat miſericordia tua magna nobiſcum: quia in te dulcis MARIA confidimus.
In te clementiſsima Domina ſperamus, defende nos in æternum.
Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

## *Roſarium 12. Stellarum.*

IN honorem SS. Trinitatis legant interpolatè ter Orationem Dominicam, ac in honorem, 2. Stellarum, id eſt, 12. illuſtrium virtutum B. Virginis legant totidem *Aue MARIA*. Ad ſingula petentes eius opem, vt illam ea in virtute imitari valeant, & creſcere, ſeque perficere poſsint.

Primum, *Pater noſter*, recitent in honorem Dei Patris petentes ab eo inſignem erga Diuam reuerentiam, vtpote filiam caſtiſſimam, & filij Matrem integerrimam, cumulatiſsimam omnibus virtutibus, & Reginam cœli, & terræ potentiſsimam.

Deinde recitent quater *Aue MARIA*, in honorem quatuor virtutum, quæ Deum concernunt, quibus excelluit B. Virgo.

1 Virtus, *Fides* qua credidit ſe Virginem fore ſimulque Dei Matrem, ac ſub Cruce firma, & ſtabilis in fide Diuinitatis, Redemptionis, & Reſurrectionis Chriſti permanſit.

2 Eſt *Spes* qua ſe in Conceptione, Partu, fuga in Ægyptum, Paſsione, & morte Chriſti alijſque ſummis anguſtijs preſſa tota, diuinæ prouidentiæ reſignauit, & commiſit.

3 Eſt *Charitas*, 1. pura & ab omni commodo aliena, 2. feruens, & laborioſa, 3. fortis, & conſtans iuxta Crucem, 4. liberalis ſeque totam cum filio nobis communicans.

4 Virtus eſt *Religio* erga Deum, & Chriſtum ei ſeruiendo, veſtiendo, lactando, eius verba in corde conſeruando, ſeruando Circumciſionem, Purificationem aliaſque Legis, & Templi ceremonias.

Deinde recitent ſecundum *Pater noſter* ad Filium, qui eſt ſpes noſtra, poſtulantes donum Spei, vt in omnibus neceſsitatibus magna fiducia recurramus ad B. Virginem, quæ eſt *Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra*.

Legant poſtea quater *Aue MARIA*, in honorem quatuor virtutum quibus B. Virgo excelluit erga ſeipſam.

1 Virtus eſt *Humilitas*, quæ in ea fuit tàm profunda, vt magis in vllo alio eſſe non potuerit. Emicuit hæc 1. quando Mater Dei effecta ſtatim ſubiunxit: *Ecce ancilla Domini, &c.* 2. quando viſitauit Eliſabeth, eique ſeruiuit, 3. quando myſterium Incarnationis celauit, & laudata laudem in Deum retulit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, 4. quando ſeruiuit B. Ioſepho, & vltimo loco

tum

tum in domo, tum inter Apostolos, & Fideles sedit, ideoque in Actis Apostolorum vltimo loco nominatur. A

2 Virtus est *Virginitas*, qua 1. omnem virginitatem Deo vouit, 2. maximo illam zelo custodiuit, dicens: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*, 3. domi manebat, ideoque vocatur, *Hortus conclusus*, & *Porta clausa*, 4. impuras aliorum cogitationes solo aspectu pellebat.

3 Virtus est *Fortitudo*, quæ eluxit in morte Christi, in qua stabat iuxta Crucem, 2. in iniurijs Iudæorum tolerandis, 3. in seruiendo Filio, & omnibus Christianis adiuuandis.

4 Virtus est *Paupertas*, quæ tanta fuit, vt B non esset ei locus in diuersorio, sed in stabulum secedere sit coacta, ibique parere Christum Orbis Dominum.

Denique tertium *Pater noster* recitent in honorem Spiritus Sancti, postulantes ab eo gratum animum erga B. Virginem, cui vt Matri Redemptoris, vt Mediatrici nostræ apud Deum, vt Matri amantissimæ omnia debemus.

Tandem legant quater *Aue MARIA*, ruminantes quatuor eximias virtutes B. Virginis erga proximum.

1 Est *Charitas* fraterna qua iuuit Elisabeth, & Sponsus in nuptijs Canæ Galileæ cum vinum non haberent. C

2 Est *Obedientia* qua Ethnico Imperatori in pendendo censu, & Legi Mosis obediuit.

3 Est *Misericordia*, qua viscera misericordiæ cuilibet in qualibet afflictione eam inuocanti effundit.

4 Est *Modestia*, quæ tanta fuit, vt S. Dionysius eam pro Dea habiturus fuisset, nisi fides eum aliter docuisset.

*Exercitium Marianum per quatuor hebdomadas distributum.*

CVM varietas delectet in naturalibus, multò magis afficit in Spiritualibus; quin imò Sanctis ipsis gratiosa existit. Honorant meritò D. Virginem, qui per singulas septimanas hæc septem mysteria deuota animi recolunt gratitudine, eamque sibi mirificè deuinciunt. Cultus hic est à pijs in diuersis locis seriò obseruatus. D

*Exercitium* 1. *Hebdomadæ.*

Septem sibi proponunt gaudia quæ habuit Virgo Mater de Matre Dei Ecclesia.

1 In eius Conceptione, seu gaudium Conceptionis.
2 Gaudium Natiuitatis.
3 Præsentationis.
4 Desponsationis.
5 Quando Reges suscepit.
6 Cum Christum in Templo præsentauit, eumque Deo pro nobis obtulit.
7 In nuptijs, dum dixit, vinũ non habent.

*Exercitium* 2. *hebdomadæ.*

Recolunt septem gaudia, quæ ipsa habuit in terris.

1 Angelicæ salutationis.
2 Visitationis.
3 Natiuitatis Christi.
4 Cum Filium in Templo reperit.
5 Resurrectionis Christi.
6 Ascensionis Christi.
7 Missionis Spiritus Sancti.

*Exercitium* 3. *hebdomadæ.*

Perpendunt septem gaudia quæ B. Virgo in cœlis habet.

1 Quòd anima, & corpore sit glorioſa.
2 Quòd instar Solis splendeat in cœlo.
3 Quôd ab omnibus Sanctis honoretur, vt Mater Dei.
4 Quòd omnia impetret à Deo quæcumque velit.
5 Quòd sit merces eam peculiariter colentium.
6 Quòd Sanctam Trinitatem sequatur in gloria.
7 Quòd in æternum sit regnatura in cœlo.

*Exercitium* 4. *hebdomadæ.*

Examinant mysteria D. Virginis. dolorosa.

1 Tuam ipsius animam pertransibit gladius.
2 Cùm fugit in Ægyptum.
3 Cùm perdidit Filium suum triduo.
4 Cũm Christum Crucis mole vidit grauatum.
5 Cùm vidit Crucifixum.
6 Dum eum de Cruce recepit.
7 Dum vidit sepultum.

*Indulgentiæ concessæ à Sanctissimo Patre Leone X. die 27. Decemb. ann. 1514. & confirmatæ per Sanctissimum Patrem Papam nostrum Paulum V. die 20. Iulij, anno 1606.*

QVicumque legerit decem *Aue MARIÆ* in memoriam decem sequentium

tium virtutum sanctissimæ Virginis MARIÆ, lucrabitur indulgentias X. mille annorum. A

*Castitas.*

Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Aue Maria.

*Prudentia.*

Considerabat qualis esset ista salutatio. Aue Maria.

*Humilitas.*

Ecce Ancilla Domini. Aue Maria.

*Fidelitas.* B

Exurgens abijt in montana vt salutaret Elisabeth, vbi audiuit, Beata quæ credidisti. Aue Maria.

*Gratitudo.*

Magnificat anima mea Dominũ. Aue Maria.

*Obedientia.*

Fiat mihi secundùm Verbum tuum. Aue Maria.

*Paupertas.*

Inuoluit puerum panniculis, & posuit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Aue Maria.

*Pacientia.*

Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Aue Maria.

*Pietas.*

Vinum non habent. Aue Maria.

*Constantia.*

Stabat iuxta Crucem IESV Mater eius, cuius sanctissimam animam doloris gladius pertransiuit. Aue Maria.

---

# S. AVRELIVS AVGVSTINVS.

## NOTA.

*DOCTOR Doctorum, & Abysus sapientiæ in Dei Ecclesia; Sanctissimus Aurelius Augustinus, Tagastæ in Africa natus anno à Virgineo partu CCCLV. Baptizatus ætatis suæ anno XXXIII. Eremitarum Pater Patriarcha, & institutor, anno CCCXC. Sacerdotio iniciatus à Valerio Episcopo ætatis suæ, anno XXXVI. ac Episcopatus honore insignitus ætatis XLI. cuius doctrina approbata, commendata, & quasi consecrata, aut canonizata est à multis Concilijs Generalibus, & Prouincialibus, à Summis Pontificibus, & Sanctis Patribus, verè vocatus sal terræ, quo præcordia nostra condiuntur; lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita; artificiosa Apis Dei construens fauos diuini nectaris plenos; columna, & firmamentum veritatis, qui omnium studia ingenio, & scientia vicit, à quo sicut stellæ lumen à Sole recipiunt: sic omnes Catholici sapientiam, & doctrinæ radios ab illo validissimo Hæreticorum malleo auserunt. Denique hìc totius sacræ, & diuinæ Scripturæ murus, & ante murale, animam Deo reddidit, anno à Virginali conceptu CCCCXXX. ætatis suæ LXXVI. Licet alij dicant mortuum, anno CCCCXXXII. alij verò an. CCCCXL. de eius operibus Possidius affirmat, quòd scripserit libros, tractatus, & Epistolas numero 1030. exceptis, quæ numerari non possunt; ex his, quæ de Beata Virgine MARIA scripsit, pauca adducit R. P. Laurentius Surius, in suo Homiliario Alcuini: aliqua addiderunt, Laurentius Cundi, & R. P. Massonius in Bibliotheca Homiliarum tom. 4. Nos verò omnia, quæ de ipsa Sacratissima Deipara scripsit, & quæ mutila erant in impressionibus Colonienſi, & Parisiensi (vt infra adnotamus) sequendo R. DD. Matthiem Auzeur Franciscanum in sua Anotomia Augustini completa, integra, & perfecta damus.*

D. AV-

# D. AVRELII AVGVSTINI SVPER MAGNIficat, Canticum MARIÆ, Expositio.

VT nouum in carne Filij aduentum prædicaret, qui ingressus nouæ salutationis obsequio Virginem Gabriel veneratur, dicens: *Aue gratia plena, &c. Ecce ancilla Domini*, statim aduenientè Spiritu Sancto in Virginem, omni gratia virtutum sacrosanctum habitaculum in aduentu Dei implente, dubium non est cœlestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis, quàm miram, atque inenarrabilem suauitatem Virgo ipsa concepit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit. Et què non capit mundus, totum se intra viscera Virginis collocauit: Audacter pronuntio, quòd nec ipsa plenè explicare potuit, quòd capere potuit. Sed Spiritu Sancto docente, didicerat sic sua per humilitatem tegere: Surgit mox, & conscendit in montana Iudææ. Vnde Elisabeth Spiritu Sancto repletur, qualis, & quanta esset, quæ ad se venerat agnouit, & quàm se indignam eius visitatione iudicaret, aperuit, dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad mè? Ecce, & cætera.* Tunc ait MARIA: *Magnificat anima mea Dominum.* Vidisti maiestatem, gustasti suauitatem, ideo quod intus hauserat, foras propinasti, & in iustitia eius exultasti. *Quia exultauit spiritus meus.* Anima magnificat, spiritus exultat. Et iterum. *In Deo salutari meo.* Deus, potentiam: salutaris, misericordiam notat. Duo quippe sunt, quæ Angelorum, & hominum beati spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt, incomprehensibilis, scilicet, maiestas Dei, & ineffabilis bonitas. Quarum alterum castum timorem gerit, alterum dilectionem parit. Pro maiestatè venerantur Deum, & pro bonitate amãt, ne vel dilectio sine reuerentia dissoluta sit, vel reuerentia sine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, & diligentes admirantur, vt inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & suauiter in dilectione ferueat admiratio. Nam quia eum quem vident, perfectè comprehendere nunquam sufficiunt, in quo quasi per admirationem euigilant: quantò autem perspicacius intuentur, tantò ardentius amant, quòd vera dulcedo est: vera autem dulcedo, quantò perfectius sentitur, tantò desiderabilius appetitur: ad hanc contemplationis lucem MARIÆ mês eleuata fuerat, quæ cœlestis patriæ dulcedinem in verbis expressit, quàm ineffabiliter comprehendit. Nam cùm se magnificare Dominum præbuit, reddendam vniuersis æterni muneris maiestatem, interna visione contueri se manifestè declarauit. Cùm verò se in suo salutari exultari asseruit, gustum se internæ dulcedinis percepisse ostendit. Vnde vtrumque professa est, & Dominum, & Saluatorẽ: vt pro potestate, qua omni suæ creaturæ dominatur, iure metuendum ostenderet: pro bonitate verò, quia misericorditer quosdam saluat, dignum dilectione demonstraret. Veritas in Domino, & in Saluatore misericordia. Veritas enim ad Dominum pertinet. Misericordia autem ad Saluatorem. In veritate seruat tenorem iustitiæ. Quia autem, & quædam errantia gratuitò ad vitam colligit, & reparat ad saluationem, propterea magnificamus Dominum, & exultamus in salutari, quia quibus est reuerenda iudicis iustitia, dulcis est misericordia Saluatoris. Propterea, inquit, MARIA, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Vnus & idem spiritus, & ad seipsum spiritus dicitur, & ad corpus anima. Spiritus naturalem spiritalem habuit admirationem, anima corporalem: quare anima dicitur spiritus, & è conuerso. Ideo anima humana, quia & esse in corpore habet, & extra corpus, anima vocatur, & spiritus. Anima dicitur, inquantum est vita corporis: spiritus autem inquantum est substantia spiritalis. In qua vita anima perditur, vt spiritus saluus fiat, cum hæc vita despicitur, vt postmodum à Deo vita æterna tribuatur. Sed suo nomina uit, quia in salutari suo. Omnipotens enim Deus potestate, qua vniuersæ creaturæ suæ dominatur, Dominus omnium est, sed pietate qua quosdam tantùm, sed non omnes ad vitam reparat, Saluator omnium non est. Nam dominatio eius ad omnes æqualiter respicit, bonitas verò ad quosdam tantum. Ergo Beata Virgo, quia singulariter se electam videbat, quia singulariter gratiã acceperat, quasi priuilegio quodam electionis diuinæ confirmata, fiducialiter ipsum quem pro salute mũdi filium conceperat, suum etiam cum lætitia, & exultatione Saluatorem vocat.

*Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hæc est gratia exultationis suæ, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ac si dicat, quia de eius gratia exulto, ideo ab ipso est, quòd exulto. Et quia eius dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exulto. Respectus Dei tribus modis accipi solet, videlicet, secundùm cognitionem, secundùm gratiam, secundùm iudicium. De primò Apostolus. Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Sed per gratiam Deus non omnes respexit, quia oculi Domini super iustos, & cætera. De tertiò in fine dicetur: Nescio vos. Oculi Domini bonos, & malos contemplantur. Videre Deum per cognitionem, est nihil eorum quæ sunt ignorare. Videre per gratiam, dona misericordiæ impendere. Videre per iudicium, vnumquem-

*Hebr. 4. Psal. 33. Matth. 7*

quemque secũdùm opera sua, vel ad gloriam, vel ad pœnam destinare. Quid sit respicere. plus est, quàm videre. Respicere per gratiam, est prius abiectos, & derelictos visitare, cùm bona placatus per misericordiam subtracta restituit, rursum per respectum gratiæ ad eum se conuertit. Benè ergo MARIA solam in humilitatem Dominum respexisse testatur, quia diuinitatis propitiationem, quàm humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in MARIA per humilitatem recuperauit. Nam in ea Verbum Patris corporis substantiam, quam sibi vniret assumpsit, quasi ad eam, quam prius abiecerat naturam sublimandam per misericordiam respexit, quia se humilitatis, quòd erat ancillam cogitauit. Ideo quod non erat, sublimitatis mater esse meruit, quia humilitatem ostendit seruitutis. Seruitus quatuor modis variatur. Secundùm conditionem seruitus, qua omnia diuinæ seruituti debent esse obnoxia, quia opus factori suo, hoc ex conditione sua habet, quòd eius dispositioni obtemperet, & institua sequatur, vt sicut ab ipso factum est, ita non nisi ab ipso, & secundùm ipsum incedat. Secundùm necessitatem Deo seruire dicuntur prauæ voluntates, quæ cùm eius iussionibus contraire nituntur, per ineffabilem tamen eius dispositionem arctantur, vt nihil sine eius nutu ad effectum perducere queant. Seruiunt nolẽtes eius dispositioni, qui volentes subiecti non sunt ipsius præcepto. Seruitus cum timore est, quando diuina præcepta non ex dilectione implemus, sed ex formidine. Quarta seruitus est, quando voluntariè eius iussionibus obtemperamus, qui ipsum, qui iubet diligimus, nec aliud in nostra seruitute extra ipsum commodum quærimus, quàm vt secundùm ipsum ambulantes, ad ipsum peruenire valeamus. Seruitutem secundùm conditionem parentes nostri in Paradiso conditori exhibere noluerunt, quando in superbia elati despexerunt esse sub illo, ad quod fuerant conditi, & voluerunt peruersi esse in maiestate consimiles, qui non erant in natura æquales. Eua propter superbiam creaturam Dei se esse, & opus Dei non considerans, Deo parificari voluit: MARIA autem suo factori humiliter se subdens ancillam se nominauit. Et idcirco illa abiecta, & hæc electa est. Superbam despexit, & humilem respexit: Id quòd superba perdidit, humilis recepit. Ideo ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Sed serui Dei aliquando cùm etiam humilitatem habent, humiliationem non habent, nunquam verò humiliationem sine humilitate. Humilitatem sine humiliatione habent, qui licet coram hominibus foris despicabiles non appareant, intus tamen humilitatis meritum coram Deo inuiolatum obseruant. Ergo MARIA, quæ apud Dominum humilis erat, & A apud homines propter Deum humilis erat, & apud homines propter Deum abiecta, in vtroque se esse respectam testatur, quia & eius humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & eius humiliatio apud homines in gloriam commutata. Vnde sequitur: *Ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Vsque ad illud apud homines opprobrium sterilitatis portauerat, quia integritatem Virginitatis thoro maritali præponebat. Sed vnde in priori generatione carnali quasi maledictionis sententiam sustinuit, inde nunc ab omni generatione mortali benedictionem collaudabiliter recepit: quia ab omni generatione pro fructu fœcunditatis meæ Beata vocor: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomẽ eius.* B Magnũ fuit, vt Virgo sine viri semine Filiũ conciperet. Magnum fuit, vt Dei Patris Verbum carne sua indutum vtero gestaret. Magnum fuit, dum se ancillam confessa esset, vt mater fieret sui plasmatoris. Qui potens est: Quia credi potest eius potentia, potentem confessa est, sed quanta, aut qualis comprehendi non potest. Confessa est potentiam, discutere non præsumpsit, quia sciri non conuenit quanta est, quia infinita est. Omne, quòd præuidit se facturum, facit, nec aliquid, quòd non præuidit fieri non dubium, sed fieri necesse est: MARIA non autem in se, aut in me, aut per me fecit magna, sed inquit, mihi: C Quod enim in ea ad omnium salutem factum est, hoc priuilegio dilectionis ad eius gloriã singulariter est ordinatum. Et ideo dixit, magna: quia mysterium Incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile: Nihil enim vnquam maius mirum factum est, quàm vt Deus fieret homo, & natura incomprehensibilis corporis substantiam sibi sic vniret, vt nec minus in ea esset, quia in se erat immẽsa: nec minor in se extiterit, quia in illa fuit creata. Hæc ergo sunt magna. Et ideo sanctum nomen eius. Quod est nomen eius, fama eius, nomen eius, cognitio eius: fides, nomen eius. Hoc nomen sanctum est, cum sanctis est, cum sanctis gloriatur, à sanctis benedicitur, à peruersis blasphematur. D Quia dum Verbum in carne nascitur, gloria Dei per Verbum in hominibus declaratur. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: MARIAM, inquam, fecit, non tamen singulariter, sed vni excellenter: Verumtamen omnibus timentibus negatio excluditur.

*Potentiam fecit in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.*

Hæc illa misericordia, quàm timentibus se exhibuit Deus: quia Verbum suum per assumptam carnem in hunc mundum misit, vt per ipsum aëreas potestates potenti virtute debellaret, & genus humanum ab earum potestate redimeret. Ipsi enim superbi sunt quos despexit, eijciens eos foras à cordibus hominum:

num: atque spolia eorum dirumpens, per illam, quæ prius in hominibus principabatur virtutem dissipauit: & hoc in brachio suo, id est, per humilitatem filij Diabolum vicit. Brachium eius filius est. Ipsa infirmitas, potentia fuit: quia per illam Diabolus est victus. Et hoc *mente cordis sui*, id est, profundo consilio suo dispersit eos. Profundum consilium fuit, vt pro me Deus fieret homo: & innocens pateretur, vt redimeretur nocens, & in his erat consilium, nec poterat illud Diabolus præuidere, sed captus hamo Leuiathan. Vel per superbos, Iudæos intelligere possumus, qui humilem aduentum Christi superbè contempserunt, quos abiecit. Vnde subditur: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Potentes, quia filij Regni, qui videbantur, abiecit, & gentes per humilem confessionem in consortium Regni, atque in filiorum adoptionem assumpsit: ac malignos spiritus à cordibus hominum abiecit, & humiles, id est, homines humiliatos exaltauit. Mens etiam, & cordis est viuax, & permamens dispositio æternæ, occultæque prædestinationis. Ipse est liber vitæ. Idem est ergo mens quod liber. Tribus modis aliquis in libro scribitur, secundùm præscientiam, secundùm causam, & secundùm operationem. Quantum ad primum, prædestinati sunt scripti, non delentur vnquam, licet ad tempus, quasi periturus quis à via videatur, errare permittitur. Secundùm causam scripti sunt, qui à via veritatis cœpta ad errores declinando recedunt: Tales autem sunt aliquando, qui digni saluatione existerent, si tales vsque in finem permanerent. Secundùm operationem, quorum opera secundùm humanum iudicium talia apparent, propter quæ digni videantur scribi in libro vitæ, qui tamen ea quæ præuidebantur agere bona deserunt. Hi secundùm præscientiam nunquam fuerunt in libro vitæ. *Deposuit, &c.* Prius Angelum de cœlo, & hominem de Paradiso superbitate proiecit, & postea hominem per pœnitentiam humiliandum ad pristinam gloriam præparauit. Sed & quotidie superbos quoque subtrahendo gratiam suam deponit, & postea eosdem humiliatos gratiam priorem restaurans, exaltat. De quo autem illud est, quòd sequitur: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Esurientes vocat eos, qui se verò bono indigere cognoscunt. Diuites eos intelligere vult, qui superbi sunt, & se præ alijs in donis gratiarum abundare existimant. Ergo sicut humiles modica de se sentiendo maiorem gratiam merentur accipere, ita superbi de se præsumendo, etiam ea quæ acceperunt amittunt: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.* Suscepit sicut medicus ægrotum, Israel puerum suum, id est, humilem, & innocentem suscepit, vt sanaret infirmum, & redimeret captiuum, vt iustificaret impium, & saluaret iustum. *Suscepit Israel*, non quem inuenit Israel, sed vt faceret Israel, *Recordatus misericordiæ suæ*, quã olim promisit, sed diu distulerat. *Sicut locutus est ad patres nostros*, vel patribus nostris, *Abraham, & semini eius in secula.* Misericors in promittendo, verax in exhibendo, quia sine debito promisit, & sine dolo exhibuit: *Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula.*

Nota super illud: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quidam neque à Deo exultant, neque in Deo. Nam qui in carnis voluptate exultant, aut qui exultant cùm male fecerint, isti nec in Deo, nec à Deo exultant, & malum est, vnde exultant: Et quia de malo, ad malum exultãt, sum gaudium in malignitate constituunt, ideo minimè in Deo exultant. Sunt alij, qui acceptis gratiæ donis abutuntur, & ea quæ propter salutem animæ data sunt, ad carnis vsum, & gaudia seculi conuertunt. Acceptis enim donis gaudent, quia neque in Deo, neque propter Deum diligunt, quòd à Deo acceperunt. Qui autem gratia accepta ad amorem Dei idipsum conuertunt, quòd ab ipso acceperunt, isti profectò à Deo, & in Deo exultant, & exultare probantur. Econtra ergo, vt suum gaudium solidum esse monstraret, illud neque à vanitate exortum, neque ad vanitatem conuersum esse, se Dei dona diligere in Deo, & pro respectu gratiæ qua præuenta erat in suo salutari, exultare perhibuit, dicens: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

## *In Annunciatione Beatæ MARIÆ Homilia, siue sermo, qui est 18. de Sanctis.*

ADest nobis dilectissimi, optatus dies Beatæ, ac Venerabilis semper Virginis MARIÆ, ideò cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata die solemni. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium cõuallium, per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur, & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infœlicitatis elogium, quo dicitur *in dolore paries filios tuos*, quia ista in lętitia Dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrimas, MARIA gaudium in ventre portauit, quia ille peccatorem, ista edidit innocentem Virgo, quippè genuit, quia Virgo concepit, inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum, & sine corruptione grauida, & in partu Virgo puerpera. Descendit Angelus de cœlo missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium, ac Beatam salutando MARIAM, *Aue ait, gratia plena Dominus tecum.* Impleta *Genes. 3.* *Luc. 1.*

pleta est, ergo gratia, & Euæ vacuata est culpa, maledictio Euæ in benedictionem mutatur MARIÆ, *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Tecum Dominus in corde, tecũ in ventre tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare Beata Virgo, Christus Rex è cœlo suo incarnatur in vtero tuo, ex sinu patris in vterum dignatur descẽdere matris. Benedicta tu, inquit, in mulieribus, quæ vitam, & viris, & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutẽ attulit mundo; autrix peccati, Eua, autrix meriti MARIA, Eua occidendo obfuit, MARIA Viuificando profuit, illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur. Læta igitur MARIA gestat infantem, exultans amplexatur filium, portat, à quo portabatur, nec fortuitu, vt fingũt sabellianĩ reperit paruulũ, sed decursis nouem mensibus peperit Christum. Plaudat nunc organis MARIA, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcinosa carmina misceantur. Audite igitur, quemadmodum tympanistria
*Luc. 1.* nostra cantauerit: ait enim *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, &c.* Causam igitur inualescentis errati, miraculum noui partus eruicit, & Euæ planctum MARIÆ cantus exclusit. Denique post illius benedicibile Angeli præsaginm, dum tacita secum Virgo mentis altercatione conflixit, qualis esset ista salutatio, Nuntius interim cœlestis exequitur: *Ne timeas MARIA, inuenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM*: at illa *quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & Angelus ad eam, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi, ideoque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Iam audisti, quomodo fiet hoc, responde nunc verbum. Vitam, quid tricas mundo, audisti quomodo fiet hoc, quia Spiritus Sanctus superueniet in te, vt prolem gignas, & Virginitatem non perdas. Filium proferas, & post partum incorrupta permaneas; ò Beata MARIA seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit, noli morari Virgo, nuncio festinanter responde Verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*. Nec mora reuertitur nuncius, & virginalem thalamum ingreditur Christus. Efficitur subito prægnans Beata Dei Genitrix, & cuncta per secula prædicatur fœlix. Concepit mox ad credulitatem

A Verbi virilis ignara consortij: impletur vterus nullo humano pollutus amplexu extat itaque Virgo cum concepit Virgo grauida, Virgo cum parit, & Virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, & glorioſa fœcunditas, exultat MARIA, & Matrem se læta miratur, & de Spiritu Sancto se protulisse gaudet, nec quia peperit, innupta terretur, sed quia genuerit, cum exultatione miratur: gaudeamus ergo, & nos fratres, in die annunciationis, quæ per Angelum hodie facta est ad aures Virginis, quæ dum desponsaretur, fabro cœli nupsit architecto. Promittitur enim ei filius per visitationem Sancti Spiritus. Hæc illa audiens gaudet, cupitque effici mater. Quid igitur mirum, si
B sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur, non enim decebat, vt ille, qui nobis afferebat salutem, matri prærriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra, mari, cœloque non capitur, intra vnius corpusculi mem *Iere. 31.* bra suscipitur, hæc est illa nouitas Ieremiæ Prophetæ vaticinio prænũtiata. *Faciet*, inquit, *Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum*. O fœmina super fœminas, benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virum suo vtero circumdedit. Circumdat virum MARIA Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo, salutat Angelus puellam viri salutationis ignaram, terretur Virgo nouitate verborum, ad quam Ange- *Luc. 1.*
C lus, vt superius prætulimus, dixit: *Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Dominum*. Ne inquit, à conspectu meo terrearis Mater Domini mei, ego cõceptionis tuæ minister adueni, nõ vt Virginitatẽ amitteres interueni, ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te: cõcipies enim, & paries filiũ, non cuiuslibet meriti hominẽ, sed totius seculi Saluatorẽ. Recole MARIA in libro Isaiæ Prophetæ, Virginem, quã pariturã legisti, & gaude, atq; exulta, quia tu esse meruisti, tu ibi præfigurata es Virgo, tu ecce *cõcipies in vtero*, nõ de viro, sed de Spiritu Sãcto, & grauida eris, & incorrupta permanebis. Paries, quidem filium, & virginitatis non parieris detrimentum. Efficieris grauida, & eris Mater semper intacta, senties pon-
D dera ventris, & pudorem non perdes castitatis, intumescent vbera tua, & intacta manent genitalia tua, at illa dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. *Luc. 1.* O fœlix obedientia, ô insignis gratia, quæ dum fidem dedit, humiliter cœli in se opificem corporauit. Impleuit in ea Dominus, quod dudũ prædixerat: *Obedientiam*, inquit, *malo quàm* *Oseæ. 6.* *sacrificium, & scientiam Dei, plusquam holocausta*. Hæc fuit vera obedientia, omnique sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostijs acceptior, hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodũ hausit: *Ecce*, ait, *ex hoc Beatam me* *Luc. 1.* *dicent omnes generationes*. O Beata MARIA quis tibi dignè valeat, iura gratiarũ, ac laudum

præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito, quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo cõmertio recuperandi aditum inuenit. Accipe itaque, quàscumque exiles, quàscumq; meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm susceperis, vota culpas nostras orando excusa. Admitte nostras præces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotũ reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus. Fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe, quod offerimus, redona quod rogamus excusa, quod timemus, quia tu es spes vnica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te Beatissima nostrorũ est expectatio præmiorum. Sancta MARIA succurre miseris, vivua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamẽ, quicumque celebrant tuam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi tuas sidue orare pro populo Dei, quæ meruisti beata redemptorem ferre mundi, qui viuit, & regnat in secula, seculorum, Amen.

*Sermo in eodem festo Annunciationis, qui est tertius in ordine, & 19. de sanctis.*

CORruptum peccatis originalibus, & actualibus mundũ mundi cõditor secreto, & mirabili cõsilio per mysteriũ Verbi incarnati, eiusdẽ mundi lapsum voluit reparare, qui eo Verbo quo potuit de nihilo cuncta creare, potuit, quæ perdita fuerant, reformare: *Ipse* namq; *dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Hanc ei potẽtiã non credimus imminoratã, nõ credimus immutatã, & apud quẽ *non est transmutatio, nec vicissitudinis obũbratio*, quo minus esset potens, & sapiens in reformando, quã fuerat in plasmando. Omnipotentis quippè figuli manus, cuius vniuersæ *viæ misericordia, & veritas*, quæ lutũ de terra leuatũ rationalis naturę dignitate sublimauerat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare, vt nec peccatũ hominis dimitteret impunitum, quia iustus est, nec insanabile, quia misericors est, si tantum iustus esset, cuius sapientia attingit à fine vsque ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter, potuit sua fortitudine aduersus seductorem generis humani contendere, & ouem perditam ad gregem reductam suo Domino restituere, sed hoc modo videtur eminentiam tantũ suæ virtutis ostendisse, non medicinalem misericordiam impendisse redemptis, nec appareret quanta charitate creator creaturam diligebat, à qua se diligendum esse multiplici beneficio expetebat, quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei male meritò rependebatur indebitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter, & fortiter, voluit facere suauiter, vniẽs sibi infirmitatẽ carnis nostrę, quam primo in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem cõfectionem generi humano sanitatem restitueret, non quod nõ potuerit aliter fieri quantũ ad peritiam, & potentiã medici, sed quia nõ potuit cõmodius antidotũ procurari, quantum ad cõplexionem ægroti: Quod enim *infirmũ est Dei, fortius est hominibus: Et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Hæc causa nobis specialis esse videtur, cui Dei Filius hominem induere voluerit, & inter homines cõuersare, vt mortalitatẽ, quã à nobis accepit, moriendo superaret, & naturã nostram supra primæ originis dignitatem reparatam secũ ad immortalitatem reuocaret, vt eõ sequeretur humilitas gregis, quo præcessit celsitudo pastoris. Sic radius solis numorẽ quem ad se trahit, exiccat; ipse tamen virtutem sui caloris, & splendoris nec minorat, nec immutat. Sic ignis materiã, quã assumit, in se cõuertit, naturã verò suã ideo, nec mutat, nec minuit: multò fortius ille ignis de quo dicitur: *Deus noster ignis consumẽs est.* Mortalitatem nostram in se assumpsit, & inde gratia sanitatis totũ corpus resumpsit. Mirabile, & incõparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, & ægrotos, quibus remedium salutis procurabat, sua decreuit infirmitate sanare. In hoc apparet, quã incõparabili charitate nos dilexerit, quia in eo quod desertores suos quæsiuit, semen Abrahæ deprehendit, errantes reduxit, saucios curauit, nihil sibi addidit; non est inde factus altior, nõ est factus inde beatior. Tota hæc dispensatio nostræ vtilitati contuluit, nostræ saluti militauit, diuinæ potentiæ nil contulit. Nam & cum essemus vasa cõtumeliæ, omnipotentis figuli manũ effugere nõ potuimus, vt debatur vasis iræ prout volebat ad manifestationẽ suæ gloriæ. Sic enim dictum est Pharaoni: *In hoc ipso excitaui te, vt ostẽdam in te virtutem meã, & annũcietur nomen meum in vniuersa terra.* Nõne & Dæmones cùm à Domino ejicerentur de corporibus obsessis, Dominũ glorificabãt, quãdo dicebãt: *Quid nobis, & tibi IESV Fili Dei viui, &c. Quid venisti ante tempus torquere nos?* Constat ergo ex his, & huiusmodi alijs, quia diuina virtus nostra reparatione nõ eguit, sed tamen ea bonitate, qua nos cõdidit, eadem nos reformare voluit, & ad hoc medicamen non quàm forte potuit, sed quàm lenius cõplexioni ægrotantis competere perspexit, apposuit. Solent quippè medicinæ periti, ægritudines quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquãdo per similia. Hoc fecit Dominus noster IESVS Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos sublemans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans, sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponũtur, & minus fortia contraria à fortioribus contrarijs superuenientibus superãtur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cùm secundũ quantitatẽ

vul-

*Pſal.* 32. *Iacob.* 1. *Pſal.* 24. *Deut.* 4. *Exod.* 9. *Matt.* 8. 1. *Cor.* 1.

vulnerũ, vel tumorũ mensuratur longitudo, vel latitudo epithematũ. Sic Scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medẽtur scorpionũ, sic theriaca de serpentis carne cõfecta, morsibus serpentis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumpta expellit. Ad hãc similitudinẽ medicus noster morẽ carnis nostræ de serpentẽ venientẽ, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tẽpore restitutionis complendã reformauit, vbi diligẽtius attẽdendũ est, quòd mors quæ per lignũ venit, per lignũ superata est. Et ipsa ligni forma longitudini, & latitudini, & altitudini humani corporis configurata est, quorũ sicut totũ corpus motum est, vt manus ad vetitum extenderetur, ita corpus per omnia mẽbra sua in cruce distenderetur, & totum, quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplastrima laxatione cõsolidaretur, sed huic medicamento per similia composito admixtum est, & medicamentum factũ per oppositum. Nam hic sanauit obedientia, quod ibi corrumperat inobedientia. Et quod ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hic reformat crucis tormentum. Continetur in hac crucis figura altius Sacramentũ, quòd quantò est altius, tantò attendendũ diligentius. Intelligitur namque in latitudine crucis dilectio proximi, quæ non tantũ vsque ad amicos, sed etiã extẽdenda est, vsque ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in eiusdem longitudine, longa, & perseuerans laborum, & persecutionum substinẽtia, quã patienter ferre debet ad patriam suspirãs nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quàm pro exhibitione omnium bonorum operum, figuratur simili ratione in altitudine eius eminentia spei penetrans vsque ad interiora velaminis, vbi visione pacis perfruentur, qui hic à ciuibus Babyloniæ multipliciter exercentur; donec in libertatem gloriæ filiorum Dei à seruitute corruptionis huius liberentur. Significauit hanc charitatis latitudinem Dominus IESVS in cruce, caput ad Orientẽ erigens, pedes ad occidentem submittẽs, manus ad Aquilonem, & Austrũ extendens, vt adimpleret, quòd de se ante passionem suam prædixerat, *cum exaltatus fuero à terra*, ideſt, cùm crucifixus fuero, *omnia traham ad me ipsum*, id est, vocabo ad me totum mundum, hoc Sacramento crucis sanctus Hælisæus sunamitis filium, *os ori, manus suas manibus eius applicans* orando suscitauit, & viuum matri restituit. Eiusdẽ virtute Sacramenti Moyses in deserto visibiliũ *virga percussit*, & sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippè percussio, duorũ lignorum figuratè intelligitur in cruce facta cõpactio. Bis ergo petra percutitur, cũ Christus de quo dicit Apostolus *petra autem erat Christus*, in duobus lignis crucis extensus lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cum sanguis redẽptionis, & aqua baptismatis,

*Ioan.* 3.

4. *Reg.* 4.

*Num.* 20

1. *Cor.* 10

A quibus in nouum hominem transformamur, de latere Christi manauit. Præterea inter has crucis dimensiones solerter attendẽda est crucis profunditas, quia profundum est mysteriũ crucis, in quo multorum, qui sapientes dicebantur, ingenia defecerũt, quòd hoc aũ sunt reprehendere, quòd nõ potuerunt humana ratione comprehendere, videlicet cur Verbum Deo Patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totum se cõclusit, & tamen totum mundum regere, complere, & continere non desierit: non satis considerantes, quod valet in minori, multò magis posse valere in maiori, cum vox vna, & tota de ore loquentis prodeat, & tota ad multo
B rum hominum aures perueniat. Qui de hac quæstione scrupulosius disputant, & tanquam clauso ostio ad parietem palpant, audiant primum dicentem Apostolum: *O homo, tu qui es, qui respondeas Deo?* Demum miteſcant, & cum pietate pulsent, vt aperiatur eis, & iustum fuisse conditorem in condemnando, & misericordem in redimendo credant, nec potuisse sanari sine misericordia, quod iustè condemnauerat omnipotentis iustitia. Hinc consequenter aduertant cur vsque ad captiuati hominis paupertatem, & crucis ignominiam se humiliauerit diuina omnipotẽtia, quæ in Paradiso reum hominem condemnauerat iusta sentẽtia: cũ enim de perpetrata à Domino ar
C gueretur inobedientia, non se humiliter (vt culpa exigebat) accusauit, sed authorẽ superbè accusauit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi dedit mihi fructum, & comedi*. Hæc dicendo se putauit excusatum, & sic creatorem mulieris, conditoremq; ad peccandum virum traxerat in culpam. Qui si humiliter se accusasset, & in authorẽ suum culpam nõ retorsisset, à Paradiso nõ exulasset. Erat autem contra diuinam iustitiã, si reum in pœnitentem in pristinum gradum restitueret, & nõ vsque ad dignum pœnitentiæ fructum, qua vellet ratione compelleret, diuina itaque sententia morti est iudicatus, & cum tota posteritate, quæ de lumbis eius erat processura, eiectus est de Paradiso, & ærumnoso, condemnatus exilio. Et quia sine pœnitentia in statum suum redire nõ
D poterat, monendus, & admonendus erat ad pœnitentiã, vt reformaret voluntaria, & subiecta humilitas, quod corruperat male erecta iniquitas. Non enim conueniens erat, vt inuitus traheretur ad pœnitentiam, qui spontaneus corruerat in pœnam; ne itidem ingratus existeret suæ reformationi, sicut ingratus stiterat primæ cõditioni. Prouisũ est igitur tale medicamẽtũ, quale cõueniebat ægroto, quod duritiã timoris sic emolliret, vt molle factus sponte mortiferum virus effunderet, dicente Psal. *Effundite coram illo corda vestra*, ideſt, per confessionẽ eijcite de conscientijs vestris omnia immunda. Quod quãdiu tardauit facere mundus, tandiu remansit immundus. Vt er

*Rom.* 9.

*Genes.* 3.

*Psal.* 61.

go hoc fieret, misit medicus noster præcones, & testes suos ante se, legislatores, & prophetas, qui corda auditorum ad pœnitẽtiam præpararent, & ei in tempore gratiæ testimoniũ perhiberent, venit ipse medicus in tẽpore plenitudinis, publicè prædicauit causam aduentus sui, factus doctor medicinæ, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit Regnum cœlorũ*, & itẽ, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hoc consiliũ medicinæ acceperunt multi. Contẽptoribus placuit adhuc magis sibilus serpentis perimentis, quã persuasio medici redimẽtis, filius adoptionis obaudiuit, voci promittẽtis, qui in Paradiso nõ obedierat præcepto mortẽ comminantis, expleta dispẽsatione doctrinæ suæ, & cæcitate in Israel ex parte perdurãte, tandẽ exhibuit se medicũ, & fecit de se ipso medicamẽtũ, exhibuit se sacerdotem, & fecit se ipsum sacrificiũ, vt cõpleret ad quod venerat, & probaret quanta dilatione dilexerat eos, pro quibus corpus suũ in ara crucis offerebat. Vnde & in Euangelio suo ante prædixerat: *Maiorẽ charitatẽ nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, hinc est quod Apostolus dicit: *Cõmendat Charitatem suã Deus in nobis, quia cũ inimici essemus, reconciliauit nos sibi per mortẽ filij sui.* Et quia naturale est, vt homines diligentes se diligant, hac humilitate, & charitate humiliata est, & liquefacta duritia mundi, vt agnosceret beneficiũ suæ reparationis, quæ nõ agnouerat excellentiã suæ conditionis. Vnde Psalm. *Homo cùm in honore esset, nõ intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Postquã verò ad se reuersus est, & per dilectionẽ redimentis, & eruditionẽ admonentis, cognouit de quanta corruisset gloria, & in quãta versaretur miseria, expertus est, quã magnà indigeret misericordia, & impletum est, quod dicit Psal. *Multiplicatæ sũt infirmitates eorũ, postea acceleraverũt.* Prædicata est ex in virtus crucis per vniuersum mundum, quæ partibus suis per quatuor mũdi partes est extensa, & totum mundũ sua malaxatione cõplexata. Nec iam potuit mundus ex toto esse ingratus, qui tanta fuerat charitate sanatus. Crucifixus noster à morte surrexit, & cœlos ascẽdit, crucẽ nobis in memoriã suæ passionis reliquit, crucẽ reliquit ad sanitatẽ. Hoc signũ præsidiũ est amicis, obstatulũ est inimicis. Hui⁹ crucis mysterio rudes catechizãtur, eodẽ mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdẽ crucis signo per manus impositionẽ baptizati dona gratiarum accipiunt. Cùm eiusdem crucis charactere basilicæ dedicãtur, altaria cõsecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorũ verborum conficiuntur, sacerdotes, & Leuitæ per hoc idẽ ad sacros ordines promouentur. Et vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramẽta in huius virtute perficiuntur. *Qui hoc mare magnũ, & spaciosum, in quo sunt reptilia, quorũ non est numerus.* Absque naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eam non deserat, donec ad optatũ salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrũ dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronã peruehit, hoc maleficia destruit, & omnia Dæmonũ machinamẽta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi victoriosæ crucis insignita memoria. Longũ est per singula virtutẽ crucis exponere: qui verò in angaria Christi crucẽ portat, poterit plura de eius virtute experimẽto cognoscere, quãpossit sermo retexere, vel humana cogitatio cõprehẽdere.

Matt. 4. Mar. 16.

Ioan. 15.

Rom. 5.

Psal. 48.

Psal. 52.

Ps. 113.

## *Sermo in Annuntiatione B. MARIÆ, qui est quartus de tempore, & habetur in contione ad Cathecumenos, contra Iudæos, Paganos, & Arrianos.*

VOS, inquã, conuenio, ô Iudæi, qui vsque in hodiernũ diẽ negatis Filiũ Dei. Nõne vox vestra est illa, quãdo eum videbatis miracula facientẽ, atque tentantes dicebatis: *Quo vsque animas nostras suspendis? si tu es Christus, dic nobis palã.* Ille autẽ ad considerationẽ miraculorũ vos mittebat, dicẽs: *Opera quæ ego facio, ipsa testimoniũ perhibent de me.* Vt Christo testimoniũ dicerent, non verba, sed facta, vos autẽ non agnoscentes Saluatorẽ, qui operabatur salutẽ in medio terræ vestræ, adijciẽtes in malo, aistis: *Tu de te ipso testimoniũ dicis, testimoniũ tuum non est verum.* Sed ad hæc ille quid vobis respoderit, aduertere noluistis: *Nõne scriptũ est in lege vestra, quòd duorum hominum verum sit testimoniũ.* Præuaricatores legis intendite legem, testimoniũ quæritis de Christo? in lege vestra scriptum est, quod duorũ hominũ testimoniũ verũ sit. Procedant de lege vestra nõ tantum duo, sed etiã plures testes Christi, & conuincant auditores legis, nec factores. Dic Isaia testimoniũ Christo: *Ecce virgo*, inquit, *in vtero cõcipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emanuel, quod est interpretatũ nobiscũ Deus.* Accedat, & alius testis. Dic & tu Ieremia testimoniũ Christo: *Hic est*, inquit, *Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo, qui inuenit omnẽ viã scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, cum hominibus cõuersatus est.* Esse duo testes idonei ex lege vestra, ex quorũ testimonio nõ sunt compuncta corda vestra. Sed alij, atque alij ex lege Christi testes introducantur, vt frontes durissimæ inimicorum conterãtur. Veniat, & ille Daniel sanctus, iuuenis quidẽ ætate, senior verò scientia, ac mãsuetudine, cõuincat omnes falsos testes, sicut cõuicit seniores impudicos, ita suo testimonio Christi cõterat inimicos. Dic S. Daniel, dic de Christo quod nosti. *Cũ venerit*, inquit, *Sanctus*

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Deut. 17.

Isai. 7.

Bar. 3.

Dan. 9.

*ctus Sanctorũ, cessabit vnctio.* Quare illo præsente, cui insultantes dicebatis: tu de te testimonium dicis, testimonium tuum nõ est verum: Cessauit vnctio vestra, nisi quia ipsa est, qui venerat Sãctus SS. Sicut vos dicitis, nõdũ venit, sed expectatur vt veniat Sanctus Sanctorum demonstrate vnctionẽ. Si autẽ (quod verũ est) cessauit vnctio vestra, agnoscite venisse Sanctum Sanctorum. Ipse est enim, & *lapis ille abscisus de monte sine manibus* cõcidentium, ideſt, Christus natus de Virgine sine manibus complectentium, qui tantũ creuit, vt mons magnus fieret, & impleret vniuersam faciẽ terræ. De quo monte dicit Propheta: *Venite ascendamus in montem Domini.* Et de quo dicit Dauid: *Mons Dei mõs vberrimus, vt quid suspicamini mõtes in casea tos, montẽ in quo placuit Deo habitare in ipso?* Cum enim ipse Dominus Christus discipulos suos interrogaret, quem dicerent homines ecce filium hominis, responderunt *alij Eliã, alij Ieremiã, aut vnũ ex Prophetis.* Et ille: vt quid suspicamini montes incasetos, mõtẽ in quo placuit Deo habitare in eo? hũc cognouit Petrus dicẽs: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Agnouit montẽ, & ascẽdit in montẽ: testimoniũ dixit veritati, & dilectus est à veritate, supra petrã fundatus est Petrus: vt mortem susciperet illum amando, quæ ter negauerat timendo. Dictus Moyses legislator, Dux populi Israel, testimonium Christo. Prophetam vobis excitauit Deus de fratibus vestris. *Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illũ exterminabitur de populo suo.* Prophetam autem dictum Christum ipsum audi in Euangelio, *non est*, inquit, *Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Accedat autẽ Dauid Sanctus, testis fidelis, ex cuius semine processit ille, cui lex, & Prophetæ testimoniũ reddunt, dicat, & ipse testimonium Christo. *Adorabũt*, inquit, *Eum omnes Reges terræ, omnes Reges seruient illi.* Cui seruient? dic, cui seruient? vis audire cui seruient? *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexterã meã, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Expressius, atque nominatim quare inquit *tumultuatæ sunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Accedat, & alius testis. Dic & tu Habacuc testimonium Christo. *Domini*, inquit, *audiui auditum tuum, & timui, consideraui opera tua Deus, & expaui.* Quæ opera Dei? Ille miratus expauit? Nunquid fabricam mundi iste miratus expauit? Absit, sed audi quid expauit. In medio, inquit, *duorum animalium cognosceris.* Opera tua Deus, Verbũ caro factũ est. *In medio duorũ animalium cognosceris*, qui quo vsque descendisti, expauescere me fecisti, quia Verbum per quod facta sunt omnia in præsepio iacuisti. Agnouit vos possessorẽ suum, & asinus præsepe Domini sui. *In medio duorũ animalium cognosceris.* Quid est in medio duorũ animalium cognosceris, nisi aut in medio duorum testamentorum, aut in medio duorum latronũ, aut in medio Moysi, & Eliæ cum eo in monte Sermocinãtiũ: *Ambulauit*, inquit, *Verbum & exiuit in campos, Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis.* Hoc est Ieremias ait. *Post hæc, & in terris visus est, cum hominibus conuersatus est.* Ecce quẽ admodum sibi conueniunt testes veritatis, ecce quemadmodum cõuincũt filios falsitatis, sufficiunt vobis ista, ô Iudæi, an adhuc ad vestram confusionem ex lege, & ex gente vestra alios introducemus testes, vt illi testimoniũ perhibeant, cui perdita mente insultantes dicebatis: tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum? Quod si velim ex lege, & Prophetis omnia, quæ de Christo dicta sunt, colligere, facilius me tempus, quàm copia deserit. Veruntamen senem illum ex gente vestra natum, sed in errore vestro non relictum, Simeonem sanctum introducam, qui meruit teneri decrepitus in hac luce, quoadusque videret veram lucem, quem quidem iam ætas compellebat ire, sed expectabat suscipere, quem sciebat venire, cum iste senex admonitus esset à Spiritu Sancto, quod non ante moreretur: *Quam videret Christũ Dei natum.* Quem cognoscens venit ad templum. Vbi verò cum portari matris manibus vidit, & diuinam infantiam pia sanctus agnouit, tulit infantem in manibus suis. Ille quidẽ Christum ferebat, sed Christus senẽ regebat. Regebat, qui portabatur, ne ille ante promissum à corpore solueretur. Quid tamen dixerit, quem confessus fuerit, aduertite inimici, non Christi, sed vestri. Benedicens Deum exclamauit senex iste, & dixit. *Nunc dimittis Domine seruum tuum secundum Verbum tuũ in pace: quia viderũt oculi mei salutare tuũ.* illi etiã parentes Ioannis, Zacharias, & Elisabeth iunenes steriles in senecta fœcundi, dicãt ipsi etiam testimoniũ Christo, dicant de Christo, quid sentiant, & testem idoneum Christo nuntiant. Aiunt enim suo paruulo nato: *Tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parere vias eius.* Ipsique matri, & Virgini Elisabeth ait: *Vnde mihi hoc, vt veniat Mater Dñi mei ad me? ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribꝰ meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Intelligens enim Ioannes Matrẽ Domini sui venisse ad Matrem suam, inter suas angustias vteri adhuc positus, motu salutauit, quem voce nõ poterat. Qui postea ipse Ioannes præcursor, & amicus, humilis, & fidelissimus seruus, testis idoneus factus, tantô maior in natis mulierum, quantô æstimabatur esse quod non erat: Christum enim eum Iudæi esse credebant, sed ille se non esse clamabat, dicens: *Quem me esse suspicamini, non sum ego*

*Isai.* 2. *Psal.* 57. *Mat.* 16. *Deut.* 18 *Mat.* 13. *Psal.* 71. *Psal.* 109. *Psal.* 2. *Habac.* 3. *Dan.* 4. *Isai.* 1. *Luc.* 23. *Mat.* 17. *Ioann.* 1. *Baruc.* 3. *Luc.* 3. *Luc.* 1. *Luc.* 3.

*ego: sed ecce venit post me, de cuius pedibus non sum ego dignus soluere corrigiam calceamẽti eius.* O fidelis testis, & amice veri sponsi quantum te humiliasses, si ad corrigiam calceamenti eius soluendam dignum te esse dixisses. Sed dum hoc non te dignum dicis, Iudęis falsis testibus contradicis. Et hæc à te dicta sunt ante, quàm Christũ videres, qui cùm ad te ipse venit excelsus, & humilis implẽdæ dispensationis suæ gratia, vt à te baptizaretur, qui nullum habebat omnino peccatum, quid responderis, quem cognoueris, quale testimonium protuleris, audiant inimici, qui audire nolunt: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & adiecit, *tu ad me venis baptizari? Ego à te debeo baptizari.* Agnouit seruus Dominũ, agnouit peccati originalis vinculis obligatus, ab omni nexu peccati liberũ, agnouit præco iudicem, agnouit creatura creatorẽ, agnouit Paranymphus spõsum. Nã & hæc vox Ioannis est: *Qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem spõsi.* Sufficiunt vobis ista, ò Iudæi, sufficiunt vobis tanti testes, & testimonia ex lege vestra, ex gente vestra, an adhuc impudentia nimia audebitis dicere, quòd alterius gentis, vel nationis homines Christo debent testimonium perhibere? Sed si hoc dicitis, respondet quidem ille vobis: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Sed sicut vos in actibus Apostolorum increpat Paulus: *Vobis primum oportuerat annũciare Verbum Dei, sed quia repulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ iudicastis, ecce*, inquit, *cõuertimus nos ad gentes.* Demonstremus etiam nos ex gentibus testimonium Christo, fuisse prolatum, quoniam veritas non tacuit, clamando etiam per linguas inimicorum suorum. Nonne quando Poeta ille facundissimus inter sua carmina, iam noua progenies, cęlo dimittitur alto, dicebat, Christo testimoniũ perhibebat? In dubium hoc veniet, nisi alios ex gentibus idoneos testes pleraque dicentes in mediũ introducam. Illum Regem, qui vestram superbiam captiuando perdomuit, Nabuchodonosor Regem, scilicet, Babylonis nõ prætermittam. Dic Nabuchodonosor, quid in fornace, quo tres viros iustos iniustè immiseras, dic quid tibi fuerit reuelatũ. *Nonne*, inquit, *tres viros misimus in fornacẽ ligatos?* Et aiunt ei: *Verè Rex ecce*, inquit, *ego video quator viros solutos deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis, & aspectus quarti similis est Filio Dei.* O alienigena, vnde tibi hoc? Quis tibi annuntiauit Filium Dei? Nondum quidem mundo nascitur, & similitudo nascentis à te cognoscitur. Vnde tibi hoc? Quis tibi istud annunciauit, nisi quia sic te diuinus ignis intus illuminauit, vt cũ illic apud te captiui tenerentur inimici Iudæis, sic diceres testimonium Filio Dei? Sed quia in ore duorũ, vel trium testiũ stat omne Verbum, sicut ipse Dominus cõfutans vestram consuetudinem: *In lege*, inquit, *vestra scriptũ est, quod duorum hominũ testimoniũ verum sit.* Etiã ex gentibus tertius testis introducatur, vt testimoniũ veritatis omni ex parte roboretur. Quid Sybilla vaticinãdo etiam de Christo clamauerit, in mediũ proferamus, vt ex vno lapide vtrorũque frontes percutiãtur, Iudæorum scilicet, atque paganorũ, atque suo gladio, sicut Golias, Christi omnes percutiantur inimici, audite quid Sybilla dixerit.

*Iudicij signum, tellus sudore madescet.*
*E cœlo Rex aduenier per secla futurus.*
*Scilicet in carne præsens, vt iudicet orbem.*
*Vnde Deum cernent incredulus, atq; fidelis.*
*Celsum cum Sãctis, æui iam termino in ipso.*
*Sic animæ cũ carne aderũt, quas iudicat ipse.*
*Cum iacet incultus densis in vepribus orbis.*
*Reijciet simulacra viri, cũctã quoq; gazam.*
*Exuret terras igni, pontumque, polumque.*
*Inquirens, tetri portas effinget auerni.*
*Sanctorum sed enim cũctæ lux libera carni.*
*Tradetur fontes, æternaq; flamma cremabit.*
*Occultos actus retegẽs, tuc quisq; loquetur.*
*Secreta, atque Deus reserauit pectora luci.*
*Tũc erit, & cuctus fit aebũt dẽtibus omnes.*
*Eripitur sonis iubar & chorus interit astris.*
*Voluetur cœlum, lunaris splendor obibit.*
*Deijciet colles, valles extollet abimo.*
*Non erit in rebus hominũ sublime, vel altũ.*
*Iam æquantur cãpis, montes, & cerula põti.*
*Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.*
*Sic pariter fontes torrentur, fluminaq; igni.*
*Et tuba tũc sonitum tristẽ dimittet ab alto.*
*Orbe gemẽs facinus miserũ, variosq; labores.*
*Tartareũq; chaos mõstrabit terra dehiscẽs.*
*Et coram Domino Reges sistentur ad vnum.*
*Decidet è cœlo ignisq; & sulphuris omnis.*

Hæc de Christi Natiuitate, Passione, & Resurrectione, atque secundo eius aduentu, ita dicta sunt, vt siquis in Græco capita horum versuum discernere voluerit, inueniat ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, id est, IESVS Christus Filius Dei Saluator. Quod & in Latinum translatis eisdem versibus apparet, præterquam quod Græcorum litterarum proprietas non à Deo potuit obseruari. Alios versus Sybillinos, Christi Passionem apertius demonstrantes, intentiores audiamus.

*In manus iniquas infidelium postea veniet.*
*Dabunt Deo alapas manibus incestis.*
*Et oribus immũdis expuẽt saliuas venenosas.*
*Dabit autẽ inverbera omnino innocẽs dorsũ.*
*Et colaphos accipiẽs tacebit, ne quis agnoscat.*
*Quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur.*
*Et coronam portabit spineam.*
*In cibũ autẽ fel, & ad sitim acetum dabunt.*
*In hospitalitatis hanc monstrabunt mensam.*
*Ipsa enim stulta, Deum tuum non cognouisti,*
*Ludẽtem mortalibus mẽtibus, sed & spinis.*

Coro-

Ioan. 1. Matt. 3. Ioan. 3. Mat. 17. Acto. 13. Dan. 3. Ioan. 8. Deut. 9.

*Coronasti Corona, horridumque fel miscuisti.*
*Templi verò velum scindetur, & die.*
*Media nox tenebrosa, nimis tribus horis,*
*Et mortis fatum finiet trium dierum,*
*Somno susceptо.*
*Et tunc à mortuis regressus, in lucem veniet,*
*Primus resurrectionis initium reuocatus ostendet.*

Credo iam vos, ò inimici Iudæi, tantis testibus ita obrutos, confutatosque esse ipsa veritate, vt nihil vltra repugnare, nihil quærere debeatis.

## IN FESTO ANNVNCIATIONIS Dominicæ de eo, quod scriptum est in Isaia, & Requiescet super eum spiritus timoris Domini.

### SERMO I.

*Qui est de Sanctis* 17.

MVlta nobis fratres de Dei timore præcepta sunt, & quam sit vtile timere Deũ innumerabiliter diuina eloquia sonuerunt, ex qua vberrima copia pauca me commemorantem, & ad ea quantum pro temporis breuitate potuero, differentem libenter aduertite. Quis non sapientem se esse lætetur, aut si non dum est, esse desideret? Sed quid dicit Scriptura? *Initium sapientiæ timor Domini*, quem
*Eccles.* 1. non regnaret delectet. Sed audiamus, quid in
*Psal.* 110 Psalmo Spiritus moneat: *Et nunc Reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram, ser*
*Psal.* 2. *uite Domino in timore, & exultate ei cum*
*Phil.* 2. *tremore.* Vnde & Apostolus *dicit cum timo-*
*Eccles.* 1. *re, & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Legimus etiam scriptum, *concupisti sapiẽtiam? Seruasti iustitiam? Dominus præbebit illam tibi.* Multos enim reperimus negligentissimos iustitiæ, & auidissimos sapientiæ. Hos docet Scriptura diuina peruenire non posse ad id, quòd appetũt, nisi seruando, quòd negligunt. *Serua*, inquit, *iustitiam, & præbebit tibi Dominus, quàm concupisti sapientiam.* Quis autem potest, nisi Deum timeat seruare iustitiam? Dicit enim alio loco:
*Psal.* 110. *Nam qui sine timore est, non poterit iustifica*
*Isai.* 11. *ri.* Porro, si Dominus nõ præbet sapientiam, nisi seruanti iustitiam, qui autem sine timore est, non poterit iustificari, recurritur ad illam sententiam: *Initium sapientiæ timor Domini.* Isaias etiam Propheta cum septem illa notissima dona spiritalia cõmendaret, incipiens à sapientia, peruenit ad timorem Dei, tanquam de sublimi descẽdens ad nos, vt nos doceret ascendere. Inde ergo cepit, quo volumus peruenire, illuc peruenit, vnde debemus incipere: *Requiescat in eo*, inquit, *Spiritus Dei, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, spiritus timoris Domini.* Si-

A cut ergo ille non deficiendo, sed docendo à sapientia vsque ad timorem descendit, sic nos non superbiẽdo, sed proficiendo à timore vsque ad sapientiam oportet ascendere. *Initiũ enim sapientiæ timor Domini.* Ipsa est enim illa conuallis plorationis, de qua Psalmus di- *Psal.* 83
cit: *Ascensiones in corde eius disposuit in conualle plorationis.* Per conuallem quippè humilitas significatur. Quis est autem humilis, nisi timens Deum? Et eo timore cõterens cor in lacrymis confessionis, & pœnitẽtiæ: *Quia* *Psal.* 50
*cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.* Sed non timeat, ne in conualle remaneat. In ipso enim corde contrito, & humiliato, quòd Deus non spernit, ascensiones per quas
B in illum assurgeremus ipse disposuit: nam ita Psal. dicit: *Ascensiones in corde eius disposuit in conualle plorationis, in loco quem disposuisti.* Vbi fiunt ascensiones? in corde, inquit, sed vnde ascẽdendũ est? Vtique *à conualle plorationis.* Et quo ascendendũ est? *In locũ*, inquit, *quem disposuit.* Quis est iste locus, nisi quietis, & pacis? Ibi enim est illa clara, & quæ nun quam marcescit sapientia: vnde ad nos exercitandos quibusdam doctrinæ gradibus descendit Isaias à sapientia vsque ad timorem, à loco, scilicet, sempiternæ pacis, vsque ad conuallem plorationis, vt nos in confessione pœnitentiæ dolendo, gemendo, flendo non remaneamus in dolore, & gemitu, & fletu, sed ascẽ
C dentes ab ista conualle in mõtem spiritalem, vbi ciuitas sancta Ierusalem mater nostra æterna fœcundata est, imperturbabili lætitia perfruamur. Ergo ille cùm præposuisset sapientiam, lumen, scilicet, mentis indeficiens, adiunxit intellectum, tanquam quærẽtibus, vnde ad sapientiam veniretur, respõderet ab intellectu: vnde ad intellectum, à cõsilio: vnde ad consilium à fortitudine: vnde ad fortitudinem à scientia: vnde ad scientiam à pietate: vnde ad pietatem, à timore, ergo ad sapientiã á timore: *Quia initium sapientiæ timor Domini.* A conualle plorationis vsque ad montẽ pacis. *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Ipsi sunt in cõ *Matt.* 5
ualle humiles, ipsi in timore cor contritum, & humiliatum sacrificant Deo. Vnde ascendunt
D ad pietatem, vt nõ resistant voluntati eius, siue in sermonibus eius, vbi nõ capiunt sensum eius, siue in ordine ipso, & gubernatione creaturæ cum pleraque aliter accidunt, quam priuata hominis voluntas exposcit, vbi quippè dicendum est, verum: *Non quod ego volo, sed* *Mat.* 26.
*quod tu vis pater.* Beati enim mansueti, quo- *Psal.* 141.
niam ipsi hæreditate possidebunt terram. Nõ terram morientium, sed terram de qua dictum est: *Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium.* Ab ista quippè pietate merebuntur scientiæ gradum, vt nouerint non solùm mala præteritorũ peccatorũ suorum, de quibus in primo gradu pœnitentiæ dolore fleue-

*Hæc desunt in impressione Parisiensi.*

runt, sed etiam in quo malo sint huius mortalitatis, & peregrinationis à Domino, etiam cùm fœlicitas secularis arridet. Nam ideo scriptum est: Qui apponit *scientiam, apponit & dolorem. Beati enim lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Inde assurgunt ad fortitudinem, vt mundus eis crucifigatur, & ipsi mundo, vt in huius vitæ peruersitate, & abundantia iniquitatis charitas non refrigescat. Sed tolletur fames, sitisque iustitiæ, donec ad eius saturitatem veniatur in illa immortalitate Sanctorum, & societate Angelorum: *Beati enim qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Veruntamen propter inquietudinem tentationum, & quod dictum est, væ *mundo abscandalis*, si qua forte delicta minutatim, fortimque subrepta fuerint, quib⁹ humana prœoccupatur infirmitas, consilium deesse non debet. Nec enim totum potest in ista mortali vita ille fortitudinis gradus, vt qui cum astutissimo aduersario continua certatione confligit, non aliquando feriatur: maximè per tentationes linguæ, vbi si dixerit, quis fratri suo, *Fatue, Reus erit gehennæ ignis.* Quod ergo est consilium, nisi quod Dominus dicit, *dimitte, & dimittetur vobis?* Et ideo sicut in gradibus, quos per sese iam dicimus quintum consilium esse, sicut in Euangelio in illis beatitudinis laudibus quinto loco ponitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sextus est apud Isaiam intellectus, vbi ab omni falsitate carnalis vanitatis corda mundantur, vt pura intentio dirigatur in finem. Propterea etiam sexto loco Dominus dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cum verò ad finem peruentum fuerit, iam consistitur, iam requiescitur, iam secura pace triumphatur, & quis finis, nisi Deus Christus? *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Et sapientia Dei quis nisi Christus? Et Filius Dei, quis nisi Christus? In illo ergo sapientes, & in illo Filij Dei fiũt, quicumque fiunt, & hæc est pax plena, atque perpetua. Ideo cùm apud Isaiam sit septima sapientia sursum versus ascendentibus, vnde cœpit ipse ad nos docendo descendere, septimo loco Dominus qui nos erigit, posuit: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Has igitur promissiones habentes, & his gradibus tendentibus ad Dominum, omnia mundi huius aspera, & dura tolerimus, nec nos eius frangat sæuitia, quo victo in æterna pace gaudebimus. Ad hoc nos enim iam demonstrat, & cernere horratur octaua sententia: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Præsentia, & cætera. In Christo videtur fuisse diuinitas. Porro si fides Dominum natum credit in carne, Deo non dubitet esse vtrumque possibile, vt & corpus matri ætatis non reserato aditu domus intus positis præsentaret, & sponsus infans de thalamo suo, hoc est vtero virginali illæsa matris virginitate procederet. Illic namque Dei Filius humanam sibi dignatus est coniungere naturam, vt sibi capite immaculato immaculatam consociaret Ecclesiam, quam Paulus Apostolus Virginem vocat, non solas in ea considerans corpore virgines, sed incorruptas desiderans omnium mentes: *Despondi*, inquit, *vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Ergo & Ecclesia imitans Domini sui matrem, quoniam corpore nõ potuit, mente tamen, & mater, & Virgo est. Nullo itaque modo Virginitatem matris suæ nascendo Christus ademit; qui Ecclesiam suam de fornicatione Dæmonum redimendo Virginem fecit. Ex cuius incorrupta virginitate procreatæ Virgines Sanctæ, quæ terrenas nuptias contemnentes esse etiam carne virgines elegistis, gaudentes celebrate solemniter hodierno die virginis partum. Ille quippè est natus ex fœmina, qui non est à masculo satus in fœmina. Qui vobis attulit, quod amaueratis, matri non abstulit, quod amatis. Qui sanat in vobis, quod extraxistis ex Eua, absit vt vitiaret, quod dilexistis in MARIA. Illa igitur, cuius vestigia sancta sectamini, & vt conciperet, cum viro non mansit, & vt pareret, Virgo permansit. Imitamini eam quantum potestis, non fœcunditate, quia hoc non potestis salua virginitate. Sola vtrumque potuit, quæ omnipotentem peperit, qui & vtrũque posse concessit. Solum enim vnicum Dei Filium, isto vnico incorrupto partu fieri oportebat hominis filium. Nec tamen ideo nõ est vobis aliquid Christus, quia vnus est Virginis filius. Nam & vos eum, & si filium edere non potuistis in carne, sponsum tamen inuenistis in corde, & talem sponsum, quem Redemptorem teneat fœlicitas vestra, vt perẽptorem nõ careat virginitas vestra. Qui enim matris virginitatem, nec corporali abstulit partu, multò magis in vobis eam spirituali seruat amplexu.

*Hæc desunt in impressione Antuerpiæ.*

## *Sermo de partu Virginis MARIÆ, qui est nonus de tempore, & quintus de natali Domini.*

LEgimus, & fideliter retinemus, quòd sub ipso principio nascẽtis mũdi in primo homine fecerit nos Deus *ad imaginem, & similitudinem suam.* Ecce in hac die mutata vice factus est Deus ad imaginem, & similitudinem nostram in primis de suis meliora contulit, in secundis de nostris inferiora suscepit. Per interdictæ arboris gustum, primi hominis incauta fragilitas tentauit appetere ambitione damnabili Domini sui diuinitatem, persuadente Diabolo, & dicente, si de ligno hoc gustaueritis, aperientur oculi vestri, & eri-

*Matt.* 18

*Matt.* 5.

*Luc.* 6.

*Rom.* 10.

*Gen.* 1.

*Genes.* 3.

*eritis sicut dij.* Ideoque agnoscamus pij Patris admirabilem bonitatem. Homo solicitante inimico Deus esse voluit per superbiam, & Deus homo factus est per misericordiam. Innouatur in nobis quodammodo per Christi
*Gen. 2.* diuinitatem species illius antiqui, & incipientis seculi, quando primus *Adam de limi* materia figuratur. Ecce etiam nunc secundus Adam quasi de intacta, ac rudi terra Virginis de carne formatur. Ecce inquam, iterum cessantibus naturæ legibus, nouus homo in nouam vitam solo Deo operante perficitur. Promittitur ergo filius Virgini per visitationem Spiritus Sancti. Qui non mirum, si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione susci
B pitur. Non enim decebat, vt qui nobis afferebat salutem soli matri præriperet dignita-
*Luc. 1.* tem: *Spiritus*, inquit, *Sanctus superueniet in te.* Dignum plane erat, vt regali onustanda partu, prius cœlestis Regis sanctificaretur ingressu. Vnde Dominum, & Saluatorem nostrum non ideò supplicem hominem credamus, quia ex homine nasci videmus. Fas non est, vt non Deus credatur, cui descensuro ad terras, à Deo habitaculum præparatur. Diuina itaque operante potentia credentis viscera fœcundantur, & in ligno mortali vitæ arbor inseritur, & portans in se omnia virtus ab infirmitate portatur: & qui terra, mari, cœlo qui non capitur, intra vnius corpusculi
C membra suscipitur. De creatura sua Creator omniũ procreatur, & de riuulo suo fons magnus exoritur. Radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce exoptatissimus dies, gratia geminata resplendens, candore quidem consueti luminis illustratus, sed præcipuè radiatis veri fulgore coruscus. O dies dierũ omnium nouitas, lucram lucis, & dispendium cæcitatis, in quo æternus sol de summa altitudine claritatis paternæ descendens, vuluæ Virginalis additum reseruit, & totius mundi caliginem fulgida coruscatione repræsit. Dicite fideles Christi festiuissima gaudia, res nobis hodie perfecta est noua, quæ olim
D fuerat repromissa, vt sine Virginis detrimento pudoris, Filium lactarẽt vbera genitricis. Hæc illa est nouitas Hieremiæ Prophetæ vaticinio nunciata, *Faciet*, inquit, *Dominus nouum super terram.*
*Hier. 31.* Et quasi quamdam lucernam huius obscuritatis accendens, continuo subiecit. *Fœmina circundabit virum.* Hoc est, inquit, nouum, quod super terram dico, Dominum esse facturum; quia *fœmina circũdabit virum.* Aduertite fratres, & me potius vestro intellectu præcedite, *fœmina* inquit, *circundabit virum.* O fœmina super fœminas benedicta, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circundedit: quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole de spiritali semine gratulatur. Circundat

A *MARIA* virum Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo. *Faciet* inquit, *Dominus nouum super terrã.* *Luc.* Vt igitur exhibendæ huius nouitatis tempus aduenit, cælestis ad Virginem præmittitur nuntius. Salutat Angelus puellam viri salutationis ignaram: terretur Virgo nouitate verborum. Ad quam Angelus, *ne timeas*, inquit, *MARIA, inuenisti enim gratiam apud Dominum.* Ne, inquit, ad conspectum meum Mater Domini mei terrearis ego conceptionis tuæ minister aduenio, ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te. Ipse tibi per me annunciat gaudium, cui placuit in vtero
B tuo cum humana natura mysticum sociare coniugium. Inuenisti gratiam apud Dominũ: ecce concipies, & paries Filiũ, non cuiuslibet meriti hominem, sed totius mundi Saluatorem. Ne, inquit, timeas. Abijce abs te omnem metum seculi, quę concepturus es gaudium mundi. Reuolue MARIA prophæticã lectionem. Neq; enim tescientia diuinorum potest præterire librorũ, quæ ipsã plenitudinẽ paritura es Prophetarũ. Recole in libro *Esa.* Esaiæ Prophetę Virginẽ, quã legisti, & gaude, quia tu esse meruisti. Tu tibi pręsignata es Virgo, tu *ecce concipies in vtero*, nõ de viro, sed de Spiritu Sãcto, & grauida eris, & incorrupta manebis. Paries Filium, & virginitatis *Luc.*
C nõ patieris detrimẽtum. At illa, *Ecce* inquit, *ancilla domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Mox igitur Angelus Virginis accepto consensu, cælestis regionis accolas repetiuit: & ecce subito secretum Virginis ineffabilis potentia penetrauit. Intrat artifex mundi angustias ventris humani, efficitur grauida Mater intacta, & eece tamquam sponsus de thalamo MARIÆ Christus procedit ex vtero. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis, Deus pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodo mundus, qui perierat, liberaretur! O bea-
D ta infantia, per quam nostri generis vita est reparata! O gratissimi, delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosq; ploratus euasimus! O fœlices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! O præsepe splendidum, in quo non solum iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum. Lacta MARIA creatorem tuum, lacta panem Cœli, pretium mundi. Postremo tu illi vt Mater temporalem ministra substantiam, vt ipse nobis, & tibi, vna cum Patre, & Spiritu Sancto vitam tribuat sempiternam: quod ipse præstare dignetur; qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Serme

*Sermo de partu Virginis MARIÆ, qui est sextus de natali Domini, & decimus in ordine.*

QVis tanta rerum, verborumque copia instructus existat, qui huius diei gratiam dignis possit laudibus prædicare? Vnde si huiusmodi nullus est, non erubescimus etiam si nobis nitidior dicendi facundia desit, vel mediocri tamen sermone partum sacræ Virginis, & ortum dominici corporis differentes conabimur explicare. Natalis est ergo hodie Saluatoris, charissimi, in quo lumen additum mundo est, & immortalitas, quæ per peccatum perierat, mortalibus reddita est. Natalis est hodie Saluatoris, de quo Angelus pastoribus dicit, *natus est hodie vobis Saluator*, de quo, & Propheta dicit *filius datus est nobis, puer natus est nobis*. Nascitur ergo quem regem gentium alius Propheta testatur, & nascitur ex Virgine, sicut scriptū est, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel*, quod interpretatum est ex Hebraica lingua in Latinum translata, nobiscum Deus. Prædicamus hodie natum de Virgine Saluatorem: & infantem in præsepio positum, cum vigilantibus pastoribus moniti ab Angelis adoramus. Exhibeamus fidem virtutibus, reuerentiam sanctis testibus præbeamus, & Simeoni cognoscenti, & Annæ Dominum confitenti & Ioanni baptizanti, & Iordanis purgationi, & sancto spiritui descendenti, & cœlis apertis, & Patri testimonium perhibenti, & virgini permanenti, & stellę fulgenti, & columbę descendenti, & ipsi Domino omnem tentationem diaboli superanti. Hodie ergo peperit Virgo, qui Deo filios faceret, qui sententiam præuaricationis excluderet, pœnam mortis eriperet, & vitam perpetuam credentibus condonaret. Portauit in vtero Filium Mater omnibus quæ sunt ante nutrimenta maiorem, & hunc fudit forma serui in terris, quem habent Angeli imperatorem in cœlis. Peperit Filium Mater áquo ipsa nutriretur potius quàm nutriret. Mortali aluo, immortalē suscepit hospitem, & in terrestri hospitio, cælestem Virgo imperatorem suscepit. B. Virginitas desimit esse iam mortis ancilla, quia illum intra se gestat in mente, quem MARIA portauit in ventre. Nulli Virginitas seruituti succumbit, quia illum diligit, qui humano generi attulit libertatem. Cælestis propago germinabat in vtero, & in eximio partu Virginea viscera coruscabant. Humanis gressibus portabatur pictura deifica, & in angusto pudoris cubiculo, eum quem cæli non capiunt, sancta Virgo portabat inclusum, & peperit eū, non qui nascēdo pollueret parietem, sed qui à pollutione seculum delauaret, sancta credidit, sancta cōcepit, sanctior efficitur post partum: exiit autem ipsi Virgini, ipse filius, qui erat sponsus. Ipse genitus, qui erat genitor. Illic fuit Paranymphа credulitas, Paranymphus Archangelus, Mater sponsa, & ipse quem peperit Christus sponsus, quem Sanctus Spiritus copulauit, Gabriel Angelus nunciauit, Angelorum exercitus decātauit, & stella fulgida demonstrauit, fecit grauidam Virginem ipse qui erat nasciturus ex Virgine, expauit in partu suo Mater, Deus per Angelum loquebatur, & Virgo auribus impregnabatur. Audiat omnis, etas quod nunquam audiuit. Virgo partu suo nupsit, Virginitatem dum pareret duplicauit, filium quam genuit adorauit; cesset omnis solicitudo, Christus nobis vera securitas aduenit. Cesset omnis infirmitas, hodie Saluator apparuit; cessent bella, desinant lites, hodie pax vera de cœlo descendit; cesset omnis amaritudo; hodie per totum mundum meliflui facti sunt cœli; fugiat mors, quia vita nobis hodie de cœlo est data, hodie super terram canunt Angeli, lætantur Archangeli, gloriantur Prophetæ, inuitantur sancti, turbantur mali, gratulantur boni, visum cæci recipiunt, auditum surdi, claudi gressum, leprobi mundātur, tristes lætificantur, infirmi sanantur, & mortui resucitantur: solus diabolus, & omnia cum eo dæmonia cōtrameſcunt, quia restauratur genus humanum per interitū diaboli. Christus vobis hodie Redemptor apparuit, probat ergo virtutem Domini ordo nascendi, concepit Virgo, virilis ignara consoreij. Impletur vterus nullo humano pollutus amplexu. Vide miraculum Matris Dominici corporis, Virgo concepit, Virgo grauida, Virgo cùm parturit, Virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, & gloriosa fœcunditas. Virtus mundi nascitur, & nullus pariendi est gemitus, vacuatur vterus, infās excipitur, nec tamen Virginitas violatur. Fas enim erat vt Domino ex virgine secundū carnem nascēte meritum crescerent castitatis, ne per eius aduentum violaretur integritas, qui vēiebat sanare corrupta. Nascitur ergo puer, ponitur in præsepio. Hæc sunt enim Domini prima cunabula, nec regnator Cœli dedignatur has angustias, stat MARIA, & Matrem se læta miratur, & de Spiritu Sancto protulisse se gaudet, nec quia peperit innupta, terretur: sed quia genuerit cum exultatione miratur. Nam cum seculo debitus Saluatoris properaret aduentus, ad MARIAM Virginem venit Spiritus Sanctus, vt fuerat ab Angelo ante prædictum, dicente, *Spiritus sanctus veniet superte, & virtus altissimi obumbrauit tibi, ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Rectè ergo in eius aduentu cælestia veneramur, quem de cœlo veniſſe manifestè cognoscimus, quem natum pro nobatur

*Lucæ 2.* *Isai. 9.* *Isai. 7.* *Lucæ 1.*

stra salute Dei Patris, & Spiritus Sancti virtute comperimus. Multis enim ante nunciabatur inditijs, noua cœlo ventura progenies. Vides ergo charissime, Saluatoris ortũ Dei esse virtutem cum de eo prophetæ non taceant, & Spiritus Sanctus fateatur. Quid præclarius stellæ nuntio? Quid Magorum manifesta confessio? Quid Prophetarum tam similis, & tam continuata sententia? Vbiq, notus est Dominus, vbique natus ex virgine nũtiatur. Et quoniam eum secundùm carnem natum ex Virgine diximus, nunc ea, quæ spiritualiter sentire possumus, differamus. Videamus ergo quæ est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus Sanctus venire dignatus est: quæ tam speciosa, quam Dominus elegit sponsam: quæ tam copiosa, cuius generationem cunctus orbis excipiat, quæ tam casta, vt posit Virgo esse post partum. Nonne in figura MARIÆ typum videmus esse sanctæ Ecclesiæ? Ad hanc vtique sanctas descendit Spiritus, huic virtus obumbrauit Altissimi, hinc potens virtute Christus egreditur. Hæc est immaculata concubitu, fœcunda partu, Virgo, & casta perpetuô. Hæc concipit non viro, sed spiritu: hæc parit non dolore, sed gaudio: hæc nutrit non vbere corporis, sed lacte Doctoris. Hæc est igitur sponsa Christi, & gentium magistra, quæ se plenam miratur, & fœtam lætatur. In hac ergo die, qua Saluator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur. In hac die iux cœlestis credentibus redditur, & in æterna nocte diabolica figmenta damnãtur: in hac die lux crescit ex lumine, virtutum virtus attollitur, gloria æternitatis erigitur; reparationem suam Domino secundùm carnem nascente, mundus amplectitur. Plena sit ergo diei huius festiuitas, in qua Deus nostri memor terrena visitare dignatus est: & amissam mortalibus lucem aduentus sui claritate restituit, quia ipse est splendor, & gloria æterna, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

### *Sermo de electione Beatæ Virginis in Matrem, qui est sermo 14. de tempore, & de Natali Domini. 10.*

FRatres dilectissimi, hodie dies illuxit, in quo Christus ex Virgine carnem susceptit. Humilitatis induere voluit formam, vt à peccatis liberaret animas nostras. Transgressio illius primi hominis, totum deceperat mundum, vt nullum esset salutis remedium, nisi Christus adueniret de cœlo. Gaudebat teterrimus draco, quia venenum præparauerat homini nouo. Sed ad hoc descendit Christus in vterum Virginis, vt exinde humana susciperet membra, quæ traderet Cruci, & mortem induceret antiquo draconi. Vsus enim fuerat diabolus consilio malo, vt per serpentem mulieri loqueretur, & Diabolus non agnoscereturSed hic qui de cęlo descendit ad nihilum redegit illum, vt Deus Dei Filius humanum susciperet corpus, tendens ei laqueũ mortis, vt per visionem videlicet carnis quasi ad hominem solum tentator accederet, & Deum penitus ignoraret. Videbat carnem, sed ignorabat Domini Maiestatem, cernebat infirmitatem, & non videbat deitatem. Remansit confusus Diabolus, dum in homine apparuit Dominus. Sic â Deo Patre Deus descendit, vnde nũquam discesit: in terris erat, & cœlos non deserebat, sicut ipse Dominus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descẽdit, Filius hominis, qui est in cœlo.* In terris vt homo loquebatur hominibus, & in cęlo esse fatebatur vt Deus. Et deitas non minoratur, cum infirmitas assumitur, & illud quod non erat accepit, & Deus mansit quod ab initio fuit. Quod enim homo fuit nobis profuit, sibi nihil minuit. *Exinaniuit* plenitudinem deitatis. *Formam* suscepit humilitatis, & patri manens æqualis. Talis eligitur Virgo de toto scilicet mundo, quæ tantũ haberet meritum, vt Dei Filium in semetipsam susciperet, & post partum omni modo Virgo permaneret. *Aue*, inquit, *MARIA gratia plena Dominus tecũ, benedicta tu inter mulieres: quia ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorum.* Virginitatis iura seruabis filium habebis, & nomen Virginis non amittes. Tanta est enim illa diuina potentia, vt Matrem reddat fœcundã, & virginitatem seruet illæsam. Ideo benedicta inter mulieres, quia ex Spiritu Sancto cõcipies, vbi non est carnalis maritus, sed diuina dignoscitur virtus. Lactabis infantem prorium, creatori succum porrigis lactis, & cibis cœlestibus satiaris. Pannis inuoluis puerum, qui tibi immortale condonauit indumentum. In præsepio ponis infantilia membra, qui cœlestem tibi præparauit mensam. Omnia quæ nutritiæ causa debentur circa puerum celebremus, vt quod ipse promisit sanctis suis, & tu ipsa libentius consequaris. Quid multa? Exulta Virgo te tanto promisso, nũcius discessit Angelicus, & ventris hospitium ingreditur Deus, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

*Ioan. 3.*

*Phil. 2.*

*Lucæ 1.*

### *De ortu veritatis, & terra Virginea, scilicet MARIA sermo 15. de tempore, & de natali Domini 11.*

NAtiuitas Domini nostri Iesu Christi totum mundum noua aduentus sui hodie luce perfudit. Hodie de cœlo Deus descendit ad hominem, vt in cælis homini prę-

paret

ascen-

ascensum. Hodie accepimus natum Dei Virginis Filium omnium credentium Saluatorē. Deus de Patre, homo de Matre, Deus occultus, homō manifestus. Et quoniam Diabolus per serpentem Euæ loquutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad MARIAM protulit verbum, & cunctis seculis vitam effudit. Angelus sermonem eiecit, & Christum Virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta vbi matit' sermo est, & vxor auricula. Hoc splendore concipitur Dei Filius hac mundicia generatur. Nulla fieri potuit grauedo concipienti, nulla tristitia parturienti, qui enim venerat triste lætificare seculum, ventris non contristauit hospitium. De cœlis medicus transiens per Virginem, post transitum suum illæsam fuit Virginem permanere. Qui enim dirupta corporū membra in alijs poterat integrare tangendo, quantō magis in sua Matre quod inuenit integrum non potuit violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius quàm decreuit, & virginitas amplıata est potius quàm fugata. In angusti corporis membro fust inuit quidquid sustinent cœli. Plena sunt viscera, & nullum nouit Virginis conscientia. Cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat; lumen enim quod intrase habebat, pondus habere non poterat. Nata est MARIA fœnera cœli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen, facta est MARIA scala cœlestis quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos. Ipsis enim licebit ascēdere illuc, qui Deum crediderunt ad terras, per virgeninē MARIAM descendisse. Facta est MARIA restauratio fœminarum, quia per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Euæ à tribus bonis MARIÆ pobrantur excluſa. Nam Euæ dictum est, *in doloribus, & in tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis se subuingant fœminæ, quæ MARIAM non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti. MARIA autem è contrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur auscultа, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur salutasse. *Aue MARIA gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Cum dixisset, *Aue*, salutationem illi cælestem exhibuit: cùm dixit *gratia plena*, ostendit ex integro iram excluſam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiā restitutam: cum dixit, *benedicta tu inter mulieres*, virginitatis eius benedictum fructum expressit: vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcumq; perseuerauerit Virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per MARIAM ad benedictionem gloriæ remeasse. Venite Virgines ad Virginem, & lætamini. Ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem, restaurationis assumite. Proiicite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum MARIA suscepit, honores assumite. Pellite tristitiā concipientis, gemitus parturientis abiicite, vt solus vobis iste Virginis Filius dominetur. Venite virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parientes ad parientem, venite Matres ad Matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo MARIA in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret: & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium noua Eua seruando Virginitatem, sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Gen. 3.

Lucæ 1.

A

B

C

D

## *Sermo de partu Virginis, qui est* 18. *de tempore, & de natali Domini* 14.

CAstissimum MARIÆ Virginis vterum sponsi Virginis clausum ventris cubiculum, Filij Virginis signaculum, merito plenissime collaudarē timeſſe metmerem, quam seminarem. Denique sic Apostolus dicit, *quæcumq; seminauerit homo, hæc & metet.* Verum est omnino, verum est, hæc omnem hominem metere, quæ seminauit, sicut ipse Filius Virginis, in quadam lectione Euangelij ait, *meto*, inquit, *vbi non seminaui, & colligo, vbi non sparsi.* Dicat solus hodie natus ex Virgine Filius MARIÆ, meto vbi nō seminaui, & colligo vbi non sparsi. Dicat, & MARIA, & ego te Filium generaui, & virginitatem meam non violaui. Regnum teneo virginitatis, & Regē genui castitatis. In gradientē, & egredientē habui in palatio ventris Filiū imperatoris, & de manibus meis nō amisi clauem regni pudoris. Porta facta sum cœli, ianua facta sum Filio Dei. Illa porta facta clausa quam in visione diuina Ezechiel vidit Propheta, de qua in me dicēs propheticans, vidi portam in domo Domini clausam, & dixit ad me Angelus, *Porta hæc quam vides nō aperitur, & homo non transit per eā, & clausa erit in æternū.* Sed mirabilior prophetiæ adimpletio. Quid est *porta in domo Domini clausa*, nisi quod MARIA semper erit intacta? Et quid est *homo non transit per eam*, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est quod *Dominus solus intrat, & egredietur per eam*, nisi quia Spiritus Sanctus impregnauit eam? Et quid est *clausa erit in æternum*, nisi quia MARIA Virgo ante partum. Dicat ergo MARIA, porta facta sum

Gal. 6.

Mat. 25.

Ezec. 74.

cœli

cœli ianua facta sum Filio Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurectionem ingressus est per ostia clausa, qui ingressus est paruus ad suos crucifixores, ad Discipulos autem sues clauso cœnaculo ostij ingressus est claustra. Qui natus de ventre meo me Matrem dimisit intactam: adimpleuit ventrem meum, & vterum meum non euacuauit castitate. Exiuit de ventre meo giganteo cursu magnificus, & venter meus non est pudore vacuatus, nec in conceptione inuenta sum sine pudore, nec in parturitione inuenta sum cum dolore: o mira, & laudabilis inter fœminas, in qua ab Angelo salutatur Virginitas, sola imprægnata, nec vitiata: exonerata, nec vacata, quia sic est ab Angelo salutata, *Aue*
*Lucæ* 1. *MARIA gratia plena Dominus tecũ.* Fælix vmbillicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis. Considero conceptum tuum B. Virgo, & expauesco. Intueor partum, & contremisco: adoro Filium tuum, & reuiuisco. Enarra obsecro mihi quomodo meruisti dici Mater Domini, & spõsa Filij Dei? Quod rogo indica mihi, sed tamen colloquenti tecũ ignosce mihi. Ignosce inquam mihi, quod audeam seruus vtinam vel bonus, & non etiã inutilis, & malus seruus, & ideo malus seruus, quia non tecũ cũ tremore loquor vt servus: ignosce ergo mihi, quod audeã cum sponsa Domini mei fabulari, & tamen indica mihi quomodo poterit Dei Filius per te generari. Audite fratres, audite Mariã nobiscũ loquentem, carne absentem, spiritu præsentem, verecundia virginitatis vultum auertentem à collocutore, & indicantem, quomodo imprægnata sit à Creatore. Eram, inquit MARIA in domo mea, puella Iudæa, ex semine Dauid Regis generata. Adulta facta sum, & desponsata sum coniugi, & placui alteri, non interueniente adulterio, sed intercedente Spiritu Sancto, desponsata sum homini Iudæo, & placui homini Deo. Desponsauit me vir Iudæus, & amauit me Christus Deus, ignorauit quidem spõsus meus Ioseph, quòd me amasset Deus meus, & putauit quòd adulterio impregnatus esset venter meus. Nã ignaro Ioseph, sponso meo, venit ad me quidem magnus Christi paranymphus non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, sed Gabriel ille Archangelus facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabili, aspectu terribili, visitauit, & perturbauit me, salutauit, &
*Lucæ* 1. grauidauit, dixitque mihi, *Aue gratia plena Dominus tecum. Deminus* inquit, *tecum*, sed plusquam mecum: in me autem licet sit Dominus, memetipsum creauit Dominus, per te autem genitus est Dominus, ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam adimpleat carnem tuã procedat formosus de vtero tuo, tamquam sponsus de talamo suo: egrediatur A Rex de cubiculo suo, procedat princeps ex aula regali, ita vt virginitatem suã non faciat violari. Dixit que ei. *Quomodo fiet istud*, vt ego graueſcam, pudico immunissimo marito *quoniam virũ* penitus *non cognosco*. Desponsata sum homini iusto, si cum illo non conuenero, vnde erit quod generabo? Sed si potest fieri, vt cõcipiam intacta, & generem clausa, indica modum, & paratum inuenies cor meũ. Omnibus enim modis exopto me ego Deo meo, vt habeam prolem, & non perdam pudorem. Refert Angelus Gabriel modum conceptionis, quod in verbo fieret Saluatoris, & ita ait ad eã: O, inquit MARIA Virgo Dei, sponsa Dei, dilecta Dei, famula Dei, Mater
B Dei, si hunc à me modum requiris, quomodo Virgo concipias, Virgo paries, & post partũ Virgo permaneas, vel quomodo fiat in te qui *Lucæ* 1. fecit te, audi me, & ne perturberis. *Spiritus Sanctus superuenet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ita enim te virtus altissimi obumbrabit, vt nec æstum patiaris libidinis, & mater sis Creatoris. Nescit interea Ioseph MARIÆ sponsus, quid cũ MARIA ageret Angelus, subitoque Ioseph, intuitu familiari, & licentia maritali, aspicit MARIAM coniugem suam, vidit eam gressibus grauari, intellexit MARIÆ vterum grauidari. Turbatur Ioseph, homo iustus, quod MARIAM numquam de Templo Domini acceC perat, & nondum cognouerat, & grauidam sentiebat, & quam non meruerat in coniugij honorem, iam haberet in confusionem, secũque diu æstuans disputat, dicens, vnde hoc contigit quod euenit? Non cognoui, non noui, non tetigi, non violaui, nõ grauidaui, heu, heu, quid contigit, quid putas euenit, per quẽ MARIA sic cecidit quem sibi plusquam me adulantem inuenit? Ego enim, cùm licentiam haberem maritalem, ante thorum nuntiarem puellarem, timui multumq; pertimui quod, in illo Moysitico libro legis sententiale verbum perscriptũ, cùm legeretur, audiui quod quæcumque Virgo paternam domum fœdauerit adulterio, morienda *lapidibus* subiace- *Deut.* 22.
D bit. Similiter, & vir qui pudoris vestimẽtum Patri non petulirit coramque testibus replicauerit, pudoriſq; signaculũ non demõstrauerit moriẽdus, & ipse cũ Virgine erit, vtroſq; ergo libidinarios hac Moyses sententia ferire voluit, simulq; adulteros perire mandauit. Sic namque ait *auferte opprobrium de domo* 2. *Reg.* 11. *Israel, & omnis qui audierit, timebit, & non aget impiè*. Hanc Moysi sententiam præcauebam, ipsamque luxuriam in meo corpore refrænabam, maximè, quia Dauid filium me esse sciebam, & regali me fructum sacerdotio prænoscebã. Sed quoniã nihil mirum est, nihil nouũ, nihil occultum, nihil absconsum, quod non reuelabitur, & occultum quod nõ in publico veniat, in Dauid Regis filia recolo Hi-

sto-

storiam. Dauid Rex Uriæ Cetei mulierem audacia extulit regali, nec cum timor terruit parentalis. Quid ergo faciam? Quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, consiliũ quæro, nec penitus inuenio. Prodo adulterium, aut taceo propter opprobriũ, si prodidero adulteriũ quidẽ non consentio, sed næuũ crudelitatis incurro, quia secundum libri Moysi sententiam, lapidandam esse cognosco. Si tacuero malum consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est, ne per me fiat homicidium, dimittam eam cõiugio. *Mat. 1.* *Cogitauit*, inquit, sicut Euangelium dicit, *occulte dimittere MARIAM cõiugem suã.* Cogitauit quòd esset rea de adulterio cum eã esset deterior in mente huius suspitionis mala conceptio. Sed non timeat MARIA Dauid illius magni Regis filia, quoniam sicut in Dauid veniam contulit sermo propheticus, sic MARIAM liberat Angelus Saluatoris. Veniat Mater Domini casta, in qua non fuit virilis appetitio, sed Spiritus Sanctus, quam non violauit Ioseph. Vir Iudæus, sed solus imprægnauit omnipotens Deus, quæ non cõmixta est, nec Ioseph sponso, nec cognita alicui viro, sed soli omnipotenti Deo. Inuoca Virgo sancta Deum tuum, Dauid Patrẽ tuũ, non illum Dauid adulterio fuscatum, & Uriæ Cetei homicidio diuulgatum: sed illum dico Dauid forti mana prælatum, diu cũ Diabolo altercatum. Mittat de cœlo Angelum suum, & visitet in somnis sponsum tuum. Suspendat iudicium Moyses suũ, ne Ioseph vindicet adulterium tuum. Parat itaque Ioseph animum in tempore, quo MARIAM possit occultè dimittere. Ecce iterum Virginis ille paranymphus, non homo, sed Gabriel Angelus ille cõspicuus cœli cursor æquissimus, medio noctis libramine, dicit ad Ioseph in visione, Ioseph fili Dauid cur tantum tribularis, quid multum contristaris, cur in somno cogitando desudas, quare vigilãdo tristis ambulas, cur de MARIA malã tibi ingeris suspitionem, cum ipsa tibi generatura sit Saluatorem? Aufer zelotypiæ animum ex ea, ipse enim est Dominus qui impregnauit eã. Ideo tristis est anima tua, quia quæcumque legisti in prophetia, non intellexisti in MARIA. Hinc est omnis tristitia tua, quoniã sponsam tuam nondum cognoueris, & grauidam senseris, nec aliud in ea nisi adulterium suspicaris. Ioseph fili Dauid natus non solum ex genere Sacerdotali, verum etiam ex regali filius Prophetarum, socius scribarũ, ille Deus, qui scripsit mirabilia in lege sua, ipse fecit mirabilia in coniuge tua. Quid autem sunt mirabilia, nisi quæ hominibus sunt impossibilia? Mirabilia ergo Dei in lege non legisti, quod si etiam legisti quare nõ intelexisti? Ipsa lex quã quotidie legis sine graphio scripta est in tabulis lapideis, lege, & intellige quod panem in eremo terra produxerit, cuius semen in terra arator nullus induxit. Virga etiam Aarom annis ficata plurimis, sine aqua reuixit, in tẽplo floruit, nuues produxit, quas clausa sub tecto produxit. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stilo ferreo, ipse grauidauit MARIAM Spiritu Sancto: & qui produxit panes in eremo sine aratione, ipse imprægnauit Virginem sine corruptione: & qui fecit virgam sine humore folia germinare, ipse fecit filiam Dauid sine semine generare. Postremo fili Dauid Ioseph filius Prophetarum legisti Esaiam eximium Prophetarum quid dixerit, *Esai. 7.* quemadmodum scripserit: *Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Quod ergo legisti in libris tuis, aspice in MARIA oculis tuis, vt *Psal. 47.* dignè dicas canticum Dauid Patris tui, *sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.* Aspice ergo MARIAM coniugem tuam, semper de ea seuerus, & in nullo sis sollicitus, quia quod natum est in eius vtero, non vocabitur filius Iudæi, sed vocabitur Filius Dei. Habe ergo Ioseph cum MARIA coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit MARIA Sponsa Christi in carne sua virginitate seruata: sis autem, & tu Pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de Virgineis membris genitricis, seculis Christianis nullã sit Zelotypia. Magnũ meritum virginitatis fratres. Virginitas MARIÆ, Angeli salutatione est imprægnata, & prægnans MARIÆ virginitas de vtero in vtero est salutata; & generans virginitas MARIÆ ab Angelis est hodie collaudata, & lactans virginitas MARIÆ per stellam de cœlo est indicata, & Magorum muneribus est honorata. Gaude itaq; Ioseph, nimiumque congaude virginitati MARIÆ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

*Sermo de Salutatione Angelica sub metaphora desponsationis, qui est 21. de tempore & 17. de natali Domini.*

HOdie puer natus est nobis, hodie filius datus est nobis. *Esai. 9.* Puer inquam licet teneritudine membrorum invalidus, sed inculpabili generatione præclarus. Hodierna enim natiuitas genitricem innocentiæ, puritas declarat Authorem: hodie filius datus est nobis. Nunc nobis est datus, qui est ante secula natus: datus in partu Virginis Filius de substantia genitoris: cum igitur seruilem casam

sam per ostium Fidei, speratus quondam dominator intraret, rubuit inuiolata virginitas, nec pessulum pudoris infregit, & in sacris visceribus radius æternæ claritatis effulsit. Lætetur ergo omne mundi huius exilium; exultet seculum paulò ante captiuum Misit Deus Filium suum, qui naturam terreat, moriatur, & vincat. Terruit namq; Herodé natus, vicit Diabolũ innocens crucifixus. Cæla Domine sub pelle carnis animum virtutis, habitum maiestatis paulisper occulta, dege in vtero Virginis egredere, & congredere ex tentorio sacræ Virginis. Apta pro me muscipulam, vbi totam liberas creaturam, sed tanti huius conceptus, ac partus, & causam, & miraculum pertractemus: vt igitur vitiorum sordibus obsoletus horribiliter squalesceret mundus, ab origine iam in paradiso captiuus, fœmina causa fuit. Sic etenim scriptum est: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Et Apostolus Paulus: *Vir*, inquit, *seductus non est: mulier autem seducta in præuaricatione facta est.* Per hanc ergo mundus ærumnabili seruitute depressus, sub iugo Diaboli anxia colla submiserat. A quo enim quis deuictus est, huic, & seruus addictus est. Solutа igitur elementorum fœderata compage, diluuium hominem deleuit, crimen delere non potuit. Isaac sterilis, non Virginis Filius, Crucis meruit signa portare. Apprehendi meruit, vinciri meruit: non tamen aliquid mundo contulisset, si potuisset occidi. Moyses aquis purificandum agmen solummodo eripit Iudaicum, non totum liberat mundũ, exterminat Ægyptum, non peccatum. Regem Pharaonem, freto hiante subduxit, non Diabolum cum suis legionibus pernecuit. Dauid *in iniquitatibus* se fatetur esse conceptum, nec ipse ergo mundi potuit auferre peccatum. Cùm per pleraſque igitur temporum gyrantium rotas mundiale curriculum voluretur, neq; quispiã mederetur, & ingraueſcentibus culpis ruinæ præcipitis ictu, & fremitu totius Orbis membra pulueſcerent, & nemo succurreret ad fœminã causa reuertitur, & origo per originẽ detrũcatur. Origo peccati, per genitricẽ Christi. Prosapies impietatis per prosapiẽ pietatis. Stirs mortis, per stirpẽ vitæ percutitur. Hactenus causam, nũc aptos obturus miraculis reuelemus, Christũ Virgo peperit, mutatur natura, deletur culpa. Præcisſum est illud Euæ infelicitatis eloquiũ: in tristitia paries filios, quia ista in lætitia Dominum parturiuit: illa enim luxit, ista reluxit. Illa lachrymas, ista gaudium in vẽtre portauit; quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Christus seminauit non luxus, Deus seuit non maritus. Virgo genuit, quia virgo concepit. Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum, & A fine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera. Matrimoniũ in fide, partus in Virgine. Gabriel ille horum sponsalium internuntius fuit Quid dixerit, quid audierit referat. *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* A salutatione incipit, qui salutem in lingua portauit. Sileat nunc á fœminis, sileat tot tuosi serpentis male suadibilis Sybilus, ad Matrem Domini nostri Angelus est loquutus: *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Gratia refertur pro culpa, plena dicitur, non vacua. Impleta est ergo gratia, & euacuata est culpa. Hoc modo, & ipsa venerabilis Virgo nostra in suo Cantico plausit: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Tecum in corde, tecum in ventre, tecum in auxilio. Gratulare Virgo, Christus Rex è cœlo suo venit in vtero tuo. Ex sinu Patris in vterum dignatur descẽdere Matris, sed nec regionem suam maiestas infinita deseruit, nec cum virginalis aula dum accepit, inclusit. Fides à terra in cœlum extat. Fluit Christus, insedit, & per ipsam in templum pudoris intrauit. *Benedicta tu in mulieribus*, quæ vitam viris, & mulieribus peperisti. Ede inculpabilis fœmina inuiolabilem virũ, ac sic, & fœminam saluabis & virum. Eua mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem, & fœminæ gessit & viro. Auctrix peccati maledicta, autrix meriti benedicta: ita enim ad eam cœlestis nuncius infit: *Benedicta tu in mulieribus.* Genere sexuali omnes appellantur, equidem communiter mulieres, sed sunt etiam incorrupta virginitate pudoris proprietate distantes. Illa occidendo obfuit, ista viuificando profuit. Percussit illa, at ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia recompensatur. Plaudat iterum organis MARIA, & inter veloces articulos tympana concrepent. Excludat cantus digitis; pariat Christum ludentibus Psalmis. Concinant lærantes chori, & alternantibus modis dulcisona carmina misceantur. Musicum MARIA inter iuuenculas melos exerceat; quia dulce Verbum plectris Sancti spiritus modulantibus parturiuit, in terra Iudæa, quæ ipsa tympanum crudelitatis aptabat, & Christum in ligno tendebat. Postquam enim sceleris errabunda manus incompositis numeris discrepauit, confestim barbarus ille fragor truculẽti stridioris infremuit, *Crucifige, crucifige.* Reciprocato igitur die, quo criminosa Ægyptus ferirетur, tympanũ MARIÆ nostræ pulsatum Verbum edidit, suæ linguæ pulsibulo puerpera nostra lætos sui oris cantus effudit. Audiamus igitur quẽ admodum tympanistria nostra cantauerit: *Magnificat anima mea Dominum. & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

*Ecclꝛ* 25.

1. *Tim.* 2

*Psal.* 50.

*Luc.* 1

*Lucæ* 1

*Lucæ* 23.

*Luc.* 1.

Quia

*Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam medicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est.* Causa igitur inualescentis erati miraculũ noui partus efficit, & Euæ plãtum MARIÆ cantus exclusit. Denique post illius benedicibilis salutationis, & præsagium, & triumphum, tacita secum Virgo mentis altercatione confligit, *qualis esset ista salutatio.* Nuncius interim cœlestis exequitur, *ne timeas MARIA inuenisti gratiam ante Deum, ecce concipies filium & vocabis nomen eius IESVM.* At illa dum sci citatur modum, audit Authorem sobolis Deum. *Quomodo,* inquit *fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus,* inquit, *Sãctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi. Ideo quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur Filius Dei.* Expandat nunc fides splẽdentis veteri pulchra tẽtoria, obumbret virtus spiritus, sibilet natura li calore depulso, tenuis Virginem aura refoueat, & fluente refrigerio spiramentis cęlestibus ventiletur, aluus virginalis sertis verecundiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur. Respondet iam Virgo sacra: vitam quid tricas mũdo? Assensum tuum Angelus præstolatur, inde est quod nuncius iste moratur. Iam audisti, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrauit,* vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cœli quondam per Adam clausa iam sonuit, per ipsam nuncius iste processit, Deus in porta est Angelum, quem moraris expectat! OB. MARIA seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est, misit, claustrum quod iniquitas nostra cęlo infixerat, reserauit. Est nobis aditus si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris, & tibi, quia nobis pœna successit, & tibi nuptias filio suo in tuo thalamo Pater præparabit, Deus in ipsis sponsalibus gaudijs relaxat quidquid eum offenderat mundus. O & tu Angeli tanti Regis nunci, & secreti diuini legate, qui ex palatio imperatoriæ maiestatis indulgentiam reddis criminosit, vitã mortuis, & pacem sacram attulisti captiuis, Vrge Virginem non de Dei munere diffidẽtem, sed de muneris magnitudine cogitãtem. Fauc partibus seculi, conscius secretorum cęli, lætabuntur socij tui si negocium inueris mundi. Nos à vestro consortio impietatis mucro diuisit, per vos de reditu nostro tracta tur. Inspice squalentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad MARIAM, vsque quo moraris, ô Virgo nuncium festinantem? Intuere Deum in cœli me vestibulo sustinentem, responde verbum, & susci pe filiũ. Da fidem, & senti virtutem, pande sinus roseos Virgo perpetua, fides tua modo aut aperit cęlũ, aut claudit. *Ecce,* inquit, *ancilla Domini.* Introeat Rex in cubiculum tuum, *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nec mora reuertitur nuncius, & nuptialem thronum ingreditur Christus. Accipit stolam carnis in thalamo virginis, intra thesaurum maiestatis sacculum carnis gesit. Diuinitati sponsatur homo, præmium accipit caro. Procedit Christus *quasi sponsus de thalamo suo,* cum præsagio nuptiarum exiit ad campum seculi, cucurrit sicut gigas exultando per viam, per venit vsque ad Crucis trophæum, & ibi firmauit ascendendo coniugium, vbi consentiret alienãtem in supplitijs creaturã, commercio pietatis se pro coniuge dedit ad pœnam. Tradidit quoq; carbunculatã sui sangunis gẽmã, & copullauit sibi perpetuo iure matronam. *Aptaui,* inquit, *vos* Apostolus *vni viro virginem castam exhibere.* Ecce nunc quæ fuerat fœta, facta est ancilla, quia vidit vitam suam in ligno pendentem, & non credidit liberantem. Gaudeamus ergo fratres in commercio Dei, & hominis sponsi, & sponsæ, Christi, & Ecclesiæ, Saluatoris, & Virginis, quæ dum desponsaretur fabro, cœli nupsit architecto. Veneremur Christũ in præsepi, qui quadrifarium mundum repleuit in fide. Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ. Honorate Pastores qui primi mysterium ab Angelis didicerunt. Plaudamus cuncti cum cœlestibus Angelis, officijsque diuinis, & cœli, & terræ pacem bonæ voluntatis hominibus nunciemus. Date gloriam in excelsis Deo, redempti credite data pacem esse captiuis. Estote homines bonæ voluntatis, vt mereamini præmium libertatis, ipso donante, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Pſal. 18.

2. Cor. 11.

## *In Purificatione sanctæ MARIÆ sermo qui est 20. de tempore, secundum Laurentium Surium in Homilia. fol. 777.*

HOdiernus dies, fratres charissimi, magnum nobis contulit gaudium, in quo Christus infans in Templo est præsentatus. Exultent Virgines, Virgo peperit Christum. Nihil in eo, quod vouerunt, putent extermi natu. Mansit Virgo post partum, exultent viduæ, infantem Christum vidua Anna cognouit, exultent coniugatæ, nasciturum Christũ Dominum Elisabeth nupta prophetauit, nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omniũ: numquid enim solæ Virgines ad cœlorum regna perueniunt? Perueniunt, & viduæ, magni meriti fuit illa vidua sancta Anna: a virginitate enim

sua

sua septem annis vixerat, cum viro suo, quo defuncto, vsque ad senilem ætatem peruenerat sanctæ senectute sancta. Octoginta namque gerens annos infantiam expectauat Saluatoris, vt paruum videret annosa, paruum cognosceret anicula, intrantem in mundum Saluatorem, videret itura. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt Ipse Dominus Christus natus puer est, in templo præsentatus exultent, pueri, continentiam vouentes puero. Ipse integritatem pueritiæ consecrauit, qui suæ Matri fœcunditatem attulit, virginitatem non abstulit: Simeon ille senex diu vixerat, cuius ætas comparata est Annę, & audierat *responsum, quod non esset visurus mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Intelligite fratres, quantum desiderium habeant antiqui sancti videndi Christum, sciebant ipsum esse venturum, & omnes qui pie vivebant, dicebant: O si hic me inueniat illa natiuitas. O si quod credo in Scripturis Dei, videam oculis meis, & vt noueritis, quantum desiderium habeant sancti, qui nouerant de scripturis Virginem parituram, sicut audistis, cùm Isaias legeretur. *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Emmanuel, quid sit, Euangelium nobis aperuit, dicens: *Quòd interpretatur nobiscum Deus.* Non tibi ergo sit incredibile, quæcumque infidelis anima, non tibi videatur impossibile, vt Virgo pareret, Virgo pariens permaneret. Intelligite natum Deum, & non miraberis Virginis partum; vt ergo noueritis antiquos sanctos, & iustos desiderasse videre, quod concessum est huic seni Simeoni, Dominus noster Iesus Christus ad discipulos loquens, ait: *Multi iusti, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.* Multùm senex iste Simeō fuit ad audiendū seruus, sed ad vidēdum maturus: non expectauit, vt Christū audiret loquentem, quoniam vidit infantē, & hoc illi concessum erat, iam decrepito, quasi desideranti, & suspiranti, & dicenti quotidie in orationibus suis, quando veniet & quando nascetur? Putas hic me inueniet? Putas durabo? Putas isti oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum, quòd non gustaret mortem, nisi videret Christus Domini. Gestabat eum MARIA Mater eius infantē. Vidit ille, & agnouit, vbi nouerat, quod agnouit? An intus est reuelatus, qui foris est natus? Vidit, & agnouit. Agnouit Simeon infantem tacentem, & occiderunt Iudæi iuuenem, miracula facientē. Cùm ergo cognouisset, accepit eum in vlnas suas, hoc est, in brachia sua, & amplexatus est eum, & portabat à quo portabatur, & ipse. Ipse enim est Christus sapiētia Dei, *attingens à fine vsq; ad finē fortiter, & disponens omnia suauiter.* Quantus ibi erat, & quàm magnus, & quàm paruus factus erat? Paruus factus, paruos quęrebat. Quid es paruos quęrebat? Nō superbos, non elatos, sed humiles, & mites colligebat. In præsepi dignatus est poni, vt esset priorum cibaria iumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, & dixit: *Nunc dimittis Domine seruū tuum in pace,* dimittis in pace, quia video pacē? Quare ergo dimittis in pace? *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Salutare Dei Christus Dominus annuntiat diē ex die salutare eius. Habetis ergo pueri puerū Christum sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, vt de coniugatis aliquis testimoniū Domino perhibeat Zachariā considerate. Nemo ergo quærat aliud fratres mei, Christiani fideles, aut virgo, aut vidua, aut coniugata, aut vir, aut continens, aut vxoratus. Quicquid plus esse quisq; voluerit, non inueniet, quod ad Christū pertineat. Non inuenimus testimonium perhibuisse Christo adulteros fornicatores immūdos; sed vt tales testimonium perhiberent, ipse præstitit, ipse donauit. Nō enim quisquam sanctus viribus suis, sed nunquid, sicut natus est Christus, sic remansit Creuit ad iuuentutem peruenit, sed in senectutē non declinauit Crescat ergo, & fides tua robur imuniat ad senectutē peruenisse nesciat. Sic pertinebis ad Christū Filiū Dei in principio Verbū apud Deum, Verbū Deum, sed *Verbū caro factum est, vt habitaret in nobis.* Maiestas ibi latebat, vbi infirmitas apparebat. Simeō in manus suas infirmitatem accepit, sed maiestatem intus agnouit; nemo contemnat Christum, & infantem in templo præsentatum, si vult esse renatus. Ad illū pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci, qui venit in hūc mundum, peccatores saluos facere, de quo Ioannes in Euangelio dicit: *Hic est agnus Dei, hic est, qui tollit peccata mundi.* Iesus Christus Dominus noster, qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

*Luc.2.* *Isai.7.* *Matth.1* *Matt.13* *Sap.8.* *Ioann.1* *Ioann.1*

## *Homilia eiusdem de Assumptione Virginis super Euangelium, & est sermo 26. de verbis Domini.*

VErba Domini nostri Iesu Christi, quæ modo ex Euangelio recitata sunt, admonent nos, esse vnū aliquid quo tendamus, quando in huius seculi multitudine laboramus. Tendimus autem adhuc peregrinantes, nondum manentes, adhuc in via, nondum in patria, adhuc desiderando, non-

dum fruendo. Tamen tendamus, & sine pigritia, & sine intermissione tendamus, vt aliquando peruenire valeamus. Martha, & Maria duæ sorores erant, ambæ non solùm carne, sed etiam religione germanæ, ambæ Domino cohæserunt, ambo Domino in carne præsenti concordi seruierunt. *Suscepit* eum Martha, sicut solent suscipi peregrini. Sed tamen suscepit famula Dominum, ægra saluatorē creatura creatorem. *Suscepit* autē spiritu pascēda, in carne pascendum. Voluit enim Dominus formam serui accipere, & accepta forma serui in illa pasci à seruis dignatione non conditione. Nam, & ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnē, in qua esuriret quidem, & sitiret, sed scitis, quia in eremo esurienti Angeli ministrabant? Ergo quod pasci, voluit, pascenti præstitit. Quid autē mirum si, & de sancto *Helia* præstitit *viduæ*, quem prius coruo ministrāte pascebatur? Nunquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non sed religiosam viduam per obsequium exhibitum seruo suo benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est Dominus tanquàm hospes qui *in propria sua venit, & sui eum non receperunt*, sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, adoptans seruos, & liberos faciens, redimens captiuos, & faciens cohæredes. Ne quis tamen vestrum forsitam dicat: O beati qui Christum susceipere in domum propriam meruerant. Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus est, quando Dominum non vides in carne, non tibi abstulit is tam dignationem, cùm vni inquit, *ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Hæc de Domino pascendo pascente in spiritu, pauca pro tempore dixerimus. Veniamus ad causam, quā de vnitate proposui. Martha Dominum pascere disponens, & præparans circa frequens ministerium occupatur, MARIA soror eius pasci à Domino magis elegit. Deseruit quodam modo sororem suam circa multum ministerium laborantem, & sedit ipsa ad pedes Domini, & vacans audiebat verbum eius. Auris fidelissima audierat: *Vacate, & videte quomodo ego sum Dominus*. Illa turbabatur, ista æpulabatur, illa multa disponebat, ista vnum aspiciebat. Vtrumque officium bonum, sed tamen quod sit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, patienter audiamus. Quid sit melius, iam cùm Euangelium legeretur, audiuimus, & bene commemorantem audiamus. Interpellat Martha hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarum, quòd eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio adiuuare neglexerit. Non respondente illa, sed tamen præsente iudicat Dominus. MARIA causam suam tanquam ociosa iudici maluit cōmittere, nec in respondendo voluit laborare. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Repondit ergo Dominus, qui in verbo non laborabat, quia Verbum erat. Quid ergo dixit? *Martha Martha*. Repetitio nominis est indicium dilectionis, aut fortè mouendæ intentionis, vt audiret attentiùs, bis vocata est *Martha Martha*, audi tu circa multa est occupata, *vnum autem opus est*, ist est, vnum *necessarium est*. Non vnum, quasi singulare opus, sed opus est, expedit, necessarium est. Quòd vnum elegerat MARIA? Vnum cogitate fratres mei, & videte in ipsa multitudine, si delectat nisi vnum. Ecce Deo propitio, quàm multi estis. Quis vos ferret, nisi vnum saperet? Vnde in multis ista quies? Da vnum, & populus est. Tolle vnum, & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum, *obsecro autem vos fratres*, multitudini dicebat, sed omnes in vnum facere volebat *Obsecro autem vos fratres, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Et alio loco: *Vnanimes vnum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*, & Dominus ad Patrem de suis, *vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*. Et in actibus Apostolorum; *Multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum*. Ergo *magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum*, quia vnum est necessarium, vnum illud supernum, vnum, vbi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum. Videte nobis commendare vnitatem. Certè Trinitas est Deus noster. Pater non est Filius, Filius non est Pater, Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed amborum spiritus, & tamen ista tria, non tres Dij, non tres omnipotentes, se vnus omnipotens, & ipsa Trinitas vnus Deus, quia vnum necessarium est. Ad hoc vnum non nos perducit, nisi multi habeamus cor vnum. Bona sunt ministeria circa pauperes, & maximè circa sanctos Dei seruitia debita, obsequia religiosa. Reduntur enim, non dantur, dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Bona sunt, exhortamur ad hæc, & in verbo Domini ædificamus vos, nolite pigri esse ad suscipiendos sanctos*. Aliquando nescientes suscipiendo quo nesciūt Angelos susceperunt. Bona sunt hæc, melius est tamen quod elegit MARIA. Illud enim habet ex necessitate

*Ioann. 1.* *Mat. 25.* *Psal. 145.* *Philip. 2* *Ioan. 10.* *Act.* *Psal. 33.* *2. Cor. 9.* *Hebr. 13*

sitate occupationem, illud ex charitate suauitatem. Vult homo occurrere, quando ministrat, & aliquando non potest. Quæritur quod est, paratur quod adest, distenditur animus. Nam si Martha illa sufficeret, adiutorium sororis nunquam posceret. Multa sunt, diuersa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt, etsi bona sunt, transitoria sunt.

*Luc.10.* MARIA autem quid, ait Dominus: *MARIA autem meliorem partem elegit.* Non tu malam, sed illa meliorem. Audi vnde meliorem, quia non *auferetur ab ea.* A te auferetur aliquando onus necessitatis, æterna est dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea, quod elegit. Non auferetur, sed tamen augetur. In hac vita augetur, in alia vita perficietur, nunquam auferetur. Cæterum tu Martha, pace tua dixerim, in bono ministerio benedicta, pro isto labore tuo mercede quæris quietem, modò occupata es circa multum ministerium, pascere vis mortalia corpora, licet sanctorum. Nunquid cùm veneris ad illam patriam, inuenies peregrinum, quem suscipias hospitio? Inuenies esurientem, cui panem frangas? Sitientem cui potum porrigas, ægrum, quem visites litigantem, quem concordes, mortuum, quem sepelias? Omnia ista ibi non erunt; sed quid ibi erit? Quod MARIA elegit. Ibi pascimur, non pascimus. Ideo hoc erit plenum, atque perfectum, quid hic elegit MARIA? De illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat; nam vultis nosse, quid ibi erit? Dominus ipse di-

*Luc. 13.* cit de seruis suis: *Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere, & transibit, & ministrabit illis.* Recumbere quid est nisi vacare? Recumbere, quid est nisi requiescere? Quid est transibit, & ministrabit illis? Prius transibit, & sic ministrat. Sed vbi? In illo conui-

*Math.8.* uio superno, de quo dicit. *Amen dico vobis. Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum.* Ibi Dominus pascit, sed prius hinc transit. Nam vt noueritis, Pascha transitus interpretatur. Venit Dominus, fecit diuina, passus est humana. Nunquid adhuc conspuitur? Nunquid adhuc expalmatur? Nunquid adhuc spinis coronatur? Nunquid adhuc flagellatur? Nunquid adhuc crucifigitur? Nunquid adhuc lancea vulneratur? Trāsiuit. Denique, & Euangelium sic loquitur, quando Pascha fecit cum discipulis suis.

*Ioan. 13.* Quid dicit Euangelista? *Cùm autem venisset hora, vt IESVS transiret de hoc mundo ad Patrem* Ergo ille transiuit, vt pascat nos sequamur, vt pascamur.

*Eiusdem in idem Homilia 2.*

¶ Sanctum Euangelium cùm legeretur, au-

A diuimus à fœmina religiosa, susceptum esse Dominum hospitio, eaque Martha vocabatur. Et cùm esset ipsa occupata in cura ministrandi, soror eius MARIA sedebat ad *Luc.10.*
pedes Domini, & audiebat verbum eius. Laborabat illa, vacabat ista; illa erogabat, hæc implebatur. Verum tamen Martha laborans multum in illa occupatione, & negotio ministrandi, interpellauit Dominum, & de sorore sua conquesta est, quòd eam laborantem nō adiuuaret. Dominus autem pro MARIA respondit Marthæ, & ipse eius factus est aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. *Martha, inquit, circa multa es occupata: quando*
B *vnum est necessarium. MARIA meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Audiuimus enim interpellationem interpellantis, & sententiam iudicis. Quæ sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. Erat enim MARIA intenta dulcedini verbi Domini, intenta erat Martha, quomodo pasceret Dominum, intenta MARIA, quomodo pasceretur à Domino. A Martha conuiuium Domino parabatur, in cuius conuiuio MARIA iam iocundabatur. Cùm ergo MARIA suauiter audiret verbum dulcissimum, & corde intentissimo pasceretur, interpellato Domino á sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus. Surge, & adiuua sororē tuam? Mira enim suauitate
C tenebatur, quæ profectò maior est mentis, quàm ventris. Excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata est, attendamus, inspiciamus, perscrutemur, quod possumus. Pascamur, & nos. Quid enim? Putamus nos reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? Quomodo rectè reprehendebatur, quæ tanto hospite lętabatur? Hoc si verū est, dimittant homines, quod ministrante gentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis, vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini, occu
D pentur circa scientiam salutarē, nihil eis curę sit, quisque peregrinus in vico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis visitandus, quis redimendus, quis sepeliendus, vacent opera misericordiæ, vni instetur scienti:. Si melior pars est, cur non omnes hoc faciunt, quādo ipsum Dominum in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re, ne offendamus eius iustitiam, cùm patronam teneamus eius sententiam: & tamen ita non est, sed sicut dixit Dominus, ita est. Quomodo intelligis non est: est autem quomodo intelligere debeas. Ecce aduerte: *Circa multa es occupata, quando vnum est necessarium MARIA meliorem partem elegit.* Non tu malam, sed ista meliorem. Sed vnde meliorem? Quia tu circa multa, illa

circa vnum. Præponitur vnum multis. Non enim à multis vnum; sed multa ab vno. Multa sunt, quæ facta sunt, vnus qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Quam multa sunt, quis ista enumeret? Quis horum multitudinẽ cogitet? Quis hoc fecit? Deus omnia. Ecce bona valde. Bona valde, quę fecit, quãtò melior ille est, qui fecit? Attẽdamus igitur occupationes nostras circa multa necessariũ est ministeriũ corpora refecturis. Quare hoc? Quia esuritur, quia sititur, misericordia misereris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hospitalem? Tolle nuditatem, cui præparas vestem? Non sit ægritudo, quem visitas? Non captiuas, quem redimis? Non sit rixa, quem concordas? Non sit mors, quem sepelis? In illo seculo futuro non erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. Benè ergo Martha circa corporalem Domini, quid dicam necessitatem, an voluntatem, ministrabat carni mortali. Sed quis erat in carne mortali? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce quod MARIA audiebat: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ecce Martha, cui ministrabat. Ergo MARIA meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc enim elegit quod semper manebit, ideo non auferetur ab ea. Circa vnum se voluit occupari, iam tenebat. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Sedebat ad pedes capitis nostri. Quantò humiliùs sedebat, tantò amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. *Circa multa est occupata, porrò vnum est necessarium.* Iam hoc sibi MARIA elegit. Transiuit labor multitudinis, remanet charitas vnitatis. Ergo quod elegit, *non auferetur ab ea*, à te autem, quod elegisti, vtique hoc sequitur, vtique hoc subintelligitur à te, quod elegisti, auferetur. Sed bono tuo auferetur, vt quod melius est, detur. Auferetur enim à te labor, vt requies detur. Tu nauigas, illa iã in portu est. Videtis ergo, charissimi, & quãtùm arbitror, iam intelligitis in his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerunt Domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ. Videtis ergo, & magnum aliquid intelligitis, quicumque intelligitis, quod audire, & scire debetis, etiam qui non intelligitis in his duabus mulieribus, duas vitas esse figuratas, præsentem, & futuram, laboriosam, & quietam, ærumnosam, & beatam, temporalem, & æternam duæ sunt vitæ, de illis vos copiosius cogitate. Quid habeat hæc vita, non dico mala, non iniqua, non nefaria, non luxuriosa, nõ impia, sed laboriosa ærumnis plena, temoribus castigata, tentationibus solicita: hanc ipsam innocentem vitam dico, qualem decebat habere Martham. Hanc ergo quantum potestis, inspicite, & de hac, vt dixi copiosius, quam loquimur cogitate. Vita vero iniqua haberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum MARIA, etsi aliquando fuit, Domino iratante fugit. Remanserunt ergo in illa domo, quæ susceperat Dominum, in duabus fœminis duæ vitæ ambæ innocentes, ambæ laudabiles. Vna laboriosa, altera ociosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa, ambæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles, sed vna laboriosa, altera ociosa, nulla facinorosa, quam cauere debet laboriosa, nulla desidiosa, quam cauere debet ociosa. Erant ergo in illa domo istæ duæ vitæ, & ipse fons vitæ. In Martha erat imago præsentium, in MARIA futurorum. Quod agebat Martha, ibi sumus: quod agebat MARIA, hoc speramus. Hoc agamus benè, vt illud habeamus plenè. Nam quid inde habemus? In quantùm habemus? Quandiu hic sumus, quantum est, quod inde habemus? Nam, & modo inde aliquid agimus, remoti à negotijs se positis familiaribus curis, conuenistis, statis, auditis, in quantùm hoc agitis, MARIÆ similes estis. Et facilius vos intenditis, quo agit MARIA, quam ego, qui prærogo. Si quid tamen dico, Christi est. Ideo vos pascit, quia panis communis est, vnde & ego vobiscum viuo. Nunc autem viuimus, si vos fratres statis in Domino. Nolo in nobis, sed in Domino, *quia neque qui plantat, est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

*Ioann. 1.*

*Psal. 72.*

*1. Cor. 3.*

*Eiusdem in eodem festo, quæ meritò dubitatur esse Augustini, Homilia 3. qui est sermo 35. de sanctis.*

ADEST nobis, dilectissimi fratres, dies valde venerabilis, dies omnium Sanctorum solemnitatem præcellens. Adest inquam dies inclyta, dies præclara, dies in qua è mundo migrasse creditur Virgo MARIA. Et ideo laudes intonet vniuersa terra cum summa exultatione tantæ Virginis illustrata excessu, quia indignum valde est, vt illius recordationis solemnitas sit apud nos, sine maximo honore, per quam meruimus Authorem vitæ suscipere. Satisque præposterum iudicandum est, vt cum sanctorum celebramus victorias martyrum illius solemnitatem, illis non præferamus, quæ huic mundo edidit Principem Martyrum. In hac siquidem die competenter Sponso illi cælesti proclamat Beata Virgo: *Tenuisti manum dex-*

*dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cũ gloria assumpsisti me.* Hodie, inquam, & ipsa à Sponso Filio, & Domino congruè audiuit: *Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit. Surge proxima mea, Spõsa mea, & columba mea, & veni.* Hæc ideo dicimus, fratres, quia sicut iam in consuetudinem suscepit Ecclesia, hodiernã die ad cœlos assumpta fuisse creditur Virgo MARIA. Sed quo ordine hinc ad superna translata sit regna, nulla Catholica narrat Historia. Non solùm autem respuere apochripha, verùm etiam ignorare dicitur hæc eadem Ecclesia, siquidem sunt nõnulla sine authoris nomine de eius assumptione conscripta, quæ, vt dixi, ita cauẽtur, vt ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc sane pulsantur nõnulli, quia nec corpus eius in terra inuenitur, nec assumptio eius cum carne, vt in apochrypha legitur, in Catholica reperitur Historia. Quibus dicendum est, quia si Moysi corpus non inuenitur ab homine in terris, cum quo loquutus est *Deus facie ad faciem*, illius quærere dementiæ est, per quam idem manifestatus Deus incarnatus effulsit in terris. Neque enim dignum est de corporis eius notitia solicitum quempiam esse, quam non dubitat super cœlos eleuatum cum Christo regnare. Sufficere debet tantùm notitiæ humanæ, hanc verè fateri Reginam cœlorum, pro eo quod Regem peperit Angelorum. Sed nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorum de eius morte quipiam dixisse apertè. Nam illũ Euangelij versiculum, quem Simeon dixit ad Domini mortem: *Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius*, beatæ recordationis Ambrosius cùm tractaret, ait: Nec historia, nec littera docet MARIAM gladio vitam finisse. Hinc, & Isidorus, incertum, inquit, per hoc dictum, vtrum gladium spiritus, an gladium significet persecutionis. Et quid de his, de quibus loquor dicam, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini, in sua, id est, Ioannes Euangelista de hoc posteris, aliquid retinẽdum scriptis mandauerit? Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quàm ille vtique, qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius matrem relinquit. Restat ergo vt homo mendaciter non fingat, apertum, quôd Deus voluit, maneret occultum. Vera autem de eius assumptione sententia hæc esse probatur, vt secundùm Apostolum, *siue in corpore, siue extra corpus* ignorantes, assumptam super Angelos eam esse credamus. His igitur præmissis, loquamur aliquid in laudibus sacratissimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cœlo est, de qua loquimur, abisso profundior, cui laudes dicere conamur. Hæc est enim, quæ sola meruit Mater, & Sponsa vocari. Hæc primæ Matris damnare soluit, hæc homini perito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti MARIA. Eua occidendo obfuit, MARIA viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Hæc enim mirabili, atque inæstimabili modo omnium rerum, & suum peperit saluatorem. Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus sanctus? Quæ tam speciosa, vt eam Deus sibi eligeret Sponsam? Quæ tam casta, vt esse posset Virgo post partum? Hæc est Dei *Templum, fons ille signatus, & porta in domo Dei clausa.* Ad hanc namque, vt dixi, Spiritus sanctus descẽdit, hanc virtus Altissimi obumbrauit. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, Virgo lactans, Angelorum, & hominum cibam nutriens. Merito namque beata singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commertium mundo præbuit. Denique tantùm se ad cœli fastigia subleuauit, vt Verbum in principio apud Deum de superna cœli arce susciperet. O fœlix MARIA, & omni laude dignissima. O Virgo Dei Genitrix gloriosa, ò sublimis puerpera, cuius visceribus Auctor cœli, terræque committitur. O fœlicia oscula lactentis labijs impressa, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, vtpote verus ex te Filius Matri alluderet, cũ verus ex Patre Dominus imperaret. Nam Authorem tuum ipsa concipiens edidisti in tempore puberem, quem habebat ante tempora conditorem. O fœlix puerperium, lætabile Angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis, qui post multas assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo, vt te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit. Sed quid dicam pauper ingenio, cùm de te quicquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior est. Si Matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam, cùm non sufficiat lingua carnis, tuas enarrare virtutes? Has interim laudes fileat lingua carnis, quas semper ardenter profert anima. Nunc nostras peto, vt aures doctrinarum tuarũ demulceas organis. Plaudat nunc tympanis scena tuis, & veloces articulos puerperæ cõcrepent. Concinnãt lætãtes chori, & alternãtib⁹ modulis dulcisona carmina misceãtur. Audiamus fratres, audiamus pio mẽtis affectu, audiamus quẽadmodũ tympanistriarũ doctrinis cõcrepet B. Virgo Maria.

*Cant.* 2.

*Deut.* 34. *Exod.* 33

*Luc.* 2.

1. *Cor.* 12

*Cant.* 4. *Ezech.* 44.

Audiamus, inquam, & huic harmoniæ moribus respondeamus. Denique cùm hæc mulier beatissima ab Angelo iã salutata, Spiritu sancto repleta, plenitudine diuinitatis afflata ad Helisabeth veniſſet cognatã, poſt exultationem Ioannis in vtero matris, hæc Domino decantauit cantica laudis: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus en Deo ſalutari meo.* Primo igitur in hoc loco quærendum eſt, quid ſit magnificare Dominum, nec enim magnus fit â creatura creator. Sed ſciendum nobis eſt duobus modis dici magnificari, idest, aut magnum facere, aut magnũ adorare, magnũ admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cũ magnificari dignatur à nobis. Sed nunquid ſic in nobis ſicut in B. MARIA eã dẽ carnẽ aſſumpſit pro nobis? *Aue*, inquit, ad eã Angelus *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrauit tibi. Ideoq; quòd naſcetur ex te ſanctũ vocabitur Filius Dei.* Quæcumque tamen anima ſancta Verbum concipere poteſt credendo, purè prædicãdo, magnificat amãdo. Vnde, & Dauid Propheta dicit: *Magnificate Dominũ mecũ, & exaltemus nomẽ eius in inuicẽ.* Ac ſi diceret: Magnitudinem Domini mecum prædicate, & nominis eius præconia magna voce attollite. Hinc iterũ dicit: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Vnde autem magnificetur in nobis, idem Propheta ait: *Magnificata eſt vſq; ad cœlos miſericordia tua.* Hinc namq; optandũ eſt in ſingulis, vt noſtra anima magnificet Dominum, cõcipiat Dei Verbum, pariat, & nutriat, recordetur ſaluationis ſuæ pia commercia, quomodo nullis ſuis præcedentibus meritis ſit ab iniquitate ſaluata, ſed ſola Dei bonitate gratuita Chriſti ſanguine redempta, & dicat: *Magnificat anima mea Dominum: ſic enim Deus dilexit mundum*, ait Euangelium, *vt Filium ſuum vnigenitũ daret.* Hinc namque, & Apoſtolus. *Qui proprio*, inquit, *Filio nõ pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* O miræ pietatis affectus! O ineſtimabilis ardor charitatis! Quis ante tantę pietatis diuitias nos obſtupeſcat? Quis ante tam inefabilem charitatem non contremiſcat? Quis vnquam poſſet ſperare, vt ex Deo ante tempora natus, naſceretur pro hominibus in tẽpore, ex fœmina homo factus? Vnde ſcriptum eſt: *Cùm venit plenitudo tẽporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factus ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Quis, inquam, poſſet æſtimare, vt portaretur manibus fœmineis portator orbis, panis Angelorum aleretur, virtus cœlorum infirmaretur, vita omniũ moreretur? Magnificet ergo in his anima glorioſiſsimę MARIÆ Dominum, magnificet, & noſtra,

*Luc.* 1.

*Luc.* 1.

*Pſal.* 33.

*Pſ.* 105.

*Pſal.* 56.

*Luc.* 1.

*Ioann.* 3. *Rom.* 8.

*Gal.* 4.

Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, gratias illi agamus, quoniam per eiuſdem Redemptoris noſtri mortem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cæleſte Regnum vocati ſumus. Qualiſcumque igitur anima ſancta talibus fuerit incitamentis occupata, nihil concupiſcit terrenum, nihil tranſitorium, nihil quod ad tempus arrideat, nihil quod ad præſens delectat. Hæc riſum luctum computat, & gaudium in mœrorem commutat, cui mundus carcer, cœlumque habitatio eſt; cui exultatio de præſentibus nulla eſt, quia in illo tantùm gaudere appetit, qui ſuper omnes eſt. Vnde in ſancto Cantico cùm diceret Virgo glorioſa: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus*; ſignanter addidit, *in Deo ſalutari meo.* Ac ſi diceret: Anima mea, quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, ſed in illo tantùm exultat, quem amando magnificat. Noverat enim eſſe aliam vituperabilem exultationem, qua mundus gaudere dicitur tendens ad luctum, & de qualibus Salomon ait: *Lætantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Hinc & Apoſtolus: non quodlibet gaudium in ſanctorum cordibus eſſe deſcribit, ſed *in Spiritu Sancto.* Hinc Dauid cũm diceret: *Gaudete iuſti*, ſubiunxit, *in Domino.* Hinc cum Domino diceret: *Gaudebunt labia mea, dum cantauero*: addidit *tibi.* Hac enim exultatione nullus eorum gaudet, quiſquis de præſentibus tantùm exultat, æterniſque bonis intereſſe non concupiſcit, cui exilium patria eſſe creditur, & mors vita æſtimatur, cui Deus venter eſt, & ornatus, non in moribus, ſed in actu eſt, qui cum laudatur, extollitur & cum vituperatus fuerit, magnis iracundię ſtimulis agitatur, qui cum manſuetis non humiliatur, ſed in ſuperbiæ faſcibus eleuatus, cæteros, quaſi ex alto montis ſupercilio contemplatur. Sed quis hæc ad plenum ita poteſt calcare, vt ab hac exultatione eiſdem vitijs interpellantibus, nec ad momentum ſe credat abſtrahi cùm Scriptura pronuntiet: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem?* Ingemiſce ergo ò ſancta anima, quæcumque in Domino exultas, & quoties te ab hac exultatione abſtractam videris eſſe, dicito: *Ne proijcias me Domine à facie tua, & ſpiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Rede mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Et hic attentiùs intuere, quam exultationem petierit. Quòd enim Hębraicè IESVS, hoc Latinè ſalutaris dicitur. Quę enim hæc lætitia eſt IESV, niſi contẽplatio eius, qualis venturus eſt in gloria ſua? Sciẽdũ verò eſt, quia illi tũc hac claritate po-

*Luc.* 1.

*Prouet.* 1

*Philip.* 4 *Pſal.* 32. & 70.

*Philip.* 3.

*Sapiẽt.* 9.

*Pſal.* 60

potientur, qui hic positi Redemptoris sui vestigia imitantur, & quidem Dominum IESVM legimus doluisse, flevisse, ex itinere fatigatum fuisse, opprobria, & iniurias substinuisse, sputa, flagella, crucem suscepisse, numquam tamen legimus eum risisse, prosperatum in terra fuisse. Hinc planè, hinc in spe gaudent omnes electi, cum cœperint aduersitatibus mundi fatigari, & nullis eius prosperitatibus fallaciter decipi, scientes aliam vitam superesse, per quam possint cœlos penetrare. Hinc est, quod iisdē Dominus ait discipulis suis: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlis.* Sed in his præsuris, atque angustijs nequaquam possent subsistere, & quod his maius est gaudere nisi veraciter in conspectu Dei, & hominum humiles essent. Quibus Dominus eorum ait: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Hinc iterum dicit: *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Hinc etiā Virgo gloriosa beatam se dici ab omnibus generationibus manifestat, eo quod eius humilitatem Deus respexit. Nam subdit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit: vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundū purificauit, paradisum aperuit, & hominū animas ab inferis liberauit, o inquam, verè gloriosa MARIÆ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cœli constituitur. Facta est certè humilitas MARIÆ scala, celestis perquā descendit Deus ad terras. *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et quid est dicere. *Respexit*, nisi com prouauit, placuit ei humilitas mea? Vnde per Prophetam Dominus dixit: *Ad quē respiciā nisi ad pauperculum, & humilem, & tremē tē sermones meos?* Hinc Dauid Domino dixit: *Quia respexisti humilitatem meā, saluasti de necessitatibus animā meā.* Multi quidem videntur in conspectu hominum humiles esse, vt ab eis beatificentur; sed eorum humilitas à Domino non respicitur, quia falso, & nō verè de humilitate gloriantur, Si enim veraciter humiles essent, Deum ab omnibus, & non se velint laudari. Non in hoc mundo eorum spiritus exultaret, sed in Deo salutari. Humilitatem suam non ab hominibus cōspici, sed à Deo optarent. Sequitur in hoc sancto cantico *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctū nomen eius.* Quæ tibi magno fecit. Domina, quæ, gloriosa Virgo vt dici beata merearis? Puto enim, imo veraciter

*Math.* 5.

*Mat.* 11.

*Math.* 5.

*Lucæ* 1.

*Esai.* 66.

*Psal.* 30.

*Lucæ* 1.

credo, vt creatura ederes creatorem, famula Dominum generares, vt per te Deus mundū redimeret, per te illuminaret, per te ad vitā reduceret. Hucusque Virgo beata de te ipsa, quæ nos ad amorem Dei accēderent, fideliter protulisti, ea verò, quæ sequuntur, humano generi prophetasti. Meum autem votum extitit, ea tantum inde transcurrere, quæ ad tui laudem nominis pertinebant. Sed hęc, quæ de te ipsa narrasti, neq; tu, vt dignitas tua meretur dicere potuisti. Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperādi editum inuenit? Accipe itaq; quascunq; exiles, quascumq; meritis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orādo excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus. Accipe, quod offerimus, impetra, quod rogamus, excusa, quod timemus: quia nec potiorem meritis inuenimus, quam te ad placandā iram iudicis, quæ meruisti esse Mater redemptoris, & iudicis. Succurre ergo miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro monachorum choro. Exora pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque deuotè celebrant tuum nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit prius affectus super cœlorum peregrinis. Et cùm te lætantem semper aspicis, fletus nostros quæsumus ipsa ad Deū admittas, eūque vt propriū filiū pro nobis interpelles. Nos enim ad huc in hac terra affligimur, persequimur iniurijs lacessimur, oprobrijs afficimur, esurimus, sitimus, somnū patimur, in carcere retinemur. Tu verò in cœlestibus regnis prælata es cunctis Virginū choris, tu agnū, quocūq; perrexerit sequeris, tu virgineos choros, & ab incentiuæ carnis illecebris alienos per albē tia lilia, rosasque vernantes ad fontes perennis vitæ potandos inuitas. Tu in illa beatorū fœlicissima regia primi ordinis dignitatem adepta plātis roscidis oberrās, inter paradisi amœnitatem, gramineosq; crocos tenero poplite pergis, fœliciq; palma violas immarcescibiles carpis. Tu concinis sine fine choris coniuncta summis Angelis, Archangelisq; sociata indefessa voce sanctus clamare non cessas. Tu in cubiculo Regis beatitudinē gē mis ac margaritis ornata assistis. Tibi tronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis, teq; ipse rex regum, vt Matrem veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat. Nec mirum si digne tur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum toties osculata es in terris. Has ergo tuas fœlicitates possidens, conuertere ad nostrarum miseriarum salutem. Inter hæc igi-

*Apoc.* 14.

tur, fratres cum toto mentis affectu B. Virginis nos intercessionibus committamus, omnes eius patrocinia omni nixu imploremus, vt dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus vbertatis impendere suffragium. Sed quia nobis prodest hanc interpellare vocibus: nisi etiam humilitatis eius exempla teneamus? Curemus ergo, dilectissimi fratres, vt cum huius diei festiuitati interesse cupimus, vestimentis humilitatis, atque charitatis induti appareamus, non nos inuidia alienæ fœlicitatis torqueat, non ira vsque ad diuisionem dilaniet, non cupiditas Christum à nobis excludat, non sæculi tristitia exurat, non prosperitas eius incautè decipiat, non luxuria inquinet, non immunditia polluat, non elatio corrumpat, non superbia inflet, vt dum vos virtutibus ornatos, charitate cõiũctos, humilitate fundatos, beata Dei genitrix suæ nos interesse festiuitati prospexerit, ardentius nobis subuenire festinet apud filium, & Dominũ suum IESVM Christum, Deum, & Saluatorem nostrum, qui coronis perennis Regni glorificat sanctos suos, & æterna laus, & expectatio omnibus electis, ipsi gloria, virtus, potestas æterna, & nunc, & semper, per immortalia secula seculorum. Amen.

*Eiusdem in eodem festo, Homilia 4.*

AD interrogata de Virginis, & Matris Domini resolutione temporali, & assumptione perenni, quid intelligam responsurus te Deus omnipotens Pater voto supplici exoro, vt qui mandas nubib s, & pluunt imbres, *qui tangis montes, & fumigas*, qui aperis terram, & germinat: quid dicam iubeas, quid proferam præbeas: ad quid sermonem dirigam aperias. Venerabile est enim mihi Dñe, & præcordijs meis renerendissimum de Matre filij tui loqui, & de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, quæ sola meruit Deum, & hominem paritura suscipere, facta tronus Dei, & aula Regis æterni, secundùm quod nos docuisti per sanctos tuos Patriarchas, Prophetas: & Apostolos, figuris, & sermonibus: quibus credimus, & certi sumus, quia nũquam fefellisti, qui nec fallere, nec falli nouisti, ostendens filium tuum coæternum, tibi, & consubstantialem, incarnandum, & incarnatum per Virginis vterum, de qua carnem assumpsit, qui corporalia cuncta tecum creauit Auctor, administrator, & Deus: ab homine factus est homo, ab ea naturam sumens, non originem, sanctificante Spiritu Sancto tuo in ea verum humanum, & purificante, atque mundante ad conceptionem Filij tui, cuius dignitatis, & A gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere. Non enim talis conceptus, talisque partus, nisi Deum decuerat, qui venerat redimere, quos voluit creare; creare profecto potestate, redimere humilitate: humilitatis naturam sumens sanctam, de sanctificato corpore, & immaculatã de immaculato. Ineffabilem enim sanctificationis gratiã, quam concipiendus prębuit conceptus, & natus non abstulit. Quæ quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de eius natura naturam suscepit, quam condidit. Per quem te quæso, Domine, quia per illum bona cuncta tribuis, quæ vt tribuas eligis, vt me inoffense de tanta sanctitate loB qui tribuas: & si non totum, vt est, quod impossibile omni linguæ humanæ est, tamen ipsum ex parte, quod est, dicatur vt est. Sonet ergo preciosissimum sui preciositate, sanctissimum certa sanctitate, inæstimabilissimum fidelissima veritate, quæ quia humanam rationem excedunt, spiritus tuus adsit, qui suo sacro spiramine inducat nos in omnem dicendorum veritatem.

Et quia de eius corpore, & anima loquendum est, quod ipse præter naturalem vsum sanctificauit, & gratiam contulit, non aliena C nos dicere patiatur, sed propria, ad laudem, & gloriam tuam Deus omnipotens pater, & ad honorem filij tui per Virginem nati, & eiusdem Spiritus Sancti Dei, & Domini nostri, cum quo est tibi regnum, & imperium in omnia secula seculorum, Amen.

Quia profundissimè, & sua dignitate altissimè sum responsurus quæstioni, lectorem meũ obsecro, vt pro me deprecetur, & si quæ à me pleniter dicta cognouerit, donis Dei gratus existatat: sin autem minus, vt nostræ compatiatur humilitati: quia licet minus valeamus, vera tamen proculdubio volumus. De sanctissimo igitur corpore perpetuæ Virginis MARIÆ, eiusque sacræ *Ioan. 19.* animæ assumptione quantum Dominus donãuerit loqui suscipientes, hoc primum dicimus, quòd in diuinis scripturis postquam D Dominus in cruce Matrem discipulo commẽdauit, & castis castitas tueretur obsequijs, nihil de ea reperitur, præterid, quod Lucas *Act. 1.* commemorat in actibus Apostolorum, commemoratis eisdem Apostolis nominatim dicens: *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & MARIA Matre IESV, & fratribus eius.* Hoc dicimus, quia tantò quæ magna existunt, cautius tractanda sunt, quantò specialibus authoritatum testimonijs non possunt ad liquidum roborari. Sed quia quædam scriptura sancta indignationum studijs querenda reliquit, nõ sunt superflua æstimanda, dum vera in ratione fuerint patefacta. Fœcunda est enim veritatis authoritas, & dum diligenter discutitur

de se

de se gignere, quòd ipsa est cognoscitur. Sæpe enim discussa veram conuenientiam parit, quam manifestis sermonibus abscondit, & sæpe apertis sermonibus insinuat, in quibus nihil præter id quod sonat quærẽdum inuitat,
*Matt.* 1. vt est illud, quod Abraham *genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, genuit Iudam, & fratres eius.* Et cætera talia, in quibus sola tenenda est littera. Quædam autem sic commendat, vt pariter litteram, & mysticum intellectum insinuet, vt in transitu maris rubri, manna cœlesti, & tabernaculo Dei, atque arca testamenti, vbi futurorum figura baptismi, scilicet, Christi, & Ecclesiæ ostensa est prærogatiua. Quædam tantum mysticè, vt cum Deum dicit insuflasse in faciem Adæ *spiraculum vitæ*,
*Genes.* 1. qui tamen os ad spirandum non habet, nec manus ad operandum, licet dicat Propheta:
*Iob* 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.*

Sunt etiam quædam, quæ quamuis commemorari ex toto omissa sint, vera tamen ratione creduntur, ad quod ipsa conuenientia rei quodammodo redundare videtur, quemadmodum Dux, & præuia creditur. Nihil enim de Melchisedech Sacerdotis Dei excelsi iusti tia loquitur, cum ipsa præcessisse tantæ laudis merita cognoscatur. Nihil de Eliæ, & Enoch postquam rapti sunt vitæ fœlicitate commendat, cunctis liquido scientibus eos Beatè viuere, quos Dominus hìc in futurum saluando voluit rapere. Quid ergo de MARIÆ morte, quid de eius assumptione dicendum est, vnde diuina scriptura nihil commemorat, nisi quærendum ratione, quod conueniat veritati: fiatque ipsa veritas authoritas, sine qua nec est, nec valet authoritas? Mèmores enim conditionis humanæ, mortem eam subijsse temporalem dicere non metuimus, quàm idem certè eius filius, qui & Deus, & homo est, lege sortis humanæ substituit, & hoc, quia homo de eius susceptus, & profusus est vtero.

Sed si dicimus eam mortis teneri vinculis, & resolutam in communem materiam vermium, & cinerum, librandum est, si hoc conueniat tantæ sanctitati, tantæ nulæ Dei prærogatiuæ. Scimus enim dictum primo parenti:
*Genes.* 3. *Quia puluis es, & in puluerem ibis.* Quod si de morte dicitur, generalis est sententia, si de resolutione in puluerem, hanc conditionem Christi caro euasit de carne MARIÆ sumpta, quæ corruptionem non substinuit. De hoc enim scriptum est per Prophetam dicentem,
*Psal.* 15. *Quoniam nõ derelinques animam meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* De quo autem sancto dictum sit, Archangelus prodidit, qui ad MARIAM ait:
*Luc.* 1. *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Vere sanctum, & sanctum sanctorum, vnde & ille sancta sanctorum dicuntur,

A quæ illa seruabant, quibus ille figurabatur, qui veraciter solus sanctus sanctorum dicitur. Hic enim est de quo idem Archangelus Gabriel Danieli loquitur inter cætera, quæ futura ostendit, dicens: *Et impleatur visio,* *Dan.* 9. *& prophetia, & vngatur sanctus sanctorum.* Hic enim sanctus corruptionem non vidit, qui tertia die cum triumpho de inferis redieus resurrexit. Caro eius, quæ de MARIA sumpta est, etsi mortua est ex infirmitate, re
*2. Cor.* 13. vixit ex Dei virtute. Sed hoc ille, qui quando voluit mori, quando voluit resurgere potuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de Virgine sumpta natura. Quod si non MARIÆ congruit, congruit tamen filio, quem
B genuit IESV.

Post hæc, quæ Adæ dicta sunt, de quibus excipitur MARIÆ filius, contuenda sunt, quæ etiã Euæ dicta sũt, si cũctis fœminis sint generalia, & si in aliquo excipiatur MARIA scriptum quippè est: *Mulieri quoq; dixit Deus,* *Genes.* 3. *multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ærumnam MÆRIA substinuit, cũius animam gladius passionis Christi, pertransiuit, sed conceptus non multiplicauit, nec sub viri, id est, mariti potestate degnit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit, & virginitatis integritate manẽte Virgo per
C mansit. Quem quia sine peccati colluuione, & sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit, & sine integritatis violatione pudore virginitatis integra permãsit. Hoc enim potuit efficere de matre, quia sic Deus elegit nasci de homine; MARIA ergo, etsi cõmunicat ærumnis Euæ, non communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc singularis sanctitas eius, & singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter æstimata est digna, non immerito ergo excipitur à quibusdam generalibus veraæstimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærrogatiua. Quantum enim Christi potestas potsit, mundi ostendit vniuersitas, quantum gratiæ MARIÆ, monstrat integritas, quæ sicut diuersa est à natura, ita diuersa est ab vsu. Quid ergo si in tanta diuersitate eam di-
D cimus humanæ sortis mortem obijsse, nec tamen eius vinculis retineri, per quam Deus voluit nasci, & carnis substantiam communicare, nunquid impium erit? Scimus enim IESV Momnia posse, qui de se ipso, ait: *Data* *Matt.* 28. *est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.*

Si ergo voluit integram Matrem virginitatis seruare pudore, cur non vellit incorruptam à putredinis seruare fœtore? Dicat ergo, qui cognouit sensum Domini, & qui consiliarius eius fuit, nunquid nõ pertinet ad benignitatem Domini Matri seruare honorem, qui legem *non soluere venerat, sed adimple-*

re?

*Matt. 5. Exo. 20.* ne? Lex enim sicut honorem Matris præcipit, ita in honorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere, singulari saluatione eam in morte, & speciali gratia honorasse. Potuit enim eam à putridine, & puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit, Virginem reliquere? putredo namque, & vermis, humanæ est opprobrium conditionis, à quo approbrio cum IESVS sit alienus, natura MARIÆ excipitur, quam IESVS de ea susceptisse probatur. Caro enim IESV caro est MARIÆ, & multò specialius, quàm Ioseph. Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat: *Frater enim, & caro nostra est.* Caro *Gen. 37.* enim Christi quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cœlos Ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit, & manet natura, quæ susceptа est de MARIA. Ipse enim est, qui cõceptus, genitus, atque à mortuis suscitatus est per gloriam Patris, sicut profecto ipse testatur post *Luc. 24.* Resurrectionem quando Apostolis dicit: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Quid enim est, ego ipse sum, nisi quia alter non sum, quàm tunc eram quando passus sum? Et hoc siquidem cognoscere potestis, qui in manibus, & pedibus meis clauorum figna clarè videtis. Ipse ergo, idemque cœlos ascendit, & carnem, quam de Matre susceptit super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam, sed multò magis maternam. Si igitur natura Matris est filius, conueniens est, vt sit, & filij mater, non qua tum pertinet ad æqualem administrationem, sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substantiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ, & substantiæ: si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ, quantò magis vbi gratiæ vnitas, & corporis est specialis natiuitas? vnitas namq; gratiæ est, vt discipulorum in Christo, de quibus ipse dixit: *Pater* *Ioan. 17.* *sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, volo vt sint vnum, sicut, & nos.* Et ite- *Ibidem.* rum de omnibus iustis: *Non pro vobis autem rogo tantùm, sed & pro his, qui credituri sunt per verbum eorũ in me, vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te.* Hoc est, vt ipsi sint per gratiam, quod nos sumus per diuinitatis naturam. Hæc quippè gratiæ vnitas, quæ cunctis in Christo credentibus seruatur, si MARIÆ etiam manus sapientiam æstimatione non tollitur, quantò magis cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem, & filium? Videndum est etiam, quid de his, quos secum per gratiam vnum esse voluit, consequenter adiunxit, ait enim: *Pater quos dedisti mihi volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem, quam dedisti mihi.* O magnam, & inæstimabilem bonitatem Dei, qui habere sui suos in gloria vult, vt sua charitate fruantur, qui his sua fide iunctis, vna cum eo esse digni iudicantur. Si igitur eos secũ habere vult, & hoc potest, qui omnia potest: quid æstimandum est de matre vbi digna sit haberi, nisi in præsentia filij?

Quantum igitur cõtueor, quantũ intelligo, quãtũ credo, MARIÆ anima claritate fruitur Christi, & glorioſis cõspectibus cũ sẽper videre fitiens, & sẽper cõspiciẽs, dũ inest mabiliter pascitur, excellentiori quadam, specialique prærogatiua à filio onoratur, possidens in Christo corpus suum, quod genuit, clarificatum in dextera patris, & si non suum, per quod genuit tamen suum, quod genuit. Et quare nõ suum, per quod genuit? Si nõ obuiauerit necdum perfecta authoritas, verè credo, & per quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior cœlo est, quàm terra thronum Dei; thalamum Domini, Domum, atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, vbi ipse est. Tam pretiosum enim thesaurum dignius est cœlo seruari, quàm terrá. Tantam integritatem meritò incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vnuit, nõ amittens, quod erat, sed assumens, quod non erat, vt Verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, esca vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. De quo nihil altius sentirem, quam de proprio nihil dicerem, nisi quem admodum de proprio, quod absque vlla ambiguitate soluendum est in mortem, post mortem est futurum putredo, post putredinem vermis, post vermem, vt dignum est abiectissimus puluis. Quod de MARIA credendum non videtur, nec æstimabile: quia æstimationem procul pellit incomparabilis gratiæ munus.

Quod me dicere multarum consideratio rerum inuitat, quarum, & illa quidem est, quam suis alibi ministris, ipsa Veritas, ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego* *Ioan. 12.* *sum, illic, & minister meus erit.* Si enim hæc est generalis sententia omnium, per fidem, & bonam operationem Christo ministrantium, quantò magis quodammodo, & specialius est MARIÆ, MARIAM namque operis exhibitione, & fides rigidissima veritate ministrã Christi fuisse, omnis, qui sanè sapit, intelligit. Absque dubio enim omni opere ministratrix extitit, qui hunc in vtero gessit, partu- *Luc. 2.* que profusum aluit, & fouit, atque, vt Euan- *Matt. 2.* gelium, ait, in præsepio reclinauit, & á facie Herodis in Ægyptum fugiens abscondit, & omnem infantiam eius matris affectu ita pro

secuta

secuta est, vt vsque ad crucem, in qua Filium iam virum perfectum vidit pendentem, ab eius indubitanter ministerio non recesserit, consequuta non solùm gressibus pedum, tanquam pro amore filij, verum etiam imitatione morum, tanquam pro reuerentia Dei. MARIA ergo ministra Christi spiritualium operum qualitatibus sicut deuotissima extitit, ita absque dubio religionis fide, & verè credulitatis charitate secutrix fuit. Non enim potuit eius diuinitatis non esse credula, quæ se nouerat hunc non virili semine secundùm ordinem naturæ, sed diuino spiramine, nunciante Archangelo concepisse, videns semper famulantium Angelorum ei adesse frequentiam, vt concepto, & nato, quando videlicet facta est cum Angelo, multitudo cœlestis exercitus clamantium, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et in Ægyptum fugitare, atque inde iterum redituro, quibus liquido cognoscere potuit, quia talia obsequia nõ nisi Deum decuerant. Vnde, & stella demonstratio, & Magorum de longinquis partibus insperata adductio maximum illi extitit indicium veritatis. Similiter, & Simeonis, & Annæ Prophetali dignitate insolitus cæteris, & huic specialis occursus. Quæ omnia profecto MARIA conseruans, his cunctis actibus ad fidem roborata, pio corde conferebat, in tantum omnino non nutabunda, sed certa de filij potestate, tanquam de Dei vera virtute deficiente vino in nuptijs dixerit: *vinum non habent*, sciens plane hoc illum potuisse, quod cum mox contigit diuino miraculo complenisse. Ecce igitur MARIA fide, & opere Christi administratrix, & deuota vsque ad eius mortem secutrix, non plus gressu, quàm imitationis affectu, vt credendum est si ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos vult esse, vbi ergo erit? Et si ibi erit, nunquid æquali gratia? Et si æquali gratia, vbi ęqua Dei censura, quæ vnicuque reddit secundùm sua merita? Si ergo meritô MARIÆ viuenti præ omnibus donata est gratia, mortuæ erit minuenda? Absit. Quia si omnium sanctorum *mors est pretiosa*, MARIÆ sanè est pretiosissima, quam tanta comitata est gratia, vt Mater Dei dicatur, & sit.

Consideratis igitur his vniuersis, vera ratione confitendum censeo, MARIAM, in Christo, & apud Christum esse in Christo, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: apud Christum gloriosè ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam cæteris, quam hic gratia honorauit præ cæteris, nec vsque ad communem humilitatem esse adductam post mortem, putredinis videlicet, & vermis, & pulueris, quæ suum, & omnium genuit Saluatorem, in cuius, si potestate est, sanctorum de capite capillum non perire, est & illam animã, & corpore integram posse seruire. De cuius potestate si nullus dubitet Ecclesiasticorum, quin posset matrem sine corruptione in perpetuum seruare, cur dubitandum est voluisse, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam? Si elegit diuina voluntas sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solùm puerorum corpora seruare illæsa, verum, & ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Ionam seruare in ventre ceti præter naturalem vsum voluit incorruptum sola misericordia, MARIAM incorruptam præter naturam non seruauit gratia? Seruatus est Daniel, ab intemperantissima fame leonum, non seruanda est MARIA tantis donata meritis dignitatum? Hæc cuncta quæ diximus, quia naturam non seruasse cognoscimus, in MARIÆ integritate plus potisse gratiam, quàm naturam non dubitamus. Diuinitatis enim sunt opera, quæ dicimus, & ideo possibilia, quia sunt ab omnipotentia. Christus autem Dei virtus est, & Dei sapientia, cuius omnia, quæ patris sunt, sua sunt, & velle: velle autem omnia, quæ sunt iusta, & digna. Sic per hoc dignè videtur lætari MARIA lætitia inenarrabili anima, & corpore in proprio filio, per proprium filium, nec vllam sequi debere corruptionis ærumnam, quam nulla secuta est tantum filium pariendo integritatis corruptio, vt sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia, sit integraliter viuens, quæ omnium integram, perfectamque genuit vitam, sit cum illo, quem in suo gessit vtero, sit apud illum illa, quæ genuit, fouit, & aluit illum, MARIA Dei Genitrix Dei ministratrix, Dei secutrix. De qua, vt iam dixi, quia aliter sentire non audeo, aliter dicere non præsumo.

Suscipiat igitur hunc sensum charitas vestra, quem sanctus Spiritus inspirauit. Offensa sunt in parte, quæ taliter horrata sunt medicere. Si quis autem refragari his elegerit, cùm dicere non vellit, hoc non posse Christum, proferat, quare non conueniat velle, ac per hoc non esse, & cùm se veraciter consilium Dei de his nosse manifestauerit, incipiam credere, de quibus aliter non possum sentire, miraborque illum altitudinem consilij diuini inuestigasse, quam mecum Apostolo digna reuerentia videor debere admirari dicente: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ, Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Et quia secundùm eundem Apostolum: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Dixi de his, etsi non quantum est, tamen quem admodum me dicere debuisse credidi. Si ergo vera sunt, quæ scripsi, tibi gratias ago Christe, quia de sancta Virgine Matre tua, nisi quod pium est,

*Luc.* 2. *Matt.* 2. *Luc.* 2. *Ioan.* 2. *Psal.* 115 *Actor.* 16 *Luc.* 21. *Dan.* 3. *Ioan.* 2. *Dan.* 6. & 14. *Rom.* 11. 1. *Cor.* 13

est, ac dignum visum sentire non potui? Si ergo dixi, vt debui, approba Christe tu, & tui: si autem non vt debuit, ignosce obscero tu, & tui: Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas per omnia secula seculorum, Amen.

*Ex milleloquio eiusdem S. Augustini in Verbo MARIA.*

*Tract. 8. tom. 1. 10* MARIA virgo. MARIA mulier dicitur singulariter mirabilis, super Ioannem. MARIA dicta est mulier, secundùm femineum sexum, non secundùm corruptionem virginitatis: quia inde cœpit dignitas virginum.

*Et ideo in sermone secundo, de natiuitate Domini.* Malum mundo venit per fœminam, imo & per fœminam bonum: quia si per Euã cecidimus, per MARIAM stamus: per Euã prostrati, per MARIAM erecti: per Euam seruituti dati, per MARIAM liberi effecti: Eua nouis sustulit diuturnitatem, MARIA nobis reddidit perpetuitatem: Eua nos damnari fecit per arboris pomum, MARIA nos absoluit per arboris donum: quia Christus in ligno pependit, vt fructus. Igitur sicut per arborem mortui, ita & per arborem viuificati. *In sermone decimo septimo, de natiuitate Ioã nis Baptistæ.* Primus noster casus fuit cùm serpens peccatum persua sit, & admissus est malè suadens, & fœmina concepit in corde venena serpentis. Non ergo mirandum, quia salus nostra facta est cum fœmina concepit inviolato carnẽ omnipotentis. Vterque cecidérat sexus, vterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus, per mulierem nobis reddita est salus.

*In sermo tertio de Assumptione Virginis subdit ibidem.* Infœlix Eua per quam data est mortis occasio, imo fœlix MARIA, per quam tributa est gratia vitæ. Fœlix Eua per quam natus est populus, fœlicior MARIA per quam natus est Christus. *In sermone quarto de Assumptione Virginis.* Præcisum est in MARIA illud Euæ infelicitatis elogium, de quo dicitur, in tristitia paries filios: quia ista in lætitia parturiuit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrimas, MARIA gaudium in ventre portauit, quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Vnde omnes mulieres debẽt gaudere, in sermone quarto eiusdem diei. Exultent virgines, Virgo peperit Christum: Nihil in ea quod vouerunt, putent exterminatum, quia mansit Virgo post partum. Exultent coniugate solemnia Beatæ Matris frequentantes, Elisabeth coniugata, à Virgine Domini matre est salutata. Exultent viduæ natalem Virginis celebrantes. Anna vidua virginem matrem agnouit. Exultent pueri continentiam vouentes Christo. Ipse verò integritatem pueritiæ conseruauit, qui suæ matri fœcunditatem attulit, & virginitatem non abstulit. Et quia Christi mater: *Ideo in sermone primo, eiusdem diei.* Magnum meritum, magnum donum, magna gratia. Ancilla peperit Dominum, creatura peperit Creatorem: visceribus fœcundis, & genitalibus integris. Virgo Mater Dominum effudit in terris: concipiens Virgo, pariens Virgo, permanens Virgo perpetua. Quid miraris hoc homo? Deum sic nasci oportuit, quando dignatus est esse homo. *Et in sermone tertio supradicto.* Mater generis nostri pœnam intulit mundo, mater Domini nostri salutem attulit mundo: Auctrix peccati Eua, auctrix meriti MARIA: Eua occidendo obfuit, MARIA viuificãdo profuit, percusit illa, sanauit ista: per inobedientiam enim obedientia commendatur, fides pro perfidia compensatur. *In sermone duodecimo, de Ascensione Domini.* Si natura mundi grauida, iussu Dei Virgo parere potuit, ac nullam ibi signum corruptionis accessit, sed sine seminibus semina, fecit cur terram illam sanctam, id est, Virginem MARIAM, ex qua Christus, & nasci voluit, & exire, non credis in visceribus suis sine viro potuisse concipere, & sine corruptionis vitio generare? Ita verò Christus in Matre sua conseruare non potuit, quod in terra fecit? Fuge, fuge omnino suspitionem, vbi audis præsentiam Diuinæ Maiestatis.

*Et vt dicit libro de fide, & Symbolo, quem scripsit in Affricano Concilio.* Hipponiæ celebrato. Detestandi etiam sunt illi, qui Dominum nostrum IESVM Christum Matrem MARIAM in terris negant habuisse: cùm illa dispensatio vtrumque sexum, & masculinum, & fœmininum honorauerit, & ad Dei curam pertinere monstrauerit, non solùm quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de fœmina. Nec nos ad negandum Christi Matrem cogit, quod ab eo dictum est. Quid mihi, & tibi est mulier, nondũ venit hora mea: Sed admonet potius, vt intelligamus secundũ Deum, non eum habuisse matrem, cuius maiestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum conuertendo. Quod autem crucifixus est, secundùm hominem crucifixus est, & illa hora erat quæ nondum venerat, quando dictum est. Quid mihi, & tibi, nondum venit hora mea, id est, qua te cognoscam, tunc enim, vt homo crucifixus, cognouit hominem matrem, & dilectissimo discipulo humanissimè commendauit. Nec istud nos moueat, quod cum ei nuntiarentur mater eius, & fratres, respondit. Quæ mihi mater, aut qui fratres? &c. Sed potius doceat ministerium nostrum, quo Verbum Dei fratribus ministramus, parentes cũ impedient, non eos debere cognosci. *In sermone quarto, de eius Annuntiatione.* Quomodo,

*Cap. 4. tom. 3.*

*Ioan. 2.*

modo, inquit, incredulus, sine viro fœta post partum integra? Ad postremum, inquit, Quomodo Virgo fit mater? Quomodo mater, & Virgo fit, mater ipsa dicat, pōsa Dei, arcani cōscia, ipsa quod senserit nuntio interloquēte dicat, ipsa incredulos disputando conuincat, ipsa inimicos suos infideles, & rebelles tanquam potens Regina prosternat. Paruum est quod sponsalibus tantæ Virginis, & tantæ Matris, non exultant, insuper, & insultant? Itane verò, inquit, in principio rerum de terra fieri potuit sine semine caro: aut de costa viri nasci sine turpitudine caro: potest apis sine cō cubitu nasci, & gignere, & matrem simul virginemque proferre Deus non potuit? Virga Aaronis in lege vitalibus abscisa ramis, sine terra, siue radicibus frondescere, & non potuit Deus, & Matrem facere, & Virginem consecrare? Spiritum Angelo loquente sensi, virum Deo deuota nesciui, nec dolores in partu sustinui: Deus me glorificare voluit, non fœdare: non potuit lacerari pudor meus, per quam nasci voluit homo Deus. Erubesce iam perfidæ & Reginæ orbis, simul & cœli captiua colla submitte. Per hanc tibi Deus succurrere voluit, nō nocere. Sic Christus nasci debuit prout voluit: nec maiestas illa potuit poluere quā trāsiuit: Mater hoc credidit, quod inuenit. Sic per vterum Virginis Deus exiuit ad mundum, vt pudorem Virginis seruaret illæsum. Adsint nunc quoque Virgines simul, & matres, quæ vterum mentis fide cōpleant, gestuque decora modulantibus sonis celebrēt festa diei, atque ante huius Virginis thoros frequentent dulcia cantica dramatis. Orbis audiat, gaudeat mundus, terra coniungat se cœlo, quia natus est Deus in carne: signum virginale permānsit, & omne seculum in Christi natiuitate reuixit. Bis natus est Dei filius, & ex patre ante secula, & nunc secundo in mūdo, qui perierat ex matre. Age nunc familia Christi hodie quæcumque recta cupis postula beneficia: quicquid enim in puerperio Dominæ tuæ popposceris, facilius impetrabis. *In libro de Symboli expositione, & Dominicæ orationis, serm. secundo.* Secundùm fidem sanctarum scripturarum, MARIA Virgo sine naturali semine concepit Deum. Quia qui venerat abolere malum originale, quod trahimus omnes nati ex commistione maris, & fœminæ, conueniens erat, vt lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia. Virgo autem idcirco peperit, quia sicut decebat, vt vulua Virginis, quæ Verbum Domini, vt caro fieret, susceperat, sicut in conceptione nullam corruptelæ libidinem sustinuerat: sic & in parturitione nulla experiretur virginitatis dispendia. Si enim per Verbum Dei redintegrantur corrupta, quantō magis seruantur intacta? Si autem quomodo fuerit quisque requirat, agnoscat fuisse miraculum: si quemadmodum gestum est, potuerit inuenire quæsitum. Exceptos ordines rerum quos Deus intexuit à principio creaturarum, quis possit rationis inuenire discursum (Quicquid mirabiliter extra cursum ordinatum facere voluerit, credi potest, inuestigari non potest) Sed quomodo effecta fuerit mater, in sermone secundo, de eius Natiuitate. Quia intactus permanet vterus meus. Contingat mihi, ò Gabriel Archangele secundùm Verbum tuum. Veniat ad cubiculum suum, qui in sole posuit tabernaculum suum. Oriatur mihi Virgini permanenti Sol iustitiæ, cuius est æterna, & permanet sanctitas, cuius perpetua castitas, vt floreſcēs mea perduret integritas. Egrediatur sicut splendor iustus Deus, & Saluator sicut facula accēdatur. Solis facula totum orbem illustrat, & quæ forsitan obstare videntur radijs suis specularia Sol penetret, & nihil penitus dissipet. Procedat iam ad oculos hominum speciosus forma præ filijs hominum. Procedat velut sponsus de thalamo suo, quia secura facta sum de proposito meo. Quis istam generationem, fratres mei, poterit sermone narrare? quis linguæ facundia valeat explicare? Intemerata seruatur virginitas, soluuntur naturæ dum infans conualescit in Virgine. Dum verò impletum est tempus, vt pareret, expositus est partus sacer, cuius parentem nullus cognouerat. Hæc est ineffabilis conditio nuptialis verbi, & carnis Dei, & hominis. Itaque verè factus est inter Deū, & hominem, mediator Dei, & hominum homo Christus IESVS, & ideo ad pretiosissimum conuiuij thalamum electus est Virginis vterus. Et quia ex se peccatis sordibus squalidus effectus fuerat mundus, veniens Creator mundi ex mundis visceribus effusus in mundo, & nouo miraculo natus in mundo, vt immundum mundus reddat mundum. Venit itaque sicut ait ipse, Filius hominis venit, nō vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Dic mihi iam quæso sancti sanctorum mater, quemadmodum materni odoris lilium conuallium niuei coloris sine succo humanæ propaginis, & sine imbre carnalis seminis in sinu Ecclesiæ geminasti? Dic mihi quæso vnica Mater, quibus manibus, vel quo Deitatis articulo in vtero tuo formatus est Filius, cuius Deus solus est pater? Dic obsecro te per eum, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te. Dic, in quam, mihi quid boni egisti, quantum præmium obtulisti, per quas potestates ambisti, quos patronos habuisti, quæ suffragia præmisisti, quo sensu, vel qua cogitatione ad hoc vt acciperes peruenisti, vt & virtus, & sapientia patris, quæ attingit à fine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suauiter, totus vbique manens, & sine vlla sui mutabilitate in vterum tuum veniens, ita castel-

*Ioan.*

stellum castum tui ventris incoleret, vt & ingrediens non læderet, & exiens incolumem custodiret? Dic mihi quomodo ad hoc peruenisti? Et illa. Quæris à me quod obtulerim munus, vt mei mater efficerer Creatoris. Oblatio mea est virginitatis promissio: non à me mihi data, sed ab ipso mihi authore bonorum omnium concessa. Omne enim datum optimũ, &c. Oblatio mea est humilitas mea, & ideo. Magnificat anima mea, &c. Non auro eleuatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri ornamentum ceruicis meæ, aut pretiosorum lapillorum, aut margaritarum dependentium aspexit in auribus meis, aut gemmarum splendorem attendit, nec succi mundati colorem: sed respexit humilitatem ancillæ suæ. Venit enim ad humilem mansuetum spiritum, sicut fuerat hactenus vaticinio Prophetæ præuisum, qui ait. Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & mitis, sedens super nubem leuem, id est, super MARIAM Virginem, quam tibi ipse exhibuit sine corporis pondere Genitricem. Venit inquam, mansuetus, requiescens super maternum sinum humilem, & quietum, trementem verba sua. Venit igitur mansuetus, implens cœlos, transiliens per humilem ad superbos, & cœlos non derelinquens, & inflatos tumore superbiæ appositio humilitatis remedio velut emplastro, vt mitis medicus ipse curaret. O profunda humilitas, & excellentior altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei: Angelorum panis lactatur vberibus matris. Fons aquæ salientis in vitam æternam, Samaritanæ præfiguranti Ecclesiam aquam postulauit. Conuiuari cum peccatoribus, & publicanis nõ recusabat, cui familiæ cœlestes cum tremore ministrant: reguli filium Rex regum fecit sanum. Narrandi deficit tempus. Noua fecit in seculo, qui nouus venit ad seculum: *Ideo in sermone secundo de eius Annuntiatione.* Dicat MARIA Filio. Ego te genera-
A
ui, & virginitatem meam non violaui. Regnum teneo virginitatis, & Regem genui castitatis. Ingredientem, & egredientem habui in palatio ventris filium Imperatoris, & de manibus meis non amisi clauem Regni pudoris. Porta facta sum cœli; ianua facta sum Filio Dei. Ibidem. O mira, & laudabilis inter fœminas, in qua ab Angelo salutatur virginitas. Sola imprægnata, nec vitiata: exonerata, nec vacuata, quia sic est ab Angelo salutata. Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu, &c. Fœlix vmbilicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis. Consi-
B
dero conceptum tuum Beata Virgo, & expauesco. Intueor pratum tuum, & contremisco, adoro Filium tuum, & reuiuisco. *In sermone tertio de eius Natiuitate.* Hæc pepe-
C
rit non in dolore, sed gaudio, hæc nutriuit Angelorum, & hominum cibum. O quam
D
Beata Mater ista, quæ sine contaminatione vlla concepit munditiam, & sine dolore peperit medicinam. Fœlix Mater per quam nostri generis reparata est vita, quę de cœlo Dei suscepit prolem, & mundo genuit liberatorem, redemptorem à peccatis, & à morte saluantem: quia mirabili, & ineffabili modo, omnium rerum. & suum peperit Creatorem, *Ibidem infra sermone secundo de Assumptione.* Duobus modus dicitur Deus magnificari, id est, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari. Magnificatur enim à nobis, cum magnificari dignatur in nobis. Sed nunquid sic magnificatur in nobis, sicut in MARIA eandem carnem assumpsit pro nobis? *Vnde libro contra quinque genera hæresum, cap.* 5. Solus ad Virginem fabricator, & Dominus venit, vestem quam non habebat, induit: eam sicut inuenit, clausam reliquit. Sicut ille solus natus est inter mortuus liber, sic & istius, ex qua natus est, Matris pudor solus est integer. Eua inobediens meruit pœnam, MARIA obediens consequuta est gratiam. Illa gustando prohibita, maledicta hæc credendo Angelo, benedicta. Illa nobis mortem contulit, hæc vitam peperit. *In tractatu de eius Virginitate, sermone primo.* Dicit Iudæus. Contra naturam, inquit, Manichæus, parere Virgo MARIA non potuit. Sed ecce virga Aaron protulit, quod ante non habuit. Nam non radicata plantatione, nec defossa sarculo, nec animata succo, nec fœcundata seminario protulit, quod ante non habuit. Virga ergo potuit contra naturam nuces educere, & Virgo MARIA non potuit contra naturæ iura Filium Dei generare? Dicat mihi Iudæus incredulus, quemadmodum virga arida floruit, fronduit, & nuces protulit, & ego dicam illi quemadmodum MARIA Dei Filium concepit, & peperit. Sed profecto, nec virgæ conceptum poterit Iudæus explicare, nec Virginis partum: veniat ad Ecclesiam, exponetur ei, vt cognoscat verum ordinem officij naturalis. Virgo peregit tempora pariendi, virga autem non habuit tempora germinandi. Virgo enim decursis nouem mensibus peperit, virga autem alia die, quòd natura nõ habuit, germinauit. Sed Virginẽ dicit Iudæus, parere nullatenus natura patitur. Deus enim, qui mirabile signũ ostendit contra naturam, vt asina loqueretur, ipse mirabilius facere voluit, vt Christus de Virgine nasceretur. Audiat, & versutus ille Manichæus aliud Sacramentum. Solis radius specular penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit, & talis videtur intrinsecus, qualis fuerat extrinsecus. Ita nec cum ingreditur violat, nec cùm egreditur dissipat, quia ad ingressum, & egressum eius specular integrum perseuerat. Specular ergo non rumpit ra-

*Tom. 6.*

*Num. 27*

*Num. 22*

radius Solis, integritatē Virginis ingressus, & egressus numquid vitiare potuit Diuinitatis? *Vnde in Enchiridion.* Virga quæ nuces produxit, imago Dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ vnionem: corium, testam, & nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis, carnem significat Saluatoris, quæ habuit in se asperitatem, vel amaritudinem passionis. In nucleo, interiorem declarat dulcedinem Diuinitatis, quæ tribuit pastum, & lumijs ministrat officium. In testa, lignum intercerens crucis, quod non discernit id quod intus, vel foris fuit, sed quæ terrena, & cœlestia erant, mediatoris ligni interpositione sociauit. *Ibidē.* IESVS Christus Dei Filius est, & Deus & homo. Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo. Deus quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in vnitate personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse, & pater vnum sunt: in quantum autem homo, pater est mator illo. Cùm enim esset vnicus Dei Filius, non gratia, sed natura, vt etiam esset plenus gratia, factus est hominis Filius. Idemque ipse vtrumque ex vtroque vnus Christus, quia cūm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, quòd natura erat, id est, esse æqualis Deo. Exinaniuit autem se, formam serui accipiens, non amittens, vel minuens formam Dei. Ac per hoc, & minor est factus, & mansit æqualis vtrumque vnus, sicut dictum est: sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Propter Verbum, æqualis Patri: propter hominem, minor Patre. Vnus Dei Filius, idemque hominis Filius, idemque Dei Filius: non duo Filij Dei, Deus & homo, sed vnus Filius Deus sine initio, homo ac certo initio, Dominus noster IESVS Christus. Hic omnino granditer, & euidenter gratia Dei commendatur. Quid enim humana natura in homine Christo meruit, vt in vnitate personæ vnici Filij Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur homo iste vna persona fieri cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum? Nempè ex quo homo esse cœpit, non aliud esse cœpit, quàm Dei Filius, & hoc vnicus, & propter Deum Verbum, quod illo susceptō caro factum est, vtique Deus: vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, animal, scilicet, rationalis, & caro, ita sit Christus vna persona Verbum, & homo. Sicut vnicus Patris, ita vnicus Matris. In tractatu supradicto de eius Virginitate. Sunt qui dicunt, quòd Sancta MARIA habuit filios ex Ioseph post partum Domini, quod

*Cap 35. tom. 3.*

A nephas est credere: quia ipsa est porta quam vidit Propheta in domo Domini clausam, de qua dicitur. Quod Dominus Israel ingressus est per eam, & semper erit clausa. Vbieui denter ostendit nobis, quòd Sancta MARIA semper Virgo fuerit, Virgo permanserit: Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. Concepit, & Virgo est: lactat, & Virgo est. Sancta MARIA hæreticè mulier esse potuit, mater esse non potuit? Intumescunt vbera Virginis, & intacta manent genitalia matris. Vtique corrumpi non potuit, quæ integritatem genuit. Magnum meritum, magnum donum, magna gratia. Ancilla peperit Dominum. Creatura peperit Creatorem, filia peperit patrem: filia Deitatis, mater humanitatis: quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Immutabilis est eius maternitas: *Vt probat libro de Sancta Virginitate cap.* 3. Cùm dicit Christus. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, soror, & mater est. Quid aliud nos docuit, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præponere: nec inde beatos esse homines, si iustis, & sanctis carnis propinquitate iungantur: sed si eorum doctrinæ, ac moribus obediendo, atque imitando cohærescant? *Et subdit ibidem.* Beatior MARIA percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, Beatus venter qui te portauit, ille respondit, Imò Beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud. Denique fratribus eius, id est, secundùm carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil MARIÆ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quàm carne gestasset.

B

C

*Tom. 6. Matt. 12*

*Cap. eod.*

*Vnde in eodem.* Non est cur Dei Virgines contristentur, quòd etiam ipsæ virginitate seruata, matres carnis esse non possunt. Illum enim solum virginitas parere posset decenter, qui in sua natiuitate parem habere non posset. Veruntamen ille vnius Sanctæ Virginis partus, omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsæ cum MARIA matrem Christi sunt, si patris eius faciunt voluntatem. Hinc enim, & MARIA laudabilius, atque beatius Mater est Christi, quia fecit voluntatem Patris eius, qui in cœlis est: *Quia vt dicit ibidem.* Mater Christi est omnis anima pia; faciens voluntatem patris eius, fœcundissima charitate, in ijs quos parturit, donec in eis ipse formetur.

D

*Cap. 15.*

*Cap. eod.*

*Propterea capit. sexto eiusdem:* cuius est etiam sententia similis, super Ioannem sermone quarto. MARIA faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem, & soror, & mater. Ac per hoc vna illa fœmina non solùm corpore, verum etiam spiritu, & mater, & Virgo. Et ma-

mater quidem spiritu non capitis nostri, A quod est ipse Saluator, ex quo magis illa spiritualiter nata est, quia omnes, qui in eum crediderunt, in quibus, & ipsa est, recte filij sponsa appellantur. Sed planè mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperta est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore verò mater ipsius capitis. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundùm carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundùm spiritum nascitura. Sola ergo MARIA, & spiritu, & corpore, & Mater, & Virgo. Qua-

*Matt.12* liter sit imitanda ista mater, diffusè ponit in primo sermone de eius Natiuitate. Quicumque fecerit voluntatem patris mei, &c. Notate fratres dignitatem vestram, si adimplentes voluntatem Dei, frangitis voluntatem vestram. Ecce Beata, & venerabilis Virgo MARIA, secundùm carnem quidem Mater Christi fuit, frater non fuit, soror nõ fuit, & quicũque aliquid horum alicui, secundùm carnalis propinquitatis vinculum extiterit, aliud sibi esse omnimodo non valebit. Et nimirum si mater fuerit, frater, vel soror esse non possit. Si verò frater, vel soror extiterit, mater non sit. Nos autem hoc simul omnia Christo per spiritum sumus, si voluntatem Christi, quæ illi semper cum patre communis est, ad-

*Ioan.3.* implere satagimus. Sed quod natum est ex C carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ex illa ergo parte, qua Redemptor Deus noster est, propinqui sibi tam multipliciter sumus, quantum illa Beata Virgo, ex qua nasci dignatus est secundùm carnem, esse non potuit. Proprium etiam, aut singulare fuit illi Beatissimæ Virgini Christum in vulua concipere. Commune verò, & naturale est omnibus electis in cordibus illum deuotione portare. Fœlix illa fœmina, quæ illum nouem mensibus gestauit in ventre: fœlices etiam nos si illum assiduè portare studeamus in mente. Mirabilius quidem fuit Christum concipi in vulua carnis, sed non inferius si deferatur in ergastulo pectoris. Hinc D considerandum est quanta sit dignitas nostra, quantaque nobis sit proportio cum MARIA. Concepit MARIA Christum in vulua carnis, deferimus eum, & nos in visceribus mentis: reficiebat MARIA Christum, cum teneris labris lac exprimeret vberum: reficimus ipsum, & nos in alijs, bonorum delicijs operum. Libet autem nunc pro ædificatione nostra in regulam Diuinæ iustitiæ parumper radios mentis infigere, & qualiter omnipotens Deus electos suos temporaliter sanat, quos extollere decreuerit indagare. Vt enim nunc de cæteris sileam, hæc eadem Beatissima Virgo ante constitutionem mundi consilio æternæ sapientiæ electa, & præelecta; licet & de regali fuerit stirpe progenita, nulla tamen humanæ dignitatis abundauit substantia. Hoc præsepium quippè parturientis indicat: quia diuersorium, in quo pareret, non habebat. Solent autem homines nascentibus pueris futuri successus læta promittere, & eorum auspicijs prospera matribus pronunciare. Beata verò MARIA cùm Filium ad templum deferret, & hunc Simeon in vlnas acciperet, audiuit. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ac si apertè diceret. Dum filius tuus senserit passionem crucis in corpore, te etiam transfiget gladius compassionis in mente. Studeamus, & nos seculi huius blandimenta despicere, rerum terrenarum affluentiam deuitare, carnis incentiua reprimere, crucem Christi quotidie in mente portare, quatenus, vt nunc anima nostra gladio MARIÆ transfigitur, ita cum ipsa post modum de æternæ fœlicitatis dulcedine satietur *Intractatu de consonantia Matthæi, & Lucæ, de generationibus Christi pertractans Euangelium. Cum factus esset IESVS annorum duodecim.* Quod dixit MARIA. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Non est prætermittendum propter disciplinam fœminarum sororum nostrarum, tam sancta modestia Virginis MARIÆ. Christum ipsa pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat. Ecce concipies, &c. Meruerat parere Filium Altissimi, & erat humillima. Nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret. Ego & pater tuus: sed pater tuus, inquit, & ego. Non attendit sui vteri dignitatem, sed attendit ordinem coniugalem: non enim humilia Christus Matrem suam superbire docuisset. Pater tuus, inquit, & ego, quia caput mulieris, vir. Quanto minus debent superbire cæteræ fœminæ? Nam & ipsa MARIA mulier dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione propria gentis suæ: *In sermone tertio de eius Natiuitate.* Virginis MARIÆ nos intercessionibus cõmittamus, eius patrocinia omnes imploremus. Sed quid prodest nobis eam interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis eius exempla teneamus? *In eodem sermone.* Ipsa certè Mater Domini ideo est effecta, quia semper delectebatur ad cœlestia. Nos igitur nihil concupiscamus terrenum, nihil transitorium, nullo quod ad præsens est delectemur, omnem risum pro luctu deputemus, & gaudium pro mœrore, & mundum pro carcere. Mens enim quæ solidata in Christo permanet, nullum in hoc seculo quærit gaudium. Vnde Salomõ. Nullum est, inquit, gaudium, nisi in Domino. Nam qui de præsentibus tantum extollitur, cum vituperatur, magnus iracundiæ stimulis exagitatur. Vnde exultationem electorum habere non poterit, quia Dominus humiles spiritu saluabit. Fuit Beata Virgo virtutibus dotata. In sermone primo

de

de eius Assumptione. Quid iustitiæ, quid sanctitatis Virgo non habuit? Quo hæc indigere potuit, quæ efficacis ad omnia, gratiæ plenitudinē accepit? Aut quis potuit in eius anima, vel corpore locus esse vitiorum, quando Sancti sanctorum templum est effecta? Hæc est reuera illa domus, de qua per Salomonem dicitur: *Sapientia ædificauit sibi domum, & erexit columnas septem.* Septem namque virginalis huius domus colūnis fulcita est: quia veneranda hæc Mater Domini, septem Spiritus Sancti donis dotata fuit. Quam talem vtique æterna sapientia ædificauit, vt digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, inæstimabile, scilicet, pretium salutis humanę. Quid dignius in hac Virgine, quid sanctius in humani generis serie potuit exoriri? Cui nullus Patriarcharum, nullus Prophetarum, nullus, antiquorum sequentium sanctorum, nullus prorsus hominum poterit comparari? Nam quomodo huic quisquā æstimabitur cōferēdus, quādo propter Virginis excellentiā tantæ sublimitatis supereminet fructus? Nec mirum si Virgo cunctorum celsitudinē transcendit mortalium, cum hoc partu etiam beatorum excellat meritum Angelorum. *Insermone quinto eiusdem diei.* Omnium quidem sanctorum memoriæ mirabiles: nihil tamen tantum in gloria, quantum præsens solēnitas, Abel per sacrificium nominatur, Enoch per complacentiam memoratur, Melchisedech Virgo Dei prædicatur, Noe per iustitiam laudatur, Abraham per fidem approbatur, Isaac per obedientiam memoratur, Iacob per luctamen beatificatur, Moses sicut legislator laudatur IESVS Naue sicut Dux memoratur, Elias sicut Zelotes testificatur, Isaias sicut loquutor Dei scribitur, Daniel sicut prudentissimus prædicatur, Ezechiel sicut scriptor arcanorum numeratur, Dauid sicut pater secundūm carnem mysterij dicitur, Salomon sicut sapiens nominatur. Sed nullus talis in mundo qualis Genitrix MARIA. Quem enim omnes illi in ænigmate viderunt, ista in vtero incarnatum portauit. *Ibidem lib. 50. Homil.* O verè gratia plena, quis hāc gratiam explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & inuenitur homo factus, qui fecit, vt non periret quem fecit. Est ipsa Virgo plus omnibus honorata: *In prædicto sermone de Assumptione.* Licet omnium sanctorum veneranda solemnia nostris sint studijs, præcipuè tamen gloriosæ semperq; Dei Genitricis MARIÆ toto interius affectu est celebranda festiuitas, Vnusquisque enim sanctorū specialibus quibusque locis, variorum auxiliorum suffragia contulit, hæc verò Beatissima, & singularis Virgo, & Mater, vniuerso mūdo peccato lapso generaliter salutē innexit. Sed ad tātæ promenda laudis præconia quādo tenue ingeniū, & arens lingua sufficiat, cum ad hoc non possit sufficere Philosophorū etiā profunda loquacitas? Nec mirū si hæc Virgo sanctissima suis laudibus humanæ vocis modū exupera, quādo ipsam humani generis excellētibus meritis transcendit naturam. Sed nō omnino ab eius est nobis laude reticēdum. Quia & si minus sufficit sensus inopia ad effectum, sufficiens tamen apud Deum est deuotæ mētis affectus. Nec ambigendum quin valeat hæc de se loquenti, sapientiæ præbere igniculum, quę totius sapientiæ plenitudinem castissimo portauit in vtero. Valetque cum vult efficaciam Verbi tribuere, quæ Verbum, per quod facta sunt omnia, virgineis visceribus gestauit incorporatum: *In sermone de eius Assumptione.* O fœlix puerperiū lætabile Angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis. Qui post multas assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagellis, potatus fele, affixus patibulo, vt te matrem veram ostenderet, verum se hominem tormenta pariendo monstrauit. Tu verò Beata gloriosaque MARIA inter ista laudabilis, quæ sic fœcunditatis meruisti donum, quæ virginitatis non amisisti suffragium. Tu es tamē Beata inter mulieres. Tu prælata cunctis virginum cateruis, tu sequeris agnum quocumque perrexerit. Tu virgineos choros, & ab incētiuæ carnis illecebris alienos, per lilias rosasque vernantes ad fontem peremnis vitæ potandos inuitas. Tu in illa beatorum beatifica regione primi ordinis dignitatem adepta, plantis roscidis oberrans, inter Paradisi amænitates, gramineosque crocos tenero poplite pergis, fœlicique palma violas immarcescibiles carpis. Tu concinentibus sine fine coniuncta Angelis, Archangelisque sociata, indefessa voce clamare Sanctus nō desinis. Sed quid dicam pauper ingenio, cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua mereatur? Si matrem gentium voco, præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si nutricem cœlestis panis vocitem, lactis dulcedine reples. Lacta ergo mater nostrum cibum, lacta panem cœlestem, lacta cibum Angelorū, lacta eum, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te: qui tibi, & munus fœcunditatis dedit conceptus, & decus virginitatis nō abstulit natus. *Probat hoc insermone quinto eiusdē diei.* Sicut enim stellæ in cœlo positæ fixæ sunt, & ab se inuicē distant, & per omnem terrarum splēdent circuitum, & ipsæ ab cunctis videntur, neque latent, in terra splendent, & mare illuminant, & nauigantes dirigunt, & gubernant, quas etsi præmultitudine ignoramus eas, tamen propulchritudine, & splendore miramur: sic & sanctorū vniuscuiusque etsi sepulchris reliquiæ includantur, virtutes tamen eorum sub cœlo nō occultantur. *In eodem infra.* Circunda omnem creaturam in cogitatione, & vide si est similis Dei Genitrici MARIÆ. Circumi terram, aspice mare, scicitare aerem, cœlum

mente scrutare, inuisibiles virtutes cogita, & vide si est aliud tale miraculum in omni creatura. Cœli quidem gloriam eructant Dei, Angeli ministrant cum timore, Archangeli adorant cum tremore, Cherubim, & Seraphim volantes clamãt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Stagnum ignis ardentis sonum non sustinuit, nubes ascensionis cum tremore factæ sunt vehiculum. Sol iniuriam non sufferens obscuratus est. Infernus mortuos cum timore euomuit. Mons ascensionem suspiciens fumigauit. Iordanis tremens reuersus est retrorsum. Mare timens scissum est per Dominicum vexillum mansuetis, virga ob Virginem vltra naturam floruit. Ignis in Babylone trinitatis numerũ timuit. Et tamen inter innumerabilia magis, magisque mira, Virginis victoria attollenda est: quoniam quem tota creatura timore, & tremore laudauit, ista sola ineffabiliter thalamizauit. Propterea ineffabilis est laudis. In sermone primo de eius natiuitate. Quo pacto eius festiuitatem dignè celebrare valet infirmitas hominum, quæ gaudium meruit parem Angelorum? Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium Verbum, quæ illud de se pertulit Verbum, quòd manet in æternum? Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa? Nam dũ cuiuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutum eius insignia ad Redemptoris nostri gloriam prædicamus, etiamsi ad cogitandum tardior sensus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua nõ suppetit, verborum tamen copiam ipsius rei materia subministrat. Cum verò Beatissimæ Genitricis Dei laudẽ scribere volumus, quia noua, & inaudita sunt, quæ tractanda suscipimus, nulla inuenimus verba, vt ad hoc dignè exprimenda sufficere valeamus: tollit enim facultatem sermonis materia singularis. Quæ enim lingua explicare sufficit, vel quæ ratio humana non obstupescat, cum cogitare cœperit, quia Creator oritur ex creatura, factor ex factura, quod in virginea puellæ vulua concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudine non tenetur. Latet inter materna viscera paruulus, qui cum Æterno Patre rerum omnium iura gubernat immensus. O Beata vbera, quæ Dominum tenerum alunt, lac puerilibus labris infundũt, Angelorum cibum, & hominum pascent. Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Hinc ergo perpendite, quam debitores sumus huic Beatissimæ Genitrici, quã

A

B

C

D

tasque illi post Deum, de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidẽ corpus Christi, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fasciis cinxit, quod materna curauit solertia, illud, inquam, absque vlla dubietate nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Nullius ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei, & hominum cognoscitur incarnatus. Impar illi est omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeritate carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum, qui ait. Ego sum panis viuus, &c. *Ioan. 6.* Per cibum quoque sumus à Paradisi amœnitate deiecti, per cibũ quoque ad Paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame multauit. MARIA edidit cibum, qui nobis cœlestis conuiuij aditum patefecit. *In sermone tertio de eodem die.* Exultas Virgo per albentia lilia cõfessorum, & rosas vernantes martyrum, in illo regnans beatorum fœlicissimo Regno, quo sequeris agnum quocumque ierit. Inter Paradisi amœnitates sacris gressibus incedis, fœlicique, & immarcessibili palma, & corona gloriæ à Filio tuo Domino nostro coronaris. Angelicis iuncta choris, ac sociata, gemmis, & margaritis ornata, & monilibus decorata pretiosis: thronus Regius tibi collocatur, veram matrẽ Rex æternus præ omnibus diligens, imperiali, sed filiali amplectitur amplexu. Cõgaudet tibi in cœlis, quem tu paruulum natum toties osculabaris in terris. *In eodem.* Audeo dicere, fratres, quia nullum sanctorum tam potentem meritis inuenimus ad placãdam iram æterni iudicis, quàm eam quæ meruit fieri mater eiusdem Redemptoris, & iudicis. Digna est laudari, quia aduocata miserorum. *In sermone primo de Assumptione eius.* Habetis adiutricem vestri certaminis gloriosissimã Virginem, sub cuius protectione confugitis, quia toto mundo protulit languidis salutem. *In sermone quarto eiusdem diei.* Cunctis præconijs veneremur MARIAM, vt ipsa nos inter procellas seculi feruentes aspiciat, & ipsa inter cursus mundiales continua oratione confoueat. Neque enim dubium, quin quæ meruit pro liberandis proferre pretium, possit liberatis impartiri suffragium.

Ipsa Dei via, & hominum. In sermone secundo de Natiuitate Domini. Facta est MARIA fenestra cœli, quia per ipsam Deus verbum fudit seculi lumen. Facta est MARIA scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ad cœlos mereantur ascendere: ipsis enim licebit illuc ascendere, qui Deum crediderunt per Virginem MARIAM ad terras descendisse. Facta est MARIA restauratio fœminarum, quia per eam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ.

# F. AEGIDIVS ROMANVS.

## NOTA.

*ILLVSTRISSIMVS, Ac Reuerendiſsimus D.D. Ægidius Columni, ex antiquiſsima Columnenſium familia ſatus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Archiepiſcopus Bituricenſis, & ſecundùm aliquos S.R.E. Cardinalis, & Primas Aquitaniæ; diſcipulus S. Thomæ Aquinatis, à Bonifacio VIII. Sum. Pont Max. Sanctitate, & doctrina commendatus, clauis, & Doctor Theologiæ, & lux in lucem reducens dubia, calmẽ veritatis antonomaſticè dictus; obijt anno à Virgineo partu M. CCC XVI. die 22. menſis Decembris, inter alia quæ ſcripſit eruditione plena, opuſcula extant, impreſſa Romæ, apud Antonium Bladum, anno 1555. emendata, & correcta à R. P. Auguſtino de Monte Ilcino, quæ iam rarò, vel ferè nuſquam inueniuntur, in quibus hoc extat ſuper ſalutationem Angelicam Aue MARIA opuſculum, multis de cauſis æſtimatione dignum, cætera quæ hìc deſunt de hoc Venerabili Patre, clariſsimoque Doctore vide apud Herreram in Alpha. Auguſt. fol. 7. Antonium Poſſeuinum, & alios.*

## EXPOSITIO IN SALVTATIONEM ANGElicam, videlicet, Aue MARIA, gratia plena.

*AVE.* Poſtquam expoſuimus orationem Dominicam, volumus etiam declarare ſalutationem Angelicam, videlicet, *Aue MARIA gratia plena* Quæ diuiditur in quatuor partes principales. Quarum primam dixit Angelus, quando Beatam Virginem ſalutauit, vt legitur Luc. 1. Quæ eſt illa (*Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*) Secundam fecit Eccleſia, ſcilicet, MARIA, Beatam MARIAM proprio nomine ſalutando, quam non ſalutauit proprio nomine Angelus. Tertiam partem fecit Eliſabeth, vt Lucæ 1. habetur, & eſt illa: *Et benedictus fructus ventris tui.* Quartam & vltimam partem etiam addidit Eccleſia, ibi, cùm dicitur: IESVS, Sancta MARIA Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & ſemper, Amen. Quatuor ergo fiunt principaliter in iſta ſalutatione. In prima parte ſalutatur Virgo MARIA. In ſecunda parte ſaluratur nominatim. In tertia, magnificatur à magnitudine fructus ventris ſui. In quarta, & vltima, tanquam aduocata, & mediatrix peccatorum apud filium, inuocatur in auxilium noſtrum. Circa primam partem, duo facit Angelus. Primô, ſalutat ipſam Virginem, illam commendando per amotionem

Luc. 1.

A omnium imperfectionum: quam & nos ipſius exemplum ſequuti, quotidie ſalutare debemus. Secundò narrat illius priuilegia, & gratias, per quas facta eſt digna, vt ab Angelis ſalutetur, & honoretur. Secunda ibi, *Gratia plena.* Dicit ergo primô illam ſalutando (*Aue.*) id eſt, ſine ve, ſine culpa, & abſque

B omni imperfectione. Ad cuius Salutationis clariorem intelligentiam eſt notandum, quòd Eua poſtquam tranſgreſſa eſt legem Dei, & Diabolo conſulenti conſenſit, quòd culpam contraxit, & peccati maculam, & ideo non erat digna, vt ab Angelis ſalutaretur, cum Domini omnium Angelorum præceptum violauerit: ſed magis merebatur punitionem peccati ſui, & audire à Domino, & ab Angelis eius, Ve, & non Aue. Ita & Adam, quia magis Euam audire voluit, quàm Deum, & fructum vetitum manducauit, Dei & Angelorum amicitiam perdidit, & non ſolùm ab An-

C gelis non fuit ſalutatus, & honoratus, ſed ſua culpa cum tota poſteritate de Paradiſo terreſtri eiectus fuit, ſecundùm illud Geneſ. 3. *Emiſit eum Dominus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flam-*

Geneſ. 3.

*mæum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Culpa etiam illorum est factum, vt omnes homines in ira Dei
*Ephes. 2.* nascerentur, iuxta illud Apostoli Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ.* Et ideo non solùm indigni, vt salutaremur à Deo, & ab Angelis eius, sed propter illam culpam eramus digni
*Apoc. 8.* comminationibus, iuxta illud: *Væ væ habitantibus in terra.* Et digni pœnis, secundùm
*Rom. 5.* illud Apost. Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, in quo omnes peccauerunt, & per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertransijt.* Stipendia enim peccati, mors, vt dicitur Rom.
*Rom. 6.* 6. Virgo verò gloriosissima, cùm singulari priuilegio Dei, quo fuit præuenta, antequam nasceretur (quia in vtero fuit sanctificata, & ab omni peccato immunis facta) de illo antiquo serpente victoriam reportauerit, iuxta
*Genes. 3.* illud: *Ipsa conteret caput tuum*, inuenta est digna, vt illam Angeli salutarent, & vt reginam cœlorum, ab omni peccato mundam, Dei Patris sponsam, Filij Matrem, habitaculum Spiritus Sancti, quamquam super choros Angelorum exaltandam, honorarent. Vnde legitur apud Luc. 1 *Et ingressus Angelus ad eam dixit, Aue.* In qua salutatione,
*Luc. 1.* tria commendantur in hac Beata Virgine. Primò, quia Angelis fuit dignior, vnde ab illis est salutata, & honorata. Secundò, quia ita dignior fuit Angelis, vt caruerit omni vermine inter alias mulieres. Tertiò, quia quasi omnium virtutum facta erat triclinium. Circa primum notandum, quòd Angelus homini potest comparari tripliciter. Vel ratione finis, & beatitudinis, & sic sunt æquales, quia homines assumentur ad gloriam Angelorum, iuxta illud Luc. 20. *Qui digni habebuntur seculo*
*Luc. 20.* *illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores, neque vltra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & Filij sunt Dei, cùm sint Filij Resurrectionis.* Vel potest comparari secundùm naturam, & sic Angelus est nobilior, quia intellectus noster tenet infimum gradum in genere intelligentiarum. Et de Christo secundùm assumptam humanitatis naturam dicitur in
*Psal. 8.* Psal. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Tertiò, modo potest cõparari quantũ ad aliquas prærogatiuas, & gratias, & sic homo, & præsertim Beata Virgo, omnibus Angelis dicitur esse maior, & maximè, quia ex speciali
*Hebr. 2.* prærogatiua, vt dicit Apostol. Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Vnde patet, quòd meritò est ab Angelo salutata, & honorata, cum nunquam legatur, quòd antea aliam creaturam Angeli salutauerint, & honorauerint, quia ipsa omnibus creaturis dignior est inuenta, cuius dignitatus, & priuilegia clarius ap-

A parebunt in prosequendo hanc salutationem Angelicam. Circa secundùm est notandum quod triplex est vc, sine quo fuit Beata Virgo. Primum est, ve corruptionis, & pudoris. Secundùm est, ve concupiscentiæ, & libidinis. Tertium est, ve pœnalitatis partus. Et ab omnibus his ve, Beatissima Virgo fuit liberata. Primò, fuit liberata à ve corruptionis, & pudoris, quæ per sexuum accidit commixtionem, quia inuiolatam semper tenuit virginitatem ante partum, in partu, & post
partum. Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Et Luc. 1. dixit Beata Virgo ad *Isai. 7.* *Luc. 1.*
Angelum: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Et est subintelligendum,
B neque me cognituram voui. Et Angelus dixit ei: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi, ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ad Ioseph. Matth. 1. *Quod enim* *Matt. 1.*
*in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Hæc fuit *tabula lapidea* sine vlla scriptura, Exod. 32. Hæc *virga Aaron* germinans sine pluuia, *Exo. 32.* *Num. 17.*
Num. 17. Hæc denique fuit *porta* illa de qua legitur Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam eritque clausa principi.* Secundò, *Ezeq. 44.*
fuit liberata à ve libidinis, & concupiscentiæ, seu ab omni peccati fomite, quod omnium
C malorum est seminarium; iuxta illud. Prouerb 9 *Sapientia ædificauit sibi domum,* sup- *Prou. 9.*
ple, singulariter illam purificans ab omni fomite peccati, vt idonea esset habitatio cœlestis Regis: quod non esset, si venti peccatorum, & aquæ iniquitatum irruere possent in domum illam, & ipsa posset peccare. Ad cuius intelligentiam clariorem est notandum, quòd fomes peccati à sanctis, vt patet per Augustinum in lib. de Baptismo paruulorum, quinque nominibus appellatur Primò, dicitur fomes peccati, vt est in nobis quædam corruptela, & pronitas ad peccandum. Secundò, concupiscentia, quia est habilitas ad
D concupiscendum, quæ non conuenit. Tertiò, dicitur lex membrorum, prout vires inferiores rebellauerunt superioribus: quibus caro vtitur contra spiritum. Quartò, dicitur languor naturæ, pro quanto primus homo fuit in naturalibus vulneratus, & illud vulnus transiuit in posteros. Quintò, dicitur tyrannus, quia hominem spoliauit gratuitis, tyranni namque semper est spoliare sibi subiectos. Hæc autem omnia, vt secundo sententiarum dicitur, quia ex peccato originali tanquam ex radice pessima oriuntur, & peccatum originale, secundùm communem legem, commune est omnibus filijs Adæ, secundùm illud Apost. *Per vnum* *Rom. 5.*
*hominem peccatum introiuit in mundum, in quo*

*quo omnes peccauerunt.* Ideo in omnibus inuenitur filijs Adæ communia esse. In omnibus enim hominibus, secundùm communem, sunt omnia ista, fomes peccati, concupiscentia, lex membrorum, & carnis, languor naturæ, & tyrannis. In Christo autem, quia immunis fuit ab omni peccato, siue actuali, siue originali (iuxta illud Ioã. 14. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*) nulla fuit possibilitas peccati, nullus fomes, nulla concupiscentia, aut languor, aut membrorum lex, vel tyrannus. Item in hac Virgine benedicta, quia ab omnibus actualibus peccatis fuit libera, & ab originali in quo concepta fuerat, fuit in natiuitate sanctificata, secundùm illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Rationabiliter dicitur, quòd talia inuenta non sunt, sed quòd ipsa fuit libera ab omni ve, & specialiter à ve concupiscentiæ, & libidinis. Et hæc est communis sanctorum sententia, quod in hac Virgine gloriosa, peccati fomes, aut penitus extinctus, aut ligatus fuerit, ita vt non posset illam inclinare contra rectum rationis iudicium in quemcumque peccati actum, vel leuem motum inordinatum, aut externum, aut internum. Vnde verè de ea dicitur Cant. 6. *Pulchra es amica mea*, quantum ad exteriora: *Et suauis, & decora sicut Ierusalem.* Id est, sicut visio pacis, cuius pulchritudo esset in confirmatione bonorum consistit, quantum ad interiora. Tertiò, fuit libera à ve pœnalitatis partus. Euæ enim post primam prænaricationem dictum fuit, Genes. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus. In dolore paries filios.* Hæc autem, vt dicitur Lucæ 2. *Peperit filium suum primogenitum*, & vnigenitum, cuius partus multiplicati non sunt, *& pannis eum inuoluit*, quia Dominum in gaudio, & exultatione, absque vllis doloribus partus, mundo genuit Saluatorem, & ipsum quem genuit, hilariter adorauit. Quòd autem ipsum sine dolore genuerit, triplex causa assignari potest, vt prima sit ipsa proles: secunda, Virgo ipsa parturiens: tertia, sumus nos, pro quibus Dei Filium parturiuit. Prima causa dicitur ipsa proles, quia credendum non est, quòd ille, qui cunctos sanare venerat, quòd Virgini Matri in sua natiuitate dolorem inferret. *Venit enim quærere, & saluum facere quod perierat*, iuxta illud Lucæ 19. *Ipse dolores nostros tulit, & languores nostros portauit.* Isaiæ 33. Secunda causa dicitur ipsa Beata Virgo, quia non erat rationabile, quòd quæ sine peccato concupiscentiæ genuit, dolorem in partu sentiret. Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Tertia causa dicimur nos, pro quibus illa peperit Saluatorem: quia sic fieri oportebat, vt à nobis tolleretur omnis tristitiæ suspitio, & semper gauderemus in illo, in cuius natiuitate Magi, & Pastores gauisi sunt, & Angeli annunciauerunt gaudium in vniuerso mundo, iuxta illud Lucæ 2. *Ecce Euangelizabo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis Saluator mundi.* Et Phil. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Circa tertium in quo dicitur, quod ideo ab Angelis fuit salutata, & honorata, quia omnium virtutum triclinium inuenta est, triplex virtus in hac Virgine benedicta ad præsens commendari potest. Primò, virtus fidei. Secundo, virtus virginitatis. Tertiò, virtus humilitatis. Circa primam virtutem dici potest, quòd fides Virginis gloriosæ in tribus excessit fidem omnium viatorum. Primò, quia fuit generalior. Secundò, fuit clarior. Tertiò, fuit constantior. Primò, fuit fides eius generalior fide omnium viatorum, quia omnem veritatem comprehendit. Vnde Hieronymus in sermone de Assumptione, de illa dicit: Ipsa est sola, quæ nos post Deum confert omni veritati. Et Ecclesia de ea canit, Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola intermisti in vniuerso mundo: quod dici non potest de alio viatore. Quid enim de veritate, & de Deo non credebat, & cognoscebat, quæ in se Dei sapientiam latentem continebat, & primam omnium veritatem? Secundò, ideo eius fides dicitur clarior, quia clarius omnibus credenda cognouit per internam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti instructionem. Omnia enim credenda, & præsertim mysterium suæ incarnationis, & humanæ Redemptionis, Christus in suo secretissimo pectore, sic aperuit, vt ei tandem nota essent, & sibi, secundùm claram cognationem. Vnde Lucæ 1. MARIÆ Angelum interroganti: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Respondit Angelus: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Id est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ista omnia tibi facient clariora, quam cuicumque creaturæ, etiam ipsis Angelis sint nota. Tertiò, fuit constantior in perseuerando, quia in nullo vitæ suæ momento titubauit in fide, iuxta illud Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit: terra verò in æternum stat.* Generatio præterit, id est, plurimi Apostolorum defecerunt à fide, aut omnes titubarunt in tempore passionis. Generatio aduenit, id est, conuersi sunt ad fidem Centurio, Latro, Magdalena, & alij. Terra autẽ, id est, Virgo MARIA, quę terra appellatur, iuxta illud Ps. 84. *Benedixisti Domine terram tuam.* Et illud. Isai. 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ;* in æternum stat, quia fidem immobiliter retinuit vsque in finem vitæ suæ. Adeo vt meri-

tò ab Elisabeth de hac fide, generaliori, clariori, & firma, fuerit laudata, & commendata, secundùm illud Luc. 1. *Beata quæ credidisti*, vltior omnia, clarè, absque dubio, & firmiter, sine titubatione: *Quia perficientur omnia, quæ dicta sunt tibi à Domino*. Secundò fuit in ea virtus virginitatis, de qua virginitate propter tria laudari meretur. Primò, quia perfectiorem statum in quo Deo seruire posset, elegit, iuxta illud Apost. 1. Corint. 7. *Qui matrimonio iungit Virginem suam, benè facit, & qui non iungit, melius facit*. Secundò, potest commendari ratione modi, quia voto vouit, & conseruauit Domino Virginitatem suam. Vnde maius meritum habetur, quàm si ex præcepto Virginitatem seruasset. Vnde Lucæ 1. dixit ad Angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, id est, neque cognosco, neque me cognituram disposui? Et Matth. 19. *Beati qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum*. Tertiò, laudari meretur ratione perseuerantis exhibitionis, quia vsque ad vltimum suæ vitæ, & corpore, & mente, Virgo permansit: cui non fuit par, neque visa est habere sequentem, quæ sine exemplo placuit Domino nostro IESV Christo. Tertiò, principaliter, potest in ea commendari virtus humilitatis. Tripliciter enim potest in ea laudari humilitas Primò, quia fuit humilis in corde. Secundò, quia fuit humilis in verbis. Tertiò, quia fuit humilis in operibus. Primò, laudari potest de cordis humilitate, quia omnia sua bona ex corde cognouit se non habere ex propriis meritis, sed ex misericordia Dei, vnde dixit Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominũ, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, &c.* Vbi glossa dicit. Totum interioris animi affectum in agendis gratiarum laudibus offero: totum quod viuo: totum quod sentio: quod discerno, in eius magnitudine contemplanda, & eius præceptis obseruandis impendo, &c. Et Beda: Nihil suis meritis tribuit, quæ totam suam magnitudinem ad illius donum refert, qui essentialiter potens, & magnus existens, fideles suos de paruis, atque infirmis, fortes consueuit facere, atque magnos. Secundo, fuit humilis in verbis, & ita humilis, vt vbicumque inueniatur locuta (vt ait Bernardus) de humilitate totus constat sermo. Locuta Angelo eam, vt Dominam salutanti, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*. Lucæ 1. Dum quoque patrem magnificat, Elisabeth præsente, ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Dum filium dolens quærit, sponsum suum se valde inferiorem sibi anteponit. Ait, enim Lucæ 2. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Dum iterato in Cana Galilææ Filium affatur pro vino, vt confusionem nubentium præueniret rogatura, non vt mater filio imperauit, non importunas præces porrexit, sed voluit humilis ancilla rogare non audens, tantum defectum insinuat dicens, Ioan. 2. *Vinum non habent*. Tertiò fuit humilis in operibus. Vnde legitur Lucæ 1. *Vt discessit Angelus ab ea, abijt MARIA in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth*. Quamquam illa esset maior, apud quam cùm manserit quasi tribus mensibus, vt quæ propter officiũ venerat (vt dicit Ambrosius super Lucam) officio inhæreret, non est dubitandum in illo tempore mundi Dominam, vilioribus seruitijs, cum summa humilitate fuisse cognatæ suæ famulatam. Cùm igitur corde, verbo, & opere fuerit humilis, congruentissimè cum Augustino dicere possumus. O verè MARIÆ Beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus dedit, cœlos innouauit, mundum purificauit, Paradisum aperuit, & omnium animas fidelium ab inferis liberauit. O verè gloriosa MARIÆ humilitas, quæ porta cœli efficitur, scala Dei constituitur. Facta est certè MARIA scala cœlestis, per quam Christus descendit ad terras. Deinde cùm dicit.

*MARIA*. Ponitur secunda pars principalis, quam fecit Ecclesia, & interponitur inter verba Angeli, ante completionem partis primæ. In qua, postquam in primo verbo salutationis Angelicæ est commendata Virgo MARIA per amotionem omnium malorum ab ipso Angelo: commendatur, & honoratur ab Ecclesia ex nomine suo proprio, quod est (*MARIA*.) Quod nomen semper cum nomine Filij sui Domini nostri IESV Christi, nobis in ore resonare debet, quia sicut de nomine filij eius dicit Ioel. *Qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. Ita & de nomine huius Virginis gloriosæ, piè, & rationabiliter credi debet. Si enim in nomine Filij Dei quicquid petimus, accipiemus à patre, secundùm illud Ioan. 16. *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis*. Quomodo, & in nomine Beatæ Virginis petendo, & illam, quæ Mater est Dei, proprio nomine inuocando, & honorando, non accipiemus? Hoc autem patere potest ex eo quod in persona ipsius dicitur Eccl. 24. *In me omnis spes vitæ & virtutis*. Quod de ipsius nominis inuocatione potest intelligi. Hoc autẽ nomẽ, post nomen filij sui cõuenientissimè dicitur, quod si nomẽ *super omne nomẽ*, vt dicitur Phil. 2. Quod tripliciter probare possumus. Primò, ratione terribilitatis. Secũdò, ratione dulcedinis. Tertiò, ratione

Luc. 1. Luc. 7. Matt. 19 Luc. 1. Luc. 1. Luc. 2. Ioan. 2. Luc. 1. Ioel. 2. Ioan. 16. Eccl. 24. Phil. 2.

ne sibi exhibitæ venerationis, & reuerentiæ. Primũ dicitur hoc nomen MARIA, post nomẽ Filij sui, nomẽ super omne nomẽ, ratione
*Mar. 16* terribilitatis: quia sicut in nomine terribili, & tremendo IESV eijciuntur Dęmonia, & aduersa omnia, secundùm illud Marc. 16. *In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & mortiferum si quid biberint, non eis nocebit, &c.* Ita & post hoc nomen, in nomine Beatæ MARIÆ Virginis omnia eijciuntur aduersa, neque aduersus eam portę inferni stare possunt,
*Genes. 3.* cum ipsa infernI Principis caput (per eum quem in corpore gesit) contriuerit, iuxta illud, quod dicitur Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Et ita terribile est hoc MA-
*Cant. 6.* RIÆ nomen, vt Dæmones illud sustinere non possint, sed ipsum audiendo, cum tremore, & dolore clamant illud Cantic. 6. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Secundò, dicitur post nomen filij, nomen super omne nomen, ratione dulcedinis: quia materno nomine nihil est dulcius. Vnde canit Ecclesia de
*Cant. 2.* ipsius dulcedine. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo MARIA. Et in Canticis dicitur. *Vox enim tua dulcis.* Quòd si dulcis est vox Beatæ Virginis, & cum dulcedine auditur á nobis, quomodo non est dulce, & affectuosum nomen ipsius? Vnde dicit Bernardus: Sicut nomen IESVS est mel in ore, in aure melos, in corde iubilus: sic & nomen MARIÆ. Tertiò, etiam dicitur super omnem nomen, post nomen filij, ratione sibi exhibitæ reuerentiæ, & venerationis: quia sicut *in nomine*
*Phil. 2.* *IESV omne genuflectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Vt dicitur Phil. 2. & omnes ipsum adoratione latria colunt, & adorãt: sic in nomine MARIÆ omne genuflecti tur, & omnes illam adorant, & si non adoratione latria, qua solus adoratur Deus, adoratione tamen hyperdulia, cùm tamen sancti
*Cant. 1.* alij sola dulia venerentur adoratione. Possumus etiam addere, quòd sicut de nomine sponsi legitur: *Oleum effusum nomen tuum*, sic & nomen Beatæ Virginis oleum effusum dici potest. Nomen enim sponsi dicitur oleũ effusum propter tria, primò, quia ad similitudinem olei lucet. Secundò, quia pascit. Tertiò, quia vngit. Primò lucet prædicatum,
*Ioan. 1.* *Ioan. 8.* iuxta illud Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Ioan. 8. *Ego sum lux mundi.* Se
*Matt. 4.* cundò, pascit in Verbo, & in Sacramento susceptum, secundùm illud Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod*
*Ioan. 6.* *procedit de ore Dei.* Et Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis man-*
*Actor. 4.* *ducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Tertiò, vngit inuocatum, & lenit, Actor. 4. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et

A Ioel. 2. *Quicumque inuocauerit nomen Domini, hic saluus erit.* Sic & nomen Virginis *Ioel. 2.*
MARIÆ oleum effusum dicitur, quia secundùm largissimã effusionem per suum nomen nobis cõmunicantur beneficia Dei: quid melius apparebit, si ipsius nominis interpretationes consideremus? Interpretatur enim. Primô, stella maris illuminans, & illuminata, Secundô, interpretatur Domina. Tertiò, amarum mare. In quibus omnibus interpretationibus apparet, quomodo nomen huius benedictæ Virginis tanquam oleum in nos effundatur, vt congruentissimè oleum effusum sit dictum. Circa primam interpretationem est notandum, quòd cùm stella sit à So-
B le illuminata, & per lumen susceptum ã Sole, sit illuminans alia, licet vna sit stella: ita & si Virgo MARIA interpretetur stella maris illuminatrix, & illuminata, vnam tamen diximus interpretationem: quia ipsa est stella illuminata à Christo Filio suo, qui est Sol iustitiæ, vt canit de illo Ecclesia, & illuminat peccatores, quia non solùm ostendit eis IESVM, secundùm quod ab ea petit Ecclesia, quando dicit: Et IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: sed & mundo lucem attulit, quando edidit Saluatorem. Commendatur autem in hac Virgine, cùm dicitur stella maris, triplex dignitas. Primo, luminositatis abundan-
C tia, quando dicitur, illuminata. Secundò, abundantia charitatis, in eo quòd dicitur illuminatrix. Tertio, excellentissima eius perfectio, & gloria super omnes sanctos, in eo, quod nõ quæcũq; stella dicitur, sed singulariter stella maris interpretatur. Primò, cõmen datur in illa abũdãtia luminositatis in eo quòd dicitur illuminata, quia singulari gratia illuminata fuit matori lumine, quàm quæcumque alia creatura. Ad cuius euidentiam notandum, quòd Deus dicitur lux, & sancti lux appellantur, aliter tamen, & aliter: quia Deus dicitur lux tantùm illuminans, & nullo modo illuminata, secundùm illud primæ Ioan.
1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Item, *Erat lux vera, quæ illuminat* *Ioan. 1.*
*omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sancti verò, & Angeli licet dicantur
D lux illuminans, dicuntur etiam lux illuminata, quia à Deo suscipiunt lumen suum. Vnde de Angelis legitur Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos* *Psal. 103.*
*flammam ignis.* De hominibus autem dicitur (& præsertim de his, in quibus splenduit lumen fidei cuiusmodi fuerunt Apostoli) Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* Et ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem* *Matt. 5.*
*lux in Domino.* Et 2. Thessal. 5. *Omnes vos* *Ephes. 5.*
*Filij lucis estis, & Filij Dei.* Licet autem *2. Thes. 5*
omnes Angeli Dei, & homines sancti dicantur lux, & illuminati à Deo: tamen vnus An-

gelus magis alio est illuminatus, & superiores sunt illuminati magis quàm inferiores. Simili modo, & sanctis: vnus enim alio est clarior, & maius lumen accepit quàm alius, iuxta illud Apostoli, 1. Cor. 15. *Differt stella à stella in charitate.* Cum ergo dicitur in eo quod MARIA interpretatur illuminata, intelligitur abundantia luminositatis in ea, hoc est, quia ipsa est lux immediata ipsi summæ, & æternæ luci, & rationabiliter debet credi quôd lux sit dignior, purior, pulchrior, & abundantior, quàm de quacumque alia creatura dici possit. Ipsa enim est lux illa lucida, & leuis, de qua dicit Isai. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum,* id est, ingredietur in hunc mundum per carnis assumptionem ex hac Beatissima Virgine. De ea etiam intelligitur illud Apoc. 12. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens.* Ex quibus est manifestum quanta lucis abundantia illuminata fuerit, inferius à Sole, & Luna, superius à stellis, & Angelis, & interius ab eo quem habebat in vtero, qui (secundùm illud Ioan. 1.) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et iuxta illud Apost. 1. Tim. 6. *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Secundô commendatur in ea abundantia charitatis, in eo quod dicitur illuminatrix, quia credi debet, quôd sicut est illuminata super omnes creaturas, & mater est pietatis, & misericordiæ, ita super omnes creaturas nobis misericorditer lumen influit. Vnde rectè de ea potest interpetrari illud Eccles. 24. *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens.* Quia ipsa sua humilitate Christum veram lucem à cœlis in terram perduxit. Et quasi aurora valde rutilans (vt Ecclesia canit) de se ipsa solem illum produxit, & mundo parturiuit, qui illuminat omnia. Et sicut ex abundantia charitatis, & gratiæ Domini nostri IESV Christi, & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, & abundantiorem lucem, quam meruerimus: ita dicere possumus, quôd in eo, quod MARIA dicta est illuminatrix, tanta denotatur eius abundantia charitatis, qua nos illuminat, vt de plenitudine, & abundantia suæ lucis, & gratiæ omnes accipiamus. Vnde Bernard. dicit. Omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine illius accipiant vniuersi. Captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, &c. Tertiò, in ea quod singulariter dicitur stella maris, denotatur excellentissima eius perfectio, & gloria super omnes sanctos: quia ipsa post solem iustitiæ Christũ, prima est stella, & omnibus clarior, quæ in hoc mari magno, & spacioso, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, necessariò est super omnes alias eleuata; micans est meritis, & illustrans exemplis: meritis super omnes, & orationum suffragijs, adiuuat laborantes, & exemplis vitæ perfectissimæ dirigit deuiantes. Vnde Ecclesia canit; Cuius vita gloriosam lucem dedit seculo. Hanc suam ipsius excellentissimam perfectionem aperuit ipsa Virgo benedicta in suo Cantico, cùm dixit: *Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Magna autem mihi fecit, quàm matrem non tantum suam, sed totius seculi exhibuit, & talem fecit, vt tanquã ad magnam Dei, & hominum mediatricem recurrerent vniuersi. De ista maris stella, illuminata à Deo, & illuminatrice nostra sic dicit Bernard. Ipsam sequens, non deuias: ipsam rogans, non desperas: ipsa tenente, non corruis: ipsa te protegente non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia, peruenis: & sic in te experieris, quam meritò dictum sit, *& nomen Virginis MARIA,* id est, maris stella. Secundo (vnde magis apparet, quôd nomen eius sit oleum effusum) MARIA interpretetur Domina. Primò, quia cùm sit mater eius, qui omnium Dominus est, iuxta illud Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius, &c.* Et illud Esther. 13. *Domine Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cœlum, & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, Dominus vniuersorum es, &c.* Ipsa etiam omnium Domina credi debet. Vnde Ecclesia de ea dicit, Regina cœli, porta Paradisi, Domina mundi pura. Secundô, dicitur Domina, quia sicut Deus in eo quod bonis nostris non eget, dicitur Dominus noster, iuxta illud Psalm. 30. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quia bonorũ meorũ non eges.* Ita illa non eget nostris bonis, cũ bonis omnibus sit plena, vt dicetur inferius. Tertiô, ideo dicitur Domina, quia non solùm Mater est Domini omnium, & bonorum nostrorum non eget, sed quia tanquam Domina, & totius mundi Regina, bona plurima nobis impetrat, & largitur, & sicut in Psalm. dicit Propheta, Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit:* ita & de hac Virgine benedicta confidere possumus, quia si sub ipsius dominio, & protectione manebimus, nihil nobis deesse poterit: quia non solùm in Ecclesia viatorum, sed & in illa triumphantium, gratia filij, & meritorum suorum abundantia, maximam retinet potestatem, secundùm illud Eccles. 24. *Et in Ierusalem potestas mea,* id est, in Ecclesia, quæ est visio pacis. Tertiò interpretatur Virgo MARIA,

Isai. 19. Apoc. 12. Ioan. 1. 1. Tim. 6 Eccl. 24. Luc. 1. Psal. 23. Esth. 13. Psal. 30. Psal. 22. Eccles. 24

ama-

amarum mare, ex qua interpretatione patet, quòd nomen eius sit oleũ effusum. Ad cuius intelligentiam est notandum, quòd triplex est amaritudo. Prima est amaritudo peccati. Secunda austeritatis, & terroris. Tertia est amaritudo pœnalitatis, & luctus. Prima amaritudo est peccati, quæ cùm sit radix omniũ amaritudinum, amaritudo amarissima dicitur de hac amaritudine, dicitur Ierem. 2. *Scito, & vide, quoniã amarũ est reliquisse Dominũ*, post peccata scilicet ambulãdo. Et Eccl. 3. *Melior est mors, quã vita amara*, id est viuere in peccatis. Et ista amaritudo non debet intelligi in beata Virgine, cum dicitur, quòd interpretatur mare amarum: quia maris, id est, peccati amaritudo in ipsa non fuit, vt supra diximus. Vnde August. in lib. de natura, & gratia, ait, Cùm de peccatis agitur, de sancta Virgine MARIA nullam prorsus volo habere quæstionem. Secunda amaritudo est austeritatis & terroris, de qua amaritudine dicit Apost. Col. 3. *Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.* Hæc amaritudo non est in Virgine benedicta, vt ipsa respicit viatores, licet in ea sit, vt respicit dæmones. Vnde de ea possumus intelligere illud. Cantic. 6. *Pulchra vt Luna*, scilicet, viatoribus, ratione dulcedinis: *electa vt Sol*, scilicet, comprehensoribus, ratione etiam dulcedinis: *terribilis vt castrorum acies ordinata*, scilicet, dæmonibus, ratione horroris, & terribilis aspectus. Vnde Bernardus declarans, quòd in ea talis amaritudo non inueniatur respectu viatorum, sic dicit: Nihil in ea austerum, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac, & lanam. Tertia dicitur amaritudo pœnalitatis & luctus: de qua Prouerb. 14. *Cor quod cognouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius nõ miscebitur alienus.* Hanc amaritudinem habuit gloriosissima Virgo, & propter istam, interpetrata est amarum mare. Triplex autem pœnalitatis, & luctus amaritudo in ea fuit, propter quam effusũ est nomẽ MARIÆ in nobis. Fuit enim amara afflictione propria: amarior cõpassione aliena: amarissima propter mortẽ Filij sui Domini nostri Iesu Christi. Primò fuit amara afflictione propria, quia etsi caruerit omni peccato actuali, & antequam nasceretur, fuit ab originali sanctificata, non tamen caruit pœnalitatibus corporalibus, & mentis, quibus natura humana propter originale peccatum subdita fuit: vt fame, siti, frigore, fatigatione, & morte. Possumus etiam addere quod his pœnalitatibus non contenta, adhuc corpus suum sanctissimum, & si in nullo spiritui repugnaret, tamen orationibus, ieiunijs, laboribus, vigilijs, & multiplicibus disciplinis castigauit, & voluntaria paupertate, luctu, & abstinentijs, attenuauit. Vnde de ea possumus exponere illud Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit super desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Vbi primo commendatur Virgo MARIA, ab ascensu à rerũ mundanarũ cõtemplatione & affectu, ad cõtemplationem rerum cælestiũ, cùm dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit?* Secundò commendatur à loco ascensus cùm subditur, *Per desertum.* Cùm enim laudabile sit qualitercũque ascendere, laudabilius est ascendere per desertum, vbi sunt spinæ, & alia impeditiua. Vnde summæ laudis est benè conuersari, vt fecit hæc beatissima Virgo, in medio nationis praue, plurimas spinarum, id est, corporalium, & mentis, pœnalitatum puncturas calcans. Tertiò commendatur quantùm ad agilitatem ascendendi, cùm additur: *sicut virgula fumi.* Dicitur enim Virgo MARIA virgula fumi, quia licet fuerit nigra, & obscura amaritudine propriæ afflictionis; erat tamen agilis, & erecta ad diuina. Quartò notatur, quòd amara fuerit ex pœnalitatibus voluntariè susceptis, ad carnis mortificationẽ, cùm dicit: Ex aromatibus myrrhæ. Vbi cùm myrrha amara sit, & significet carnis mortificationem, denotatur, quod fumus, cui assimilatur Virgo MARIA, surgit ex aromatibus myrrhæ, quia Deo placere quæsiuit cum carnis mortificatione. Gal. 5. *Qui Christi sunt: carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Quintò & vltimo, laudatur à plenitudine virtutum, quæ significantur in eo quod subditur, *Et thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Secundo fuit amarior compassione aliena, & hoc triplici causa. Primò propter dilationem promissi, causam communem humanæ generationis in se suscipiens: vnde cum alijs Deum timentibus, & expectantibus redemptionem Israel, dicebat: *Mitte Domine quẽ missurus es.* Exod. 4. Hinc Bernar. ad Virginem, super missus est, ait: Hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas. Secundo amarior fuit post Filij sui ascensionem, propter excæcationem populi sui: vnde cunctorum qui excæcati erant, salutis auida, poterat dicere illud Apostoli. Rom. 9. *Tristitia mihi est magna, & dolor continuus cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Quod tã verius & rationabilius, potest intelligi de benedicta Virgine, quàm de Apostolo Paulo intelligatur, quantò magis ipsa charitate ardebat, & compassionis tenebatur amaritudine. Tertiò fuit amarior ex tribulatione, & persecutione Apostolorum, & aliorum sanctorum: & ex hac compassionis amaritudine, illis auxilium impetrabat à Filio, & largiebatur eis. Et sicut Apost. 1. Cor. 9. dicit: *Omnibus omnia factus vt omnes facerem saluos:*

*Ierem. 2.* *Eccl. 3.* *Col. 3.* *Cant. 6.* *Prou. 14.* *Cant. 3.* *Gal. 5.* *Exod. 4.* *Rom. 9.* *1. Cor. 9.*

uos: sic Virgo sanctissima ex amaritudine cõpassionis omnibus misericordiam implorabat, omnibus offerre non cessabat auxilium suũ. Quartò & vltimo fuit amarissima propter mortẽ Filij sui Domini nostri Iesu Christi, secundùm quod in Euangelio legitur, Ioann. 19. Stabat autem iuxta crucẽ IESV Mater eius, id est, doloribus plena, & omnia amaritudine. Et ista est sententia Ecclesiæ Catholicæ dicentis: Stabat Mater dolorosa iuxta crucem lacrymosa, dum penderet Filius. Vbi adimpleta fuit prophetia Simeonis sibi dicentis. Luc. 2. *Tuam ipsius animam, pertransibit gladius*, scilicet, doloris, & afflictionis. Et sic patet, quòd hoc nomen MARIA rationabiliter dicitur oleum effusum, propter largam effusionem beneficiorũ Dei, quæ in nomine MARIÆ donantur nobis, vt declarauimus in triplici ipsius nominis interpretatione. Dubitaret fortè aliquis, ad maiorem declarationem salutationis Angelicæ, quare illud nomen, quod Angelus in sua salutatione tacuit, dicendo, *Aue gratia plena*, Ecclesia interposuit dicens: Aue MARIA gratia plena, &c. Dicendum quòd sicut Angelus non errauit. (Non enim errare possunt, qui in gratia per lumen gloriæ sunt confirmati) sacendo proprium Virgis nomen: ita neq; peccat Ecclesia, quæ (vt dicitur 1. Tim. 3.) *columna est, & firmamentum veritatis*, proprio nomine Virginem benedictã salutando. Sed & Angelus rationabiliter nomen ipsius tacuit, & Ecclesia rationabiliter ipsum expressit. Ratio autem, quare Angelus tacuit nomen Virginis proprium, de facili potest patere. Nam consueuit Deus quando nouum aliquid mysterium vult implere, & alicuius personæ statum mutare, & illam in statu eminentiori constituere, ipsius nomen mutare, vt ex mutatione nominis, mutatio status intelligeretur. Sic enim fecit cum Abraham voluit constituere patrem multarum gentium, illi nomen mutauit, vt legitur Genes. 17. *Nõ vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham appellaberis, quia patrem multarum gentium constitui te.* Sic fecit cum Petro, quando eum voluit principem Apostolorum, & totius Ecclesiæ Catholicæ facere caput, iuxta illud Ioan. 1. *Tu es Simon filius Bariona, & vocaberis Cephas, quòd interpretatur Petrus.* Ita & Religiosi ad religionis statum accedentes, sibi nomina mutant, vt ex nouo nomine admoneantur in nouo illo, & eminentissimo statu nouam & cælibem ducere vitam. Angelus ergo proprium nomẽ ideo tacuit, & eam nouo nomine salutauit, videlicet, gratia plena, vt per mutationem nominis, mutationem status illi significaret, & eminentiam. Quod enim dicitur (*Gratia plena*) nomẽ est dignitatis, & proprij nominis MARIÆ circumlocutio, ab Angelo expressum, & à Deo propter nouitatem status, Virgini semper benedictæ impositũ: iuxta illud Isaiæ 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Isai. 62. Ratio verò propter quam Ecclesia ad nouum nomen, addidit (MARIA) & ipsum proprium nomen expressit; etiam de facili patet, si considerentur diligenter, quæ supra diximus. Diximus enim inter cætera multa, duo quę ad propositum faciũt. Primò diximus, quòd MARIA vt Domina, & stella maris nobis est data, vt gratiæ ipsius plenitudo, suppleat in nobis culpæ defectum, & à miseria huius mundi nos ducat ad vitam. Secundò diximus, quòd gratia plena, vt in sequentibus clarius dicetur, nomen est dignitatis: propter quod denotatur excellentia, & abundantia gratiæ in hac Virgine. Ecclesia ergo ideo ad nouum nomen, addidit nomen proprium, vt non solum per nomen nouum, scilicet (*Gratia plena*) sanctissimę illius Virginis dignitatem recolamus, sed etiam vt per proprium suum ipsius nomen eam inclinemus ad subueniendum nobis in necessitatibus nostris. Deinde cùm dicit, *Gratia plena.* Reuertitur ad primam partem salutationis Angelicæ, in qua, postquam Angelus Virginem salutauit illam commendando per amotionem omnium imperfectionum, narrat ipsius priuilegia, & gratias, per quas facta est digna, vt ab Angelis salutaretur, & honoraretur. Adcuius euidentiam est notandum, quòd ex particulari Dei priuilegio, per carnis nostræ assumptionem, tota natura humana, & omnes homines sunt quodammodo mirabiliter sublimati, ita vt post Filij Dei incarnationem, omnes Angeli se reputent conseruos nostros, quia licet ante incarnationem permitterent Angeli se adorare ab hominibus, vt patet in Dan. cap. 10. *Qui cecidit in faciẽ suam, & adorauit Angelum loquentem ei:* post incarnationem tamen, hoc non est permissum. Dan. 10. Nam vt legitur in Apocalip. 19. & 22. Ioannes hoc volens facere, est prohibitus ab Angelo dicente sibi: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Apoc. 19. & 22. Hoc priuilegio & gratia singulari, Virginem gloriosam salutat, & commendat Angelus, illam tanquam Dominam honorando, cùm dicit (*Gratia plena*) vbi tria facit. Primò illam commendat de plenitudine gratiæ in generali. Secundò, in speciali illã commendat quod habeat Deum secum. Tertiò, quòd inter mulieres sit specialiter à Domino benedicta. Secunda ibi (*Dominus tecum.*) Tertia ibi (*Benedicta tu in mulieribus,*) Dicit ergo (*Gratia plena*) id est, ideo tibi reuerentiam facio, & te saluto, quia obstatus tui mutationẽ, & propter illam sublimitatem, ad quam te Dominus ordinauit, vt sis Mater Filij eius, nouo hoc vocaris nomine, quòd os Domini nominauit: & non solùm vocaris, sed gratia

es

es plena, ad cuius intelligẽtiam primò est no tandum, quòd gratia tripliciter potest accipi, aut communiter, aut propriè, aut proprijssimè. Primo modo gratia communiter sumpta capitur pro omnibus, quæ naturaliter creaturæ acceperunt à Deo. Omnia enim quæ naturaliter à Deo accepimus, cùm per Dei dilectionem (qua nos diligit, iuxta illud Sapien. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*) acceperimus, & cũ ea quæ per dilectionem dantur, gratis dentur, quædam gratiæ dici possunt. Et secundũ istam intelligentiam non debent intelligi verbà Angeli, quia tunc in nullo laudata esset, & honorata Virgo MARIA super alijs creaturis, quę omnes in naturalibus, valde bonę sunt dictæ, secundum illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, scilicet quantùm ad naturam. Secundo modo dicitur gratia propriè pro aliqua re naturæ nostræ Dei beneficio superaddita, quæ cùm sit super naturam nostram, à nobis per naturã acquiri non potest, vt sunt omnia beneficia gratis data. Vt v.g. quod aliquis sciat statim loqui lingua extranea, prophetare, sapienter, & scientificè loqui, miracula facere, &c. Quę omnia nobis à Deo gratis donantur, iuxta illud Apost. Rom. 12. *Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes: siue prophetiam secundùm rationem fidei: siue qui docet in doctrina: siue ministerium in ministrando, &c.* Et illud 1. Cor. 12. *Alij quidẽ per spiritũ datur sermo sapiẽtiæ: alij autẽ sermo scientiæ secundùm eundẽ spiritum, &c.* Hęc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Neq; secundùm hanc sententiam verba Angeli debent exponi, quia cum ista gratia naturæ superaddita, sit communis, & bonis, & malis, vt de prophetia, & de potestate ejiciendi dæmonia in Euangelio secũndum Matthæum. Christus declarat, dicens: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos.* Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Neque super impios commendaretur ab Angelo beata Virgo, neque conuinceretur quod ab illo rationabiliter fuisset salutata, & honorata. Tertiò, gratia dicitur proprijssimè, quę non solùm superat nostræ naturæ vires, & gratis à Deo nobis donatur: sed & Dei nos amicos constituit, & dicitur gratia gratum faciens. Et de ista gratia dicitur in Euangelio Ioan. 6. *Lex per Moysem data est gratia, & veritas per Iesum Christũ facta est.* Et Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum, &c.* Et de ista gratia intelligitur ab Angelo virgo MARIA laudata, & honorata. Fuit enim magna gratia, quòd sine nostris meritis, quæ nulla habere poteramus, antequam essemus, nobis dederit bona naturalia. Maior fuit quod nos dederit dona naturæ nostræ superaddita, quæ per naturam non possumus adipisci. Sed illa est maxima gratia, quæ Dei amicos, & Deo gratos nos facit: & de hac maxima gratia loquens Angelus ad beatam Virginem, dicit (*Gratia plena*) non naturalibus tantùm potentijs, & virtutibus, non solùm donis naturę superadditis, & gratis à Deo tibi concessis, quæ per naturam habere non poteras, diues es facta, sed & gratia gratum faciente, per quam Dei amica constituta es, plena inueniris, ita vt de te illa vox sponsi in Canticis Cant. 4. intelligi possit, cùm dicitur: *Quàm pulchra est amica mea, quàm pulchra es.* Vbi tria notantur, quæ in Virgine glorioſa commendauit Angelus, cùm dixit (*gratia plena*) & quæ ipsa per gratiam fuerat consecuta. Prima per gratiam consecuta fuit pulchritudinem internam, quæ intelligitur quando dicit Sponsus, *Pulchra es*, scilicet, quantùm ad interiora. Actor. 15. *Fide*, id est, fidei gratia, & charitatis feruore, purificans corda. Secundò, per eandem gratiam, illam commendat Angelus, quòd acceperit amicitiam Dei, quod declarat Sponsus, cùm subdit: *Amica mea*. Sapient. 7. *Amicos Dei, & prophetas constituit*. Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos sed amicos*. Tertiò, commendatur de pulchritudine exteriori, quæ in sanctitate consistit conuersationis, quam conuersationis sanctitatem donat nobis Deus per suam gratiam. 2. Cor. 1. *In gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo*. Et hanc ipsius exteriorem pulchritudinẽ denotauit Sponsus, cùm subdidit, *quàm pulchra est amica mea*, scilicet, in sanctitate vitæ, & in puritate, & fæcunditate externæ conuersationis. Notandum secundò quòd gratia cum nobis det esse, & viuere spirituaiiter, iuxta illud Apostol. 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum*: & esse respiciat essentiam, secundùm sententiam Augustini, sicut posse respicit potentiam: rationabiliter ponitur tanquam in subiecto principali in essentia animæ, deinde per redundantiam recipitur in potẽtijs, & in toto corpore: & Deus, sicut prius in creatione creauit naturam, & essentias rerum, deinde potentias, virtutes, & accidentiã earum: sic in recreatione, quæ fit per beneficium gratię gratum facientis, prius perficit essentiam animæ per gratiam, deinde perficit potentias eius. Rationabiliter ergo diximus, quod in verbis Angeli, quando ait (*Gratia plena*) primò intelligitur interior pulchritudo, quam accepit Virgo benedicta per recreationem animæ: deinde intelligitur amica facta, & pulchra etiam in exterioribus: quia ad esse spirituale, sequitur amicitia Dei,

&

& spiritualis gratiæ redundantia, non solùm sequitur, quòd perficiantur potentiæ, sed etiã quòd perfectas exerceant operationes suas: vnum apparet etiam exterior pulchritudo. Notandum tertiò: quòd Angelus non simpliciter dixit in MARIA gratiam inueniri, sed (*Gratia plena*) quia in ea omnis gratiæ plenitudo inueniebatur. Vnde non solùm fuit plena gratia, quantùm ad animam, quia omne peccatum vitauit ex toto corde, iuxta illud
*Cant.* 4. Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; & virtutes omnes habuit: Non solùm fuit gratia plena quantùm ad corpus, propter redundantiam animæ, quia ex fidei redundantia, quam in corde habuit, secũdùm illud Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*: Neque solùm dicta
*Matt.* 1. est gratia plena per refusionem gratiæ in omnes gomines, iuxta illud Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium*:
*Cant.* 4. quia eius gloriosæ Virginis auxilijs & gratijs, muniunt tãquam sub tutissimis clypeis omnes homines: & in ipsa est omnis armatura fortium, & ab ipsa suscipiunt omnes. Et secundùm eandem sententiam dicitur de ea Eccl. 24 *In me omnis spes vitæ & virtutis*.
*Eccl.* 24. Sed triplex in ea inuenitur excellentissima gratiæ plenitudo, vt omnis talis plenitudo sit in anima, omnis talis redundet in corpus, & refundatur in omnes homines, si obicem non ponunt contrariæ dispositionis. Primò igitur dicitur gratia plena, non particulariter, sed vniuersaliter: quia cæteris sanctis, & etiã ipsis Angelis non omnes gratiæ datæ, sunt iuxta illud Apostoli 1. Cor. 12 dicentis: *Quòd*
1. *Cor.* 12 *vnus atque idem Sponsus diuidit singula singulis prout vult*: & non dicit, quòd diuidat omnia omnibus. MARIA autem dicitur gratia plena, quia ei sunt datæ omnes gratiæ, se-
*Eccl.* 24. cundum illud Eccl. 24. *In me omnis gratia vitæ & veritatis*. Et hæc est sententia Hieronymi, in sermone cui est principium, Cogitis. Dicit enim bene MARIA dicitur gratia plena, quia cæteris quidem per partes datur, MARIÆ verò se simul infudit gratiæ plenitudo. Et infra, Nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil castitatis, nihil candoris & gloriæ, quod ex ea nõ resplẽdeat. Secundò dicitur, *gratia plena*, quia ei data est gratia secundùm totius subiecti capacitatem, non autem ad mensuram, vt datur cæteris ab ea. De alijs enim dicitur Rom. 12. *Vnicuique diui-*
*Rom.* 12. *sit Deus mensuram fidei*. De hac autem benedicta Virgine legitur Prouer. vlt. *Multæ*
*Prou.* 31 *filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu sola supergressa es vniuersas*. Nam cæteræ habuerũt gratiarum gradum, ista autem habuit fontem gratiarum. Vnde Augustin. in quodam sermone dicit: Quid dignius, aut sanctius hac Virgine in humani generis semine potuit exoriri, cuius nullus Patriarcharum, nullus antiquorum sequentium patrum, nullus omnino hominum potuit comparari? Nec mirum si hæc admirabilis Virgo cunctorum celsitudinem transcendit mortalium, cum ipsa etiam excellat merita Angelorum. Et Hieronymus. Et in Patribus, & Prophetis, gratia fuisse creditur, tamen non eatenus plena. In MARIA verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter & aliter, vt dicemus. Tertiò, habuit plenitudinem gratiæ, secundùm perseuerantiam, & confirmationẽ. Vnde alij non habebunt hanc gratiam, secundùm confirmationem, vt de multis sanctorũ patere potest, qui post receptionem gratiæ peccauerunt: ad quos dicitur in Apocal. 2.
*Apoc.* 2. *Memor esto, itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*. MARIA autem habuit gratiæ confirmationem, quia nunquam peccauit, aut à gratia cãdere potuit. Vnde de ea potest intelligi illud Prou. 9.
*Prou.* 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, &c.* Vbi cùm talis domus, quæ est Virgo MARIA, domus diuini verbi, & sapientiæ Dei, dicatur suffulta septem columnis, in quibus intelligitur plenitudo domorum Spiritus sancti, & omnium virtutum, patet quia non solùm gratiæ plenitudinem acceperit, sed & eius confirmationem, vt nunquam caderet. Hanc autem plenitudinem gratiæ, vniuersalitatem non mensuratam, & confirmatam, intellexit Spiritus sanctus cùm in eius persona dixit, Eccl. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea*.
*Eccl.* 24. Dubitaret forte aliquis quomodo ab Angelo salutetur, & honoretur Virgo MARIA hoc priuilegio, quòd ipsa peculariter, & præ omnibus sit gratia plena, cùm hoc ipsum priuilegium de plerisque sanctis legatur in sacra Scriptura. Legitur enim de Christo, Ioan. 1.
*Ioann.* 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Præterea Exod. 31. Dicit Dominus ad Moysem, de Beseel filio Huri, *Impleui eum spiritu Dei*.
*Exo.* 31. Item, de timente Deũ dicitur Eccl. 15. *Impleuit eum Dominus spiritu sapiẽtiæ*.
*Eccl.* 15. Præterea, ille Angelus, qui dixit MARIÆ, *Gratia plena*, dixerat de Ioanne ad Zachariam patrem suum, Luc. 1. *Spiritu sancto re-*
*Luc.* 1. *plebitur adhuc ex vtero matris suæ*. Et de Apostolis omnibus dicitur Actor. 2. *Repleti*
*Actor.* 2. *sunt omnes Spiritu sancto*. Et de Stephano legitur Act. 6. *Stephanus autem plenus gra-*
*Act.* 6. *tia & fortitudine*. Et denique scribitur Act.
*Act.* 9. 9. quòd Ananias dixit ad Saulum: *Saule frater, Dominus misit me ad te, vt videas, & implearis Spiritu sancto*. Respondeo, dicendum, quod aliqui, vt breuiter & faciliter se expediant de proposita difficultate, dicunt, quòd multi sancti acceperunt à Deo plenitudinem gratiæ, quemadmodum accepit beata Virgo, inter quos illos dicunt hanc plenitudinem gratiæ accepisse, qui in sacra Scriptura sunt nominati, & in hoc non est laudata, & com-

commendata beata MARIA super illos quã A tùm ad plenitudinem gratiæ in se. Quòd si consideretur modus, & tempus in quo ei collata est ista gratiæ plenitudo, meritò super omnes sanctos, & etiam Angelos, est laudata tanquam de priuilegio singulari. Primò quãtum ad modum, sola hæc benedicta Virgo habuit gratiæ plenitudinem, quia ad statum Matris Dei assumenda erat. Secundò, quantùm ad tempus, quia gratiæ recepit plenitudinem à primo instanti suæ conceptionis. Cæterorũ autem sanctorum, & si aliqui spiritu, & gratia pleui sunt dicti, quod habuerunt cum illa commune, nullus tantùm habuit gratiam, & diuinitatem in se corporaliter habitantem, neque à primo instanti suæ conceptionis fuit sanctificatus. Sed isti sic dicentes licet aliquam veritatem dicant, non tantùm vadunt ad intentionem verborum Angeli, neque eas laudes tribuunt Virgini sacratissimę, quæ in nouo illo nomine tribuit ei Deus, & Angelus intellexit. Voluit enim Angelus nõ solùm eam commendare, quod quantum ad modum, & tempus receptionis gratiæ cæteros sanctos superauit, sed etiam quòd ipsam plenitudinem gratiæ abundantiorem receperit, sine mensura, vniuersalem, & omnino stabilem quantùm ad animam, & quantùm ad corpus, vt supra ex scriptura, & ex testimonijs Patrũ declarauimus. Et secundùm hunc modum exponendo, magis *laudatur Deus*, C *& commendatur* Virgo MARIA. Vt igitur eius laudes quantùm possumus celebremus, aliter dicitur ad quæstionẽ. Plenitudo enim gratiæ dicitur multis modis. Primò dicitur plenitudo sufficientiæ, quia tanta esse intelligitur, quanta sufficiat ad salutem. Secundò, dicitur plenitudo redundantię in alios; quod intelligitur de his qui in aliquo officio Ecclesię sunt constituti, & habent curam animarũ, qui tunc dicuntur pleni gratia, quando tantam habent gratiam, per quam saluari possunt, & per redundantiã gratiæ possunt suum officium exercere, & sibi commissos ad salutem inducere. Tertiò, dicitur plenitudo excellentiæ, quod intelligitur quantùm aliquis D non solùm habet gratiam per quam possit saluari, & gratiam redundantiæ, vt alios suæ gratiæ participes faciat, sed tantam habet, vt non sit capax maioris gratiæ recipiendæ in tali statu. Quartò, est plenitudo causalitatis, & affluentiæ, & est illa, per quam non solùm quispiam excellit alios omnes, sed etiam est in omnibus alijs causans ipsam gratiam, & illam largiens. Quintò & vltimo, dicitur plenitudo excessus & eminentiæ, quæ sua immensitate, neque declarari potest, neq; sub ratione sua infinita à nobis intelligi. His prælibatis, & in hunc mundum dispositis, singula adaptando ad ea quæ in obiectionibus dicebantur, simul soluitur quæstio, & respondetur ad obiectã. Prima plenitudo est communis omnibus iustis, & sanctis: quia sancti esse nõ possent, nisi tanta gratia replerentur, quæ illis sufficeret ad salutem; & de tali plenitudine intelligitur illud Eccl. 15. *Implebit eum Dominus spiritum sapientiæ & intellectus:* si tamen exponatur de omni timente Deum, vt litera videtur innuere. Similiter & de ista plenitudine intelligitur, quod legitur de Tabita, Actor. 9. *Quod erat plena bonis operibus & eleemosynis.* Secunda plenitudo est eorum qui in officio aliquo Ecclesiastico sunt constituti; & de ista plenitudine intelliguntur, quæ dicta sunt de Ioanne Baptista, Luc. 1. de Apost. Actor. 2. de Stephano, Actor. 6. Et de Paulo, Actor. 9. De tertia plenitudine intelligitur verbum Angeli, quæ solius fuit Virginis MARIÆ, cuius plenitudo excellebat omnium purarum creaturarum plenitudinem, vt iam dictum est. Quarta plenitudo est Christi hominis, quem cum dederit Deus *caput super omnem* Ecclesiam, vt dicit Paulus Eph. 1. tanquam caput decebat habere plenitudinem gratiæ, & illam causare, & influere in omnia mẽbra. Et de hac plenitudine intelligitur quod habetur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriã quasi Vnigeniti à Patre, plenũ gratiæ & veritatis.* Et post aliqua additur. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiã pro gratia.* Quinta est solius Dei, *cuius magnitudinis nõ est finis*, vt dicitur in Psal. 144. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, vt dicit Apost. Rom. 2. Ex quibus patet, quòd licet Scriptura in pluribus sanctis commendet plenitudinem gratiæ, tantùm plenitudo gratiæ excellentis iuxta totam capacitatem creaturæ in hoc mundo existentis, soli Virgini benedictæ conuenit; & ita rectè in eius gloriam, & honorem, Angelus illam super omnes sanctos exaltando, dixit in sua salutatione: *Aue gratia plena.* Secunda ibi cùm dicit.

*Ecclc.* 15

*Actor.* 9.

*Luc.* 1. *Actor.* 2. *Actor.* 6. *& 9.*

*Eph.* 1.

*Psal.* 144 *Rom.* 2.

*Dominus tecum.* Postquam commendauit Virginem gloriosam de plenitudine gratiæ in generali, commendat eam in speciali, non noua aliqua addendo, sed priùs inclusa declarando. Et duo facit, secundùm quod duplicẽ gratiam spirtualem in ea commendat. Primò commendat eam, quia Dominum habeat secum. Secundò, quòd si benedicta in mulieribus. Dicit ergo: *Dominus tecum*, id est, ideo te honoro, ideo tibi reuerentiam facio, quia cùm sis gratia excellentissima plena, hæc tibi præcipua gratia data est, quia Dominus est magis tecum, quàm mecum, aut cum quacũque alia creatura. Ad cuius intellectum est sciendum, quòd tota Trinitas erat cum Virgine benedicta. Erat enim cum hac benedicta Virgine, Dominus Pater, Dominus Filius, & Dominus Spiritus sanctus. Pater erat cum illa tanquam Sponsus, cum qua matrimoniũ

per

per verba de præsenti contraxit, quantum illa respondit ad Angelum, & cor dixerit in Deum, dicens: Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuũ.* Filius erat cum ea, tanquam Filius eius ex eius vtero nasciturus, iuxta illud Angeli Luc. 1. *Ideo quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vltimò, Spiritus sanctus erat cum illa, tanquam in suo templo, secundum illud Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Et iuxta illud Ecclesiæ, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Vnde patet, quòd rationabiliter dixit Angelus ei (*Dominus tecum*) id est, magis tecum, quàm mecum, aut cum quacumque alia creatura: quia nullius creaturæ, nec etiam Angelorum est hoc priuilegium, vt sit Sponsa Patris, Mater Filij, & Templum Spiritus sancti operantis Filij Dei incarnationẽ Heb. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Non enim ex cuiusq; mulieris vtero carnem assumens, sed ex hac tantissima Virgine tantùm. Et ista est sententia Bernardi cùm dicit: legimus in actibus Apostolorum Stephanum plenum gratia, & Apostolos plenos fuisse Spiritu sancto: sed longè dissimiliter MARIA. Alioquin nec in illo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodũ in MARIA. Et infra: Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed & Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis: & Dominus Pater qui genuit quem concipis. Pater inquam tecum, quia Filium suum facit tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo, & sibi referat genitale secretum, & tibi seruat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum sanctificat vterum. Fuit autem Dominus cum Virgine tripliciter. Primò in corde & mente: secundò in opere: tertiò in corpore. Primò, quòd in ea fuerit in corde & mente, habuit commune cum omnibus iustis, vt dicit Bern. Tertiò, quòd eum habuit in ope, etiam fuit commune cum omnibus sanctis, iuxta illud 1. Cor. 12. *Idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.* Secundo autem modo, quod eum habuerit in vtero corporaliter, *quantùm inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, vt dicitur Matth. 1. adeò illi fuit speciale, vt meritò sit ipsa sola ab Angelo salutata, & vt Mater Domini omnium Angelorum honorata: & ei solùm est dictum: *Dominus tecum.* Verè priuilegium singulare, vt Filius Dei carnem sibi iungeret Virginis, ac si de sua, Virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret: qui & si nec totus de Deo, nec totus de Virgine: totus quantùm Dei, & totus Virginis esset: nec duo Filij, sed vnus vtriusque filius, & Dei, & Virginis. Ad

Luc. 1.

Hebr.

1. Cor. 12.

Matt. 1.

maiorem rem tantùm intelligentiam dictorũ est adhuc sciendum, quòd Deus dicitur esse in creaturis quinque modis. Primò, per præsentiam. Secundò, per potentiã. Tertiò, per essentiam. Quarto, per gratiam adoptionis. Quintò, per gratiam vnionis. Primo, secundo, & tertio modis, dicitur esse in omnibus rebus creatis, secundùm illud Isa. 6. *Plena est omnis terra gloria eius.* Et illud Psalm. 138 *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumpsero, &c.* Quinto modo est in solo Christo, qui (secundum illud Apostoli Phil. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum examinauit formã serui accipiens, &c.* Et illud Ioan. 1. Verbum, id est, illud de quo dixerat prius, *Et Deus erat Verbum, Caro factum est*, id est, per gratiam vnionis personalis Deus in homine habitauit in vnitate suppositi. Quarto autem modo est in omnibus sanctis. Aduertendum tamen, quòd iste modus magnam suscipit latitudinem, & in hoc modo plures modi assignari possunt. Nã sicut non omnes sancti, & iusti æqualiter Deũ cognoscunt, sed aliqui cognoscunt magis, aliqui verò minus: ita non omnes illum æqualiter diligunt, sed quidam magis, & quidam diligant minus. Et sicut non omnes æqualiter cognoscunt, & diligunt, ita non est in omnibus æqualiter per gratiam adoptionis, licet omnes per adoptionem Filij Dei simus, iuxta illud Pauli Gal. 4. *Cùm venit plenitudo tẽporis, misit Deus Filium suum*, &c. *vt in adoptionem filiorum Dei reciperemur.* Nam (vt supra diximus) aliqui habent Deum secũ, & eius gratiam, quantùm sufficiat ad salutẽ. Aliqui etiam quantùm ad officium sibi commissum exequendũ sufficiat, & non solùm ad consequendam salutem. Et omnium istorum, aliqui magis, & aliqui minus secundùm gradus accidentales ipsius gratiæ. Hęc autẽ Virgo benedicta gratia plena est dicta, quia excellentissimam habuit gratiæ plenitudinem in corde, corpore, & opere: & dicta est habere Dominum secum, non solùm per potentiam, præsentiam, & essentiam, vt est in omnibus creaturis: & non solùm per gratiam cognitionis, & amoris, vt est in omnibus sanctis, sed modo excellentissimo, quo potuit Dominus esse in pura creatura, scilicet, per gratiæ plenitudinem in mente, & per assumptionem carnis in ventre: adeò vt rationabiliter sit ei ab Angelo singulariter dictum: *Dominus tecũ.* Deinde cum vltimo dicit.

*Benedicta tu in mulieribus.* Declarat, quòd inter alias gratias, quas accepit sanctissima Virgo, accepit benedictionem. Dicit ergo, Benedicta tu, id est, benedictione Domini, qui tecum est, sanctificata, & omnibus maledictionibus libera, & singulis plena benedictionibus inueniris. Vt autem hoc magis appareat,

Isa. 6.

Psal. 138

Phil. 2.

Ioann. 1.

Gal. 4.

pareat, addit, In mulieribus, vt illum inter mulieres innuerit benedictam per remotionem omnis Væ primæ illius maledictionis, quæ omnibus mulieribus data fuit, Genes. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, &c.* A quibus fuit immunis Virgo MARIA per Domini benedictionem, vt in præcedentibus declarauimus. Meritò ergo ab Angelo dicitur benedicta in mulieribus, quæ omnium mulierum sustulit maledictionem, ita vt non amplius ad pœnam remanserint præcedentium peccatorum, sed ad exercicium, & ad augmentum meritorum. Potest etiam addi, quòd cum Angelus dixit (*Benedicta tu*) non solùm Virginem intellexerit ab omnibus Væ, & maledictionibus liberam, sed etiam omnibus repletam benedictionibus. Quæ & si multæ sint ita vt à nobis enarrari nõ possint: quantùm tamen ad tempus sufficiat, triplicem accepit benedictionem à Domino. Prima, fuit benedictio fœcunditatis. Secunda, fuit ipsius fœcunditatis amplificatio. Tertia, fuit benedictio honoris, & laudis. Circa primam benedictionem est notandum, quòd in sterilitate manentes erant maledictę, & iuxta illud: *Maledicta sterilis in Israel*: non quia peccatum esset sterilitatis, sed quia erat opprobriũ hominum, tanquam inutilis, & infructuosa, vt Bern. dicit super missus est. Ab isto autẽ opprobrio per benedictionem fœcunditatis libera fuit Virgo MARIA, sua integritatẽ per Domini benedictionem in illa seruata, adeò vt præter, & supra omnem ordinem naturæ, & Virgo integerrima esset, & Mater fœcunda. Quod Spiritus sanctus nobis per os beatæ Elizabeth ostendit, cùm dixit: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Vbi in eo quod dicitur Mater, benedictio intelligitur fœcunditatis: in eo verò quod additur, Domini mei, id est: Saluatoris mundi, integritas intelligitur virginitatis: *Quia quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, Matt. 1. Mat. 1. sine omni commixtione virili. Notãdum etiam pro benedictione secunda, quòd Virgo gloriosa vnum solum genuit Filium naturalem Dominum nostrum Iesum Christum. Sed sicut Abraham patriarcha per vnicum filium suum Isaac, & per senem benedictum fructum, huius sanctissimæ Virginis, nõ per naturalem generationem, sed secundùm spiritum dictus est Pater multarum gentium, iuxta illud Gen. 17. *Non amplius appellaberis Abram, sed Abraham, vt sis Pater multarum gentiũ.* Et secundùm illud Apost. Gal. 3. Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit in seminibus, quasi in multis, sed semini tuo, quod est Christus.* Et postea dicit: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c. Si autẽ vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem hæredes.* Et cap. 4. *Nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filij sumus.* Sic ista gloriosissima Virgo per vnicum Filium Iesum Christum, facta est Mater omnium credẽtium, & ita benedictio fœcunditatis fuit in ea amplificata, non secundùm carnis propagationem, sed secundùm spiritus generationẽ. Vnde de ea potest congruentissimè intelligi illud Eccl. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, timoris, magnitudinis, & sanctæ spei.* Propter tertium sciendũ quòd ista Virgo gloriosissima licet propter suas virtutes & excellentissima merita, laudata fuerit & honorata: tantùm maximum genas honoris & laudis ab omnibus accipere meruit propter Filium Iesum Christum: quia sicut dicit sapiens Prou. 10. & 14. *Quòd Filius sapiens lætificat Patrem suũ*: sic non incongruè dicere possumus, quòd Christus Virginis Filius (*in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi*, vt dicitur Col. 2.) eam lætificauit per illam benedictionem copiosissimam, quam mundo attulit, iuxta illud Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*; vnde ex impetu fluminis non solùm accepit plenitudinem omnium gratiarum, sed etiam benedictionẽ honoris & laudis. Primo enim laudauerunt eã, & honorauerunt Angeli, quia Angelorũ genuit restauratorem: & iuxta illud Eph. 1. *Instaurauit omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.* Dicitur enim Deus in Christo instaurasse, quæ in cœlis sunt, id est, Angelos (vt diximus supra epistol. ad Eph.) quia numerum cadentium Angelorum ex hominibus restituit, & euacuatas sedes impleuit. Secundò, laudauerunt, & laudant eam homines, quia hominum genuit Saluatorem, secundùm illud Luc. 19. *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Notandum vltertius, quòd cùm Abrahæ promissum fuerit, quòd multiplicandũ esset semen eius (dicendo Genes. 13. *Faciam semẽ tuum, sicut puluerem terræ, &c.* & quod in semine suo benedicendæ erant omnes gentes, Genes. 23.) innuebatur, quòd omnes istæ benedictiones in semine suo erant implendæ, id est, benedictio fœcunditatis, benedictio amplificationis filiorum per fidem, & benedictio laudis & honoris: quæ omnes in benedicta Virgine intelliguntur impletæ per Christum, cùm dicit ei Angelus, *Benedicta tu.* Notandum hoc vltimo, quòd de Abraham legitur Genes. 12. *Benedicam tibi*, scilicet, quantum ad fœcunditatem, & fœcunditatis ampliationem: *Quia multiplicabo semen tuum, & faciam te in gentem magnam, & eris benedictus*, id est, laudatus, & honoratus ab alijs. *Benedicamque benedicentibus tibi, &c.* Vbi patet, quòd benedictionũ Abrahæ possunt esse participes, qui ei benedicunt:

Gen. 17.

Gal. 3.

Gal. 4.

Eccl. 24.

Prou. 10. & 14.

Col. 2.

Psal. 45.

Eph. 1.

Luc. 19.

Genes. 13 & 23.

Genes. 12.

qui

qui autem illi maledicunt maledicunt. Ita & de hac benedicta Virgine est tenendum, quòd qui illam blasphemauerit, & ei maledixerit, erit maledictus à Filio: qui autem benedixerit illi, benedicetur per Filium suum, & accipiet salutem æternam, secundùm illud quod in persona eius dicitur Eccl. 24. *Qui elucidant me*, id est, qui me laudant, me honorant, & benedicunt, *vitã æternam habebunt*. Vt ergo benedictionum sanctissimæ Virginis possimus esse participes, & in vita æterna regnare cum illa, non cessemus quotidie cum Angelo eam laudare, dicentes: *Benedicta tu in mulieribus*.

Eccl. 24.

*Et benedictus fructus ventris tui.* Ista est pars tertia principalis Angelicæ salutationis, quam in honorem, & commendationem Virginis benedictæ addidit beata Elizabeth, vt in principio diximus. In qua postquam Angelus salutauit gloriosam Virginem, nouo nomine, & pluribus priuilegijs illam commendando, & hoc quantum ad primam partem: & ecclesia illam salutauit, & implorauit in auxilium suum nomine proprio, & hoc quantum ad partem secundam illam honorat, & laudat Elizabeth, ex magnitudine fructus ventris sui, dicens: *Benedictus fructus ventris tui*, id est, ideo ab Angelo benedicta es appellata in mulieribus, quia est benedictus fructus ventris tui: non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui, sed ideo tu benedicta, quia benedictus est fructus ventris tui, quia præuenit te in benedictionibus dulcedinis. Notandum est autem, quòd Spiritus sanctus per os beatæ Elizabeth, non dixit, Benedictus fructus ventris tui, aut in mulieribus, aut in hominibus, aut in Angelis: sicut de beata Virgine dixerat Angelus, Benedicta tu in mulieribus: vt omnium comparatione hominum, & Angelorum benedictus intelligeretur, quemadmodum in comparatione talium benedicta est appellata sanctissima Virgo. Sed dictum est simpliciter, Benedictus fructus ventris tui, vt & simpliciter, & absolute benedictus intelligeretur, & sine alicuius comparatione in infinitum benedictus apparet: iuxta illud Apost. Rom. 9. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Notandum secundò, quòd etsi multæ possint assignari rationes, quare iste fructus Virginis dictus sit benedictus, triplex tantùm ad præsens assignabitur ratio. Prima ratio est, quia nobis portauit veram Dei similitudinem, quę antea per peccatum fuerat in hominibus obscurata. 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus.* Secunda ratio, quia veram nobis largitus est pulchritudinem, cùm antea per fœditatem peccati facti essemus immundi omnes. Vnde ipse, qui speciosus est forma præ filijs hominum, dixit Petro, Ioan. 13. *Si non lauero te, non habebis partem mecũ.* Et Paulus de eo dicit Eph. 5. *Seipsum tradidit pro ea*, id est, pro Ecclesia, *vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ:* vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculã, aut rugã, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata. Quod initiatiuè contingit iustis in hac vita: completiuè autem erit in patria. Tertia causa est, quia omnem attulit suauitatem, & salutem. Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Fructus autem Euæ primæ matris omnium nostrum rationabiliter non est dictus benedictus fructus, sed fructus scientiæ mali: quia per scientiam practicam fecit nos scire, & experiri omnia contraria his quæ accepimus per Christum benedictum fructum. Primò, fecit nos dissimiles Deo, & non solùm de corporali paradiso electi fuimus, sed (iuxta illud Luc. 15. *Peregre profectus est in regionem longinquam*) & nos in vallem dissimilitudinis ambulantes, recessimus à Deo salutari nostro. Secundò, per fructum Euæ facti sumus turpes, non solum quia nudos nos cognouimus, sed etiam quia cecedimus in fœditatem peccati, ita vt verum sit quod dicit Iob 25. *Ecce Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei. Quanto magis homo putredo? Et filius hominis vermis?* Et illud Isaiæ 64. *Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ.* Tertiò, ex hoc fructu amaritudinem suscepimus dolorem, secundùm quod illis fuerat dictum Genes. 2. *In quacumque die comederis, morte morieris, &c.* Vel possumus aliter dicere, quòd ideo dictus est benedictus, primò, quia benedictus fuit in se à Patre cælesti gratijs omnibus plenus, secundùm quod dicitur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenũ gratiæ, & veritatis.* Et in tantum fuit benedictus, & gratijs, & benedictionibus plenus, vt in illo posuerit Deus benedictiones omnium nostrum. Vnde Paulus Eph. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Secundò, quia benedictiones nostras, quas in ipso posuit Pater, ad nos portauit, secundùm quod Abrahæ promissum fuerat, Genes. 23. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ideo hic benedictus fructus, voluit maledictus reputari, & in cruce pendere, vt benedictionem nobis donaret, & liberaret à maledictione: iuxta illud Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*, id est, sustinuit supplicium pro nostris peccatis, quod supplicium ideo dicitur maledictum, quia scriptum est: Deut. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Pœna enim quam pro nobis est passus, venit ex ma-

Ioan. 13.

Rom. 9.

1. Ioan. 3

Eph. 5.

Ioann. 6.

Luc. 15.

Iob 25.

Isai. 64.

Genes. 2.

Ioann. 1.

Eph. 1.

Genes. 23

Gal. 3.

Deut. 21

maledictione. Et etiam pro nobis factus est maledictus, vt Apostolus addit, vt nos á maledictione liberaret, & benedictionem Abrahæ, id est, illam qua dictum est, Gen. 23. *In semine tuo benedicētur omnes gentes:* accipiamus per fidem. Tertiò, dictus est benedictus, quia cum nobis per Dei benedictionem meruerit regnum cœlorum, tanquam à Domino benedictos quotidie vocat ad possessionē illius regni, Marc. 25. *Venite benedicti Patris mei ad possidendum paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et in die iudicij ad illam æternam benedictionem, & perpetuam gloriam omnes assumet. Ad clariorem tamen intelligentiam dictorum, vt sciamus quomodo huius fructus benedicti benedictionem habere possimus, est notandum, quòd tripliciter incurrimus maledictionem Dei. Primò per incredulitatem, Christi verbum non audiendo, & illi non assentiendo. Deut. 18. *Qui autem verba eius*, id est, Christi, *quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Et Marc. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Secundò, per silentium à laude, & confessione, Gen. 12. *Maledicam maledicentibus tibi.* Et Matt. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Tertiò, incurrimus in maledictionem Dei propter cessationem à bonis operibus. Deut. 28. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & cærimonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, &c.* Et c. 27. *Maledictus omnis, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit, & dicet omnis populus. Amen.* Et sicut tripliciter incurrimus in maledictionem Dei, vt iam declarauimus, ita & tribus modis possumus huius fructus benedicti, benedictionem accipere. Primò, per fidem. Gal. 3. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Et post aliqua: Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Secundò, per confessionē, & laudem, Genes. 12. *Benedicam benedicentibus; qui benedixerit tibi, erit ille benedictus.* Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis.* Tertiò, per opera bona, obseruando præcepta. Ioann. 13. *Beati eritis si feceritis ea.* Et Matt. 25. *Benedictos*, & hæredes benedictionis ad possidendum regnum appellat eos, qui bona egerunt, dicendo *Venite benedicti Patris mei ad possidendum paratum vobis regnum à constitutione mundi, quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Hic est ille fructus cui benedixit Pater. Prouerb. 10. *Benedictio Domini super caput iusti.* Eph. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, &c.* Illi benedixerunt Angeli, Apoc. 7. *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* Benedixit Sion: Luc 2. Benedixit Deū Sion, & dixit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.* Benedixerunt populi: Ioann. 12. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Igitur vt benedictionem eius accipiamus, nos illam quoq; benedicamus, de quo Ecclesia cantat, quòd soluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortē donauit nobis vitam sempiternam. Hæc autē omnia quæ exposuimus in laudem benedicti fructus sanctissimæ Virginis, in Virginis cōmendationē debent intelligi; quòd beata Elizabeth intelligere ostēdit, cum nō solùm & simpliciter dixerit: *Benedictus fructus*, sed ipsam Virginem exaltando addidit: *Ventris tui.* In hoc enim maximè commendatur MARIA, quòd non minorē, neque æqualem, sed infinitum se ipsa meliorē genuit Filium: à cuius benedictionis abundātia, super omnes creaturas benedictionibus est repleta. Ad honorem igitur Filij, & ad commendationem Matris, cum beata Elizabeth quotidie debemus dicere.

*Benedictus fructus ventris tui. IESVS.*

Ista est quarta, & vltima pars Angelicæ salutationis, quam addidit Ecclesia: in qua, postquam Angelus Virginem nouo nomine salutauit quoad primam partem, & Ecclesia salutauit illam nomine proprio quoad partem secundam, & Elizabeth eam commendauit per benedictum fructum ventris sui quoad partem tertiam: Ecclesia Catholica illam tanquam reginam, aduocatam, & mediatricem nostram apud Deum, inuocat in auxilium nostrum. Et duo facit, quia primò specificat proprium nomen fructus benedicti, ventris Virginis MARIÆ. Secundò ipsam Virginem implorat in auxilium. Secūda ibi: Sancta MARIA. Dicit ergo, IESVS, id est, meritò à beata Elizabeth, fructus ventris tui sanctissimæ Virginis, dictus est benedictus: quia talis fructus est IESVS, per quem omnes & benedicimur, & saluamur. Ad cuius intellectum est notandum, quòd benedictus fructus MARIÆ Virginis voluit proprio nomine dici, IESVS, vt nobis non solùm innotesceret ipsum esse fructum benedictum, sed etiam vt ex intelligentia ipsius cognosceremus de suo nomine verum esse, quod legitur Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum:* propter multa beneficia, quæ à Deo in benedicto hoc nomine conceduntur hominibus. Quæ nobis facile patere poterunt, si olei vsum, cui hoc sanctissimum nomen com-

paratur, consideremus. Oleo enim & si propter multa, specialiter tamen propter tria, vti cõsueuimus. Primò, causa voluptatis, & delitiarum. Secundò, & ad confirmanda corporis membra, & ad vires recuperandas. Tertiò, ad medenda vulnera. Primo igitur vtimur oleo causa voluptatis & delitiarum, vt corpora sic iniũcta habeant maiorũ gratiam, secundũ quod legitur de Iudith vidua, quò exitura ad Holoferné Principem militiæ Assyriorum pro liberatione gentis suæ, quòd *vnxit se myrto optimo*, id est, vnguẽto myrti, vt maiorem haberet gratiam ad capiendum illũ in oculis. Et in Psal. dicitur, *vt exhilaret faciẽ in oleo.* Et Psal. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Secundò, vtimur oleo ad confirmandas vires corporis, & recuperandas, vt in athletis est manifestum, qui antequã prælientur, inunguntur, vt rubustiores euadant, & firmiores: & post certamen, vnguntur iterum ad vires lassas restituendas. De virtũ confirmatione legitur in Psal. 108. Caro mea immutata est, id est, deteriorata porpter oleũ, id est, propter defectum olei, quia multo tẽpore nõ sum vnctus ad corporis confirmationem. De virium autem restauratione legitur 2 Par. 18 de habitatoribus Samariæ, qui ex Iudæa captiui ducti fuerant, quòd cùm vestissent eos, & refecissent cibo, ac potu, vnxissentq; propter laborẽ, & adhibuissent eis curam; quicumq; ambulare nõ poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, &c. Tertiò, vtimur ad medẽda vulnera: iuxta illud Isaiæ 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Et Luc. 10. *Samaritanus autem infudit in vulnera eius oleũ & vinũ.* Iuxta hunc triplicẽ olei vsum, triplicem nominis benedicti Iesu fructum, & effectũ possumus declarare. Primò, quia nos lætificat. Secundò, quia corroborat, & restaurat. Tertiò & vltimo, medetur, & sanat. Primo ergo lætificat, secundùm illud Angeli Luc. 2. *Ecce enim euãgelizo vobis gaudium magnum, quòd erit omni populo:* & causã gaudij subdens dicit, *Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Ipse enim *lætificat iuuentutẽ nostram*, vt legitur Psal. 42. Vnde etiam dicitur cõformiter in Euãgelio: Ioan. 20. *Gauisi sunt discipuli, viso Domino.* Secundò, corroborat, & restaurat: vnde de Apostolis legitur, quia in hoc nomine corroborati, omnia superabant aduersa, iuxta illud Marc. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Et de omnibus qui vires amiserant, & postea à Domino sunt sanati, dici potest, quòd in hoc nomine restaurati fuerunt, secundùm illud Petri, Act. 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula: & apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ* Tertiò, medetur, & sanat: & ideo dictus est IESVS, id est, Saluator, quia nos saluat. Vnde Matth. 1. *Vocabis nomen eius IESVM.* Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Luc. 19. *Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Act. 4. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Notandũ autem quòd duplex est salus, vna particularis, alia vniuersalis. Vel aliter, vna corporalis, & temporalis, alia spiritualis, & æterna. Christus autem non ideo IESVS est dictus, quia salutem tribuat particularem, corporalem, & temporalem, sicut aliqui hoc nomine appellati fuerunt in veteri testamento, qui huius benedicti fructus fuerunt figura, vt patet de IESV Filio Naue, quia temporalem salutem illi populo acquisierunt: Sed ideo IESVS est dictus, quia salutem daturus erat spiritualem & æternam. Et ideo signanter dixit Angelus, Matth. 1. *Saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Tripliciter verò populum suum saluat à peccatis eorum. Primò, medicinam salutarẽ præparando, quod fecit quando sanctissima instituit Sacramenta, quorum institutionem adumbrauit, Luc. 10. *Samaritanus autem, &c. Et appropians alligauit vulnera eius, infundẽs oleum, & vinũ, &c.* Quæ omnia Sacramenta exierunt à latere Domini nostri Iesu Christi, & à sua Passione omnem efficatiam acceperunt, quoniam (sicut Ioann. cap. 19.) *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.* Sunt autem Sacramenta omnia septem, quæ à Christo in medulam vulnerum nostrorum nobis sunt præparata, vt ex sacra Scriptura est manifestum. Primum est Baptismus, de quo Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Secundum est Confirmatio, de qua Matth. 19. sub quadam figura dicitur *Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret, &c. Et cùm imposuisset eis manus, abijt inde.* Et in actibus Apostolorum legitur, quòd Apostoli imponebant manus super eos, qui baptizati erant in nomine Domini IESV, & accipiebant Spiritum sanctum. Et de Paulo legitur Act. 19. Quòd cũ imposuisset illis manus, *venit Spiritus sanctus super eos.* Tertium est Ordo sacer, de quo Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt:* vbi dedit eis auctoritatem ligandi, & soluendi. Et Matt. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi dedit illis auctoritatem conficiendi Sacramentum Eucharistiæ. Quartum est pœnitentia, de qua dicitur Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum*

Psal. 103
Psal. 44.
Psal. 108
2. Par. 18
Isai. 1.
Luc. 10.
Luc. 2.
Psal. 42.
Ioan. 20.
Marc. 16
Act. 3.
Luc. 19.
Actor. 4.
Matt. 1.
Luc. 10.
Ioan. 19.
Ioann. 3.
Matt. 19
Act. 19.
Ioan. 20.
Mat. 26.
Ioan. 20.

*rum retinueritis retenta erunt:* vbi cùm Sacerdotes instituantur iudices, & arbitri peccatorum, manifestum est, quia iudicare, & recte absoluere non possunt, nisi cognoscant omnia peccata, & grauitatem eorum: quare qui ab eis absolui voluat, tenentur illis denuntiare peccata sua in confessione. Quintum est Sacramentum Eucharistiæ, quod Ioann. 6. diffuse est prædicatum. Et Matth. 26. legitur institutum, cùm dicitur: *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum Hoc facite in mei commemorationem.* Sextum est Matrimonium, de quo Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet, &c.* Septimum & vltimum est Vnctio extrema; de qua dicitur Marc. 6. quòd Apostoli vngebant oleo multos *ægrotos, & sanabantur.* Et Iacob 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, &c.* Secundò, sanat nos quotidie morbum expellendo, id est, remittendo nobis peccata, quæ morbum sunt animæ nostræ. Propter hoc nos quotidie in oratione dicere docuit: Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, &c.* Propter hoc etiam dixit per Prophetam. *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Tertiò & vltimo nos sanabit, perfectam salutem nobis in patria conferendo, secundùm illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et illud Apostoli Rom. 6. *Gratia autem Dei vita æterna.* Hanc autem salutem nobis applicare possumus per fidem, spem, charitatem, bona opera, & vnus Sacramentorum, vt supra diximus de benedictione illius. Deinde cùm dicit.

*Sancta MARIA Mater Dei.* Postquam specificauit proprio nomine benedictum fructum ventris ipsius, illam incipit implorare in auxilium suum, & tria facit. Primò implorat eam proprio nomine, & nomine quod os Domini nominauit. Secundò, specificat petitionem suam. Tertiò & vltimo, manifestat quo tempore, & quanto tempore, cupiat exaudiri. Secunda ibi: Ora pro nobis. (Tertia ibi: Nunc & semper) Dicit ergo. O sancta, id est, Deo sanctificata, à terris eleuata, MARIA, id est stella maris, à Deo illuminata, & illuminatrix nostra, nostra Domina, & mare amarum, nostras auferens amaritudines, quòd facile patere potest, quia es Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi pura (supple) audi nos, suscipe deprecationem nostram, & concede quod à te deuotissimè petimus. Notandum primò, quòd Ecclesia benedictam Virginem implorando, vocat ipsam, sanctam; quòd tripliciter de illa verificari potest, iuxta triplicem interpretationé huius nominis, Sanctus. Sanctus enim (vt super Dominica oratione diximus) primò dicitur idem quod agios, id est, sine terra. Secundò, sanctus, idem est quod mundus. Tertiò, idē est quod firmus, & quasi sanatus. Primò ergo MARIA rationabiliter dicitur sancta ab Ecclesia, quia à terra fuit semper eleuata, & ab affectibus terrenis remotissima, adeò vt sicut Paulus dicebat de conuersatione iustorū adhuc in terris viuentiū. Nostra autē conuersatio in cœlis est: ita & de benedicta hac Virgine dici potest. Quæ cū meruerit à Domino eleuari super choros omniū Angelorum, secundùm illud Ecclesiæ, Exaltata est sancta Deigenitrix super choros Angelorum: & præmium in patria correspōdeat merito in via: sequitur quòd dum viueret super omnes alias creaturas, fuit à terrenis affectibus separata: vnde sancta est dicta, id est, sine terra, à terrenis eleuata. Secundò, etiā sāta est dicta rationabiliter prout sanctū, est idem quod mundū: fuit enim hæc sanctissima Virgo munda ab omni labe peccati actualis (vt iā diximus) & à peccato originali fuit mundata antequam nata, adeò vt verissimè de ea intelligatur illud Cant. 6. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Tertio est etiam sancta, vt sanctum est idem quòd firmū: quia ipsa fuit firma & stabilis in sanctitate, adeò vt per totam vitam suam nūquam peccauerit, & de ea verificetur illud Psalm. 45. *Sanctificauit*, id est, firmauit, & stabiliuit in sanctitate, *tabernaculum suum altissimus.* Notandū secundo, quòd est dicta proprio suo nomine MARIA, vt sic proprio nomine implorata, se flecteret ad suscipiendam deprecationē nostram. Qualiter autē interpretatur hoc nomē, & quòd beneficia nobis conferantur in inuocatione huius nominis, supra dictum est. Notandū tertio, quòd quia aliquis dubitare posset, quòd in nomine huius sanctissimæ Virginis, tanta & talia beneficia nobis conferātur, quanta & qualia in præhabitatis commemorabimus, & quia etiam contingere posset, quòd orando minus se cōmitteret auxilio eius, ideo Ecclesia addit (*Mater Dei*) vt cùm eam, quā salutamus & inuocamus, Matrem Dei esse audimus, speremus & credamus, quòd omnia ad salutem necessaria, nobis impetraret à Filio. Notādum denique, quòd cùm dicitur Virgo MARIA Mater Dei, non ita debet intelligi, quòd sit à muliere genitus Deus in quantūm Deus, cùm hoc sit omnino falsum. Sed est genitus in quantùm homo, iuxta illud Pauli Rom. 1. *Factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Tamē quia diuinitas in vnitate suppositi est nostræ humanitati cōiuncta, ita vt propter duas naturas, diuinā, scilicet, & humanā, dicatur verus Deus, & verus homo Iesus Christus: ideo propter hāc vnitatē suppositi licet sit genitus in quātū homo & Virginis Filius, dicitur etiā cōceptus & natus Deus, & Filius mulieris, secundū illud Apo. Gal. 4. *Misit Filiū suū factū ex muliere, &c.* Et sic patet quòd

*Ioann. 6.* *Matt. 26* *Matt. 19* *Marc. 6.* *Iacob. 5.* *Matt. 6.* *Psal. 83.* *Rom. 6.* *Cant. 6.* *Psal. 45.* *Rom. 1.* *Gal. 4.*

quod sicut Virgo benedicta rationabiliter dicitur mater hominis: ita & propter vnitatẽ suppositi, dicitur Mater Dei. Deinde cùm dicit: *Ora pro nobis peccatoribus*. Specificat petitionẽ suam, in qua quærit, quòd ipsa Virgo benedicta oret pro nobis. Continuet ergo sic: Benè dictum est quòd sis sancta, hoc est, à terrenis eleuata, & ab omni labe peccati munda, & benedicta est MARIA, id est, stella illuminata, illuminastrix, & Domina nostra, quia est Mater Dei, Mater omnium bonorũ, & nullius egens: quàm cum talem agnoscamus, & nos simus multis peccatis, & miserijs pleni, ad te recurrimus tanquam ad aduocatam, & mediatricem nostram, dicẽtes: (Ora) Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum (*pro nobis*) non nos ipsos iustificantibus, aut dignitatem nostrã præferentibus, sed (*pro nobis peccatoribus*) peccata nostra confitentibus, & tuam intercessionem, & Dei misericordiam implorantibus. Notãdum autem ad maiorem dictorum intelligentiam, quòd animæ sanctorum cognoscunt particularia in mundo existentia, & audiunt nostras orationes. Hoc autem est manifestum in diuite illo in inferno posito, qui (vt legitur Luc. 16) Abraham, & Lazarum recognouit, & recordatus est se habere quinque fratres: quod esse non posset sine cognitione particularium. Qualiter autem illa cognoscant, non est præsentis speculationis: sed hoc declarabimus, si cõtinget nos scribere super quarto sententiarum. Notandum vlterius, quòd sancti in patria existentes, non solùm nos in particulari audiunt, & cognoscunt, sed etiam de nostra multiplici miseria nos liberare cupientes, orant Deum pro nobis, iuxta illud 2. Matth. vlt. *Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei*. Et tamen in illo tempore Ieremias mortuus erat. Et huius sententiæ rationem adducit Hieronymus contra vigilantium, dicens: Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro alijs orant; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Stephanus enim imitator Domini fuit, & primus in Christo martyr pro persecutoribus viuens, veniam deprecatus est: nunquid postquam cum Christo esse cœperit minus valebit? Paulus ducentas & septuaginta sex animas sibi adhuc viuenti condonatas in naui testatur, at postquam cum Christo regnat, nunquid iam ora clausurus est? Notãdum tertiò, quòd quia sancti cognoscunt indigentiam nostram, & in charitate confirmati orant pro nobis, ideo à nobis sunt inuocandi in necessitatibus nostris, vt cum indigni simus accedere ante Dominum sine tutela charorum amicorum suorum, ipsi pro nobis intercedere dignentur. Vnde apud Iob 3. dicitur: *Voca ergo si quis est qui respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere*. Cũ ergo sancti nos audiant, & cognoscant, orent pro nobis, & à nobis in nostris necessitatibus sint inuocandi, quia benedicta Virgo inter omnes sanctos, & Angelos, maiorem charitatẽ habet, & maiorem gloriã, quia eleuata est super choros Angelorum ad cælestia regna, ideo rationabiliter ad illam recurrimus, vt oret pro nobis. Ad maiorem tamen intelligentiam dictorũ est sciendum, quòd inter alia duo sunt nobis necessaria ad hoc, quod Virgo MARIA, & alij sancti pro nobis intercedere dignentur. Primum vt cum humilitate nostram agnoscentes indigentiam, suum auxilium imploremus, iuxta illud Eccl. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet nõ consolabitur, & non discedet donec altissimus aspiciat*. Hæc humilitas innuitur cùm dicitur: *Ora pro nobis*, non iustis, sed peccatoribus. De hac autem humilitate, & de alijs virtutibus, quarum ipsa est fundamentum, ita loquitur Augustinus: Inter hæc igitur fratres, cum toto mentis affectu beatissimę Virginis nos intercessionibus cõmittamus, omnes eius patrocinia omni nixu imploremus, vt dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis rependere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis eius exempla teneamus? Secundum est imitatio illorum, secundum illud Apost. 1. Cor. 4. *Imitatores mei state, sicut & ego Christi*. Vnde Augustinus in quodam serm. dicit. Nos verò fratres charissimi si ad consortium sanctorum martyrũ peruenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid suæ virtutis recognoscere, vt pro nobis dignentur Domino supplicare. Vltimo cùm dicit.

*Nunc & semper*. Manifestat quo tẽpore, & quanto tẽpore cupiat exaudiri, dicens (*Nunc & semper*). Quasi diceret, tria sunt quæ nos grauant, & in bene agendo nos impediunt, à quibus omnibus cupimus liberari. Primum, sunt mala præterita & perpetrata peccata. Secuũdũ, sunt præsentes necessitates nos grauãntes, siue spirituales, siue corporales. Ora igitur pro nobis peccatoribus (nunc) vt scilicet liberemur à malis omnibus præteritis, & nobis subueniatur in præsentibus necessitatibus. Tertiũ verò malũ nobis præsens, sunt futura pericula, in quibus inuolui possemus ratione vigorosæ tẽtationis, & multiplicis nostræ imperfectionis: ideo ora pro nobis peccatoribus (*semper*, id est, quandiu sumus in hoc mundo, ne quandoq; á tẽtatione superemur. Notandum autem, quòd alij dicunt (*Nunc & in hoaa*

Luc. 16.

2. Matt. vlt.

Iob. 3.

Eccl. 25.

1. Cor. 4.

*hora mortis nostræ)* quod ita potest intelligi, A quòd cum per omne tempus vitæ nostræ indigeamus diuino auxilio, & sanctorum intercessione, hoc maximè egemus in fine vitæ, quando nobis imminet periculum mortis: quia cum *aduersarius noster diabolus* semper circuat, *quærens quem deuoret* (vt legitur 1. Pet. 5.) hoc maximè facere dicitur in fine vitæ, vt in dānationē nos ducat. In fine additur. 1. Petr. 5

*Amen.* Id est, ita fiat, sic nobis concedat Dominus. Et in hoc terminatur sententia salutationis Angelicæ.

# P. ANTONIVS SVCQVET.

## NOTA.

*DOctus, atque deuotus P. Antonius Sucquet, Societatis Iesu, natione Belga, patria Mechlinensis, singularis Virginis MARIÆ cultor, vt eius opera testātur. Qui anno à virgineo partu MDCXIX. in Præpositum Prouinciæ Flandro Belgicæ assumptus est, & cum magna virtutis, & Religionis opinione vixit, librum edidit impressum Antuerpiæ Typis Martini Nutij, anno MDCXX. cuius titulus est* Via vitæ æternæ, *iconibus illustratum, quem deinde quarto à se recognitum, & auctum emisit in lucē anno MDCXXV. in quo tricesima secunda imago, fol. 769. est B. Virginis MARIÆ, vbi plura extant deuota, & pietate plena, quæ hic transcribenda duximus: aduertendum tamen, quòd ad finem adducit Rosarium, seu sertum, ex Ludouico Blosio trasumptum, quod consulto ommitimus, quia in littera L. cum alijs eiusdem Blosi operibus à nobis est dandus.*

## TRECESIMÆ SECVNDÆ IMAGINIS ANNOTATIO

B *Bonauentura. sicut ò beatissima, omnis à te auersus & despectus, necesse est vt intereat; ita omnis à te conuersus, & à te respectus, impossibile est vt pereat.*

### CAPVT XXIII.

*Meditatio de B. Virginis imitatione.*

COmpositio loci Contemplare B. Virginem in medio Paradisi amplissimi, stipatam vndiq; Angelorū & Sāctorū agminibus.

Præludium, roga illam, vt tibi dignetur singularem ergase affectum impetrare.

Synopsis capitis 23. Considera

C *QVantùm Beatissima Virgo, & Mater MARIA à Deo, eiusq; curia cælesti honoretur: tu imitare, ama vt Mater, venerari vt Dominam, colle vt Patronam; tum votiua peregrinatione, tum multa oratione; suspē de illi, & dedica arma vanitatis tuæ, tuaq; pia, ac sancta desideria commenda; vti fecit B. Ignatius: hæc est enim aduocata nostra, cōsolatio afflictorum, refugium in omni tentatione, portus naufragantium, & auxiliū in cunctis malis omnium in se sperantium, verū vt impetres, ait Bernardus, orationis eius suffragiū, non deseras eius conuersationis exē plum, & respiremus (vt Bonauentura loquitur) ad illam in omni actione nostra, & reserabit nobis atria triumphantium.*

Pars prima, considera quomodo B. Virgo ergase affecta fuerit, vtque mox creata abysum ergase diuinæ bonitatis intuita, se velut nihilum & abysum miserarum contempserit; & si enim cognosceret pleno intellectu, se tantis donis ornatam; videbat tamen manifestè cuius illam essent, Dei scilicet, ac nihil eorum sibi deberi, sed potuisse in omnes miserias, quemadmodum cæteri hominum cadere, ac proinde nō esse quòd alicui se præferret, sed Deo prę omnibus plurimū debere, neque quidquam posse persoluere, ita extra se in Deo posita cantabat ex tunc. *Magnificat anima mea Dominum*, eò certè magis quo se magis anihilabat. Scrutare, & tu originem tuam, ac nihilum, & diuinæ bonitatis abysum erga te contemplare. Secundò, cùm verò iam nata esset, nihil nisi infantile præseferebat; etiam si vndique virtus eluceret. Aspice, Luc. 1.

vt anima illa beatissima, se erga Deum, erga parentes alios; omnes habebat, quo sensu ex tunc sacra omnia, & cęlestia corpora intueretur. Tertiò, contẽplare quomodo trimula in templum ascenderit, erga superiores, ęquales ibi se habuerit: ancillaria opera cuiq; deferebat, in omnibus promptissima cum gestu humili, facie ad omnem modestiam composita; ita vt quotquot illã viderent, humilitatis, & castitatis affectũ inducere cogerentur. Quartò, cum autem nubilem se sciret, contemplationi altissimæ dedita, si legi parẽdum foret, valde optabat salua virginitate humilem, & abiectum Sponsum, eique deseruire, vti etiã re ipsa præstitit, & in omnibus obediens fuit: & ne se fortè honoraret, secretum omne reticuit incarnationis Filij Dei, verum cùm illud declarasset Deus sãctę Elisabethę, omnia Deo tribuere, eumque magnificare cœpit. Ex hac eadem humilitate, in congressibus primum vbique locum cedebat, vltro officijs omnes, & honore præueniebat, vt dum Elisabetham visitauit: leges etiam quę peccatum supponebant, vt purificationis, libẽter seruabat. Qaia verò crescebat cum filio ætate, & gratia corã Deo, & hominibus; ipso nato humilitatem maiorem, & inde paupertatẽ in Bethleem, in Nazareth, & Ægypto seruabat: Regibus omnibus, & omnibus etiam inferioribus libẽter parabat, neque petebat sedere à dextris, vel sinistris; sed cùm potuisset dispensatione Filij, Apostoli, & Sacerdotis munus consequi, maluit in humilitate seruire, quàm priuilegio exaltari. Tandem in morte Domini iuxta crucem stetit, vt particeps iniuriarum fieret, & in corde suo Filij dolores altius imprimeret. Cum verò post ascensionem cum Apostolis expectaret Spiritum sanctum, humiliter postremò se loco collocauit, & deinceps cum pauperibus viduis humillimè vixit. Percurre nunc diẽ cum illa, & vide singula opera, v. g. quomodo in oratione, cubiculo, per domũ, ambulando, coloquendo, edendo, dormiendo, &c. se habuerit. Ex hac virtute, purissima sequebatur intentio, cuius defectu vide, quã sæpe tua opera inficiantur. Nullius creaturæ amore tenebatur, sed sensualitati vbique resistebat, quòd vnicum impedimentum amoris Dei inte recognosce.

Pars secunda. Considera primò, quomodò B. Virgo erga homines omnes afficiebatur, summo scilicet affectu, tum ex naturę similitudine, tũ quod essent imago Dei suiq; Filij, hæreditas eius, & proinde etiam suo sanguine redempti. Vide quo affectu bonos intuebatur nempe vt subditos, amicos & filios sibi in cruce cõmendatos. Nec vlla mater sic filios, vt ipsa eos amabat, & amat; vti amantissima Mater ijs gratulabatur, & eorum vt sua bona reputabat, & ad Deum omniũ fontem recurrebat, & gratias agebat. Verum vt est amor sollicitus, videns posse deficere, vehementi oratione Deum Patrem, Filiumque rogabat; conserua hoc Deus, quod operatus est in nobis, &c. Secũdò, si malos videbat, multa amaritudine cordis, sed cum dulcedine ijs compatiebatur: omnia in melius interprætabatur: patienter tollerabat, cogitans sibi, idem accidere potuisse, vt imagines Dei diligebat, vt ambulantes in crepidine putei infernalis, circũdatos vinculis peccati, & dæmonibus videbat, & animare conabatur: & ad Deum conuersa ardentissimo zelo succensua æstuabat, atque cum Paulo optabat anathema esse: cum Moyse, deleri de libro vitæ, vt illi viuerent, in me aiebat sit maledictio; filij mi, parce, parce. Postea vbi poterat, serenissimo vultu, & suaui eloquio super mel, & fauum prodesse, hortari, & trahere conabatur; sic Magdalenam suscepit, sic Petrũ lapsum, &c. Tertiò, si videbat pauperes, eos particulariter amabat, vt filio similiores: vti Reges Regum filios maiorẽ benevolentia prosequuntur: cũ ijs libentet versabatur, Filiũ imitata, qui pastores, piscatores, & pauperes vocabat, euangelizabat. Si diuites & potẽtes illorum sortẽ miserabatur, cogitando, væ vobis dibitibus; & quã est difficile diuites intrare in regnum Filj mei! Erga superiores admodũ erat affecta, ac proinde magna reuerẽtia eos prosequebatur; cum amore & gaudio parebat ad nutũ, vt declarauit primò in parentibus, inde Præfectis tẽpli, tum sancto Iosepho: nihil quoad poterat, sine eorum faciebat arbitrio, sed per plenam abnegationem in voluntatem Dei se resignabat, eam medullitus amplectebatur cũ magna in Deum fiducia: vt clarissimè docuit in incarnatione, item dum in Ægyptum eundum, & inde fuit redeundum, &c.

Pars 3. erga omnia creata sic erat affecta, vt nihil appeteret, fulgeret, optaret, nisi in qnãtum Deus vellet & ad eius purũ honorẽ pertineret; vnde quocũq; eũtu quieta, & libera erat: nihil enim creaturis, sed Deo immediatè, & Dei prouidentiæ assignabat, eiq; se æquo, ac imperturbato animo supra vicissitudines rerum humanarum secura committebat; siue paupertas in natiuitate, siue exiliũ, siue persecutio toleranda essent. Secundò, considera quanta hinc in omnibus sensibus mortificatio sequeretur, quomodo eorũ oblectamenta fugeret. Vide hic ambulantem, loquentẽ, laborantem, orantem; & contẽplare oculorũ modestiã, silentium, aut breuem, suarum & pacificum sermonem. Vum enim quærebat, & in vno omnia inueniebat. O quam beata anima quæ reginã cœli in istis imitari conatur! Postremo hinc sequebatur erga Deum purissimus amor, quo vanis omnibus phantasijs exclusis, libero mentis volatu in omni ocasione mentem lebabat, vnam Dei voluntatem volebat, & collectis animæ viribus intra se habitabat, & simul in Deo manebat, nihil amabat, nisi Deum, quasi Deus, solus, &

ipsa

ipsa sola in mundo esset, siue domi, siue foris, vbique Deo intenta, & semper, vt Angeli, videbat faciem Patris, habendo cor eleuatum (quòd perfectionis compendium omnes dicunt.) Considera etiam quos affectus amoris in Christi infantia exercuerit, in Bethelee, in Ægypto, in Nazareth amplexus, oscula, obsequia dulciora super mel, & fauum. Tertiò, considera iam quanta maiestas & dignitas beatæ MARIÆ, & finge tibi hominem, secundùm corpus, pulcherrimum mortalium & absolutissimum; secundùm animam, eiusque potentias, perfectissimum, quique omnes omnium sanctorum virtutes, vel humilitatem sancti FRANCISCI, Pauli charitatem longè superaret, & gratiam haberet, qua in Deum planè transformaretur, & decorem, quo omnes Angelos, & Sanctos superaret; quanti hunc faceres? Quid si illum insuper Deus summis honoribus dignaretur, & in eo ornando totus foret, eique omnes subijcere vellet, quantus is foret! Cùm hæc cogitaris, leuissimè adumbrasse te noueris abyssum gratiæ, pulchritudinis oceanum, gratiarũ thesaurum Dei, inquam, Matrem, quo titulo nullus esse maior potest: ac proinde scias Deo gratius, hanc vnam coli, quam omnes Angelos & Sanctos, hancq; vnã esse Deo gratiorẽ, & magis charam (est enim Mater Dei) quam omnes simul vt Luna plus omnibus stellis lucet. Ac proinde ei te consecra: si enim quod vni ex minimis eius fit, illi fit, quanto magis quod Matri sanctissimæ considera, quæ beneficia à B. Virgine acceperis tu & tui in omni ætate, & vide, vt nullus prope sit Angelus orbis, vbi non clareat miraculis. Considera quæ non sancti ab illa impetrarint, & quẽ affectũ erga eã gesserint, vt merito dicatur illius peculiari cultui deditum esse, signum esse prædestinationis certissimum. Considera deniq; quomodo sanctus spiritus Ecclesiæ inspirarit hunc cultum Hyperduliæ, vt apparet primó, in Salue Regina: secundo in templis, festis, solalitatibus, ordinibus ad hoc erectis, in omni officio, Missis, Horis, Psalterijs, Rosarijs, in pulsu trino per diem, &c.

*Oratio ad Beatam Virginem.*

O MARIA, Regina cœli & terræ, tu es spes omnium in te sperantium, & refugium omnium miserorum; ne auerseris ergo miserum me, misericordiæ Mater, qui misericordia tua de miserorum numero in filiorũ tuorum sortẽ sperat transire. Ad te enim, sicut ad mediũ, sicut ad arcã Dei, sicut ad rerũ causã, sicut ad negociũ seculorũ respiciũt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, vt resarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur, qui præcesserunt, vt prophetæ fideles inueniantur, & qui sequuntur, vt glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, cœli Regina, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iusti gloriam, peccatores veniam inueniunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia per te, & in te, & de te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit. Ego tali animatus fiducia, Mater pientissima venio, sicuti ad vnicum asylum, & refugium meum: respice precor, ad serui tui, & filij ancillæ tuę preces: respice ad necessitates meas, & dirige pedes in semitam mandatorum filij tui. Ab æterno ordinata es, & antequam terra fieret, vt ad te oculos attolleret, quæ culpa præmeret, deprimeret afflictio; peccati reus, salutis incertus, & ab omnibus derelictus, vt in te & per te inueniret reus veniam, afflictus consolationem, derelictus asylum, insipiens sapiẽtiam, peccator iustitiam, iustus perseuerantiã, vrbs veri refugij, portus naufragantium, & solatium omnium in te sperantium. Tu stella maris, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius fulgur & perfulget in supernis, & infernos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quã corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Tu, inquam, es præclara, & eximia stella, super hoc mare magnũ, & spaciosum necessariò sublenata, micans meritis, illustrans exemplis. O anima, quæ intelligis te in seculi huius profluuio magis inter procellas, & tẽpestates fluctuare, quã per terrã ambulare; ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgãt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM, si iactata superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca MARIAM, si acedia, iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad MARIAM; si criminũ immanitate turbata, conscientiæ fœditate cõfusa, iudicis horrore perterrita, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita MARIAM in periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, ne deseras eius conuersationis exemplũ: ipsam sequens, non debeas, ipsam rogans non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia, peruenis, & sicut in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit, *& nomen Virginis MARIA.* Vere stella maris es, ò Domina mea, & pulcherrima Aurora consurgens, nuncia solis Domini IESV, nuncia veræ salutis. O felix sydus sedentibus in

in regione, & vmbra mortis! Tu Domina es, nam & hoc sonat nomen tuum, nos serui
Luc. 1. tui; tu Regina es, nos clientes tui; tu es spes vniuersæ terræ, tu honorificentia gentis nostræ, tu gloria Ierusalem. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Tu sola velut Sther Assuerum, Deum Patrẽ placasti, & inuenisti gratiam in oculis eius. Tu sola Iudith vera Holofernem diabolum superasti. Recordare Domina, quòd propter nos, & ex nobis exaltata sis: tu soror, tu Mater nostra es, tu tota pulchra es, formosa, & macula non est in te, vt cùm inueneris gratiam apud Deum, nos eheu! Misericordiã inueniamus per te. Mater nostra apud Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis Filium tuum Redemptorem nostrum. Quomodo posses obliuisci nos, qui sumus de familia, & de domo Patris tui? Introduxit enim te Rex in cellam vinariam, & ordinauit in te charitatẽ, vt quantùm exaltata es super cœlos, tantùm misericordiæ radijs splendeas in terris. Tu es enim Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei: in te gratia omnis vitæ, & veritatis, in te omnis spes vitæ & virtutis. Meritò igitur ad te leuaui oculos meos, quæ habitas in cœlis, & omnia gubernas in terris. Tu, si vis, potes me iuuare, omnia tibi data sunt à Filio tuo, vt dicat iure seruus quidam tuus, ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum. Altius ergo intueor quãto deuotionis affectu à nobis te voluerit honorari. Qui totius mundi pulchritudinem in te posuit MARIA: vt si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, à te nouerimus redundaret, totis ergò medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, anima mea, quia sic est voluntas eius, qui totã nos habere voluit per MARIAM, hæc, inquam, voluntas eius est, sed pro nobis. In omnibus siquidem benignitas eius, & per omnia prouidens miseris, tentationem nostram solatur, fidẽ excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatẽ. Virgo, regia via est, per quã ad nos Saluator venit, procedens ex eius vtero, tanquam sponsus de thalamo. Tenentes ergo viã, o anima mea, studeamus, & nos per eã ad ipsum ascendere, qui per ipsam ad nos descendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriã aduenit. Quæramus gratiã, & per MARIAM quęramus, quia qui quærit, inuenit, & frustrari non potest. Aduocatũ vis habere ad Christum, ô anima? Ad MARIAM recurrere: exaudiet certè Matrem Filius. Cæterũ quidquid illud est, quòd offerre paras. MARIÆ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Hæc peccatorum scala, hæc mea, ô Domina, maxima fi-

A ducia est, hæc tota ratio spei meæ. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi memi nerit, defuisse à seculo non est auditum, quẽquam ad tua correntem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentẽ suffragia ante esse derelictum. Sit igitur pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam quã apud Deum inuenisti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutoriũ: & liberationẽ sãctis tuis precibus obtinẽdo, Amen.

*Praxes colendi beatam Virginem.*

B PRima. Habere in numero beneficia, quæ per eam obtinuimus, atque his ignem caritatis eius fouere in pectore nostro, & diebus eius finis solemnem memoriam facere, ac gratitudinem animi declarare.

Secunda. Ex gratitudinis, & amoris affectu sodalitati nomen dare, & leges seruare, ac conari, aliquos inducere ad illius peculiarẽ cultũ, maximè sodalitatis erectionẽ, aut propagationem curare. Triste certè est, honori duci. & ambitiosè peti, aliqua ratione ascribi Principum familiæ, societati, sagittariorum, & eiusmodi; & ægrè adduci posse, vt B. Virginis sodalitati se quis adiungat. Molestiam ingere, & fugere aliquam est affectũ exiguum,
C erga salutis certissimum præsidium profiteri.

Tertia. Sæpe salutationem Angelicam recitare. Sancta Margarita Hungarica ad singulas imagines beatæ Virginis accurrens flexis genibus eam pronunciabat: beata Catharina Senensis, etiam infantula ad singulos gradus: idque gratulando ei maternitatem Dei, in quo priuilegio omnia continentur. Ideo sanctus Odilo ad illum Hymni: *Te Deum*, versum, *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis vterum*, demisse se flectebat: posset que quis in secreto terram osculari. Quanuis autem vario fine illam salutationem frequentare licet; tamen cum MARIA Virgo sola cunctas hæreses interemerit in vniuerso mundo; pro ijs extirpandis, &
D Ecclesiæ defensione, sæpe id faciendum est.

Quarta. Nihil agendi, quin illi, & per illam primitiæ Deo offerantur.

Quinta. Mane & vesperi, ac in prãdio dum pulsatur, eam sibi præsentem facere, benedictionem ab ea petere: cui enim illa benedixerit, erit benedictus: & iterum per orationem, *sancta MARIA*, eam in Patronam eligere: & vota, qui religiosus est, mente reuocare in manibus eius.

Sexta. Tertia quotidie facere ad eius honorem. Primũ, legere aliquas preces, verbi gratia, quinque Psalmos, quorum initiales literę respondent literis nominis eius, vel Antiphonam, vel Psalterium Diuæ Bonauen-

turæ,

turæ Beatę Virginis ſalutare eam, vel hroas in egreſſu, & ingreſſu cubiculi, domus, & occurrente imagine eius, litanias recitare pro felici morte, *Magnificat*, pro gratulatione de gloria, & dignitate eius. Pontifex Paulus Quintus conceſsit recitantibus *Aue* ad horæ pulſum centum dies indulgentiarum. Secundùm, facere aliquam mortificationem, tam corporalem, tam animi, vt ſequaris conuerſationis MARIÆ exemplum, maximè verò imagines turpes eliminare, & pias ſubſtituere. Ieiunium Sabbatinũ ab omnibus fere probis vſurpatur, imò in pluribus Regnis ab omnibus ſeruari ſolitum. Tertium, facere aliquam elemoſynam corporalem, aut ſpiritualem, dotare virgines nubiles, aut ad Religionem adſpirantes ſanè laudabile, vti & facere ſermonem crebro de miraculis, & cultu Beatæ Virginis, eum publicè dicendum. Roſarium recitare, ad orationem quidem refertur, ſed peculiarem tractationem deſiderat, quam longiorem cum alijs, vt breuior ſim, in aliud tempus reijcio, cum Domino viſum fuerit: tammodo ſubijciam Ludouici Bloſij peritiſsimi veri Roſarium. Primò, quia multis id arridere video. Secundò, vt ſuggeram hac ratione meditari volentibus materiam, poſtquam meditationis modum expoſui: Nam in eo myſteria vitæ Chriſti recenſentur, quæ in quinque partes diſtributa, vel plures crebro percurrere commmendat Sanctus Bonauentura.

Septima, circa lectionem Roſarij Verbum tantùm addam nimirum, vt in alijs orationibus, ſic & in hac præparationem aliquam neceſſariam videri: ac primò præſentiæ Dei renoua memoria. Secundò, myſterium aliquod breui ſpatio expende. Primò, ad *Credo*, fidem viuam excita, deindè in tribus Salutationibus primis ſpem, reſignationem, & charitatem: ad orationem Dominicam, vt aliqui, in tentationem etiam potes renouare, vel ſalutare vulnera Chriſti: deinde Salutationem Angelicam, vt Beatæ Virgini præſenti, recita. Potes etiam cum varijs ſanctorum choris id facere v.g. In prima decade, cum Angelis. Secunda, cum Patriarchis. Tertia, cum Apoſtolis. Quarta, cum Martyribus, Quinta, cum Confeſſoribus. Sexta, cum Virginibus. Sunt qui virtutem aliquam, per eam, vt Matrem optimam in ſingulis myſterijs petunt, & eandem ab illa commendant: ac cùm dicunt *Aue MARIA*, mente addunt, *humillima*, v. g. Myſteria vulgo hæc aſsignantur.

A B C D

*GAVDII.*

1 Annuntiatio Dominicæ Incarnationis.
2 Viſitatio Eliſabeth.
3 Natiuitas Domini.
4 Oblatio Chriſti in Templo.
5 Inuentio pueri IESV inter Doctores.

*DOLORIS.*

1 Oratio, & captiuitas Chriſti in horto.
2 Flagellatio.
3 Coronatio.
4 Baiulatio Crucis.
5 Crucifixio, & mors Chriſti.

*GLORIA.*

1 Reſurrectio Domini.
2 Aſcenſio eius in cœlum.
3 Miſsio Spiritus Sancti.
4 Aſſumptio Beatæ MARIÆ in cœlum.
5 Coronatio Beatæ MARIÆ.

---

# D. D. ALANVS VARENIVS.

## NOTA.

*DOCTVS Pariter, ac eruditus, pius, atque deuotus, & linguæ Græcæ peritiſsimus Dominus Alanus Varenius Montaluanus patria Toloſanus, qui ſeculo XIV. diuinis, & humanis Theologis, & Philoſophis floruit, ſcriptis cuius non contemnenda memoria hucuſque oblibioni tradita penitus remanſit incognita. Etenim ſingularis, & diligentiſsimus nomenclaror, ac Eccleſiaſticorum ſcriptorum indagator R. P. Antonius Poſſeuinus, in ſuo Apparatu, fol. 21. hæc de noſtro ſcribit Alano.*

*Ala-*

*Alanus Varenius Dialogos scripsisse legitur, de amore, de luce, de harmoniæ elementis, de rerum, præcipuè diuinarum, vnitate, de diuina magnitudine; de pulchritudine, de septem virtutibus, de oppositis monstris, de amicitia, præcipue diuina, de rerum trinitate, qui liber Parisijs prodijt in lucem. At mihi est ignotus hic Author, qualis fuerit. Hucusque Possevinus, quæ verba desumpsit à Conrado Gesnero in sua Bibliotheca fol. mihi 15. Ignotus hic Author his, & alijs vigilantissimis Nomenclatoribus, mihi tamen non ita ignotus, sed memoriæ venerabilis extat: nam præter opuscula à prædictis enumerata, impressa Parisijs à Roberto Stephano, & Bononiæ, à Ioanne Antonio Platonide, anno M. D. III. ad manus meas peruenit opus insigne nostri Alani Typis mandatum Lutetiæ Parisiorum, anno Annuntiationis Virgineæ, & salutis humanæ, M. D. XIIII. in 4. continens in Cantica Canti. Homilias quindecim, & in aliquibus Dauidis Psalmos Oratiunculas, siue brebes Homilias octo, & quadraginta. Insuper in laudes, & præconia super sanctæ, atque semper exaltandæ Dei Genitricis MARIÆ, Panegyricos, siue laudatorios sermones quinque, per modum opusculi elauoratos, & Thomæ Cosinero Regio, in Senatu Burdegalensi Aduocato dicatos: ita omnigena verborum dulcedine, & sententiarum melifluitate refertos, vt quando non alia ab obliuione, & penè extincta in lucem reuocarem, præsentes sufficerent sermones, vt ad Virginis cœlorum Reginæ incomparabilem gloriam nostram illustrarent Bibliothecam, vt legenti patebit.*

## ALANVS VARENIVS MONTALBANVS

Thomæ Cosinero Regio in Senatu Burdegalensi, Aduocato integerrimo, Doctissimoque eodem cognato amantissimo. S. P. D.

DIxeramus superioribus diebus Doctissimè vir nonnihil in laudes sacrosanctæ, & intemeratæ θεοτόκου hoc est Dei Genitricis MARIÆ: in quam veluti mediatricem, & nostræ salutis post vnigenitum Filium suum causam, omnia vota nostra referenda erant: cum propter suam eius generalem, specialemque in omnem protectionem, & prouidentiam, *tum in nos*. Potest vnusquisque in sese facilè experiri, à quantis nos illa Dei Mater, & Virgo toto huius momentaneæ vitæ curriculo, eripiat malis, & famæ, & vitæ melioris, discriminibus. Vt nihil certiùs habeamus, quàm illam vnam esse totius humani generis singularem seruatricem, omnium ad se venientium præsidium, asylum, matrem. Clemens est, & nihil placabilitate misericordia, & pietate cariùs habet, vnicum, & admirabile totius cœlestis gratiæ prōptuarium, & virtutum omnium, & sacrariorum charismatum, cœlestiumque fauorum incomparabilis thesaurus. Cui post vnigenitum filium suum electum ex millibus omnia nos debere fateamur necesse est. Non sinit illa, in qua veluti in misericordiæ solio vnigenitus Dei Filius posuit solium suum, titubantes prorsus corruere, passim diuini amoris incendia in omnes injiciens. Præuenit nos illa nimirum in benedictionibus dulcedinis: A omnibus volens insistit: præcipuè ijs, qui collectim vno consensu in eam, inque eius vnigenitum filium suum preces fundunt. Tantus illius in nos amor est, tanta charitas. Quid igitur non debemus illi, quæ Mater est salutis, Mater Verbi, vnico illo Verbo suo, omnibus viam veritatis, & iustitiæ prædicans, & planè aperiens salutis iter, quo ostenditur salutare Dei, sese pro via quadam, & porta cœli, pro duce stella mirum in modum nobis B gratificante, exhibens. In quam tantis obsistentibus peccatis nostris ne fortè à Domino recipiamur, vetante etiam ingenti discriminum serie, vnum habemus salutis remedium: vnum rei nostræ melius gerendæ misericordiæ, pietatis, benignitatis, clementiæ sanctum, & admirabile consistorium: in quod à iustitia (decernente patrum decreto) prouocatio est. *Astat* in eo tam egregio, & sublimi solio Regina à dextris filij: quo in omnem illum flectat (si tam immobilis, & *stata* maiestas vlla ratione flecti potest) pietatem, misericordiam, clementiam. Et quod magis miretis, ipsa vnum fastigium, thronus, & sedes misericordiæ, ipsa publicum illud, in quo peccatores misericordiam consequantur, & veniam, auditorium. Assurgit filius matri: ipsam decernentem veluti illustrissimam Reginam, & cui tanta data sit iudicandi potestas

stas facit. Ista nos mouebat (fatemur) clarissime vir quo, vel tantillum munusculi in eam conferremus, quo vel munissimos istos conatus nostros illi pientissimæ Reginæ cœlorum dicaremus deuoueremusque, magis verò nos in vniuersum mentem, animumque dederemus, abs qua tantam possumus sperare salutem, illam quidem αἰώνιαν sempiternamque, & quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, id nimirum, quod præparauit Deus τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, id est, diligentibus ipsum. Et quamquam (vt sacer ait Hieronymus) non sit speciosa laus in ore peccatoris: votis tamen omnibus non debet cessare à laude quantumcũq; peccator: quia inde habet, vt *Psal. 49.* misericordiam consequatur, & gloriam: vnde, & laudet. Vnde scriptura cùm de peccatore ageret, ait: *Sacrificium laudis honorificauit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Illic interest laudis ad æternam laudem sine fine mansuram. Sed nemo ascendet *Rom. 10.* illuc (inquit) nisi ego præmonstrauero. Misericors est, & miserator Dominus: *Diues in omnes* (vt ait Apostolus) *qui inuocant nomen eius.* Atque vtinam nos miselli, & peccatores, illam quam pro dignitate laudare non possumus: votis omnibus prosequamur. Supremis numinibus vix similitudines auri cum distinctionibus tantillis argenti offerre, datur: quid nos qui nihil sumus, & tantis nos præmentibus erratis omni re habemur, & sumus inferiores, offerre in sancta Domini poterimus? quid largiri, donare? Satis nobis datum iri putabimus: si hæc qualiacumque vota illi omni sanctæ (qua fas est) matri obtulerimus: si hoc vnum vtinã rectum purumque desiderium, vtcumque est nos istos conatus nostros tibi amantissimè cognate post illam dedimus dicamusque: certiores redditi te in eandem incredibiliter affici. Opus subitarium est, & ex temporale, non ea maturitate, qua deceret compositum, & in occupationum millibus magis impetu quodam, quam altiore cogitatione perfectum. At in genti labore, & eximia puritate opus erat. Deuine sacer Gregorius Nazianzenus, inquit, ὕβρις ἄπαρχον ἑαυτὰ παρεσάμεναι θυέσσι id est, iniuria est impurum exitentem assistere sacrificijs. Idem tamen vir sanctus nos indiuinorum cognitionem, & proinde quædam quasi contactum in consequentibus hortatur, imò ipsum verbum diuinum nos hortatur. Δεῦτε δὲ πᾶσι θεῖο βοᾶ λόγος ἀφθίτο μίτοις σπευσατε ἐπὶ τριάδος γρῶσιν ἐπουράνιον. Agite verò omnibus Dei clamat Verbu incorrupti Cõciij: festinate ad Trinitatis cognitionẽ super cœlestis. Dabis veniã nostræ nimiæ temeritati. Dabũt viri boni omnes. Maluim⁹ quippè, vel rudem telam ordiri, quam aut ocio torpescere, aut nihil, vel minimum aliquid per vitam agere. Sed res minor est, quàm vt præfatione egeat. Vale amantissime vir.

## *In Laudes, & præconia παρθενίας hoc est omni sanctæ Dei Genitricis MARIÆ laudatorius, siue Panegyricus. Sermo I.*

COGIT nos diuinum quod Reginæ cœlorum hyperagiæ, id est, super sanctæ Matri Dei Genitrici MARIÆ, grauissimi patres debemus obsequium: vt stillum sermone que in eam, abs qua omne nobis defluxit post Deum bonum, conuertamus. Non quo ab alijs hæc qualiacumque legenda audienda- ve sint (indigna quippè sunt) sed quo nobis diuinam exercitationem indicamus: ex nulla alia re vberiores fructus consequuturi. Ipsa namque, quæ supra cœlorum vertices sublimata ad dexteram considet filij, nulli iam mortalitati subdita est, vt nullis antea fuerat legibus deuincta peccati: omnes benignè, & fauorabiliter aspicit, fouet, amplectitur: verè augusta, & sempiterni Regis filia, soror, sponia, & mater eiusdem Principis, & Regis æterni tantum de more viuens, soluta, & libera, leges, & diuina decreta, quo salubriter viuant diuis animabus, non tam indicit, quàm interno quodam affiatu insinuat. Quis diffitebitur illi secũdùm post Deum (si dicere par est hoc enim Domini, & Dei proprium est) aut quemd quasi illapsum deberi: cui maior purgãdi illuminandi, & perficiẽdi ratio, quã Angelicis spiritibus ineſt. Cœlo, & omni numine maior, eadẽ quæ illustrioribus luminibus donauit: perficit numina. Propter quod meritò ab Angelo gratia, & Deo plena salutatur. Verè plena (ait sacer Hieronymus) per quam largo Sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura. Et ideò dignè illã venerari debemus, & supra omnium Angelorum fastigia constitutam dignis, & cœlestibus concelebrare preconijs: sacris sublimare honoribus, quæ Mater, & Virgo est: omnis misericordiæ, & pietatis vnica, & veneranda Regina: tantarum olim rerum mysterijs, & figuris, nobis abundè præmonstrata. Cui enim illa magis conuenient, quàm ipsi eidem matri, quæ omnia longo interuallo antecedit, singula complectitur, & eminentia vltra mundana stringit, diuinis sanctior charismatibus, & incomparabili virtutum agmine præfulgens. In cuius inenarrabiles laudes totus exurgit sponsus, atque in vniuersum illa super benedicta Trinitas, & tota proinde curia cœlestis. *Cant. 4.* *Tota pulchra es amica mea*, inquit, ineffabilis trias, *& macula non est in te.* Verè tota pulchra: in quam nulla vnquam sibi locum vendicauit macula: nullum irrepsit antiqui serpentis virus. *Viderunt eam filiæ Sion, &*

*bea-*

*beatissimam prædicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam.* Nec iniuria, liquidè alijs contracta labe infectis, ipsa vna immaculata permansit. Nec indiguit Redemptore: quæ tantò honorata est præseruatore. Maioris quippè virtutis est seruare ne cadas, quàm post casum, quemcumque lapsum erigere. Vtrumque autem diuini muneris est, non humani. Sed alterum altero maius. Alterum diuinæ magis ascribendum parenti, quæ nulli potuit obnoxia esse odio, nulli sui filij indignationi, vt quam, nihil antiquius habens, & ante partum, & post partum incomparabili censuit honore. Nec tam infixa carni lex fuit, quin ab illa fuerit propter venerandum matris munus, liberatio. Quomodo enim talis, & tanta Virgo, & Mater tota pulchra est, si ab originali peccato non fuit immunis? aut quomodo dealbata innixa super dilectum suum, si non penitus innixa? si vt ille purissimus, & omni labe superior, non fuerit ipsa purissima? Viden, vt in Sacramentis, & secretioribus Symbolis, omnia scriptura aperit. *Hortus*, ait, *conclusus, fons signatus.* Conclusus vndique, nullis Diabolicis patens accessibus: diuinis tantum non amplius humanis mãcipatus obsequijs: totius Trinitatis veluti fons gratiæ diuinioribus, illa eadem Virgo consecrata est sigillis maioris, & sublimioris potentiæ Sacramentis. Per quam diuiniorem, & abstrusiorem potentiam, & virtutem (quam λυ'νομιν vocant) omni astu, & Diabolicis machinationibus haud essent inferior: quæ melioris sapientiæ, & ardentioris amoris fulta esset præsidijs. Quibus circumuallata diuinis signis, facile anti qui serpentis obsisteret conatibus: ignibus tota intus concalefacta diuinis, cœlestibus, & vltra mundanis. Quam miratus Spiritus Sanctus, ait. *Quæ est ista quæ ascendit, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Ex omni virtutum genere grandem cõportans in cœlestia tabernacula aceruum: tamen ob insignem humilitatem tanta charitate flammatam, adhuc virgula fumi, vtpote diuinis extenuata, & concremata incendijs. Vt alteri non sibi viuens, vix sibi virgula existeret, quæ adeo vastissimum quoddam, & impenetrabile cœlum esset, immensam diuinitatem continens, ipsa eadem â diuinitate circumcluſa. Incuius laudes canit Ecclesia. Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio, ô admiranda per omnia Virgo, contulisti. Viden vt simul maxima, & minima est, viden, vt virgula, & vastissimus quidam ambitus, pulchra, vt Luna, imò pulchrior Luna, quæ plenissima semper, illustriore, & proinde exuberantiore illuminatur iustitiæ Sole, nec tenebras nouit, quæ purissimæ luci iugi meditatione intenta est, illam semper respiciens, tales fulgores continuè in se se admittens. Ineffabilis ibi, & alternans vicissitudo est. Respicit filius matrem, & suo lumine clarissimam facit. Et talium fulgorum patiens conspicit filium mater, sacratioris luminis effecta particeps: aureos venerabiliter suscipiens de diuinitate radios: illis supra captum omnem inter suscipiendũ coagens: tanta ibi inuenta sympathia, & diuiniore concordia, vt nullibi melior aut sonorior fuerit vnquam cõperta. Vterq; speculũ sine macula, rosa sine spina, & lilium inter spinas densissimas candidissimum. Vt quicquid venerationis in filio est, hoc totum in matrem referatur. De filio dictum est. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* De matre. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto.* In medio quippè deserto squalentis secũli, & asperrimis conuallibus antea posita, tamen contra naturam deserti amplissimã in Dominica horrea comportabat frugem. Et propterea subdit: *Delitijs affluens*, pulchrè omniũ genera ex diuinis prodibant diuinæ matris fulgoribus. Verè virga Aaron, quæ fronduerat: & multiplicem produxerat fructum. Lux Dominus est, & ipsa, illa lux est, de qua loquitur scriptura. *Fiat lux, & facta est lux.* Si enim beatissimi Angeli lumina sunt spiritualia, manentia, nunquam peritura, quomodo non talis quædam lux, imò omni ea luce longè superior Domini mater erit? quæ solem peperit iustitiæ: qui suis radijs vniuersum illustrauit mundum, & multiplici dissipato errore veram lucem inuexit: lucem quidem statam æternamque non deciduam. Qualis, & quanta hæc est, quæ inter mulieres, immò plusquam omnes mulieres. Benedicta est? Supra quam Eua benedicta, quæ nulli Euæ maledicto potuit esse obnoxia, pulchrior Rachel: fœcundior Lia, magisque ipsa Rebecca Spiritum Sanctum referens, & verioris seletrix populi, tantæ datæ benedictionis mediatrix, & melior quædam causa. Non hæc Moysi Æthiopissa, propter quam Dominus in Aaron, & MARIAM succenset, quæ candidior Sole, Luna, & omnibus syderibus est. Iudith Oloferni caput amputat, Abigail sua mansuetudine, & humilitate promeretur Dauid amplexus. Bersabee interiore magis, quàm exteriore pulchritudine Salomonem paritura, in cubiculum Dauid ascisitur. Hester eleuata in populis, regio prætergresso edicto, regijs se se offert, populum liberatura conspectibus. Hæc vna omnibus fungitur muneribus, celsioribus dignata meritis. Omnes longè superans secretioribus incomparabilis mysterijs. Serpentem vestigijs conterit, diuinos, & pulchritudine, & omni virtutum excellentia Spiritus Sancti meretur amplexus illius egregia sponsa Domini Mater, & tantæ Trinitatis primogenita quædam filia. A Diaboli laqueis, & pessima morte

*Cant.* 4.

*Cant.* 3.

*Ioan.* 1.

*Genes.* 1.

te non tantùm genus liberat Iudaicum, sed gentem vniuersam, diuinitori crucis aræ filiũ vnigenitum, candidum, & rubicundum, electum ex millibus offerens. Ipsa eadem terribilis est veluti castrorum acies Tetagmeni, id est, ordinata. Tantô virtutum agmine illustris, tenta gratiarum numerositate conspicua, & diuinis circumcincta charismatibus. Nec defuit de Apostolo galea salutis, veritatis baltheus, & calciamenta multa varietate pulcherrima, in præparationem Euangelij pacis, diuini præses magisterij: Euangelicam præcipua magistra edocuit disciplinam, præfecta illi Sancto Apostolorum Collegio, quasi in omnibus cœlestis Curiæ Senatoribus vniuersum populum sua institutione perficeret, & tanquam omnium ore loquuta instituere. Veneranda omnium pene in suo filio re generatrix, & mater, quæ tantô armorum fulgore pulchrè deuinceret hostem, & vniuersum illorum agmen virtute, quam maxima funderet. Ad filium loquitur pater: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua, & pulchritudine tua intẽde, prospere procede, & regna.* Quid non ista pulcherrimæ, & impotentissimæ hoc est plurimum potenti conuenient matri? quæ formosa est tanquam Ierusalem, pulchrior Luna, & cuius species, & immortalis candor super cœlos exaltatus est. De qua verissimè illud quoque dici potest. Magnificentia eius super cœlos. Et magnificentia, & virtus eius in nubibus. Illa igitur specie tua, & pulchritudine tua, ô Domini Mater intende, illo tantô virtutum agmine prospere procede, & regna. Quæ iam iam astitisti à dextris filij tui electi super filios hominum, in cuius femore scriptum est, Rex regum, & Dominus Dominantium. Pulchrum est ordinem virtutum, & gratiarũ in Domini matre cõtemplari. Omnes vnã in illa conspicuam aspiciunt charitatem, quæ incomparabiliter in tanta misericordiæ matre, ordinata est. Vt ipsa quoque de se in Cantico Canticorum fatetur. Ordinauit in me charitatem, in me quidem introductam in cellam suam vinariam, & diuinitatis immensæ penetralia, vbi secretiores cum amores tum amplexus sunt: *Nam leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quam enim toto magis constringeret affectu, quàm eam quæ vnica sponsa, & singularis electa est? De qua Spiritus Sanctus. *Vnica est spõsa mea, vna est colũba mea, vna est Genitrici suæ*, hoc est cęlecti Ierusalẽ *electa*. Hãc Dominus possedit in initio viarum suarum, priusquam montes, aut quicquam aliud faceret ab æterno ordinata fuit. Et mire quidem ordinata, vt per gratiam, quam cęteris omnibus exuberantius suscepit, inferiora consentirent superioribus, nulla ibi inuenta rebellione, aut lapsu, quôd minimè illi, aut cuiquam alteri esset concessum per naturam. Quam quidem naturam primus magno sui, & posteritatis discrimine infecerat Adam. Non enim decebat, eam quæ nulli peccato fuerat obnoxia, vlli etiam subijci indignitati, quæ supra omnem naturæ ordinem, legemque illius Domina, & iamiam Regina fuerat designata, legum conditrix, & sanctissimæ formatrix (si dicere dignum) virtutis. Pulchrum est virtutum Domini contra Diabolica tentamenta cernere certamen, videre victoriam, & admirabiles de tam infesto hostium agmine reportatos triumphos. Hac vna duce vincimus, ista Imperatrice, nullum nobis imminere potest periculum, aut mortis discrimen.

Pulchrè in eius laudes, ait quidam. Tu mare tu terras tu sydera cuncta, Deumque concilias, tu tuta salus, tu pacis origo, tu commune bonum, generis tu gloria nostri. Quid non erit in ea laudis, quæ super omnem laudem est, abs qua omnis laudis fons verè defluxit. Nobis cynosura, & præfulgida stella maris, quæ in tantis æstibus seculi fluctuantes pulcherrimè in portum salutis dirigit, nec sinit mergi profundo: quibus misericordiam potrigit frequentius auxiliatricem. Ipsa eadem porta ciuitatis Ierusalẽ cœlestis est, porta cœli, per quam nobis petet aditus in cœlum, ipsa murus, pulcherrimis præsidijs, & ingenti firmitate subnixus: *Si murus est* (ait Spiritus Sanctus) *faciamus super eum propugnacula. Si porta est, compingamus eam tabulis cœdrinis, ego murus*, inquit, *& vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Murus est circumcinctus pulcherrimis propugnaculis, pro quibus, munimentum, & defensio contra omnes Diaboli insidias nobis præstatur. Hæc est illa porta clausa orientem respiciens, per quam Dominus ingressus est nulli alteri patefacto aditu. Porta, inquit, sum cœli, ianua facta sum Filio Dei. Sed quæ multiplex in virtute est, multiplicis portæ nomine censetur, vt alia sit, qua Dominus ingressus est: alia per quam omnibus in cœlum, inque patrem est patefactus accessus. Nec mirum cum per eam vnam omnis diuinus sit nobis datus ascensus, quasi eadem præstet ascensum: quæ ingressum donat, & omne munimentum. Quid amplius? Ciuitas Dei est, cuius portæ in Sacramento duodecim sunt vnionibus, & preciosis margaritis ornatæ, typo admitandæ illius cœlestis Ierusalem, cuius platea in Apocalysi ex auro purissimo est. Quam Ioannes in spiritu videns tabernaculum Dei vocat: *Vidi*, ait, *tabernaculum Dei cum hominibus, & nox non erat illic.* Vbi eam præcipuè illustrauerat Sol iustitiæ, & lucerna eius est ãgnus. Nobis ciuitas, nobis tabernaculum est, nec tabernaculum vnum, sed pro diuersis eius laudibus, & præsidijs tabernacula multa. De qua dici potest.

*Psal.* 44.

*Cant.* 2.

*Cant.* 8.

*Apoc.* 21.

Quàm

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, ideo concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. In cuius etiam laudes dictum illud etiam intelligi poteſt. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Decebat enim, vs vbi tabernaculum eſſet corporis Domini, illuc aquilæ omnes conuenirent: ibi etiam pro omni refrigerio, & quiete meliore inuento tabernaculo. Vna igitur, & multiplex eſt ὑπεραγία, & ſuper ſancta Virgo MARIA, vna etiam porta, vt innumerabiles, pro tantis rationibus, & virtutum inſignibus. De quibus Propheta ſub vna iuſtitiæ nuncupatione ait. Ingredimini portas iuſtitiæ. Vno namque iuſtitiæ nomine omnes virtutes intelliguntur, ſi quidem iuſtitia omnis virtus eſt, vel Euangelico teſtimonio: *Sine modo* (ait ad Ioannem Dominus) *ſi. neceſſe eſt impleri omnem iuſtitiam.* Quaſi charitas iuſtitia ſit, & reliquæ in hunc modum virtutes. Et in alio loco de tam multiplicibus portis dicitur *Eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Per portas quidem ſuæ intemeratæ, & ſemper venerandæ matris, nullis vſquam magis ſibi peruijs, nullis ob ingentem eius puritatem, gratioribus. Tanta enim amborum ſimul eſt gratia, & alterna congratulatio, vt in epithalamio confidentius dicat mater ad Filium. *Ego dilecto meo. & ad me cõuerſio eius. Et dilectus meus mihi. & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Et faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Nec inuiram ſi tam pulchra inhabitatio grata illi eſt, quando illius fundamenta ſancta ſint, & portæ dilectæ, & tota ciuitas glorioſa. *Fundamenta eius* (dicit Spiritus Sanctus) *in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Et quid mirum? quando ibi omnia aurea, & gemmis incomparabilibus radiantia ſint? omnia regalia, & diuino re oſtro, & purpura micantia? In ea ciuitate ciuium vnitas præcipua, & ſingularis eſt. Hi cœleſtes ciues non ſolum ſua cuiuſque charitate nectuntur, ſed ſupereminenti diuinæ matris amore, quæ ſibi omnes muris connectit incendijs, & incomparabilibus colluſtrat fulgoribus: mater omnium gratiarum, & vniuerſorum chariſmatum, & donorum admiranda Regina, quæ omnia ſingulari priuilegio donare poteſt, & pro diuerſo cuiuſq; captu paſſim omnibus abundè largiri. Et quid mirum? cùm vberrimum, ampliſsimumque ſit Domini gazophilatium? In quo poſt eius filium ſui tanti vnigeniti imitatione, ſunt innumerabiles theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi, inenarrabiles prudentiæ, probitatis incredibilis, & quæ omnem præſtrigit oculorum aciem pulchritudinis, ſapientiæ, & ſcientiæ diuitiæ. Hortus nimirum (vt dixi-mus) concluſus, omni concluſus virtutum, & gratiarum, & pluſquam Angelico præſidio. Tota (veluti firmiſsimo promurali) circuncinctus (ne quicquam prophanum admittatur) diuinitate: circumuallatus infinito diuinarum rationum, & dignitatum agmine. Hortus (vt ſacer, ait Hieronymus) in quo ſunt conſita omnia florum genera, & odoramenta virtutum. Vbi candentia lilia, & rubentes roſæ, pulcherrimo diſtinguntur ordine. In quo incomparabilis pulchritudinis, & venerandæ proceritatis, viſuntur arbores, fructus omnis generis ad omnem ſanitatẽ ſaluberrimos deferentes. Fons iterum ſignatus, ſed cuius ſignaculis? niſi eius, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit? & ſolus habet clauem Dauid, qui agnus eſt immaculatus, qui mortuus eſt, & adhuc viuit: ſolus beatam poſſidens, & ijs qui apti ſunt largitus immortalitatem? Fons hortorum, quo vno vniuerſæ rigantur florentes Eccleſiæ, & irrorantur Engaddi vineæ: hoc eſt Sanctæ, & Catholicæ per vniuerſum diſperſæ congregationes. Engaddi quippè fons Hedi, vel oculus tentationis interpretatur: myſticè ſignificans Eccleſiam. Qualis igitur, & quanta eſt? tot, & tantis laudibus inſignis: tantis decorata fulgoribus? aut quis illam dignè laudare queat, quæ ſuper omnes cœlorum ordines, & Angelicos choros eſt ſublimata, virtutum meritis, & omnium gratiarum, & chariſmatum præconijs, atque ineffabilium meritorum prærogatiuis, quæ omnium bonarum rerum eſt promptuarium, & vniuerſæ ordinatrix Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Fons aquarum viuentium, ſola præcipuam habens, & omnibus præſtans immortalitatem, in vitam cœleſtem nos agens, in lumina nos cogens, quæ nunquam pereũt, & in cœleſtem deducunt Ieruſalem ciuitatem. Nec aquæ viuentis tantùm fons eſt, ſed aquarum viuentium: quando multiplices ſint immortalitatis aquæ, & illæ perennes, multiplices vitæ gradus: differentes chariſmatũ ordines plures, ſed viuẽtes, ſed immortales omnes, gratiæ. In hoc puteo nunquã inexhauſto abunde haurire poteſtis, ô mortales, ſi modo velitis. Per quã benigna eſt, faciliſq; & omnes paſſim, & tã incredibili ardore, vt ad ſe veniãt hortatur. *Si quis eſt paruulus*, inq. *veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt. Venite, comedite panẽ meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quoſcumque fauorabiliter admittit, qui ſuæ ſortis eſſe moliuntur, Sed quænam ſua ſors eſſe poteſt, niſi tota ſincera, & admiranda fœlicitate donata? Fœlicitatem conſequemini tanta conſpecta matre, cuius vultus clarior eſt ſeptemplici Sole. Si enim teſtimonio Danielis, iuſti, & *qui ad iuſtitiam erudiunt multos.* Soli & firma-

*Matt.* 3.

*Pſal.* 23.

*Cant.* 7.
*Cant.* 6.
*Cant.* 1.

*Pſal.* 86.

*Prou.* 9.

*Dan.* 12.

mamento comparantur, ipſo quoque atteſtante Domino. *Iuſti fulgebunt ſicut Sol in*
Matt. 13 *Regno Patris eorum.* Quanto fulgore illam putatis illuſtrem, quæ omnium longo interuallo excedit merita ſanctorum, & omnium virtutes, & gratias continet cœleſtium, & Angelicorum animorum? atque internos ſplendores eminentius in ſe habet, de tota diuinitate de ineffabili, & penitus admiranda Trinitate? Hanc quæſo conſpicite mulierem amicta ſole, vt quam vnicè obumbrauit, fœcundam, & illuſtrem fecit Sol iuſtitiæ, ſtellis duodenis coronatam, claritate ſanctorum cum primorum Patriarcharum tum Apoſtolorum conſpicuam: quæ duodenarij Sacramento inſignis omnem ſuperat immortalium numinum claritatem, fœlicitatem, & tanta virtute omnem omnium virtutem, & gloriam. Sed quænam in viuente matre erunt ſtellæ, niſi viuentes cum rationaliter tum ſpiritualiter? Ipſa claritate, & vita ſtellarum à Domini matre in omnes poſt Deum proximè decurrente. Inſignis eſt meritis, & omnium ſanctorum laudibus. Corollas habet de martyribus, virginibus, & Eccleſiæ magiſtris aureas, ſibi omnia, quæ primi, ſecundi, aut tertij gradus ſunt in centenarium prouentum adaugens. Quaſi quæ minora ſunt, in Domini matre maiora conſpiciantur, & pro modo ſoli, ſatæ fruges vbertatem, & ampliores prouentus ſuſcipiãt. Proſpicite quæſo eam, ſub cuius pedibus Luna, hoc eſt vniuerſa mundana, & mutabilis inſtar Lunæ machina eſt: ſiue iuxta aliam interpretationem, vniuerſa Sanctorum Eccleſia. Quaſi illius incomparabili inceſſu ſit illuſtrior, eius toto ornatu conſpicabilior, & fulgentior. Eius veſtes ad immos defluxæ pedes candorem habent de immortalitate niueum, quas purpura tanti etiam Regis inſigniores facit. Non diſparibus, ſed ſimilibus cum filio veſtibus donata eſt. Toto enim corporis geſtu habituque, & vultus dignitate filium refert: filium imitatur veneranda mater: ſuum ſponſum ſponſa, & fratruelem ſoror. Quam incomparabili claritate nitentem admiratus Spiritus Sanctus ait: *Quæ eſt iſta quæ aſcen-*
Cant. 8. *dit dealbata innixa ſuper dilectum ſuum?* Tota quippè dealbata erat quam vnicè ſplendor filij illuſtrauerat. Aſcendebat de mortalitate, & ſqualenti eremo huius ſeculi, ad Beata cœli palatia. Aſcendebat nimirum incomparabilis omnium ſanctorum circunuallata agminibus, & cœleſtium virginum circundata choris, tota curia illi obuiam veniente cœleſti, in ſancta diuinæ matris pedum oſcula, & amplexus toto cœleſtium ſenatorum accurrente ordine. Aſcendebat quidem proprijs meritorum ſuorum decorata inſignibus, & diuinarum gratiarum fulta præſidijs. Quam non ceſſant etiam cum Sancto Spiritu admirari cœleſtes animi. Quæ eſt iſta (inquiunt) quæ tantò progreditur illuſtris ordine, tantis celebrata diuinarum laudum panegyricis: aſcendit quidem quaſi aurora conſurgens iamiam proximè venturum ſolem iuſtitiæ monſtrans, Beatam ſpem, & immortalitatis deſiderium in nobis faciens, in electas diuinos fulgores prope immittens animas, tam conſpicuo lumine, & exoriente claritate, diuinos æſtus, & ſancta incendia (quibus incaleſcant ſanctorum animi) conuehens. Conſurgit enim, & nos conſurgentes in cœleſtia deſideria, & diuinorum contemplationem facit, vera illa cedrus exaltata, tota heroicis, & vltramundanis virtutibus conſpicua: nullam habens mortiferorum vitiorum, aut vllius lapſus ſpeciem: pluſquam humanis, & Angelicis prædita virtutibus, fulta chariſmatum, & omnium gratiarum agminibus: magnanimitate in omnium contemptu terrenorum, & cœleſtium ardenti deſiderio inſignis: ineffabili magnificentia tantum enixa puerum, qui eſt Dominus iuſtus noſter admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Cuius imperium ſuper humerum eius, honoratior denique ſecretioribus luminibus, & penitus diuinis, diuinarum formarum, & clarioribus formis. In quã ſe ſe Spiritus Sanctus pleniore infudit elapſu, & celſitudo diuinæ ſapientiæ, & verbi à ſeculis abſconditi in eam ſe concluſit ampliùs, & admirandis vberius eam locupletauit faſtigijs: toto omnem illam vnice, & ſingulari priuilegio præſtringente paterno amore. Vt totum diuinum non humanum ſit, quod in ea eſſe ſentitur, aut creditur. Propter quod nimirum cedrus exaltata eſt: vertice ſummum cœlorum contingens, & ad diuinitatem vſque perueniens, & in tantæ Trinitatis ſedes ineffabiliter, & vltra omnem creatam, ſiue cœleſtium numinum, ſiue diuinarum animarum perueniens dignitatem. Vt veritate de terra orta, iuſtitia illam tam venerandam Dominam de cœlo, hoc eſt, de omnium virtutum ampliſsimo ambitu ſingularius proſpiceret, & altioribus ſublimaret faſtigijs, & omnium laudum ineffabilibus præconijs. Quam continuè reſpicit Sol iuſtitiæ, irradiat, & meliore ſuo lumine clarificat, Reginam, & Dominam vniuerſæ humanæ, & Angelicæ creaturæ. Verior quædam oliua ſpecioſa, quæ miſericordiam intulit mundo: pacemque refudit, imò illam miſericordiam ſuo cum exortu, & conſenſu inuenit, quam prius non habuit totus mundus. Per hanc miſericordia ſuperexaltauit iudicium, & abs tam ſeuero, & riegidiore iuſtitiæ trono, in miſericordiæ leges conceſſum eſt. Hac vna effectrice, miſericordia Domini vſque ad cœli peruenit palatia, imô ſuper omnes cœlorum cardines exaltata eſt. Vt in 107. Pſalmo. *Miſericordia Domini ſuper cœlos exaltata eſt.* Sed per quam magis, quàm per Pſal. 107.

ſin-

singularem, & viuificantem Domini Matrem? quæ tanquam lignum secus decursus aquarum concelebrari potest, quod fructum suum dedit in tempore suo. Et folium, hoc est super sancta eius protectio, adiumenta, fauor defluent nunquam, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Et ipsa eadem Regina, Virgo, & Mater fructum dedit salutis in suo tempore, hoc est, in temporis plenitudine, vt dicit Apostolus. *Galat. 4.* *Quando venit ergo plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natũ ex muliere factũ sub lege, vt eos qui sub lege erãt, redimeret.* Talis hic fructus vitæ est, lõgè illis fructibus melior, quos arbor vitæ producebat. Illi vitã fortè temporalem, hic vnus vitam repromittit, ostendit, largiturque cœlestem, vitam quidem manentem, perpetuam, æternam. *Matt. 3. & 4.* *Pœnitentiam (inquit Ioannes) agite, appropinquabit Regnum cœlorum.* Et ad latronem certissima Dominus pollicitatione ait: *Luc. 23.* *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hæc est igitur illa Virgo, & Mater, quam multò pluribus dignatus est Spiritus Sanctus laudibus. Hæc apis illa sapientissima, quæ ex omnibus passim floribus meliora legens, in æterna cõportat tabernacula, illos fauos conficiens, de quibus loquitur Spiritus Sanctus in persona sponsi. *Cant. 4.* *Fauus distillans labia tua,* & ite- *Cant. 5.* rum. *Comedi fauum meum cum melle meo.* Quæ inter iudices sola prophetissa concinit Canticum Domino de parta contra hostem victoria, in iudice filio (cui datum est omne iudicium in cœlo, & in terra) omnia mirificè iudicans, omnia mira æquitate discernens, & misericordia, quæ duriora fortè tum essent, contemperans. Vna inuenta delbora, & sapientissima apis, quæ inter omnes iudices, vel duodecim tribus Israel iudicantes singularis, & iudex, & prophetissa esset, & totius Apostolici Senatus singularis magistra. Multa in hac parte illi concessa, quæ præcipua ratione mater, & Regina est misericordiæ. Verè incorrupta, quæ nescivit maculam, & eadem constantia, atque incredibili virtute, & humanitate manens Domina. Fluuius quidam τοῦ ἐλέους, & miserationis, cuius incomparabilis impetus lætificat ciuitatem Dei, & quæ tantis nominibus, virtutibus, præconijs, & altioribus panegyricis, celebretur. Aliud haud dubio vetustissimum ipsa quidem tabernaculum est, quod sanctificauit Dominus. Secundùm quod dicit Propheta: *Psal. 45.* *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Quasi illud Synagogæ tabernaculum vmbratile, non verius illud tabernaculum Domini esset, quod vmbram huius admirabilis tabernaculi prætendebat: se toto, & partibus omnibus multiplici Sacramentorum genere tam multigena specie, tam multas istius monstrans virtutes. Ipsa lucerna ardens in conspectu Domini septemplici Spiritus Sancti munere coruscans, atque eadem vtrumque, & sacrificiorum, & incensi θυσιαστήριον, id est, altare, in vtroque pro cuiusque proprietate sacrificia, & laudis, & exultationis, & secretiorum quorundam mysteriorum libamina offerens altissimo. Arca, in qua reconditum manna suauissimum omnis saporis, & oblectamenti referens speciem, multiformiter satians, & (vt canitur) omne delectamentum in se habens. In qua Dominica, & archetypa, & singulari arca testimonia, & virga directionis virga Regni sui recondita sunt, & totius passionis Dominicæ, & cœlestium testimoniorum Sacramentum. Vbi enim magis hæc continerentur, quàm in ea, cuius animã Dominicæ Passionis, & tam ingentis doloris pertransiuit gladius, & in eam Domini passio simul cum omni virtute, atque dolore non tam immissa, quàm impressa fuit, particeps cœlestis Domini armoniæ effecta, fidibus doloris, & miræ exultationis tali, & tam incomparabili plectro percussis, illis licet contrarijs, tamen in diuinam concinentiam consurgentibus. Hæc est mensa propositionis, panem cœlestem, qui de cœlo descendit in duodenario Sacramento non tam referens, quàm meliore ratione continens. Hoc vno vetustiores, & recentiores noui testamenti Patres reficiens, nec minore, sed incomparabili, & penitus superexcellenti, & fauorabili ratione. Si quidem in duodenario excedenti numero hi panes distributi sunt. Veneranda edoctrix, & singularis magistra non Apostolorum tantùm, sed Patriarcharum, & Prophetarum, & totius Curiæ cœlestis admirando priuilegio magisterium habens. Quid plura? & colorum multiplices intertexto auro hoc est diuinitate, varietates, hanc vnam varietate circumamictam, & talibus redimitam tenijs, & sacris fulgoribus, & omnibus fœlicitatis, & gloriæ coruscantem radijs, mire significant. Ipsa ornamentum Aaron, & sacratiores vestes, & duodecim lapidibus, & duobus onichitis, in quibus vtrumque testamentum significatur insignes: quorum omnium ipsa verissimum, & peculiare erat promptuarium. Nec solùm nomina, sed occultas omnium veteris testamenti Patrum incredibili ratione habens, & sortita dignitates, verè vna, & multiplex, multiplex, & vna, in illa sua tam vniformi, & sibi constanti anima singulorum virtutes mire complexa summi Sacerdotis singulare munus, & pro summo vertice insigne diuinum, & archanum Domini nomen præferens, vita coaptatum cœlesti, & tanquam antesignata quædam omnibus, vel in summo sacerdote diuina prætendens mysteria in vno omnes edocens, superiores quõ minores illuminent clarissimè illustrans. Quid plura omnes actus vitæ, & Beatissimæ Virginis incrementa, & mirabiles ex omni parte profectus

non

non modo Euangelium nos edocet, sed diuina sparsim per vetus instrumentum, & Symbola, & Sacramenta. A Prophetis, vt Sacratissimus Pater Hieronymus ait, prænunciata, à Patriarchis figuris, & enigmatibus præfigurata, ab Euangelistis exhibita, & monstrata, ab Angelis officiosissimè salutata, & à tota cœlesti Curia omni reuerentia etiam consalutata, & suscepta. Verior quædam meduſa, in admirationem, & saxeum stuporem omnium conuertens animos, quam Spiritus Sanctus etiam admiratur, hoc est, nos de tantis virtutibus admirantes facit. Quis satis dignè illius admirabitur virtutes, quæ pro modo filij quadam ratione immensæ sunt? Quis tantarum virtutum, & gratiarum thesauros? qui etiam innumerabiles sunt? Ipsa eadem incorrupta (id quod frequenter dicimus) & Virgo quasi odoratissima cupressus est in monte Sion, in monte plantata diuinæ speculationis, qui Dominus noster IESVS Christus est, & qui mons est supra verticem omnium montium longè eminentior, incredibili forte in omnium fœlicem speculam exurgens, quippè quod per ipsum, nõ per alium patrem videre conceditur, vt ipse idem de seipso pro
*Ioan.* 14. fitetur, dicens: *Philippe qui videt me, videt, & patrem meum.* Quem vnum diuinius clarificat hoc est clarissimè monstrat filius, monstrat secundo loco mater, tam recondito Trinitatis mysterio nobis plenius patefacto. In hoc monte tam sublimi, & excelso, nos veluti diuinæ etiam arbores complantari poterimus, vt in Domini contuitionem, & perinde
*Ioan.* 17. gloriam ipsa intercedente, conscendamus, illud Euangelicum ratum habentes: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti IESVM Christum.* Cui est cum Patre, & Spiritu Sancto, omnis honor, & gloria, Amen.

*In eiusdem παυθαρίας, & purissimæ Virginis, & semper venerandæ Dei Genitricis laudes, Sermo 2.*

COnspiciamus pientissimi Patres in talem, & tantam Matrem, qualem, & quantam solus nouit Spiritus Sanctus veluti palmam exaltatam in cades: hoc est in sancto siue sanctificatione. Si quidem Mater omnis sanctificationis, & salutaris est, victoriam de validissimo alioquin hoste reportans, nos sui imitatione cùm victores tum triumphatores calcato in limine serpẽte faciens. Mater quidem nostra, Mater dilectionis, omnis agnitionis diuinæ approbationis, & sanctæ spei, in qua omnis est gratia viæ, & veritatis omnis spes vitæ, & virtutis. Et vt lilium est conuallium, & lilium inter spinas, quemadmodum antea diximus: haud aliter plantatio rosæ est in iericho, quo Luna designatur. Ipsa igitur plantatio rosæ omnis odoris, & suauitatis, & perfecti, & consummati candoris, sed in Ecclesia quæ sicut Luna perfecta testis est in cœlo fidelis. Plantata illa quidem fuit, sed à cœlesti agricola, in citima, & quæ adhuc in certamine est, & vltra mundana Ierusalé, vtriusque Regina (vel concinentibus Angelicis animis) & Domina, vtramque Ecclesiam odore suo, in vitam non in mortem agens, & cœlesti, & plusquam Angelico candore illuminãs. Vt post agnum immaculatum, & Filium suũ electum ex millibus sit ipsa in cœlesti Curia lucerna non ociosa, sed iugiter ardens, incendens, & singulari in sacrosanctum Domini amorem inflammans incendio, exurens igne, & ardentiore desiderio: admirabiles inducẽs cum incredibilibus refrigerijs æstus, & diuinos cum ineffabilibus Sacramentis honores, cumque Euangelicis odijs fauorabiles charitates, omnis virtutis, & fœlicitatis fœcundissimum seminarium. O glorioſa Domina, excelsa supra sydera, quantis amoribus illum stringis, quem sacro vbere lactasti? In tales amplexus sine inuidia quoscumque passim, qui tui magisterij audientes, & sacratioris disciplinæ patientes sunt admittens. Omnis arbor, & speciali ratione, pulcherrima iuxta aquas omnis gratiæ, & exundantis gloriæ flumina. Platanus, incredibilem redolens, velut cinamomum aromatizans suauitatem, nullis quantum in te est mortem, sed diuiniorem vitam inducens. Vt meliore quadam sorte, quã Apostoli, odor sis vitæ in vitam, non (si dicere ausim) mortis in mortem. Tu myrrha electa imò plusquam, dedisti (vt concinit Ecclesia) suauitatem odoris. Quo tracti odore, tui studiosa imitatione, tui incredibili, & æstuanti desiderio? post vnigenitum Filium tuum curreremus etiam in odorem vnguentorum tuorum, memores vberum tuorum, tuæ tam incomparabilis suauitatis, & dulcedinis super vinum. Nempè recti diligunt te, & optima maxima illa æquitas dilexit te (ita enim vetustiores legunt) quæ rectissima, & æquissima es, & omni clementia, & dignitate insignis, & vltra dignitatem, & diuiniorem formam qua te ab initio illustrauit Dominus, etiam pulcherrimis sanciuit ornamentis, & omnium bonorum, & secretiorum gemmarum in fundamenta, fulciminibus. Quo fit, vt omnes in te vnam conspiciendam, & summis concupiscendam desiderijs, diuinis exaltandam, sublimandamque præconijs, ardentius, amantiusque accurrere debeamus. Videamus quid de gloria Ierusalem, & splendore cœlesti dicat Spiritus Sanctus. In Ezechiele post
multa enarrata subdit. *Et vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te subtilibus, ornaui te ornamento.* Id est, me fortasse, toto qui totus ornamentum sum, & pulcherrimũ *Ezec.* 16.

non muliebre, sed virile mundum (quæ nõ ex A plicamus exactius, nec enim de singulis differere tẽpus est:) *Et dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem super os tuum, & circulos* (diuinæ haud dubiæ intelligentiæ) *auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro, & argento*, lege, scripturis, & mysticis earum sensibus, *& vestita es abyssо, & polymito, & multis coloribus. Et decora facta es vehementer nimis.* Si talibus dignatus est Dominus Ierusalem ornamentis, cœlestia, & recondita Sacramenta in se continentibus, quid nõ talibus, & longè melioribus insigniuerit Reginam cœlorum, & singularem mundi, & Angelorum Dominam? Alioquin quomodo le- B gis præceptum impleſſe diceretur. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam? Patrem vel Euangelico testimonio abunde honorauit, & Matrem nimirum honorauit, qui omnia adimpleuit. *Amen, Amen*, inquit, *dico vobis,* *Matt. 5.* *non præteribit vnum iota, aut vnus apex de lege, donec omnia fiant. Cœlum, & terra trãsibunt, verba autem mea nõ transibunt.* Sed quomodo verba legis, non erunt Domini verba? Quando quidem locupletissimum est Pauli testimonium, datam esse legem per Angelos in manu mediatoris, mediator autem Dei, & hominum vnus est IESVS, qui singulari priuilegio, & omni dignitate, venerandã ornandamque suam censuit Matrẽ, Filij insfionibus, & præclaris institutionibus obsequentissimam. Et si sine pœnitentia sint dona Dei, multò magis in Matrem Domini, absque vlla pœnitudine, collata fuerint munera, vt nunquam hæc ab ea auferantur, vndique vt facer ait Nazianzenus benè ingrediens, & grata Deo μαργαρος ἐν λεσσι ἐωσφορος ἐν θαλασσιν ἐν ἐπτηνοῖσι τελεια ἐν αλσεσιν ἔρνος ἐλαίης καὶ κρινον ἐν τελεσσι καὶ τελαεσσι γαλκυων, id est Margarita in lapillis, Lucifer in luminibus, in volatilibus colũba, in nemoribus ramusoliuæ, & liliũ in cãpis, & in pelagis trãquillitas. Subdit in eamdem sententiã. Virgo omnẽ ornatũ, & quæcumque iucunda vitæ repellens, propè Christum consistens splendentem, & manu manum capiens, tuum ages intra cubiculum benè spiratum, odoratum, vt tuum commisceas vnguentis cœlestibus vnguentum, vbi effusis ipsis indicibilibus desiderijs desideria, & formæ formam comparans, cœlatam cœlatæ, & splendenti lucidam, habeas formæ glorioſæ, & incomparabilis amatorem. Quæ mire illi Virgini, & incomparabili Matri quadrant. Sed ad institutum redeamus. Defornicatrice Ierusalem consequenter subdit Propheta: *Et habens fiduciam in pulchritudine tua.* Contra verò Domini Mater, nullam vnquam habuit fiduciam in pulchritudine sua, sed omnia in fontem vnde manabant, referebat, omni pietate obseruantia, & cultu insuper sanctam Trinitatem, & vnigentium Filium suum intenta: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Nihil de se præsumens nihil suæ virtuti, aut meritis ascribens. Se vocat ancillam, & reuerenter diuinum, pro singulari sua obedientia) nec enim reluctandum illi erat) suscipit munus. Munus omni munere superius, decus innumerabilibus pretiosiùs ornamentis, & totius salutis nostræ mirabile pignus. Propterea de illa significantius dixit Propheta. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumuata varietate.* Astat Regina constans à dextris Filij, in potioribus bonis Filij, quæ sunt immortalitas, æternitas, infinitas, bonitas, pulchritudo, & reliqua id genus. Secundùm quod dicit Propheta: *Longitudo dierum in dextera eius, diuitiæ, & gloria in sinistra illius.* Oblita est populi sui, in nulla re illorum prauitati consentiens, in qua nulla vnquam potui sibi vendicare locum macula. Et reliquit domum matris suæ, id est, Synagogæ, quæ ad arborem crucis corrupta est, vt pulchram, & manentem sui nece, & interitu stabiliter Ecclesiam, omni pretiosiorem auro, & lapide etiam pretioso decoram. Meliora, & puriora eadem Virgo, & Mater accepit, influitque in Ecclesiam continenter Sacramenta. Propterea audire meruit. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuã, & obliuiscere populum tuum, & domum Pa- C *Psal. 44.* tris tui. *Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Te simul eius tantæ adorationis participe. Par namque est eam quæ ad dexteram Filij ascita est, eius etiam venerationis, & gloriæ haud esse expertem, comparticipem quoque fieri cœlestium sacratiorum, & incomparabilium honorum, diuinarum theurgiarum incorrupti, & nunquam cessabilis ardoris. Talis est tua sors, ô admirabilis, & ineffabilis virgo, & benedicta super omnes fœminas, quæ (vt de te canitur) omnes Angelos vincis puritate, & omnes sanctos superas pietate. Talis tuus diuinus participatus, ô veneranda Mater. Viden vt solicitius in eius describenda forma Spiritus Sanctus immoratur, imò verò ipse sponsus, suã pulcherrimè formatsponsam, ex corporeis liniamentis in diuinas eandem transuehens formas, sublimans effigies. *Quid videtis in sunamite*, inquit, *Cant. 6.* *nisi choros castrorum?* Castrorum quidem extimorum, & cœlestium. Quam terribilem in eodem Cantico dixit, vt castrorum aciem ordinatam, & iterum: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Vt quam diuinam Matrem vnum cœleste numen referre non potest, plurimi cœlestium talem, & tantam animam exprimant exercitus. Nec illud quidem satis pro dignitate, quippè quæ virtu-

virtute, & gratia omnes antecellas cum humanos tum Angelicos ordines, cunctis rebus conditis celsior, & purior vniuersis animorũ agminibus, superiore, & sublimiore lumine gloriæ te supramodum, vltra omnem naturã euehente. Vt iam nullius ordinis illa esset, quæ omniũ ordinum designata erat Regina, & selectorum animorũ selectissima Domina. Dissonantia, inconsonantiam, & inordinata, in mirũ ordinem redigens, pulcherrimi post Deum dominatrix orbis, & totius humani ge-
*Cant.7.* neris reparatrix. Subdit: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia Principis.* Diuinis affectionibus, & sacrosanctis meditationibus in patrem, inque principiũ tuum recurrens, vt chari genitoris ora conspicias. Abs quo authoritate desumpta (illius etiam comes, descendis in hortum aromatum, vt ibi pascaris in hortis, & lilia colligas, lilia præcipuis nobilitata muneribus. Vt summa solertia, & admirabili prudentia, illi in tam splendido cultu cooperata, merearis audire. *Pul-*
*Cant. 6.* *chra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis, vt castrorũ acies ordinata* Pascitur inter lilia sponsus, & tu inter pulcherrima pasceris lilia, eadem pene tu qua ille fœlicitate, hoc est Deiformi perfruens. Iunctura fœminam tuorum propter sanctum, & superuenerandum partum, sicut monilia, nec passim quæcumq; monilia, aut ornamẽta, sed quæ fabricata sunt manu artificis, & artificis quidem illius, qui momento non temporis latioribus spatijs operatur. Qui omnis artis facilè Princeps, meliore vsus est in te exornanda artificio, vt plurib⁹ propositis (habet enim quæ donet infinita) meliores tibi partes elegeris. Cui enim Euangelicum illud magis conuenire potest? *MARIA optimã partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Illa tam solida,
*Lucæ 10.* & perfecta parte omnes facile partes stringis, vt superiora numina paucioribus formis plura pura mẽte concipiunt. Atq; vt in vnũ coagmentantur diuinæ rationes, haud aliter in te diuina matre, vno, & pulcherrimo stringuntur fœdere, coguntur eminentia, & diuina cũ imitatione, tum voluntate, in vnum facilè in te abeunt, quam tantò vnitatis præconio, & cõmendatione Dominus dignatur: *Porro*, inquit, *vnum est necessariũ*. Vnũ quidem non multa, vnum non multitudo. Vnitas suapte natura clara, splendidaq; habetur. Subdit *vm biiicus tuus crater tornatilis nunquã indigens poculis.* Acsi diceret quomodo mulier Euangelica: *Beatus venter qui te portauit,*
*Lucæ 11.* *& vbera quæ suxisti.* Aureus ille nimirum crater. Et vasa quoque Domini in secretiore mysterio aurea erant, & receptilis, & diuina pro tabernaculo arca Domini, interius, exteriusque deaurata, vetustiore tantùm circumlita bitumine, hac illa longè pretiosiore arca. Tornatilis, inquit, obserua, vt in artificem, dignitatem operis, vt antea referat. Tornati-

A lis enim, id est, in rotundũ, spheramq; diuina imitatione actus. Ea enim figura capacissima est, & diuinæ diffinitionis particula: est enim (vt volunt) Deus sphæra infinita cuius centrũ vbique est, circumferentia nusquam. Est enim capacissimus ob immensitatem quandam, fœcundissimum, capacissimumque gignens filiũ patri sibi coæqualem, & coimmensum. Et capacissimus Virginis, & Matris vterus. Quia quem cœli capere non poterãt, ò sanctissima Virgo, tuo gremio contulisti; nec eget poculis tantus, & talis crater, diuino plenus nectare, & cœlesti rore, & Ambrosia, & qui diuinus vterus, plenius omnem præstaret sufficientiã si alterius nõ egeret poculo inferioris, totum
B illum nempè vterum adumbrauerat, sed immenso lumine, & sempiternis fulgoribus, & sacratiore nectare, Spiritus Sanctus, imò, & Altissimus, qui Pater Verbũ, & Spiritus Sanctus est. Spiritus Sanctus, inquit, superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Vt iam iam Deo plena, & verè purpura Regis electa, nullis esset amplius, quàm vsibus mancipanda diuinis. Quid igitur carchesia, aut poculà in eam cõferenti quam specialiter introduxerat Dominus in cellam suam vinariã, in eam toto se se infundente diuinarum proprietatum choro? Illi ex vino secretiori, & condito dederat poculum Dominus, & mustum malorum granatorum suorum immen-
C sa, atque incomparabili efferuens charitate. Eius mediæ, & celsitudines (nec enim infima in ea sunt, quam melioribus dignatur Dominus) ingenti sunt charitate constrata. Nõ tantis eget poculis, quæ vno egregio, & diuino perfruitur poculo. Subdit superiora confirmans: *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs.* Congregatio omnium sanctorum in sancto sanctorum Domino nostro IESV Chri-
*Cant. 4.* sto est: *Qui granum frumenti cadens in terram, & mortuum* (suo ipsius testimonio) *multum fructum attulit.* Eius passione, & morte in omnium salutem abunde sufficiente. In
*Ioan. 12.* fructum vberrimum, & fœcundissimum sua
D morte exurrexit, quando sanctus, sanctos fecit granum vnum diuina attulit grana, & nũc tricesimum, nunc meliore prouentu sexagesimum, plerumque cẽtesimum, imò verò millesimum, & multò fœliciorem fructũ, quem omnẽ attulit Beatissima, & glorioßissima semper Virgo MARIA. Eadem profecto grana in vno Domino IESV, inque suo fœcundissimo vtero concluserat Mater Domini, tanta vbertate, & fœlicitate insignis. Par erat enim, vt quæ Domini nostri vnigeniti Dei Filij, erat Mater, omnium esset Mater sanctorum. Vt suus tam fœlix vterus in acerum tritici exurgeret fœliciſsimum. Vndique hic acerus vallatus est lilijs illis nimirum, quæ tanto honore, & Euangelica collaudatione dignatur pater cœlestis, illis quidem lilijs, quæ omnem fœlicitatem, & gloriam

Salomonis, longo interuallo antecedunt. Sūt quidem lilia virgineo candore, siue per gratiam, siue per naturā micantia. Virginalis vterus erat omniū cœlestiū animorū, & diuarū virginum, circumdatus agminibus. Decebat quippè virginem talibus oppignerari muneribus, decebat virginitatis, & omnis puritatis circumuallari honoribus, quæ Virgo, & mater omnium virginum merita antecellebat, virginum mater, virginum incomparabilis, & veneranda in cœlestes aulas, ductrix, & antesignana. In MARIA omnis puritas, omnis veritas, omnis gratia fuit, candor incomparabilis, odor omnium superans odorum fragrantiam, fœlicitas denique talis, & tanta, qualem, & quantam conijcere non possumus, & perinde nō satis dignis laudare præconijs, quæ tantum Angelicis extollenda esset laudibus diuinis quoque celebranda panegyricis. *Beatus* igitur *venter*, ò Domine IESV, *qui te portauit*. Verè Beatus quem nulla vnquam inuisit macula, vterus omnis sanctitatis, vterus puritatis, vterus innocentiæ, manens Dei, & hominis reclinatorium, Spiritus Sancti tabernaculum, totius Beatæ Trinitatis sacrarium, & omnium sanctorum, & cœlestium numinum propiciatorium. Vterus clementiæ, & singularis pietatis, verè aula cœlestis, & templum Dei ornatissimum, in quo iuge sacrificium, & superadmiranda libamina continenter Domino offeruntur. Ibi singulare laudis sacrificium, iustitiæ sacrificium, & omnis iubilationis, & præconij hostiæ Domino immolantur. Si testimonio Elisabeth benedictus fructus talis ventris est, ergo, & benedictus, & super benedictus venter erit. *Non potest arbor mala fructus bonus facere.* Nec contra bona, malos. Bonus igitur fructus, bonus, & venter, arbor quidem cœlestis, arbor vitæ in medio conclusa Paradisi, arbor deifera, & quod magis mireris Deipara, verè armarium legis, & Prophetarum, & omnium diuinorum mysteriorum reuelatio, vt quæ paucis olim in secretioribus prodebantur, omnibus (talis vteri meritis) sint patefacta poscentibus, iam reseratis secretioribus sanctuarij penetralibus, omnibus proditis mysterijs, atque patefactis aditibus, verior quædam cabala, & spiritalis scripturarum traditio. Vnus hic vterus est, ex quo flumina gratiarum, & tanti riuuli scientiæ, & sapientiæ prodeunt. Ex quo abundè haurire potestis, ò fœlices animæ, si in tales aulas, & secretiora tabernaculi paulum á mundanis solicitudinibus, & impedimēte turba vobis semotis sanctior patefactus sit aditus, si in ea spaciari liceat latitudine, quam Dominus omnium author vnicè concupiuit, in illa totis expansis veluti in liberiore spatio volitat alis. Vberior haud dubie Cherubim ob sapientiæ plenitudinem, in Cherubicis spaciatus campis, & Seraphim diuinis æstuans incendijs, paribus incredibilis ardoris, & admirādæ charitatis oblectatus spacijs, vt secretius sapientia sapientiæ, & fœlicitas fœlicitati cōferretur ex tali, & tam ineffabili coalitu totā mundana resonante machina, tali coagmentatione superiorū, & inferiorū (haud prætermissis medijs) manente nexu. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Tua ope, & toto Spiritu Sancto opus est diuina mater in tantis exponēdis mysterijs: alioquin in grandes, & insuperabiles incidimus scopulos. Huc adsis igitur, ò pia Mater, & cœptos præsenti numine cursus dirige, & infirmā rege per vada cerula puppim. Nō possum mihi persuadere, tam diligenter Spiritū Sanctū formam humanam, & corporalia lineamenta describisse, & laborioſius collaudasse, nisi propter vnam Domini Matrem, quæ corpore, & mente gestauit Dominū Saluatorē. Vt totum esset sanctū quicquid in ea videretur, & vbera, & sinus, venter, & demū vniuersa, quibus omnibus, in Domini officia, & sancta obsequia summa reuerentia vsa est. Et quamquam corporalia cœlestiū plerumq; signorū Sacramenta sunt, tamen hæc tam diligens corporis collaudatio, non ineptè suis contenta limitibus, aut quāquā suos fines prætergressa in Domini Matrē, eiusque tam sanctā, & venerandā humanitatem referetur, ibi suam proprietatē seruante historia, tantò ibi vno quidem, & singulari in vtrumq; spiritalem, & iacentem sensum, & nusquā alibi, inuento exēplari. Et genus rerū, & nuncupatio, & omnis differentia sensus, illi vt primū adeūtibus visum est) quadrant. Lege vetustiores Hebræos, qui hoc genus expositionis plurimū amplectuntur. *Duo vbera*, inquit, *sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Capreæ (vt frequenter diximus) maximè videns animal, habetq; interanea, quibus veluti collyrio optimo maximo, quoscumq; passim vidētes faciat. Hinnulos capreæ (qui & humilitate, & meliore agilitate perditi sunt) vtrāq; naturā in Domino Saluatore accipere possumus. Et quamquam exultauerit: *Vt gygas ad currendā viā, & à summo cœlo egressio eius, tamē exinaniuit semetipsū formā serui accipiens, in similitudinē hominē factus, & habitu inuētus vt homo.* Vtraq; natura pulcherrimū habuit tabernaculū in superuenerā da Domini Matre. Has nobis pro vberibus, quo lac dulcissimum, & vtriusque naturæ intelligentiā suggeremus, nobis exhibuit, obtulit, & sua ingenti clementia donauit. Quo ipso Saluatore, veluti super sancta institutione ipsum eundem melius, & perfectius intelligeremus, quā quocumque alio interstite medio. Venerat ille quidem, ad dandam scientiam salutis plebi suæ in remissionem peccatorum, longè meliore, & fœliciore sorte, quàm Ioannes præcursor Domini, qui non tanquam fidelis seruus, sed vt filius coæqualis, & consubstantialis Patri in domum Patrem, & suam venerat, vt pulcherrimam

*Luc. 11.* *Cant. 7.* *Psal. 81.* *Philip. 2.*

lucem

lucem tenebris, & caliganti insereret mundo Gemelli isti duo quidem hinnuli, siquidē theotocos, id ist, Deiparam dum Christotocos, & summo, & inganti miraculo Virgo MARIA facta est, vniuerso data orbi salute. Tanta quippè synaxis, & communio vtriusque naturæ facta est, vt quod vnius esset, alteri incomparabili collatione in commune veniret. Possumus, & vbera in duo testamēta referre. Nam vtriusque super diuinam cum custodiam tum magisterium habuit illa fœlix, & super sancta Virgo, & enigmata, & sanctas difficultates velut lac purissimum, dulcissimumque nobis in potum dededit: longè alia sorte, & conditione, quam sphinx. Nam & intelligentibus, & non intelligentibus si absque vitio ea ignorantia fuerit, salutem affert. Illa verò intelligentibus salutem contra non intelligentibus præsens intentabat exitium. Duo illa venerāda quidem vbera, duo hinnuli erant, siquidem doctrina, & matris institutio, non aliud quam humanitatē, & diuinitatem Domini Saluatoris resonabat. Quam imitatus Apostolus post habitis vanis genealogijs, & quæstionibus interminalibus, nihil aliud se scire fatebatur, nisi Christum IESVM, & eum crucifixum, scandalum Iudæis id quod liberè
1. Cor. 1. profitebatur, stultitiam verò gentibus *Credenti bus verò Dei virtutem, & sapientiam.* Sic veneranda mater tota erat in filio, illum amabat, illum amplexabatur, illum vberibus, & diuiniore lacte exhibebat: tantos diuinitatis, &
Cant. 4. humanitatis thesauros omnibus patefaciens: *Collum tuum*, ô pulcherrima Domina, *sicut turris eburnea, sicut turris Dauid cum propugnaculis, ex qua mille clipei pendent, & omnis armatura fortium.* Tuum caput Dominus IESVS Christus est vnigenitus tuus, & Dei Filius, & caput illud aurum optimum, quo ebur tuum, & in cœlesti corpore tuo mortificatio tali circundata auro haberetur pretiosior. Tales in te vnigenitus filius tuus miro candore, & splendore refulgens, afflarat honores. Illum veluti caput, & parentem suspiciebas, illum reuerebaris, suam eius vitam, passionem, & mortem in eboris Sacramento tibi pro turri firmissima, & optimis propugnaculis formaueras, seruauerasque in eius iugi meditatione perseuerans. Et quamquam nullo fulcimine, egeret Filius, qui & Verbum, siquidem omnium est sufficientia, imo ipsa fœlicitas, & bonum infinitum, tamen te matre veluti quodam suo tabernaculo, & pedamento vsus est, quæ mater, & sedes vna esses misericordiæ, omnium robur, omnium turris, omnium electorum, & sanctarum animarum receptaculum. Vnde vniuersam desumerent armaturam, & mille clipeos. Et quicumque imbecilles, fortissimi talibus armis te vna protectrice efficerentur, quæ tutela, propugnaculum, & munimentum omnium es. Hæc tua turris, turris pulchritudinis est, turris bonitatis, suauitatis, virtutis, honoris, sapientiæ, scientiæ, & prudentiæ, omnis demum fœlicitatis. Hanc ab omni iniuria procul positæ cœlestes, & fortunatæ incolunt animæ, ibi sunt loca fortunatorum nemorum, sedesque Beatæ. Porro *oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Quis tam recondita signati libri aperiet mysteria, nisi qui habet clauem Dauid: *Qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Esebō singulū tri- Apoc. 3.
stitiæ, vel cogitationē mœroris interpretātur. Piscinæ, plerumque in scripturis in bonam partem accipiuntur. Vt in Euangelio erat ea piscina celebris, quam suo descensu dignabatur Angelus, cuius aqua permota omnibus primum adeuntibus, & dilutis sanitas præstabatur. Cisternas nunquam legimus in partem affirmantem siue bonam susceptas. Sed quænam sunt piscinæ, quæ in porta filiæ multitudinis visuntur? Fortasse quantum licet conijcere, filia multitudinis: Ierusalem est quæ à multidine gentium cum ædificata, tum inhabitata fuit. Possumus eam etiam filiam multitudinis dicere, quæ relicto Deo se se multorum Dæmoniorum Principatui subdiderat. Vt in Ezechiele apertè enarratur. Et post commemorationem idoli zeli, multorum Dæmoniorum multiplicatio subnectitur. *Ingredere* (inquit Dominus) *Et vide abominationes pessimas,* Ezech. 8.
*quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi. Et ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum, & septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iechonias filius Saphan, stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Et consequenter subdit. *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem. Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes adonidem.* Filia igitur multitudinis Ierusalem, quæ in tot abominationes, & multò plures se contulerat. Possumus etiam quantum ad propositum attinet, filiam multitudinis idcirco etiam dicere, quod à multitudine credentium cum Apostolorum, tum discipulorum regenerata, & perinde recreata esset. De aqua multitudine dictum est. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum,* Actor. 4.
*& anima vna.* Ad prædicationem Petri quinque millia in fidem recepta legimus. Nec iniuria tali quodam sensu filia multitudinis, quæ relicto Diabolo ipsa ex magna parte multitudinem sanctorum in parentes, & regeneratores susceperat, & relicta paterna domo, in pulcherrima sanctorum tabernacula, & ædes secesserat. Id quod à Domino etiam
Ioan. 12. prædictum est. *Nunc Princeps mundi huius eijcietur foras.* Oculi tui igitur, ô pientissima Regina cœlorum, ô veneranda Domina Angelorum, & reparatrix totius humani generis, sicut piscinæ in Esebon, sicut piscinæ saluberrimus scaturientes vndis, sed in Esebon quod circuncincta salubri, & diuina cum filio

fueris tristitia, illi quoquomodo coagens, & compassi. Paulus Apostolica authoritate, Electos cooperatores Christi esse protulit. At tu longè altior, & eminentior cooperatrix, ò Virgo, & haut dubie cogitationem mœroris habes, si quidem tuam ipsius animã, pertransiuit gladius, vel ipso venerandi Simeonis testimonio, talibus lachrymis oculos suffusa nitẽtes, & dulces per illos incomparabilis virtutis, amorisq; stillans lachrymas. Singulari mouebaris mœrore secretiore misericordia, & pietate propter filiam multitudinis, cuius miserandam calamitatem contuebaris tantorum facinorum indignitatem non ferens, non tam illorum causa successa, quàm compatiens, & admodum sauciata. Tales igitur, tantique tui mœrores erant in porta, siue super portam filiæ multitudinis Ierusalem huius quidem citinæ, & peccatricis, tui filij vnigeniti imitatione, qui pro portis Ierusalem illa visa illius infœlicissimè, & tantæ, scilicet, futuræ cladis misertus collachrymatus est. Et Pauli testimonio in ara crucis suspensus magnavoce cum lachrymis emissa exauditus est pro reuerentia sua, siue vt alij habent pro illius pietate, illaquidem ingenti, & perquam magna. Tales lachrymæ te, vultum tuum, & speciem tuam venustiorem, ò sponsa Spiritus Sancti reddebant alioquin tuapte forma egregia, & liberali venustissimam. Talibus lachrymis cuncti potentem ciere poteras, & alioquin immobilem mouere, illam iustitiam in misericordiam, si dicere dignum cõuertere, potiores partes misericordiæ facere, atque vt misericordia super excellat iudicium, sed volente, & decernente Deo, totos conatus tuos intendere. Altera Hester quæ lachrymis veniam populo impetrauit, Regis mitiora verba promerita, & decreti abolitionem: quo cruci suffixo, tale nocens chirographum penitus Dominus, & Deus tuus, Rex etiam noster deleuit. Hi sunt tui fontes misericordiæ, pietatis, & illustris, nimirũ clementiæ, fontes salutis, & benedictionis, & omnis incolumitatis nostræ. Quibus exundantibus nostri misereri dignatur misericors, & miserator Dominus. Hæc est illa piscina quinque porticibus diuinis, & mysticis fontibus meliorem sanguinẽ exundantibus, insignis, cuius aquas mouere dignatur Angelus. Sed quis alius Angelus tantùm, & tam egregium in Domini Matre attentaret facinus, nisi ille magni consilij Angelus ille quidem admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, tantùm suo non alterius cuiusuis contactu illam honorabat. Quippè quæ tota diuina non amplius humana, aut Angelica esset, veluti (vt facer ait Hieronymus) purpura Regis in vsus tam excelsæ maiestatis suscepta vnigeniti siquidem filij, non iam conchili, aut muricis pretiosissimo sanguine supra omnem creatam substantia honoratior nullis alterius vsibus debebatur, pius filij sui sponsi, & Regis ditata, atque exaltata muneribus, & singularibus Spiritus Sancti donis. Quicquid enim in ea matre erat, totum gratia, totum veritas, totum puritas, & sanctitas fuit. Quicquid etiam humanis potest dici laudibus, minus est à laudibus, & gloria illius παναρίας, & super sanctæ, & intemeratæ Dei Matris. Cui super sanctæ, & super benedictæ post vnigenitum filium suum omnis honor, & claritas, Amen.

*In laudes, & præconia παναρίας & omnisanctæ Dei Genitricis MARIÆ panegyricus, Sermo 3.*

VAsus tuus sicut turris libani, quæ respicit contra Damascum. Damascus sanguis sacci est, vel sanguineus saccus. Sed quænã cõparatio nasi ad turri? Ineptam illam quidam fortasse existimarent, nisi difficillima loca spirituali sensui mire conuenire experimento in scripturis plusquam compertum haberent. Existimant eruditi ea arte, & verborum serie scripturas à sanctis viris traditas esse, vt spiritualem sensum facilè monstrarent, & à litera in sensum spiritualem ire secedere, atque assurgere cõpellerent. Quæ si secundùm iacentem sensum acciperentur, nihil vtilitatis per se ferrent, nisi rudem quandam, & infra vulgarem significationẽ intelligentiam, id quod prorsus ab Spiritu Sancto tantò effectore artis alienũ est. Sanguis sacci, vel sanguineus saccus, Diabolus est, de quo scriptum est. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos, & ille est, qui in Euangelio inimicus homo dicitur, ille sacceus (vt sic dicam) crudelis, & tenebrosus est, malignus quoque est, vt in Psal. 118. scribitur: *Declinate à me maligni, & scrutabor mãdata Dei mei.* Contra hunc respicit turris libani, turris candoris, & pulchritudinis, hoc est mirabili sua discretione, & prudentia, Virgo Dei Genitrix turris fortissima, & contra omnes hostiles impetus inuictissima habens omnium virtutum, & cœlestium animorum diuinarum quoque dignitatum admiranda præsidia. Illa quidem Virgo, per quam *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per quam Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* In qua exercenda, fortitudinis, pulchritudinis, & omnis candoris turrim, & ingens robur, Diabolo Principi tenebrarũ obijcit. Pulchrè igitur nasus tuus sicut turris libani, quæ respicit contra damascum, quæ contra antiqui serpentis insidias respicit. Ad quem dictum est: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Contriuit caput Diabololi benedicta, & semper Virgo MARIA, tum cum aptãte eius destruxit Dominus IESVS Christus eiusdem Matris vnigenitus Filius. Quemadmodum ait Ioan. in Apoc. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudo Propheta, & qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt caracterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Et iterum. *Et proiectus est draco ille serpens anti-*

Cant. 7.

Pſal. 118

Prou. 8.

Geneſ. 3.

Apoc. 19.

*antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram. Et Angeli eius cum illo*
Apoc. 10. *missi sunt.* Et in consequentibus: *Bestia, quam vidisti fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & ibit in interitum, & mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi, videntes bestiam quæ erat, & non est.* Et apertius adhuc: *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt nihil seducat amplius gentes.* In quo tempore nos esse sacer affirmat Augustinus. Chilia de, & milleno, pro numero infinitiore de more scripturarum susceptо. In pace igitur, & tanta quiete (vincto Diabolo, & proinde forte Angelis suis hoc est minuta eorum potestate, ne vsque eo seuiant) sed per Domini Matrem fauorabiliter agimus. Et obserua Diabolum insidiantem mulieris calcaneo, & semini eius, nec prævalentem: *Et misit* (ait Ioannes)
Apoc. 12. *Serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, & adiuuit terra mulierem, & aperuit os suum, & absorbuit flumen quod misit draco de ore suo.* Insidiatur, sed non non prævalet. Nam respicit turris libani candidissima, & cuius vniuersa extructura ex mundo lapide est, contra faciem Damasci, contra faciem Diaboli, quo illum funditus exterminet. Turris eius, & munimentum, & fortitudo in libano, in quo diuinas eius, & superexcelsas habuisse contemplationes refertur. Tanta siquidem gratia, & diuinis theorematibus plena fuit, vt eius mens ineffabilibus medijs iuncta esset, & vnita Spiritui Sancto, immortali, & sempiterno amori, adeo vt plerique eam nihil ignorasse nihil nescisse affirment. Sed melius est totum Deo committere, quàm temere astruere, quæ nescias. Cæterum illam sponsus candidus, & rubicundus ad se de libano, & tantò candore venire iubet:
Cant. 4. *Veni*, inquit, *de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaueris.* Veni de candore, & singulari illuminatione. Veni vna illuminans, & perfecta talium tenebrarum vnica, & singularis vitrix. *Veni*, inquit, *veni*, vt parta victoria, & pulcherrimum referens de tot fusis fugatisque hostibus triumphum, coroneris. *Coronaberis*, inquit, *de capite amana*, hoc est de iniquo, vel coangustante, siue de capite iniqui, aut coagustantis, *de vertice sanir*, id est, eleuantis, aut attollentis nouitatem. Nam & inimicus homo in Euangelio super seminauit zizania, & *hermon*, id est, anathematis mœroris, vel tristitiæ. Quorũ vtrũque ad refugas spiritus, & eorum membra refertur. Subdit apertius: *De cubilibus leonũ, de montibus pardorũ.* Cogebatur Dominus IESVS illá ad se reuocare, quem ipsum vulnerauerat in vno oculorum suorum, & in vno crine colli sui. Dextro ille quidem oculo, diuinitatem semper contuente, & illo charitatis crine, in quo veluti in Sampson, totius corporis, & animæ robur, & mirabilis virtus cõsisteret. *Caput tuũ*, inquit, *vt carmelus.* Formosa erat, corpore, & animo, vt mons elevatior, & sancta prophetarum habitatio. Mollis quidem, & tenella, in vsum, & plasmationem manuum Domini tota habilis, aptissimaque, & mire vtramque circunciſionem cognoscẽs, & gradus sanctissimos ex alia in aliam faciẽs, vt secundo loco veræ, & secũdæ circumcisionis, & totius diuini magisterij veneranda esset institutio, & sanctæ seruatrix disciplinæ, pro ingenti illo pro murali omnium virtutũ consistens, in sede illa solidissima, & firmissima, omnium gratiarum confidens, omnes, & singulos adeuntes suauissima verborum lenitate, in se se, inque diuinos sinus, & recessus amœnissimos reuocans. Caput iterum eius, vt carmelus, omnium virtutum, & multiplicium donorum odore fragrantissimum, inq; omnem laudem, & gratiam vernans. Molle & tenerum in Sacramento eius caput, & totũ de diuino calore, & spiritalibus incendijs liquescens. Caput etiam huius tam incomparabilis Virginis est Dominus IESVS Christus, qui & eius filius delicatus, & tener, roseo candore, & candido rubore nitescens. Siquidẽ illius pretiosissima humanitas est etiam purissima, sanctissima, mundissimaque. Tenerrimus, & lenis secundùm interiorem, exteriorem q; hominem: *Discite*, inquit, *à me: quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Flexibilis quoque (si dicere par est) in patris reuerẽdos honores, & volũtatẽ. Caput igitur, vt carmelus florentissimus, & vbertate, & singulari fœcunditate, illustre decorum, plenissimumq; Decebat namq, caput insigne, & tam fœcundum esse, vt à quo in omnia membra, immensa decurreret virtus, & ex superiore, & eminenti irriguo, oriretur irriguum inferius, & benediceret illam terram Dominus, de qua in Psal. 84. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.* Et comæ capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus. Purpura Regiũ indumentũ est, nec in alios vsus, quã in regios, vel principali constituto asseruatum. Tales comæ virtutes, & gratiæ Matris Domini nostri IESV Christi sui eius Filij sanguine, in purpuram versæ, quarum in Dominicos cõtactus, & purissima ornamẽta omnis esset vsus. Id quod illi maximè post partum euenit, vt totum esset diuinum, quod in ea conspiceretur. Ante hoc ipsum sanè ipsa Virgo quãquã pu-

Matt. 11. Psal. 84.

pura quamquàm immaculata, tamen adhuc humilitate humanitatis induitur, acú lana candidissima esset? sui natiui candoris puritate insignis. At cùm ad ipsam Spiritus Sanctus accessit, quasi ipsa eadem lana cum inficitur sanguine conchilij, aut muricis, vertitur in purpuram: versa est (& ipsa, vt sacer ait Hieronymus) sine semine in matrem. Vt non sit iam ipsa quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum, & gloriam summi Regis diuinitus aptissimè dedicata. Viden vt comæ tantæ matris non ineptè purpuræ, regali, & raro indumento comparantur (vt eadem, quæ mater Domini est, sit sponsa Spiritus Sancti, & filia sanctissimæ Trinitatis, tota per omnia regia, regalia prorsus in ea charismata, & sacratiora munera. Vt imitatione verbi non solùm purpura, sed aurum esset optimum, & de tabernaculi egregia suppelectile totum solidissimum, quandoquidem interius, exteriusque verioris arca tabernaculi esset? deaurata, & super cœlesti auro vndique plenissima, tantis diuitior muneribus, totiusque sapientiæ, & sacræ intelligentiæ thesauris. Vt in qua, nihil vacuum, nihil deficiens esset. In alio loco, ferculi, & pulcherrimi Salomonis gestaminis ascensus purpureus est. Sed quis nobis alius ascensus ad filium, nisi per matrem? Quis nobis alius aditus in Dominica templa, & palatia, nisi pro gradibus purpureis, infinitarum Virginis Immaculatæ, virtutum, dignitatum, proprietatumque, & pro gradibus etiam num eburneis de humanitate Domini IESV è tantæ Virginis desumpta vtero. Nobis ascensus per eandem Domini reuerendam matrem, & mirabiles assurrectiones in cœlestes parantur sedes, & fastigia. *Quàm pulchra es,* inquit, *& quã decora decora charissima, atque amantissima mea in delicijs, statura tua assimilata est palmæ.* Propter admirabilis victoriæ præstantiam, & νίκαμ, id est, virtutem, & potestatem, & vbera tua botris, de quibus vinum diuini amoris, & cœlestium incendiorum profertur. In quam palmam conscendit Dominus: quando dimissis (si dicere dignum) cœli fastigijs in virginis non tam descendit, quàm conscendit vterum: in cœlestes diuæ parentis penetrauit angustias: concessis nimirum vniuerso mundo melioribus profectibus, admirandisq; incrementis. Diuinæ nempè hoc virtutis est: posse hominem coniungere Deo: idque, vel maximè, si ineffabilis, & in eandem hypostasim abiens, illa vnio sit, & quem mundus, aut mundi innumerabiles capere non poterant vnius virgis vtero concludere. Omnium certè mirabilium hoc excedit admirationem, & ob eam causam vnigenitus Dei Filius ingeminat: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* Odoribus vndique sponsi delibuta es, ò Virgo, id quod ipse Dominus, & Deus tuus in epithalamio non tacet, & odor oris tui sicut odor malorum, quo odore omnes trahis in vitam: in tuas virtutes, & admiranda tua per quam raræ dignitatis mysteria. Prodijt ex illo ore cunctorum mysteriorum principium, omnium Sacramentorum summa, & virtus: quando Angelo nunciati respondendum duxisti: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*, perinde acsi diceres: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Veni dilecte mi tam gradem rem effecturus, vt hoc mane misericordiæ surgamus ad vineas, & in Dominicum agrum magis, ac magis excolendum transeamus. *Commoremur in vilis*, diuina sparsuri semina Verbi. *Videamus si floruerat vinea* si flores fructus parturiunt *si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea.* Quibus emissis verbis, salus mundo parta est, & lux tenebris illuxit, & quamquam tenebræ non comprehenderint lucem: non fuerunt idcirco prorsus, lucis illius immensæ expertes. *Sedentibus enim in tenebris, & in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Hoc idem significat Ecclesia, dum medium, ait, quippè silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit. Id quod in libro, qui sapientia Salomonis inscribitur, etiã ferme ad verbum legitur. *Cum enim*, ait, *quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus Domine, exiliens de cœlo, à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus, insimulatum imperium tuum portans, & stans, repleuit omnia morte, incredulos, scilicet, deteriore morte, bonos verò meliore, & fauorabili.* Subdit, *& usque ad cœlum attingebat, stans in terra.* In quo pulchrè describit Verbum Dei carnem factum. Qui semper admirabili sancto sanctorum, & Pontificum Pontifici vnigenito Dei filio, & tantæ virginis etiam filio, est omnis honor, & gloria, Amen. Guttur tuum suauissimum illud, quod sicut vinum optimum, diuina sapientia miscet, & quidè diuinis manans torcularibus, lętificat Deum, & homines, & præcipuè tantillum cor hominis, vt totum in diuinas accendatur laudes. Dignum, inquit, dilecto meo ad potandum, & dentibus illius ad ruminandum. Amat amoris incendia, & sanctissimos, & diuinorum penetrabiles æstus: amat amatorias, sed quæ non degenerant, nec vllam indignitatem habent, suadelas, in huiscemodi frequentius meditatur, & tota in illis est. *Ego*, ait, *diligentes me diligo, & delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* Ego te elegi vineam meam electam, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis aliena? Ne permittas Virgo Regina à Filij tui tam amabi-

*Cant.7.* *Luc.1.* *Cant.7.* *Isai.9.* *Sap.18.* *Prou.8.*

lis

lis tam benigni vlla nos ratione separari congressibus, ne sinas illiuavini esse expertes nõ quod rechabitæ refugerant: sed quo inebriari, aut indignatur Dominus, quo mero repletur calix Domini propter amorem, misericordiam, & clementiam in bonos: plenus tamen mixto, ne quicquã mali eius etiam refugiat proprietates, eius insignem institiam: his duabus fælicibus sororibus, inconsonantiam vniuerso consurgente mundo. Non potest Spiritus sanctus, nõ potest Sponsus, nõ totus efferri, in panegyricos & laudes huius admirandæ Virginis & Reginæ: quæ incomparabilis omnibus virtutibus est, celsior cœlis facta & vniuersa creatura maior, Regina mundi & Domina singularis. Totus exilit, totus in eius miram pulchritudinem describendam erumpit: nec semel id fecisse satis iuuat vsque morali. Illam namque primum laudabat, quæ foret ab omnibus post hac laudanda & diuinis extollenda præconijs magnificis concelebranda, à cuiusuis ætatis & gradus choris. Viden, vt frequenter in tales & singulares laudes exurgit. *Quàm pulchra es amica mea,* quàm pulchra es. *Oculi tui* ob insignem clementiam, amorem, inditam benignitatem, & humilitatem *columbarum,* de Verbo & Spiritu sancto charissime videntes: pulchritudinem habentes, *absque eo quod intrinsecus latet.* In te enim arca gratiarum & omniũ virtutum singulare repositorium est. Interna, atque externa omnes maior pulchritudine. *Capilli tui* diuinos afflantes honores, sicut *greges caprarũ, quæ ascenderunt de Galaad.* Omnium quippe sanctorum merita: qui præclari Domini martyres fuere & tantus acervus testimonij abste, veluti ex fonte & capite prodiere. Fons tuus fons vberrimus est: vnde possint innumerabiles defluere riuuli. Ordo, dispositio, & mirabilis pulchritudo in his capillis, nõ sine discriminalibus, & admirandis distinctionibus est. *Dentes tui, sicut greges tonsarum,* quæ ascenderunt de lauachro omnes gemillis fœtibus, & sterilis non est in eis. Vbique reginæ cœlorum designatur charitatis & fœcunditatis, prope quædã immensitas, & fructus, simul cum tantis virtutibus, inde procreatus. Sed mirum est, quod dicit *tonsarum,* nisi intelligamus ad eas fieri comparationem, quæ abiectis seculi superfluis, nudæ, & expeditæ soli vacant Domino, & ob incredibilem verbi Domini ardorem, secus Domini pedes continenter sedent, perpetuum candorem ab illo suscipiunt. *Ascendunt* nimirũ *de lauachro* non descendunt, quòd in via Domini proficientes, nunquam deficiunt. Volabunt (inquit) & non deficient, assidao volatu in extima, & vltramundana festinantes, multiplici conatu in Domini & Sponsi amplexus accurrentes. Nouerant hominẽ oportere renasci denuo, vt arboris vitæ ramos cõtigeret, & supremas partes. Quo fructus vitæ inde susciperet, & esse poñet. *Sicut vita coccinea labia tua,* quasi de assidua Dominicæ Passionis, & immensæ eius charitatis, & mirabilis testimonij meditatione, & contemplatione rubricata sint, ac ob geminã charitatẽ, cocco bis tincto diuinius infecta. *Et eloquiũ tuum dulce,* Dominũ & Deum tuũ assiduè magnificans, iubilos & miros cantus proferens. *Eloquium* illud, aut dubiè *dulce,* quòd pientissimum, & mitissimum super filios hominum assiduè resonabat, totum in illo erat, ex illo omnia deducens, atque in eum singula referens, abs quo, in quo, & per quem omnia subsistunt: *Quoniam* (inquit Apostolus) *ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et in prima ad Corinthios: *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Dominus Iesu Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Qui vno tãto suo amore omnia fœcundat*: idemque amor est purissimus, aut ille quidem velamen in oculis habens, & cecitatem prętendens, atque in incertum iacula iacens, sed videntissimus prouidentissimusque, & iusta ratione verissimos suos amores καὶ τὸ χάριτας pro cuiusq; capacitate in omnes distribuens; decentia omnia, & quæcumque sua secretiora munera facilè donans, in illa cælestia, non solum festa, sed festa festorum, festius tum omneis, introducens. Omnia sunt in illa purissima, & sanctissimo amore, vtpote à sancto sanctorum manantia. Et maiores laudes Matris Domini prosecutus. *Sicut fragmen mali punici* (inquit) *tagenæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Incredibile, atque ineffabile modestia insignis est Virgo ista, & Mater. Sanctũ diuinum, ac heroicum ruborem, simul cũ admiranda pulchritudine interius, exteriusque præfert. Erat enim imitatione Fili formosa super filias hominum. Sicut in 44. Psalm. legitur. *Et concupiscet Rex decorem tuum,* qui omnis in vultu & facie potissimum exprimitur, quasi illa vna sit, quæ præclaros omnes affectus animi facillimè ostendat. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ*: illud quidem fragmen, quòd orientem, & assiduum solem respicit, vnde pulchritudinem, & fœcunditatem, & vniuersum ordinem charitatis habeat. Propterea illam venustissimam faciem plerumque laudat Sponsus: cuius videndæ incredibili æstuat desiderio. *Ostende* (inquit) *faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Pulchra es* (ingeminans inquit) *amica mea suauis & decora, sicut Ierusalem*: non vnam pulchritudinis speciem habens, sed multiplicem & singularem eandem prætendens. *Absque eo* (inquit) *quod intrinsecus latet.* Tota plena diuitijs, sanctitate, & decore incomparabilis, vndique redundans spiritualibus muneri-

*Cant.* 4.

*Rom.* 11.

*1. Cor.* 8.

*Psal.* 44.

neribus, gratijs, fauoribus, diuinis fœcundissima charismatibus, multiplici armorum apparatu, terribilis, vt castrorum acies ordinata, & quo se omnesque tueatur: murum fortissimum pro domo Domini sese opponens, omni gratissima pulchritudine, fulgentibus armis conspicua, egregia laude, & decore insignis, & tot, tantisque illustris virtutibus, vt satis illa vna sit regi seculorum immortali, pro omnibus qui, aut in seculo, aut in domo Domini sunt. Vna post Deum via, vnus nobis ob tam insignes virtutis gradus in paradisum accessus, ostium sacrationis illius tabernacul, & ianua regni cælestis, vnum diuinũ promontorium nobis in hoc salo iactantis seculi laborantibus, atque æstuantibus, & cælestis specula paradisi, vnde insidias omnes antiqui conijciamus hostis, qui veluti leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Contra verò ipsa quæ vna, & multimoda est, & iustissima, & sanctissima Regina, cælestis Imperatrix exercitus, tanquam leo confidens absque terrore erit. Nullis quidem illa tam rara & cælestis Virgo subijci potest principis tenebrarum venenatis iaculis, non vllis mortiferis telis. Et quemadmodum non est sapientia, non est prudentia, non est concilium contra Dominum, aut aliter, non est vlla prudentiæ, aut sapientiæ, siue concilij cogitatio contra Dominam Angelorum, & vniuersæ parentẽ Ecclesiæ. Sicut de illa canitur, Quæ neq; serpentis persuasione decepta, neque eius venenosis afflatibus est infecta. Decuit enim talẽ, & tantam Virginem, tanta puritate, & cælesti candore nitescere, qua maior ne in cœlo quidem nequeat intelligi. Claritas enim Dei tota illuminauit eam, vt nihil esset admirandæ illius lucis, & ineffabilium radiorũ, quòd in ea nõ resplenderet. In illiam impingentes, magis verò incurrentes, non quasi in tenebras, sed vt inadmirabilem quandam lucem, neq; velut mortui in caliginosis: quin potius superiori, & stupenda prorsus quadam luce illustrabimur vndique, & aureis quibusdam fulgoribus penitus collucebimus. Erat nimirum in eo cælestis Virginis pectore fulgentissima, & inenarrabilis lux, per quam omnibus superior peregrinantibus, siue viatoribus esset: cælestium vna particeps, & luminum, & numinum, quæ tametsi non plenius hic agens videret; tamen fide superior ad diuinam sapientiam pertingeret, & auriret abundè de fontibus Salnatoris, mediatrix Dei, & hominum, mediatrix Dei, & Angelorum, nec paradisi solum, sed totius Trinitatis, & tantæ vnitatis reuerenda medioxima, & (si dicere par est) ob ingentem munerum, & officiorum præstantiam, nequaquam vilitatem, mediastina, quod in medio stans de more eius vnigeniti Filij, omnibus nullum reuerita munus ministrat. O Virgo incomparabilis, & omni luce venerabilior, quæ Angelos superas puritate, & omnes sanctos antecellis pietate. O MARIA, tu mare quoddam omnium virtutum, omnium verius exemplar gratiarũ, cui in cælestibus aulis nullã æqualẽ inuenire conceditur, nec in terris tibi omni plenissimæ gratia vlla est conferẽda. Aquæ multæ illius antiqui serpentis tuam non potuerunt extinguere charitatem, nec diluuium mundans tã cælestem (ũquidem cælesti vtrinque delibutã bitumine) obruere Virginem. Quid aliud in tanta videmus funamite, nisi choros castrorum, nisi cælestes, & penitus admirabile tripudium? Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu sanctissima Virgo, honor, decus, & gloria populi Dominici, super omnes in summo (vt dicitur) gradu in summa laude & gloria ἀιανίῳ illam vitam & sempiternam promerebaris, & iam iam cælestis particeps hæreditatis deficere non poteras, eorũ qui sunt in cælesti Ierusalem, etiam hìc agens, sortem nacta. Super diuinis fungebaris honoribus, summos gradus nedum heroicos virtutum, pertingens. Tota eras in Filio, & Filius in te: illius cælestis mansionis imo superueneranda Trinitatis Patris, Filij & Spiritus sancti, iam iam pleniore quadam sorte particeps. Qua Filius in Patre est, & contra Pater in Filio, etsi nulla possit esse ad tantam celsitudinem digna comparatio, tu veluti Regina, & ante signana potissima ratione in illo es arca delfera, cælestem Noe continens, eleuata in sublime, ad summum videlicet cœlorum verticem, superioribus, & quæ super cælos sunt: non iam infimis dignata vndis, in illis tam incomparabilibus pulcherrimum ducens traijcere, & cælestem tuam deducere cymbam, illa longè superiorem naui, in cuius laudes ait Valerius Flaccus.

*Fatidicamque ratem scithici quæ phasidis oras*
*Ausa sequi, medioq; inter iuga concita cursus*
*Rumpere, flammifero tandem conscendit olympo.*

Tuum quoque lumen in lumine Filij, vt in tãto lumine tuo, ò pientissima Virgo videremus lumen æternum, ineffabile, incompræhẽsibile, immensum, vnum, vnum illud, quòd super omne vnum est, illam Catholicam formam ante omnem formam existentem, qua (vt doctas ait Victorinus) formantur omnia & principiorum (vt idem ait) per principiũ, omnium intelligentiarum per intelligentiã, quæ omni motione celerior, omni statu stabilior, vt motione, sed ineffabili status sit: ipso verò statu incõparabilis, & supereminens motio, vniuersa distantia altior: etiam omni substantia & tota mundana machina, definitior, omni magnitudine illud tam reuerendum numen maius, omni re purius, omni intelli-

telligentia penetrabilius, omni denique perfectione absolutius, talem tamque ineffabilem Deum in lumine admirabilis Virginis cernimus alioqui incomprehensibilem, & tenebras ponentem latibulum suum. *Per diem* (inquit Psal. 120 Psalmographus) *sol non vret te, neque luna per noctem*, de qua Sacer Cyprianus ait. O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius conceptio, & paratus, & diuina incrementa singularia sunt, domus saltus libani duabus insignis distinctionibus, quibus diuinitas, & Domini humanitas significarētur: immo verò diuinius concluderentur. Domus Domini atrio, duabusque alijs sectionibus in Trinitatem, non sine magnifico, & ingenti mysterio consurgens. Domus quippe ob tam egregiam posteritatem Dauid fuit. Ad quam cū cæteræ comparentur, ipsa celsioribus Domini ædibus confertur, vt in Zacharia quoque legimus. Porro verius quodpiam veneranda Regina, quàm cæleste firmamentum est, quæ aquas ab aquis diuideret, superiores cōtinēs, superiorum admirabilis alueus, & singularis receptio, in qua cohibilius & fauorabilius cōquiescerent omnes cælestes animi, & intelligentes vndæ. Et pro diuersitate sua in ea inuentis proprijs cuiusq; signaculis. Erat quippe talis, & tanta Virgo, & Domini Mater superadmirabile Domini signaculum, super cor & brachium Domini extentum. Alterum ex vestimentis sanctissimi Iacob, cuius fragrantia amantissimum, & venerandum Isaac suauissimè recrearet, cùm alterum ob sanctissimam & quandam cum incomparabili Matre sua synaxi humanitati Domini IESV ascribatur. Dominus Iesus Christus, & sanctissima MARIA Mater mirum in modum inter se conferuntur in symbolis, in signis, & tantis imaginibus, & spectris. Viden, vt Dauid pro domus Domini ædificationem, ante mortem suam omnia præparauit, & Dominus ante mortem suam, immo ante ortum, & conceptum suum domum suam glorioſissimam Virginem MARIAM præseruauit, sua ipsius morte desumens, quòd præseruata, vt alijs dedit, quòd redēpti essent. Sed de his, veluti per excessum tantum dixisse sufficiat, in eius laudes, quæ omni sancta, & super benedicta est, cui post Vnigenitum Filium suum sit omnis honor & veneratio in secula seculorum. Amen.

A (quanquam bonorum nostrorum non indigeat) Virginem Matrem suam, veluti pro quodam fulsimento, & sustentaculo, vt Sponsa, cæteras inferiores virgines pro pedamento, & sacratioribus fulcris. *Fusite* (inquit) *me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Languor quidam in Sponso etiam est, languores quidem amoris, mirabiles æstus, incredibilia incendia. Ob quæ pene deficiens sustentacula quærit. Sed quæ meliora, aut optabiliora, quam & fulcimina, & pedamēta Matris. Ipse caput, illa collum est, cùm caput sustentans, tum omnem virtutem ab illo suscipiens, atque proinde in totum corpus diffundens. Iuncta nimirum canalibus in alio dramate *purpura Regis* erat, per quam sanguinis, & purpuræ riuuli, & verius ingentia flumina sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vniuersos Ecclesiæ tractus, linquentesque cāpos rigarent, fœcundarentque. Pulchritudo, & robur in collo est. Pulcherrima erat etiam *turris Dauid*, & fortissima: quæ vt præsidijs esset aptior, *ædificata* erat *cum propugnaculis, & mille clipei* diuino nomine, & ingenti eius caractere insigniti, *pendebant ex ea, omnis* quoque *armatura fortium*, & omnia trophea pro reportata victoria, & tam immanibus fugatis hostibus virorum insignīū. Vniuersa ibi stemmata, & sanctorum imagines, sacrorumque reuerenda Sacramenta, & mysteria, quæ lucidissimus ille sol, & immaculatus agnus vnicè, & diuinius illustrabant. Pulchrū erat cernere varia in varijs, & multiplicibus clipeis insignia, quæ vna turri, illa quidem præclara continerentur, & multo pulcherrimum videre omnium sanctorū præclara exēplaria pro tam cælestis Virginis collo, nedum Virgine tota contineri, quod (vt quidam dixit) mille habebat varios aduerso sole colores. Altera chamelæon, altera Domini mitissima, & suauis columba: immo columbæ pulcherrimè, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Iuxta fluenta, & aquas Domini seruatoris per quam salubres. Qualis, & quanta virtus, & gloria Matris Domini esse potest, quę vnica sua proprietate tātas complectitur virtutes? Quid non faciet pluribus, & tantis alijs de diuino fonte in eam redundantibus? Subdit. *Et omnis armatura fortium.* Fortes sunt qui in præclaro agmine, fortissimo nectuntur capiti. Fortes etiam illi, qui in maximo vtriuique vitæ, & cælestis fidei discrimine sunt imperterriti. Tales martyres, & deiferi confessores; tales insignes, & per omnia admirabiles Virgines; omnes demum veteris, & noui testamēti Patres. Quorum gradus, distinctiones, & dignitatum ordines, non sine veneratione Ecclesia concelebrat, & summopere veneratur. Quasi in ea enarratione non parum ad cælestem impetrādum fauorē sit momenti. Sed qualis, & quan-

*In eiusdem super sanctæ & purissimæ Virginis, & semper venerandæ Dei Genitricis MARIÆ laudes.*

*Sermo 4.*

Cantic. 4 SIcut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. In alio dramate dixerat. *Sicut turris eburnea collum* Cantic. 7 *tuum.* Habet Dominus noster Iesus Christus

ta

ta insignis sit hæc armatura fortium? Puto quòd nemo intelligat, nisi cælesti donatus renelatione, nemo præsumat, nisi quæ quanta
*Eph.6.* sunt illa optima maxima penitus ignorat. Commemorauit nonnulla Paulus, *vt galeam saiutis, scutum fidei, veritatis baltheum,* & diuinæ prædicationis, & sacrarum in diuina affectionum pedalia, *loricam denique iustitiæ, & gladium spiritus, quòd est verbum Dei.* Sed puto aliam esse longè numerosiorē armaturam, quæ in ornamentum, & defensionem aliarum cedat partium. Dextralium meminit in quodam loco Scriptura, & aliorum plurium ornamentorum, quæ in vsum etiam pro spiritualibus munimenris ipsius etiam armaturæ veniunt. Coniurant illa quidem in B scripturis, & pulchrè consentiunt. Par est enim in epithalamio armaturam in ornamenta nuptialia venire, vt in aduentu Dominico gladij in vomeres, & lanceæ in falces abeunt:
*Isai. 2.* *Et conflabunt* (ait Isaias) *gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Detrahuntur ab Impia Ierusalē innumerabilia ornamenta, quo vnice MARIAM, & cælestem Ierusalem insigniant. *In die illa* (ait Propheta) *auferet Dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, discriminalia, & perichelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & lintheamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra.* Hæc sunt cælestia Virginis MARIÆ insignia, quæ ab impia (vt diximus) inferuntur Ierusalem, & super sanctæ Virgini donata æternum sanciuntur, confirmanturq;. Sed qualia, & quanta sint: existimo cælestis potius esse intelligentiæ, quàm humanæ. Credibile nanque est multò plurima Sacramenta cælestia in his contineri, & quæ (secundùm
*1. Cor. 2.* quod dicit Scriptura) *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,* quæ *præparauit Deus deligentibus se.* Ad Sponsam verò huiuscemodi armaturam, mūdumque pertinere, coniecturam habemus in cantico. Vbi sodales sponsæ pollicentur, se murenulas aureas facturos vermiculatas argento. Et paulò antea, Sponsus collum monilibus comparauerat, nunc exercitui propter insignem armaturam illam confert, nunc
*Cant. 2.* equitatui suo in curribus Pharaonis. *Equitatui meo* (inquit) *in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea,* quia ascensus in maioribus, ac maioribus laudibus semper est. Talis nanque, & tanta est, qualem, & quantam multiformis describit Spiritus sanctus innumerabiles (pro infinitis suis muneribus se quoque multiplici) donans virtutes, gratias, fauores, & charismata prope immensa. Et A quæ solùm exercitui olim cōparabatur, nunc equitatui Pharaonis, maiore laude & gloria confertur. Equitatus diuinus ex Angelicis constat numinibus quemadmodum currus igneus, quo vectus est Helias. De quo Heliseus. *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Et paulò ante dixerat Scriptura. *Cumque pergerent & sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserūt vtrūque.* Sed vnde igneus, nisi de illo, aut sanctis suis numinibus, qui ignis consumens est, & thronus eius in Daniel flammæ ignis, *rotæ eius ignis accensus est,* & ascendit per turbinē in cœlum. Igneus erat ille currus, ignei quoque sunt cælestes spiritus, præcipuè seraphici, pulcherrimo, & diuino turbine deducentes in cœlum. Propterea in Psal. 103. dicitur. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Amor ignis quidem est, sed ignis exurens, quo incredibile est quantū probentur virtutes, omnibus absumptis vitiorum, & nocentis eruginis fecibus. Apertius quoque in scripturis, hic currus rationalis describitur. *Currus inquit Dei, decem millibus multiplex, millia lætantium Dominus in Sinai in sancto.* Hi sunt currus, quos cernit Heliseus, & puerum videntem facit. *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & currum igneorum in circuitu Helisei.* Talibus curribus
C comparatur Spōsa, qua vna præsente, si præsens fauorabiliter existat, plures sunt nobiscum, quàm cum aduersarijs. Pluribus circummunimur fulgentibus armis, ne locum nostrum sibi vendicet inimicus homo, vel secum assumptis septem spiritibus nequioribus se. Quæcumque igitur pulchra, quęcumque formosa, quæcumque sancta, & diuina sunt, ad hanc vnam pertinet, in cuius laudes canit Sponsus: nec concelebrare cessat. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* ob cuius insignem puritatem, & incontaminatum Sponsi cubile, *pulchræ sunt genæ tuæ* (ait) *sicut turturis,* quæ secundas nescit nuptias. Tu desponsata in fide, in iustitia, in veritate, Regi Regum, & Domino Dominantiū.
D Aut quidem tui ignara, alium nescis virum. Nec enim alius quisquam pulchrior, candidior, sanctior, aut melior isto esse potest. *Quoniam* (ait Spiritus sanctus) *ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Omnes huidem Angeli, Reges, & Principes terræ. De quo in Isaia dicit Dominus: *Ecce, intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit.* Exaltabitur (vt omnes existimant) supra omnem Angelicam dignitatem. Ergo Dominus & Deus noster, quem adorabunt omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Tu illum primum venerata es, ò Virgo, sed qua benignitate, qua puritate, quanta gratia, aut charitate? Tum primum vulnera-

*4. Reg. 13*

*Dan. 7.*

*Psal. 103*

*Psal. 67.*

*Cant. 4.*

*Cant. 1.*

*Psal. 44.*

*Isai. 52.*

sti

sti eum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui: tum primum auolare illum in omnem salutē feciste, ô Virgo. Nam vox tua non hominem sonabat, & tui vultus splendor immortalitatem tibi, & alijs datum iri prætendebat. Poterat dicere puer ille, qui natus nobis erat, & tanto tui amore flagrabat. *Auerte oculos tuos*, ô Sponsa mea, ô electa mea, ô purissima inter omnes columba, ô παῤῥησία omni sancta, & super bona Mater mea, *quia ipsi me auolare fecerunt*. Tum adimplebatur, quòd antea cecinerat Prophetа, quia quibus non est enarratū de eo, viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt. Accedit enim sicut virgultum coram Domino, & sicut radix de terra sitienti. Ex qua radice prodeuntes rami in vniuersum diffusi sunt, & sentire tanti germinis fœcunditatem omnes, repulsam passa, & magis fugata falsitate. Tunc prorsus exultante mendatio, & pulchra mundo introducta veritate. Abscissus ille quidem est de terra viuentium, vt nos diuiniore compage vitæ insereret, & propter scelus populi sui percussit eum Dominus. Talem, & tantum in signum portentum, & immensum prope Sacramentum positum veneraris, adoras, consultas, ô Virgo sancta, & admirabilis parens, enixa puerpera Regem, qui cœlum, terramque regit in secula seculorum. Virgo Dei Genitrix (vt sancta concinit Ecclesia) quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. O admirabile, & supra modum stupendum Sacramentum. O profundū, & impenetrabile diuinitatis arcanum. O incomparabilis Virgo, in qua tanta peracta sunt mysteria, tam recondita, & abstrusa Sacramenta: omnibus propterea excelsior, & supra quam dici potest in admiranda sublimata fastigia. Sed prosequamur. Nec enim laudum vllas esse posset finis, eius quidem quam non satis laudare possunt Angelici spiritus: non vlla rationalis creatura, tantū hoc diuinitati reseruatum, tantum hoc vnigeniti Filij sui singulare munus Laudat vt filiam Pater. Vt sororem, vt matrem, vt dilectam, vt electam suam Verbum, & vnigenitus Dei Filius. Vt Sponsam Spiritus sanctus nedum Filius. Vt Regina, & Domina Angelorum, vt tantorum effectricem mysteriorū, & misericordiæ Reginam, & vnicè salutis vnicam inuentricem humanæ mentes. Quid plura? Immensa quoquo pacto est immensitatem Filij continens: infinita prope est eiusdē Filij mira receptrix infinitatis: Aeonia æternaque, siquidem toti æternitati (si dicere licet) coextensa. Quando illam iure quodam singulari in tam sancto cōclusit vtero, & fœcunda admodum ratione in capacissima sua mente. Gyrum tum cœli circuibat sola, & in omni gente, & in omni populo primatū iam iam tenebat: iam iam quartæ, & supremæ illæ sedes non sine mysterio, & summa fastigia illi debebantur, quo esset diuinitatis sedibus admotior: sola precipuè soror, vt ipse Dominus illi singularis fratruelis. Duo vbera tua, sicut duo hinuli caprę gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Diximus autē de his Sacramentis, quare repetere eadem superuacaneum esset, nisi forte alio quodam sensu, duos populos ex diuina parente, intercedente Filij passione, & sanguine, prodijsse dicamus, quod & verum est. Electa quidem fuit, vt sol, vt vnigenitus Dei, atque suus eiusdem Matris Filius, qui mediator Dei, atque hominum fuit, & destructo pariete medio fecit vtraque vnum, vtrumque populum vnum, vt esset quemadmodum ipse dicit, vnum ouile, & vnus pastor. *Alias* (ait) *oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, quas opus est me adducere*. Sanctissima igitur Virgo MARIA cooperata Filio, similem nacta agendi sortem, sua id efficiente charitate, fecit vtraque vnum, medio inimicitiarum dissoluto pariete, quadam aut dubiè, etsi remotiore vnigeniti Filij sui imitatione medium parietem macerie soluens, inimicitias in carne vnigeniti Filij sui, legē mandatorum decretis euacuans. Vt duos condat in semetipsa in vno nouo homine faciens pacem, vt reconciliaret omnes in vno corpore, Deo per crucem Filij sui, interficiens inimicitias in Domino IESV, & quadam ratione in semetipsa altera conredemptrice (vt volunt) euangelizans in vno verbo vnigenito Filio suo pacem ijs qui longè, & pacem ijs qui prope. Quoniā per ipsam secundo loco habemus accessum omnes in vno spiritu ad Patrem. Contriuit enim caput serpentis, nec ipsam tetigit Abimelech, sed ipsa conteret, immo contriuit (vt de illa canitur) caput eius. Sicut enim in prima fœmina abundauit iniquitas: ita in te, ô sacratissima Virgo abundauit omnis plenitudo gratiæ, ingens charitatis fornax, qua mirè dissentientes populos in vnum coegisti. Pulchrè dixit illustris poeta.

*Ac veluti magno in populo cum sæpe corhorta est*
*Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,*
*Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat.*
*Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem*
*Conspexere, silēt arrectisque auribus astant:*
*Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

Aut aliter vterque iam tum furens hanc virginitatem, tam diuinam, tam prudentem, sapiētemque suspexit populus. Hæc vna omnes sedauit inimicitias, temperauit iras, serenitatē simul cum vnanimi consensu inuexit. Olim tantum flos quicumque sanctæ in matrimonio castitatis, damnata sterilitate conspiciebatur: nūc hi gemilli hinnuli pascuntur inter vir-

Ioan. 10.

virginitatis, & omnis sanctimoniæ lilia, donec aspiret æternus ille dies, qui nescit tenebras, illa vltramundana claritas nesciens finē, & inclinētur huius seculi vmbræ. Erunt enim perpetuò virgines, & sequentur agnum quocumque ierit. Quacumque trahet voluntas amantis, ducetur virginum chorus, diuinum epithalamium pro virginalibus nuptijs concinentium. Lilium Dominus noster Iesus Christus est, gloria, & honore coronatus, omnium virtutum, & gratiarum, polymito vestimento, & purpureo circunamictus. Qui plusquam Salomon est, vt à quo sapientiam, & intelligentiam desumpserit vetustior ille Salomon. Lilium, & Virgo est, lilia, & purissimæ virgines, Virginem sequutæ parentem. Hæc humilitate insignes, & clara, veluti hinnuli capreæ visione, decoræ, pascuntur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, & nimirum: lilia enim sunt candore, & incredibili puritate micantia. Virginitas antea incognita in vna Virgine Matre insignis, sanctificata, & proinde in omnes effusa fuit. In quam sententiam ait Sacer Gregorius Nazianzenus ἀυτὰρ ἐπεὶ Καὶ χρισὸς ἁγνὸς λιὰ μητρὸς ὁλευσας παρθενικης ἄλητοιο, ἔευλεσσ ἀχράντοιο νόσφιςάμου Καπατρος, Subdit. λκ τοτε παρθενικ σραψιρ μεροπεσσι βαεινη, id est, verum postquam, & Christus puram per Matrem profectus virgineam, non ligatam deiformem, immaculatam, sine nuptijs, & Patre: tunc igitur virginitas fulsit hominibus splendida. Hinnuli etiam sunt gemelingenti charitate, pulchritudine, & humilitate insignes, qui pasci possint inter optima niueæ puritatis lilia, qui, & similitudine & diuiniore proprietate inter se nectuntur. Hinnulus Dominus noster Iesus Christus. Cui super sancto, & omni mentis prostatione reuerendo, & pientissimæ suæ eius Matri, sit omnis benedictio, & claritas, sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo in secula seculorum. Amen.

*In eiusdem super sanctæ & purissimæ Virginis, & semper venerandæ Dei Genitricis MARIÆ laudes.*

*Sermo 5.*

Cant. 4. V*Adam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Post tot, tantaque virtutum merita, post tantas gratiarum, & virtutum dignitates, innenarrabilium laudum præconia, illa ex omni pulchritudinis, & honestatis decore collaudata ex omnibus lineamentis, & membrorum concinenti admodum proportione, & armonicæ compaginis diuiniore splendore, subnectit. In hunc ego montē tantæ perfectionis, & virtutis conscendam, in montem myrrhæ, in montem incorruptionis, & tantæ immortalitatis, puritatis, & candoris, perfectionis. Est ingis in illa quidem mortis, & passionis meæ meditatio, in vnam incorruptionem meam intendit, me supplicibus votis assiduæ precatur. Vt omnes tali donem immortalitate, quo in tales incorruptionis montes conscedant, in eum præcipuè montem, qui elenatus est mea quadam proxima imitatione, supra verticem omnium montium, multiplex pro adeuntium, & incolarū diuersitate mons, quanquam maximè vnus. Talis est mons immaculata mea, quem ego vnicè conscendi: tum cum adumbrante Spiritu Sancto, & talem fęcundante vterum, ego diuiniore præstito consensu conceptus sum, virgineam aulam Virgo ipse inhabitans, incorrumptum montem, incorruptus, simul & immortalis cōscendens. Collem tum thuris, & incomparabilis fragrantiæ adiui, quo diuiniore contcensu meo, nardus mea daret odorem suum: immo vero sua ipsius nardus meo contactu, non tam suum, quàm meum daret odorem. Quo tanto & incredibili odore cælestes traherentur animi. Et propterea in eūdem montem miro ardore conscedere nitentur, vt sensus eorum, & tanti animi magis refocilarentur, in meliores accederentur amores, in plura tali incolatu raperentur incēdia. Vt in eam conuersi quemadmodum in Sponsum, simul concinentes dicerent: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum, memores vberum tuorum supra vinum, rectè diligunt te*, ò Virgo, ò sapientissima, à multa laudatione tua polymnia, non illa ex nouem, sed longè supra omnem sublimata, & euecta creaturam; super omnes Angelicos ordines mirè, & incomparabiliter exaltata. Hac dilectione, veluti aureo hamo trahuntur passim omnes. Collis thuris est mea Mater, & Virgo (inquit) in qua vna omnis cælestis fragrantia congesta est, omnium charismatū, & clementiæ diuinæ admirabilis odor. Ibi quies mea, & habitabo in ea, quoniam elegi eam. Mons ego quidem montium, ipse ego quoq; in monte dignum duxi facere habitationem meam: medius enim montium sum, in montium vertice considens. Sed quis alius est hìc vertex, nisi Regina cœlorum, & mundi Domina omnium complicans, & mire sibi admouens sanctorum, & talium montium merita, charismata, honores? In hoc vertice vnus ego consedi, veluti in sede τκσ ἀρετκσ, id est, virtutis, summi, æternique moderator olympi. Hanc mihi ego delegi sedem, hunc thronum, & tam cælestia fastigia, in quibus etiam sedes, & omnium sanctorum throni collocarentur, misericordiæ, & pietatis simul, & æquitatis omnis sedes, nisi in hac conquieuerint sede, gratiam & pietatem minimè consequētur. Legimus plerisque concessam esse veniā, hac vna suppliciter intercedente Matre, quanquam supplicium, & damnationem meriti essent.

essent. Legimus neminẽ passum vnquã fuisse à tali & tanta matre repulsam. Quo pacto enim non omne refugiũ esset in ea, quæ singulare, & sanctum vmbraculum est misericordiæ confessionis, decoris, magnificentię (quã TIPHERETH vocant) sapientiæ, intelligẽtiæ, victoriæ, præconij, pulchritudinis, sapiẽtiæ, laudis, & illius ineffabilis, & regiæ potentię, omnis deniq; honoris, & virtutis. Sed obserua quo pacto mons eadem, & collis. Mons quidẽ eleuatus ob magnificentiã, magnanimitatem, heroicasq; virtutes. Collis propter insignem suam humilitatem, ob quam plurimum in Euangelio collaudatur, ex qua vna censeri voluit. Eadem quippe cedrus exaltata, quę & nardus humilis gracilis, & delicata. Ignis quippe, ardentissimum quoque ad summum vsque pertingens incendium est, quæ & virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & vniuersi pulueris pigmentarij diuinis flammata incendijs, vt alteri non sibi viueret, sibi parua, Deo magna, nihil in se, nisi paruum, & humile relinquens, & in Deo optimo maximo meliora incrementa suscipiens, vt dicere posset cum Apostolo: *Gratia Dei sum, id*
1. Cor. 15 *quod sum, sed gratia eius in me vacua non fuit.* Conspiciamus igitur, & tota cordis intentione contemplemur hanc superueneranda Virginem, quæ ob altitudinem, & sublimitatem meritorum suorum mons est super quẽ saliens sit Dominus, & totius gratiæ suæ, & ardentioris amoris volitans alis. Insuper collis est, propter internam suam ipsius Reginæ existimationem, abiectionemque, quam (eius fortasse humilitate) transilire dicebatur altissimus. Quippe quæ se indignam tantorum meritorum prærogatiuis existimabat, & incomparabilium laudum in Filij Dei susceptione præconijs. Propterea dicit: *Ecce ancilla Domini:* & in Centurione immo in se-
Luc. 1. ipsa plerumque repetens dicebat: Domine, non sum digna, *vt intres sub tectum meum.*
Matt. 8. Et quanquam plusquam humanis, & Angelicis esse ditata virtutibus, & vltramundanis decorata insignijs, tamen humilitas illi grata erat, intra illius fines se continebat, omni virtute superior, omni admirabilior sanctitate, atque honore incomparabilis. Nempe diuinitatis admixtione perfusa, suo ipsius excessu, quæ citima, & extima sunt honoribus virtute, & decore replens in sinus parentis singulari prærogatiua suscipitur, tota diuinitate repletur, illa inficitur, vt preciositate, & amplitudine omniũ excedat merita, potestates, amplitudines, & honores sanctorum. Arbor vitæ effecta, omnibus præsens, latissimos suos vndique ramos extendens, & vsque ad cælestia pertingens palatia, quo gradum sui faciat in paternos sinus adeuntibus. Talis quippe, & tanta Virgo hæc est, tam sublimis virtute, & sanctitate, & plenitudine venerabilis,

A vt hanc assequutis, nullis amplius opus sit ad diuinitatis fontes pertingendos adminiculis. O Virgo sancta, & omni sanctitate plenissima, quis te satis pro dignitate laudibus prosequi poterit? Cuius gratiarum, & virtutum flumina nunquam laudando exhauriri poterunt, cuius conceptio, & quicquid in te conspicitur est singulare. Quam in persona Sponsæ post vniuersam eius commemoratam pulchritudinem, & incontaminatam decoris, & totius venustatis honores dicit Spiritus sanctus. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea, Sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino* Bant. 4.
B *& odor vngentorũ tuorum super omnia aromata.* Collaudatæ plerumque sunt mammæ ab Spiritu sancto ob eam nimirum rationem, quòd illis, & fœcunditas gratiarum, & lacteæ misericordiæ exuberantia designetur. Pulchritudo, robur, & venustas in virginalibus vberibus est, cùm cæterarum sint laxæ mammæ mulierũ. Iltis adhuc ipsius παλαίου μήτρος id est Virginis, & Matris Domini superueneranda, virginali robore tumentibus. Corporeis externis nedum internis ablatus est Dominus vberibus. Sed plurima est illi voluptas in internis. Dulcissimum illas fugendas esse ducit. Internis virginalibus vberibus, vniuersa est educata Ecclesia. Ex illis quippe in omnem sufficientiam, manabat lac diuinæ, & incomparabilis dulcedinis, quo hausto su-
C pramodum declarabatur cælestis patriæ amenitas, cãdor, immortalitas, pulchritudo, venustas. Vt diuino veluti furore affectæ cælestes animæ, mirabilibus mentis excessibus in diuina raperentur, nec sibi amplius viuentes Deo viuerent, & derelictis terrenorum amoribus, cælestia tantùm amarent, in illis penitus essent, ab hinc in cælestes ædes, sua, suorumque egregia virtute, egregiam coloniam deducerent: magis verò eo loci incolatũ agerent, quanquam in mortali adhuc, & caduco agentes corpore. Nõ quo vllus ab illinc reuertendi sit animus, vbi tanta fœlicitas, & bonorum cumulus est. Datum tum sibi intellectum gaudebant, quo liberius considerarent
D mirabilia de lege Domini, & diuina possent scrutari mandata, & illa admiranda testimonia, in quibus altius perscrutandis deficit fœlix quæcumque anima: iam iam beata, rerum magnarum cum excessu tum desiderio. Hoc lacte, & inenarrabili ambrosia cælestes pascentur animi. His geminis fontibus interstitibus faciantur spirituales animæ ab vbertate domus Dei. His iuncta canalibus commendabili sancti sanctorum, & ineffabili purpura, ineffabili quidem nobis. Nec nisi per Matrem eiusdem Domini, & Dei nostri, in eam patet aditus gloriam, quæ est sine fine mansura. *Ca-* Cant. 7.
*put tuum* (inquit) *vt carmelus, & comæ capitis tui, sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Ipsa eadem sanctissima Virgo erat purpura,

pura, quæ vnigeniti Filij sui purpuræ conferebatur. Vtraque prorsus admirabilis, vtraq; ineffabilis, nec vllo, vel Angelico satis dignè explicanda sermone. *Quia meliora* (inquit) *sunt vbera tua vino.* Melior gratia, veteri asperiore & duriore lege. Gratia fauorabilis, plausibilis, & benigna. Tu sacrosancta, & diuina parthenos, id est, Virgo Mater es τοῦ ἐλέους ideſt, misericordiæ, Mater honestatis τῆς χάριτος, id est gratiæ, Mater puritatis. Meliora igitur vbera tua vino, siquidem non legem, & tam dura præcepta, sed gratiã nobis exibeant, omnemque delicti, καὶ τῶν ἁμαρτημάτων, id est, peccatorum abolitionem, oleũ vbera tua sacratius vndique exundãt. Nec mirum istud quidem cum *mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*, quæ nos plenissima donent dulcedine, & suauitatis odore. Vt non interius solum, sed exterius suauissimas, de tanto virginali fauo, & lacte, resonemus Domino laudes, cantantes, & psallentes in cordibus nostris, & gratias agentes Deo. Lac vt oleum lenire physici autumant, oleum Samaritano, & populo gentili multis vulneribus saucio datum esse ex Euãgelio plenus didicimus, quid superest, nisi vt pari etiam ratione lac ad leniendum exibitum esse ex sacris Scripturis, cum veteris tum noui testamenti esse monstremus: columbas lacte lotas, quarũ oculis, Sponsæ conferãtur oculi, in epithalamio legimus. In hoc quoque loco vbera Sponsæ suauissimo lacte redundantia, propter quod meliora sint vino, referuntur. Apostolus. *Lac* (inquit) *potũ dedi vobis*, quo lacte leniantur, moderenturq; ferocientes animi. Prius enim leniri oportebat, & tantos temperari æstus, quos tu supramodum mitigas, temperas, moderaris, ô diuina, & admirabilis Virgo, dulcedinẽ infers mentibus, quæ dulcissima es, & Mater omnis pietatis, & clementiæ. Calix Domini vini meri, plenus mixto: vino quidem furoris, & iustitiæ, & reuerendæ executionis. Eius fex non est exinanita, & viuent omnes peccatores terræ, quo potati calice, aut emendentur, aut legibus subijciantur (si istud ita explicandum non absurdum videbitur) iustitiæ. Tu tua, ô incomparabilis Virgo, exhibens vbera nato, quo tantus ardor mitescat, temperentur incendia, & æstus. Proferens in medium enũtiation. id est, contrarium calicem lacteo dulçore plenum, & bibent omnes electæ, & venerandæ animæ, & in gaudio quidem bibent, tantam iam iam consequutæ misericordiam. Bibent peccatores, & iustificabuntur, bibent iustissimi, & sanctissimi, & imperfectum cõscendentes, & consummabuntur. Quas gratias, quas laudes tibi referre poterimus pro tã immensis tuis in nos misellos peccatores beneficijs, ô diuina Mater? Qui per te misericordiam sumus consequuti, & gratiam, per te nobis aperta est ianua paradisi, & tabernaculum effecti sumus Filio Dei, aula & domus regia illi, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Per te nobis sol iluxit iustitiæ. Et qui olim ambulabamus in tenebris, & in regione vmbræ mortis pessundabamur, nunc in luce degimus clarissima, tuam consequuti sumus gratiam, per quam tua sectemur vestigia, & sentire mereamur tuorum vnguentorum fragrantiam. Nam odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Omnia nempe odoratissima in tua venere vnguenta, in tuas comminuta sunt virtutes. Legamus scripturas inungebantur Sacerdotes, Prophetæ, & Reges, inuncta est Virgo MARIA, velut Regina, prophetissa, & longè potiori gradu, quæ sacerdotio, refulgens. Mater quippe Domini erat, quo gradu insignis omnium cum veterum, tum recenciorum patrum superauit dignitates, & eminentiam. Erat quippe ius illud maternum, quòd virtute omnes inferiores contineret, superaretque gradus. Nefas erat illam à quoquam heroum superari, quæ Dominum in suo vtero continuisset, quæ Mater Dei, & hominis esset, vnigeniti Dei Filij, ipsius quoque Dei viui, & veri incomparabilis, inenarrabilis, prorsus admirabilis Mater. In cuius laudes palchrè concinit quidam.

*Arcano stupuit compleri viscera partu,*
*Auctorem paritura suum, mortalia corda*
*Artificem texere poli, mundique repertor,*
*Pars fuit humani generis, latuitq; sub imo*
*Pectore, qui totum late complectitur orbem.*
*Et qui non spacijs terræ, non equoris vnda,*
*Nec capitur cœlo, paruos cõfluxit in artus.*

Merito ante omnes dignitate, gradu, ordine, efferenda erat, quæ talem, tantumque Dominum, in tam sancto vtero suo concluſisset, Multoties inunctum fuisse Dauid legimus. Id quod de sacrosancta, & intemerata Virgine sentiendum est, vt instar magni Dauid Iesu Christi Filij sui fuerit delibuta oleo exultationis, oleo Spiritui sancti, oleo sancti, & reconditi à seculis sacramenti, pro participibus suis. Vncta in conceptu suo, vncta dum vnigenitum Filium conciperet, & tum quidẽ exuberationis gratiæ, & omnis consummatæ perfectionis, & deificationis oleo. Tum primum myrram electam consequuta in quinquagenarij, hoc est plenæ remissionis, libertatis, & datæ legis, & totius Spiritus sancti emissionis in eam pleniore, & abstrusiore Sacramento. Tum primum singulare adepta cinamomum illud quidem aromatizans cum sctõ & meliore calamo, in quingentos siclos vtriusque iunctim exurgente mensura. Quasi mascula esset propter quinarium, & omni ratione ipso perfecta cẽtenario, quem ouis perdita in humeros Domini susceptа, & nonaginta nouem, quæ remanserant reddita, absoluit. Hinc ecl. inde ducenta quinquaginta

in

*Cant.* 1.

*Cant.* 4.

1. *Cor.* 3.

in qua re quingenarij ratio habetur explicatior, & proinde quinarij masculi, & circularis, ipsius quoq; quingenarij. Iungitur duplex populus in remissionis, & iubilæi mysterio, nec id semel, sed geminatè, quod Domini primo in mundum ingressu vita demum sua tolerantia, & morte redemptionis tam ingens facinus absoluerit, & in Domino comparticeps cælestiũ mysteriorum beatissima, & venerãda semper Virgo MARIA omnis clementiæ, & verioris remissionis Mater. Omnia quippe in illa purissima Matre mysteria, & Sacramẽta. Subnectit Scriptura. Cassę autẽ quingẽtos siclos in pondere sanctuarij. Omnia in põdere fiunt, & mensura diuina, & mẽsura quidẽ sanctuarij, in illa quę sancta sãctorũ post Dominum Iesum est, obseruãtur. Tali oleo in reuerẽda, & mystica Sacramẽta fuit sanctificata purissima Virgo. Ipsa namq; veriùs erat tabernaculum testimonij, & arca Testamẽti, & mẽsa cũ vasis suis. Erat etiã & ipsa, vas Spiritus sancti in vsus diuinos singulariter, & ante omnẽ humanã sortẽ, accõmodatum. Candelabrũ aureũ, & lucerna ardens, & passim omnes illuminãs in domo Domini, templũ Dei ornatissimũ. & vas in quo est mãna, omne delectamẽtũ in se prębens. Ipsa altaria, ipsa vniuersa suppellex, & quęcumq; ad diuinũ cultũ pertinent: denũ omnia in ea Sacramẽta, & mysteria legis, sacerdotia, sacrificia, tabernaculũ, siue arca, omnia in illa cõplета cernimus; & in nobis, eius celsiorib⁹ interuenientibus meritis completũ iri, quandoq; sentiemus. Quasi vna illa purissima Virgo verissimè omnia testimonia Dñi in se continet. *Facies* (inquit Scriptura) *vnctionis oleũ sanctũ, vngẽtũ compositũ opere vnguẽtarij, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcã Testamenti, mẽsam quoq; cũ vasis suis candelabrũ & vtẽsilia eius, altaria thymiamatis, & holocausti, & vniuersam suppellectilẽ, quæ ad cultũ eorũ pertinent. Sanctificabisq; omnia, & erunt sancta sanctorũ.* Sola Domini Mater singulariter sancta sanctorum, quæ sanctũ sanctorũ in suo super sancto continuit vtero. Longũ esset omnia mysteria percurrere, quæ in hanc vnam conueniunt παρθενιαν παρθενον, id est, omni sanctã Virginem. Est quippe post Dominũ IESVM alius lapis angularis: *Quẽ reprobauerunt ædificãtes, & factus est in caput anguli*: omnia mirifice connectens: & firmissima cõpage diuini amoris, & illustrioris virtutis stringens. Speculũ sine macula, in qua veluti in omniũ vniuersali idea, omnia videre clarissimè possumus: quæ ad salutẽ, quæ ad dignitatẽ, quæ ad virtutẽ, quæ ad fœlicitatẽ, & gloriã pertinent, nubecula nulla, aut adũbrante macula impediente. Ibi mirabilia opera, ingẽtia miracula, & reuerẽda illa operũ opera, & quod amplius est Domini virtutes veluti in expressiori, & veriori imagine contueri possumus,

A in ea quidem, quæ proximè referat filium, vt sol nitidissimus charissimum iustitiæ solem, vt puritas, puritatem, sanctitas sanctitatem. Transitus à gloria in gloriam est, transitus à MARIA in Dominum IESVM Christum. Ipsa haud dubie gloria est, ipsa gratia quæ proximum accessum in gloriam Filij pręstat. Ipsa miris incredibilibus, atque ineffabilibus elata honoribus, sanctum est pastoris æterni tabernaculum. Atsumus, illius imitatione, omnes pastores custodiã nostri tantarumq; passionũ, & tentamentorũ habentes. Illa diuina mater, & Virgo contra omnem iniuriã nostrum tabernaculum est, quo protegimur, quo vno cõtra exurentis solis iniurias, defendimur. Vt tali, cuicumq; protecto, defensoq;

B in Propheta dicat Spiritus sanctus: *Per diem sol nõ vret te, neq; Luna per noctẽ.* Tali tabernaculo hic peregrinantes sumus protecti, tali (si dicere audemus) nos conuehi decet, in quo totius Trinitatis Conciliũ completũ est: *Faciamus*, inquit Scriptura, *hominẽ ad imaginem, & similitudinẽ nostram.* Hæc illa sublimis, & supra omnia exaltata Mater, & Virgo, quæ post Dominũ Iesum Christũ splẽdor quidã gloriæ diuinæ, & similitudo vt cumq; proximia super sanctæ, & παρθενιας ideſt, omnisanctæ Trinitatis est, portans omnia verbo virtutis diuinæ, hoc est vnigenito Filio suõ, atq; eodem in cõparabili verbo purgationẽ peccatorũ faciens. Est Virgo MARIA Mater Domini, splendor illius reuerẽdæ glorię,

C & cælestis pulchritudinis, & bonitatis, omnium deniq; diuinarũ virtutum seminariũ, omnia tãta sua virtute portans, & ingẽti sua charitate purgationẽ peccatorũ apud omnipotentẽ Deũ impetrans. Ad eã igitur accedẽtes exoremus veniã peccatorũ, ipsa inopem, & auxiliũ præclarè sese exhibente. Pari enim fermè, aut simili censetur gloria, quantũ quidem fieri potest cũ filio. Propter, quòd *omnia subiecit sub pedibus eius: in eo enim* (vt dicit Apostolus) *quod omnia subiecit*, nihil dimisit nõ subiectũ. Porro in hunc modũ clauues diuinæ remissionis, veniæ sanctificationis, & salutis habebit. Hodie igitur si vocẽ illius audierimus, ne obduremus obsecro corda nostra. Clamat namq; ingeminans: *Si quis*

D *est paruulus*, nondum in mensurã ætatis plenitudinis Christi prouectus: *Veniat ad me. Et insipientibus loquuta est. Venite, comedite panem meum.* Panem quidem supersubstãtialem, in cuius Sacramento, ego prudentissima illa mulier Euangelica, *tria sata* in meo sacratiore vtero commiscui: *Et bibite*, inquit, *vinum quod miscui vobis.* Relinquite infantiã, & venite, & ambulate per vias prudentiæ: *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt*

*Exod.* 30

*Ps.* 117.

*Ps.* 120.

*Genes.* 1.

1. *Cor.* 15 *Heb.* 2.

*Prou.* 9.

*Luca* 13.

*Prou.* 8.

gunt mortem. Hæc & talia sunt diuinæ parétis monita. Adeamus ergo cũ fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiã consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio oportuno. Nec enim adhuc consummata est nobis requies. Itaq; relinquitur sabbatismus populo Dei. Nos autẽ populus eius, & oues pascuę eius. Sis ergo fœlix ò Virgo benedicta super omnes fœminas, da nobis optatã, & assiduè concupitã requiẽ, nostrumq; leues quęcumque laborem. Nec enim te pro dignitate cognoscere potestas est. Vt cumq; igitur possumus nostram erga te intendimus aciem, ad te inquam superuenerandam, exaltandam, & vt cãmque tam miselli, & peccatores possumus efferendam, dignitatemque tuam. Nec enim quæ in te sunt ò Dea, & Regina omni mundo maior, potest cognoscere nisi spiritus Dei, quemadmodum, quæ sunt hominis non cognoscit homine inferior. Illam igitur admirãdam, reuerendamque Virginem, & Matrem omnes laudare, & præcipuè admirari debemus, quam laudat, & præcipuã eius pulchritudinem mirari non desinit Dominus noster Iesus Christus, vnigenitus Dei Filius, eiusdemque reuerendæ Matris etiam Filius. Pulchrè sacer Gregorius Nazianzenus in rem nostrã, & in hęc verba inquit χρισος ἀλείψε Καλ. πτρκη Κεἰδ μαβΗσεν ἰλωι Κελρην πεαρλλεα ρμεθην εθλνιφ μαγναριεσοαμ ευρορορ υ΄Κα ρηρορ Κειωαοαγαμταρτωρεαατασιγετι χαρλιωνοε ςητε, ideſt, Christus verò aperuit tegmentũ, & admiratus est videns illustrẽ pulcherrimã Spõsam, bonam, margaritis ornatam, bonæ sedis, siue (vt quidam dixit) bonisedam, & celsicipitem, seu celsi capitis, & te ò Virgo licet pulchram existentem, insuper gratiosam reddidit, id est, pientissimam & clementissimam, & magis, ac magis coronabit gratijs semper virentibus caput. Vt idem sanctus, & incomparabilis vir diuinus cecinit Καιρυδι χορτεσσιν αεκσλαβρυδι Καιφορ, id est, coronabit gratis semper virentibus caput. In illam igitur omnibus gratijs plenissimam, omnia vota nostra post Dominum Iesum Christum intendamus. Tu verò ò supersancta Trinitas sis propitia nobis, cui super admirabili, & omni tremore reuerendæ, sit omnis honor & gloria, benedictio, claritas & gratiarum actio in secula seculorum.

# F. ANTONIVS IENVENSIS.

## NOTA.

*Seraphicæ Religionis S. P. N. Francisci Alumnus, Doctor consummatus, & diuinarum litterarum interpres eximius, F. Antonius Ienuensis de Monelia, vel Ligure de Monelia, aliter Monelianus, qui ad annũ MDXVIII. virtutibus, & literis florebat in Prouincia Bononiẽsi, de quo plura inueniuntur elogia in PP. Iacobo Reginaldo, Angelo Placentino, Francisco Gandino, Christophoro Placido, Vuiloto, Possenino. Præter ea, quæ in mysticam S. Dionysij Theologiam scripsit, celeberrimũ elaborauit librum in duos tomos distributum, cui titulum præscripsit, Sursum corda, siue directorium inflammandæ mentis in abyssum diuini luminis, &c. Cuius primum tomum typis mandauit Bononiæ Heronymus de Benedictis, anno 1522. in 4. Secundùm in eadem ciuitate excussit Iustinianus Ruberien, quos Menelianus noster singulari deuotione obtulit Reginæ cœlorum, incipitquè dedicatoria, Si te lauda-* uero Augustissima cœlorum Imperatrix, &c. *In primo ergo tomo, fol. 383. lib. 4. de Pertinentibus ad diuinum cultũ, cap. 22. adaptat exprofesso duodecim proprietates in arca veteri Testamenti repertas ad spiritualem, & mysticam Deiparam Virginem MARIAM. Ne igitur memoria libri Virgini dicati, nec notitia huius primicerij (in hoc genere) MARIÆ cultoris, nec ibi dicta, & piè excogitata inter antiquitatẽ, & obliuionẽ manerent sepulta, hic iterũ reproducenda decreuimus*

DE

# DE SPIRITVALI MARIÆ VIRGINIS COMPOSITIONE,

per arcam Moysi præfigurata.

*VEnite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas:* scribuntur hæc verba Exod. 25. *Arcam de lignis sethim compingite, cuius longitudo habeat duos, & semicubitos; latitudo cubitum, & dimidium, altitudo similiter cubitum, ac semissem; & deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris: facies q; supra coronam auream per circuitum, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. Duo circuli sunt in latere vno, & duo in altero, facies quoque vectes de lignis sethim, & operies eos auro. Inducesque per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec vnquã extrahentur ab eis, ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi* hæc ibi. Viso de dispositione Cherubim, qui Angelicam naturã præfigurant, videdum supereſt de arca, quæ adhuc in interiori loco erat in sancta sanctorũ, quia in medio duorum Cherubim; arca autem ista gloriosam Virginem MARIAM præfigurat. Materia autẽ huius arcæ fuerunt ligna sethim, quæ sunt imputribilia, vt dicit Iosephus: vnde dicitur Exod. 25. *Arcam de lignis sethim compingite.* Ligna sethim, ex quibus compacta est Virgo, sunt anima, & corpus. Anima enim eius imputribilis fuit, quia nullam spiritualis peccati sensit putredinem; corpus etiam eius imputribilis fuit, quia nullam carnalis delectationis sensit corruptionem; ligna etiam sethim sunt considerationes puræ, affectiones iustæ, consilia recta, desideria bona, & honesta. Ista arca fuit mirabili modo disposita, & plurima, ad eius compositionem concurrunt quæ spiritualiter Virgini gloriosæ conueniunt, sicut patebit discurrendo per singula.

Exod. 25

Exod. 25

Primò, habebat quatuor parietes, & quatuor angulos, sicut patet Exod. 25. Vnde Nicolaus de Lira ibidem dicit: Quòd arca erat, quasi scrineum sine pedibus, & quasi quoddam quadratum, altera parte longius. Mysticè quator parietes in arca sunt, quatuor virtutes Cardinales in Virgine gloriosa, quæ sunt firmamentum, & fundamentum totius ædificij spiritualis; & ideo dicuntur Cardinales, quia sicut in cardine vertitur, & sustentatur totum hostiũ, sic in his quatuor virtutibus sustentatur, & volbitur, gubernatur, & dirigitur tota vita hominis virtuosa, & moralis, quasi tota fabrica spiritualis. Primus paries moralis in Virgine est prudentia, quæ est recta ratio agibilium, & ista perfecit intellectum Virginis gloriosæ, quoad esse morale in omnibus agendis, & disponẽdis. Hanc prudentiam habuit, & ostendit, præcipuè quando in conceptione Filij Dei ante consensum voluit demodo plenius informari, & ideo quæsibit prudenter ab Angelo, dicens Luc. 1.

Luc. 1.

A *Quomodo fiet istud, quoniã virum non cognosco, &c.* Hæc Virginis prudentia præfigurata fuit in Abigail vxore Nabalcarmeli, quæ fuit prudentissima, & sua prudentia, muneribus, & eloquentia placauit iram Dauid, & præseruauit virum suum ab interitu, sicut legitur 1. Reg. 25. Sic Virgo benedicta, sua prudẽtia, suis precibus, & muneribus iram Dei placauit, & totum genus humanũ ab exterminio mortis liberauit. Secundus paries moralis in Virgine MARIA est iustitia, quæ est affectio animi, vel voluntatis, reddens vnicuique, quod suum est, & ista perfecit voluntatẽ Virginis gloriosæ, quoad esse morale in omnibus exequendis, & operandis. Hanc iustitiam habuit, & ostendit Virgo benedicta obediendo superioribus, scilicet Deo, quando cõpletis diebus purgationis suæ, secundùm legem Moysi tulit puerum IESVM in Ierusalem, & dedit hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum, *sicut dictum est in lege Domini*, prout patet Lucæ 2. Et Cæsare Augusto ascendendo in Ierusalem, & profitendo nomen suum, secundùm ædictum eius; & exemplum bonum præbendo æqualibus, scilicet Ioseph Sponso suo, & alijs, quando in singulis annis cum Ioseph ascendebat in Ierusalem in diem solemnem Paschæ, Lucæ 2. & seruiendo inferioribus, scilicet Elisabeth, apud quam mansit, quasi tribus mensibus seruiens ei in puerperio, sicut patet Luc. 1. Tertius paries moralis in Virgine est temperantia, quæ est virtus in nullo moderationis legem excedens, sub iugo rationis cupiditatem domans, & hæc perfecit vim concupiscibilem Virginis, quoad esse morale in omnibus delectabilibus declinandis. Hanc temperantiam Virgo habuit in omnibus sensibus, & operibus, & præcipuè eam docuit, & ostendit in virginitate, quam semper seruauit, & prima inchoauit; & in verbis paucissimis, in quibus fuit temperatissima, quia quinquies tantùm, vel circa legitur fuisse locuta, cùm tamen in his duobus soleant mulieres esse intemperantissimæ. Quartus paries in Virgine MARIA est fortitudo, quæ est virtus, qua adnersa dura, & aspera fortiter tolleramus, & ista perfecit vim irascibilem Virginis gloriosæ, quoad esse morale, in omnibus aduersis, & tribulationibus tollerandis. Hanc fortitudinem præcipue demonstrauit in Passione Filij sui, in qua non legitur, nec verbum asperum protulisse, sed tam horribilem mortem vnigiti patientissimè, & fortissimè tolerasse. Isti ergo sunt quatuor parietes spirituales arcę mysticę ipsam perficientes in esse morali, de quibus dicit Virginis deuotus Bernardus: Fuit Beata Virgo fortis in

1. Reg. 25

Luc. 2.

Luc. 2.

Luc. 1.

B

C

D

propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, iuſta in confeſsione. Ex iſta arca myſtica fluunt quatuor virtutes Cardinales in omnes electos, ideo ipſa dicit Prou. 8. *Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.*

*Prou.8.* Secundò, arca habet quatuor angulos reſultãtes ex concurſu quatuor parietum prædictorũ, vnde dicitur Exo.25. *Quos pones per quatuor arcæ angulos.* Myſticè in Virgine glorioſa fuerunt quatuor anguli ſpirituales, per cõcurſum quatuor virtutum cardinalium. Primus angulus fuit in incarnatione Filij Dei, & eſt factus ex prudentia, & ex iuſtitia Virginis concurrentibus; prudentia concurrit, quando dixit Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virũ non cognoſco.* Iuſtitia cõcurrit quando ſubiunxit, Deo ſimpliciter obediẽdo, *ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Secundus angulus fuit in fuga in Ægyptũ, & factus eſt ex Iuſtitia, & fortitudine concurrentibus. Iuſtitia concurrit quando MARIA obediuit diuino mandato per Angelũ facto Ioſeph. cũ dixit Matt. 2. *Surge, accipe puerũ, & Matrem eius, & fuge in Ægyptũ*, fortitudo concurrit quia, & in itinere ambulans, & in Ægypto peregrinans, multa incõmoda, & multos labores fortiter, & patienter tolerauit. Tertius angulus fuit in nuptijs, & factus eſt ex prudentia, & temperantia concurrentibus; prudentia cõcurrit, quãdo deficiente vino in nuptijs MARIA oportunum remedium quæſiuit ſubueniendi pauperibus rogando Filium. Temperantia concurrit, quãdo Virgo benedicta tria tãtùm verba protulit, dicens Ioan. 2. *Vinum non habent.* Quartus angulus fuit in Paſsione IESV, & factus eſt ex fortitudine, & temperantia concurrentibus, fortitudo concurrit, quando Virgo benedicta *ſtabat iuxta crucẽ IESV*, Ioan. 19. & videbat Filium ſuum vnigenitum tã horribiliter morientem, & tamen patienter, & fortiter talem dolorem ſupportauit; temperantia cõcurrit, quãdo in tanta amaritudine poſita, etiã à verbis multiplicibus ſe temperabit, vnde nullum aſperũ, vel incorreptum verbum legitur contra Filij perſecutores, & interfectores protuliſſe; & ſic patet quomodo Virgo benedicta, quaſi arca fuit mirabiliter quadrangulata, ex iſta arca myſtica fluit virtutum cõcordia in omnes electos.

*Luc.1.* *Ioann. 2.* *Ioan. 19.*

Tertiò, arca habebat quatuor circulos aureos poſitos in quatuor lateribus arcę, ita quòd duo circuli erãt in vno latere, & duo in altero, vnde dicitur Exod. 25. *Facies, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero.* Myſticè per aurũ diuina ſapientia intelligitur, quæ eſt omni luce clarior, ſicut aurũ omni metallo nobilius; per circulũ operatio diuinæ ſapientiæ, quæ eſt incomprehenſibilis, ſicut circuli finis, & initiũ eſt inueſtigabilis. Virgo ergo MARIA quatuor circulos aureos habuit, quia quatuor diuinę ſapientię mirabilia opera in ſemetipſa receepit. Primus circulus aureus eſt præſeruatio animę à peccato originali, mortali, & actuali. Fuit enim immuniſsima ab omni peccato Cãt. 4. *Tota pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te.* Secundus circulus eſt preſeruatio corporis ab incineratione; nã vt cõmuniter tenet Eccleſia, corpus Virginis non eſt incineratum, nec corruptum, ſed ad cæleſtem gloriã translatũ; & iſti duo circuli ſunt in latere vno. Tertius circulus aureus eſt Virginis ingrauidatio, ſiue fæcundatio, ſiue corruptione. Quartus circulus aurus eſt Virginis parturitio, ſiue virginitatis amiſsione, & de hijs duobus dicit Auguſt. in ſerm. Et ſine corruptione grauida, & in partu Virgo puerpera, & iſti duo circuli ſunt in latere altero, quia ſeſe conſequuntur, & ideo dicitur de Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* O quàm mirabiles fuerunt circuli iſti! Verè in eis relucet aurum diuinæ ſapiẽtiæ. Ex iſta arca myſtica fluit cæleſtis gratia, & benedictio in omnes deuotos Virginis, in omnes parturiẽtes, ex iſta fluit gratia preſeuerationis à peccato, quia dicitur Eccl. 24. *Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt.*

*Cant. 4.* *Iſai. 7.* *Eccl. 24.*

Quartò, arca non habebat duos vectes de lignis ſethim opertos auro, quorum vnus ponebatur intra duos circulos in vno latere exiſtentes, alius in alijs duobus, vt in ipſis portaretur arca, & iſti vecti ſemper erant in circulis, & nunquam extrahebantur ab eis, vnde dicitur Exod. 25. *Facies quoque vectes de lignis ſethim, & operies eos auro, induceſq; per circulos, qui sũt in arcæ laterib⁹, vt portetur in eis.* Qui sẽper erunt in circulis, nec vnquam extraentur ab eis. Myſticè: vectes de lignis ſethim sũt duę exultationes, & admirationes mũdæ, & immaculatæ, quæ fuerũt in Virgine glorioſa, ſed fuerũt opertę auro, quia veſtitę diuina charitate, quia exultatio eius fuit in Deo, & ſecundũ Deũ, Luc. 1. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, & vnaquaq; iſtarum exultationũ tranſiuit per duos circulos. Primus vectis tranſiens per duos circulos aureos, eſt Virginis MARIÆ exultatio regulata de ſua preſeruatione ab omni peccato quoad animam, & de ſua præſeruatione ab omni incineratione, quoad corpus, & iſte vectis nunquã fuit extractus de circulis iſtis, quia ſemper habuit materiam exultationis prædictæ, & nunquam ocaſionem oppoſitę triſtitiæ, cùm nunquã peccatũ aliquod cõmiſſerit, de quo triſtari merito debuiſſet. Secũdus vectis tranſiens per duos alios circulos aureos, eſt Virginis Mariæ exultatio regulata de ſua fęcũdatione, ſiue grauidatione à Spiritu ſancto ſine corruptione, & deſua parturitione ſine virginitatis ammiſſione & iſte vectis nũquã fuit de circulis extractus, quia ſemper habuit prædictæ exultationis materiã, & nũquã triſtitię oppoſitæ occaſionẽ, quia ſemper integritas virginalis in ea permanſit, quia vt dicit Auguſt. in ſerm. Extat MARIA Virgo cum concipit, Virgo grauida, & Vir-

*Exod. 25* *Exod. 25* *Luc. 1.*

Virgo cùm parit, & Virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, & gloriosa fecunditas. Exultat MARIA, & Matrem se electa * miratur, & de Spiritu sancto se peperit, se gaudet, nec quia peperit inupta terretur, sed quia genuerit cũ exultatione miratur. His duobus vectibus ferebatur arca, quia Virgo MARIA his diuinis exultationibus ad opus diuinũ peragendum, leuiter ferebatur. Hac gemina exultatione lætanter ascendebat in montana, ibat in Ægyptum, reuertebatur, ascendebat in tẽplum, portabat, lactabat, & nutriebat paruulũ IESVM; & ideo dicit Augustin. in ser. Eua luxit, MARIA exultauit, Eua lacrymas, MARIA gaudium in ventre portauit. Læta igitur MARIA gestabat infantẽ, exultans amplexatur Filium, portat à quo portabatur. Ex ista mystica arca omnis spiritualis lætitia in electos Christi refunditur, vnde clamat, dicens Eccl. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum.*

Eccl. 24.

Quintò, arca habebat tres dimẽsiones, videlicet longitudinem, altitudinem, & latitudinem, vnde dicitur Exod. 25. *Cuius longitudo habebat duos, & semis cubitos, latitudo cubitum, & dimidium, altitudo cubitũ* similiter, ac semissem. Mysticè per istas tres dimensiones intelliguntur tres virtutes Theologicæ, quæ fuerũt in Virgine. Prima est longitudo, habens duos, & semi cubitos, & ista significat virtutem fidei, quæ in Virgine fuit perfecta quoad articulos pertinentes ad diuinitatẽ, & significatur per vnũ cubitũ integrũ, & quoad articulos pertinentes ad humanitatem, & significatur per alium cubitum integrum, & ista sunt necessaria ad salutem, videlicet, credere articulos pertinentes ad diuinitatem, & ad humanitatẽ; habuit etiã fidem de omnibus contẽtis in sacra Scriptura, & de omnibus reducibilibus ad prædicta, vel sequentibus ad prædicta, & de omnibus quæ elici possunt ex sacra Scriptura, & ista fides significatur per cubitũ semis, siue dimidiũ, quia pertinet ad fidei perfectionem, & superabundantiã non ad necessitatem saltem explicite. Et bene significatur fides per longitudinem, quia in Virgine nunquam interrupta est fides per totam vitã, & quando omnes discipuli in morte Christi in fide titubauerunt, in sola Virgine fides inuiolata perseuerauit, & propter istã fidem Virgo MARIA dicitur beata, Luc. 1. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Secunda est latitudo, habens cubitũ, & dimidium, & ista significat virtutẽ charitatis, quę fuit in Virgine, & bene significatur per latitudinẽ, quia charitas sinũ, & cor dilatat vsq, ad inimicorum dilectionẽ. Habuit autem charitatem ad proximã, & ista significatur per dimidiũ cubitum, quia proximus diligendus est cũ modo, & mensura, iuxta illud: *Diliges proximũ tuum, sicut te ipsum,* & charitatẽ ad Deum, qui diligendus est

Exod. 25

Luc. 1.

A

B

C

D

toto corde, tota mente, & tota anima. Et ista charitas Marię ad Deũ significatur per cubitũ integrũ, quia tota fuit plena incendio diuinę dilectionis, & diuinæ charitatis. Vnde Bern. super Cant. Sagita electa est amor Christi, quę MARIÆ animã non modo confixit, sed etiã totaliter pertransibit, vt nullã in pectore virginali particulam vacuã amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena. Tertia est altitudo, habens cubitum similiter, ac semissem, & ista significat virtutem spei, quæ fuit in Vigine gloriosa, & bene significatur per altitudinem, quia spes respicit bona cælestia ardua, & sublimia, & quia spes est spectatio futurę beatitudinis ex gratia Dei, & proprijs meritis proueniens, ideo signatur per cubitum, & dimidium. Spem habuit Virgo in meritis proprijs, sed nõ plenam, & ista signatur per semicubitum. Spem perfectissimam, & completã in diuini misericordia, & in Filio suo, & ista signatur per cubitum integrum; totam enim spem suam Virgo benedicta collocauerat in Filio tuo, qui erat Deus, & homo, & cum ista spe totaliter ascẽdebat, & elenabatur in Deũ. Vnde de ea dicitur Cant. 8. *Quæ est ista quæ ascẽdit de deserto delitijs affluens innixa supra dilectũ suum?* Ex ista mystica arca Theologicæ virtutes prædictæ in omnes electos diriuantur. Vnde dicit Eccl. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.*

Matt. 16

Cant. 8.

Sexto, arca habebat operculum, siue tectũ, supra, secundũ aliquos Doctores, & Nicolaus de Lira recitat esse, Exod. 25. Mysticæ. Per operculum, siue tectũ arcæ, quòd erat in parte superior, significatur gratia, & virtus contemplationis, quæ fuit in Virgine MARIA, iuxta illud Mat. 24. *Tunc qui est in tecto, nõ descendat aliquid tollere de domo sua.* Nam Virgo benedicta habuit in hac vita altissimã cõtemplationem. Vnde de ipsa dicitur Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Sicut enim fumus thuris, & aromatũ cũ odore mirifico ascendit de igne, sic ex corde Virginis inflammato ascendebant ad Deũ in contẽplatione desideria calida, & odorifera. Vnde de ea dicit Hieron. Totum repleuerat Spiritus sancti gratia, totã incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil esset, quòd mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris, & propter istã gratiã cõtemplationis figuratur per mulierem fugientẽ in solitudinẽ, Apoc. 12. *Et mulier fugit in solitudinẽ, vbi habebat locum paratũ à Deo.* Ex ista arca mystica contemplationis gratia, imperfectos viros effunditur.

Eccl. 24.

Cant. 3.

Apoc. 12.

Septimò, arca habebat coronã auream per circuitũ, in parte superiori eleuatã aliquãtulũ supra tectũ, siue operculũ arcę, sicut dicit Lira

*Exod.25* loco præallegato. Vnde dicitur Exod.25. *Facies q; supra coronã aureã per circuitũ.* Mystice, ista corona aurea supra arcam designat in Virgine regiã dignitatem. Nam cæteri sancti, & etiã supremi Angeli in cœlo sunt, sicut Dei ministri. Ipsa verò Virgo, sicut cęlorũ Regina, quia enim nupsit æterno Patri, qui est Rex Regum, merito ipsa dicitur Regina, quia Sponsa denominatur à dignitate Sponsi. Vnde ex hoc figuratur per mulierẽ coronatã, *Apoc.12.* dicente Ioanne Apocalipsis 12. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Et sic patet quomodo arca mystica Virgo benedicta, primò, habuit coronam aureã regiæ dignitatis, secundò, habuit coronam aureolam virginitatis, quæ scilicet datur virginibus, quia ipsa fuit prima, quæ habuit desiderium, & propositum virgitatatis in mente, & postmodum de ea seruãda cum Ioseph Sponso suo emisit votum, sicut *Luc.1.* dicunt Doctores, & Lira super illud Luc.1. *Quomodo fiet istud quoniã virũ nõ cognosco?* Et quia fuit prima in virginitatis proposito, & voto, iã vocatur Virgo virginũ, & habet coronã aureolã virginitatis: tertiò, habuit coronã aureolã martyrij, quæ scilicet datur martyribus, quoniam ipsa in passione Filij non solũ martyr, sed etiam plusquã martyr fuit, quia non in corpore, sed in anima cõpassionis gladio pereusa est. Vnde dixit Simeon eidẽ Virgini *Luc.2.* Luc.2. *Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius.* Vnde Hieron. in ser. Assũptionis. MARIA, quia mente passa est, plusquã martyr fuit: nimirum quoniam eius dilectio amplius fortis, quàm mors, quia morte Christi suam fecit; quartò, habuit coronam aureolã doctrinæ, quæ scilicet datur Doctoribus alios illuminãtibus; nã ipsa Virgo post Assentionẽ Domini instruxit Apostolos, & Euangelistas, de omnibus quæ ipsa familiariùs nouerat. Instruxit, vt fertur Lucã inscribendo Euangelium de incarnatione, direxit epistolas ad Ignatium Episcopũ, & martyrẽ, & omnes fideles in primitiua Ecclesia doctrina Virginis illuminabantur, & ideo merito donata est sibi corona aureolea Doctorum. De ista quadruplici corona Virginis gloriosæ loquitur Spõsus in Canticis, dicens ad eam Can.4. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Ammana.* *Cant.4.* Ecce corona regiæ dignitatis, nam manà interpretatur coagustans eum, cõprimens eum, vel coagustatio eius, & cum Filius Dei est coagustatus in vtero MARIÆ, ipsa facta est omniũ Regina, *de vertice Sanir, & Hermon.* Ecce coronã aureã virginitatis, nam Sanir interpretatur, Deus luminis, Deus lucernæ, vel leuans, siue attollens nouitatem. *Hermon* interpretatur anathema meroris, & tristitiæ: Virgo autem MARIA cũ virginitatẽ proposuit, & vouit, dedit humano generi magnũ lumen, & magnam lucernã, & inchroauit, & exaltauit notũ modum viuendi, scilicet virginitatem, & sic præcidit multas amaritudines, & tristitias, quæ sequuntur ad matrimoniũ, & ad conceptum, & partum prolis. *De cubilibus leonum.* Ecce coronam aureolam martyrij, nam sicut leones intrepidi in cubili suo quiescunt, sic martyres quasi leones intrepidi in cubili nũdæ conscientiæ requiescentes ad nullius persequentis pauebant occursum. *De montibus pardorum.* Ecce coronam aureolam doctrinæ Pardis sunt velocissimi varij, & habitant in montibus, & desertis, sic Prædicatores, & Doctores fuerunt veloces in discurrendo per vniuersum, illuminando, & instruendo, Ezech.1. *Ezech.1.* *Animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris corruscantis.* Fuerũt varij in doctrina arguendo, increpãdo, obseruando, consulendo, rogando, exortando, habitauerunt in montibus, & desertis per altissimam, & quietam contemplationem. His omnibus coronis coronata fuit Virgo MARIA, & ideo merito dicitur de ea. *Facies q; supra coronam aureã per circuitum.* O quàm venerabilis est arca ista, ab ista arca benedicta, tanquam à mediatrice donantur sanctis quatuor genera coronarum.

Octauo, arca tota fuit intus deaurata, id est, laminis aureis operta. Vnde dicitur Exo.25. *Et deaurabis eã auro mundissimo intus.* *Exod.25* Mysticè Virgo MARIA, quasi arca tota intus fuit deaurata, quia omnes eius cogitationes, omnes affectus, omnes mentis intuitus, & omnia desideria cooperta fuerunt diuina charitate. Tota fuit intus deaurata, quando in cõceptione Filij Dei eius sacratissima viscera diuina sunt charitate, & puritate referta, & ideo clamat Hieron. in serm. Assumptionis, de ipsa loquendo, dicens: Quidquid in MARIA gestum est, totũ puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totũ misericordia, & iustitia, quę de cœlo prospexit. Ex ista sua virtute mundificat, & deaurat omnia nostra interiora, si fideliter recurramus ad ipsã. Sic & in omnibus virtutibus præcedentibus, & sequentibus practica.

Nono, arca tota fuit foris deaurata, id est, laminis aureis operta. Vnde dicitur Exod. *Exod.25* 25. *Et deaurabis eam auro mundissimo foris.* Mistice Virgo MARIA, quasi arca tota fuit foris deaurata, quia omnis eius actus exterior omnis motus, omnis gustus, omnia verba, omnia facta, omnia opera fuerunt rectissima, & diuina charitate adornata. Vnde dicit Ambrosius de virginibus, Virgo erat MARIA, non solùm corpore, sed & mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi partior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, nihil torum in oculis MARIÆ, nil in verbis procax, nil in actu verecundum, non gestus

gestus gratior, non incessus lasciuior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulacrum fieret mentis, figura probitatis. Ex ista virtute Virgo MARIA influit ad deaurandũ omnia nostra exteriora, actus, gestus, motus, verba, & opera.

Decimo, in arca erant tabulæ Moysi digito Dei scriptæ, vnde dicitur Exod. 25. *Ponesq; in arca testinficationem, quam ego dabo tibi*, id est, tabulas scriptas digito Dei, quæ erant testes inter Deum, & populũ, quòd recipisset à Deo illa præcepta, secundùm Liram ibidẽ. Mysticè per tabulas legis in arca existẽtes, designatur regia dignitas Christi in vtero Virginis quiescentis, ad quam spectat ferre legem. Habuit ergo arca intra se legis tabulas, quia Virgo in vtero suo continuit Christũ Regem, & legislatorem, de quo dicit Propheta Isai. 33. *Dominus enim Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster*, & de sua fortitudine, & legislatione dicitur Iob 36. *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatorib'*. Ingressus est autẽ Rex iste, excelsus, & immensus intra viscera arcę nostrę mysticę, vt ex sua humilitate nos exaltaret, & Reges sublimes faceret. Vnde Bernar. in serm. in te sola B. Virgo Rex ille dines, & prædines exinanitur, & excelsus humiliatur, & immẽsus abreuiatur, & ab Angelis minoratur verus, denique *Deus*, & Dei Filius incarnatur, sed quo fructu? Nempe, vt omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate sublcuemur, euius minorationes magnificemur, eius incarnatione adherentes Deo incipiamus vnus esse spiritus cum eo, ex ista arca in omnes Reges, Principes, ac Rectores, fideles, ac deuotos virtus effunditur, eos dirigens in agendis, Prou. 8. *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.*

Isai. 33.

Iob 36.

Prou. 8.

Vndecimo, in arca erat reposita virga Aarõ, quæ fronduerat, vnde dicitur Num. 17. *Refer virgam Aaron in tabernaculũ testimonij, vt seruetur ibi in signũ rebellium filiorũ Israel.* Mysticè virga Aarõ sacerdotis, per cuius miraculũ fuit electus, siue confirmatus, in suo sacerdotio, significat sacerdotalem dignitatẽ in Christo, de quo sacerdotio dicit Propheta in Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternũ, secundum ordinẽ Melchisedech*, & Paulus ad Hæbr. 8. *Talem habemus Pontificẽ, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis sanctorũ minister, & tabernaculi veri quod fixit Deus, & nõ homo*, & ad Hębr. 9. *Christus autem assistens Pontifex futurorũ bonorũ.* Iste autem sacerdos in vtero Virgis existens, omnes sibi fideles Deo Patri confecrat sacerdotes, & sacros efficit per lauacrũ regenerationis. Vnde 1. Pet. 2. *Vos autẽ genus electũ, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumẽ suũ.*

Num. 17

Psal. 109
Hæbr. 8.

Hæbr. 9.

1. Pet. 2.

Ex ista ergo arca virtus effunditur in omnes deuotos sacerdotes, eos dignificans, illuminas, accendens, & Deo gratissimos reddens.

Duodecimo, in arca erat manà reposita, secundũ præceptũ Domini, vnde dicitur Exodi 16. *Sume vas vnum, & mitte ibi Man. quãtum potest capere Gomor, & repone corã Domino adseruandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi, posuitq; illud Aaraon in tabernaculo reseruandum*, & de his tribus quæ erant in arca expresè, loquitur Apostolus ad Hæbr. 9. dicens: *Post velamentum autẽ secũdùm tabernaculũ, quòd dicitur sancta sanctorum aureũ habens thuribulum, & arcam Testimonij circumtectã ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manà, & virga Aaron, quæ frõduerat, & tabulæ Testamẽti.* Mysticè autẽ per manà in arca, intelligitur Christus in vtero Virginis, qui est cibus omnium fidelium viatorũ in hoc mũdo per Eucharistiæ Sacramentũ, sicut manà fuit cibus filiorũ Israel in deserto, & de vtroq; cibo dicit Saluator, Ioã. 6 *Ego sum panis vitæ, patres vestri mãducauerũt manã in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso nã mãducauerit, nõ moriatur, ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi si quis mãducauerit ex hoc pane, nõ morietur in æternum, & panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũdi vita.* Est etiã Christus IESVS cibus beatorum in patria in propria specie, quia sua diuinitate, & humanitate pascet electos. Ioan. 10. *Ego sum hostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Inaca ergo est manà, quia Christus, qui est cibus omnium in ventre Virginis est collocatus, & sic in ista arca mystica est omnium esca, omnium cibus, omnium medicina, & ex ipsa procedit omnium deuotorũ fideliũ spiritualis, & grauosa refectio. Vnde Bernar. in serm. MARIA omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipiẽtibus, copiosissima charitate debetricem se fecit, omnibus misericordiæ sinũ aperuit, vt de plenitudine illius accipiant vniuersi, captiuus redẽptionẽ, eger curationẽ, tristis consolationẽ, peccator veniam, iustus gratiã, Angelus lætitiã, deniq; tota Trinitas gloriã, filij persona carnis humanæ substantiam. O anima mea, si cardinales virtutes inuenire desideras, si virtutes Theologicas affectas, si aureolam virginum, martyrum, & Doctorũ, si virtutem cælestis contemplationis, si intus, & extra componi peropas, si regiã dignitatẽ, si sacerdotale fastigium, si mannæ cælestis dulcedinẽ pręgustare cõcupiscis, accede ad arcã, appropinqua ad MARIAM, quia in ea est vniuersorum remedium, vniuersorum esca, omnium inchoatio, profectus, & consummatio: quæ semper sit benedicta in secula seculorum, venite ergo ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas

Ioann. 6.

Ioan. 10.

A

B

C

D

# F. ANTONII BITONTINI.

## NOTA.

CElebre illud opus prænotatum, seu intitulatũ, Postillæ, siue Enarrationes in Epistolas, & Euangelia totius anni, exquã plurimis recolectum Doctoribus sacris, est in duplici differentia; nam aliæ sunt postillæ, seu enarrationes, cuius Auctor, & compilator extitit R. P. F. Guilleimus Parisiensis, ex nostra Seraphica Minorum Familia, vt olim docui in meis assertionibus principio 16. quod constat ex impressionibus Hispalensi, apud Menardũ Vngut, & Ladislaum Polonũ socios, & Lugdunensi apud Mathiã Bufz. anno MCCCCXCII. anno Domini MCCCCLXXXXVII. in qua sic incipit prologus: Vitam bonam, exitum beatũ, ego frater Guillelmus sacræ Theologiæ professor minimus, Parisiis educatus, sacrorum Euangeliorum, ac Epistolarum de tempore, diebus Dominicis, & sanctis, etiam super commune Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & pro defunctis, expositiones in vnũ colligere volumen, minus expertis clericis, ac insipientibus Prædicatoribus perneccssarium fore iudicaui. Considerans nonnullos Cancellistas minus cautè, ac imperitè Euangelia, & Epistolas vulgo Christiano pronuntiantes procedere non habentes earundem expositionum scientiam, quæ necessaria est: composui igitur, & hunc librum pro eisdem, vt supra, ac pro omnibus sacrorum Euangeliorum, & Epistolarum expositionem cupientibus; non meum, quòd exiguum est, ingeniũ consului proprias dictas expositiones, sed aliorũ sacræ paginæ Doctorum libris innitens, eas quas melius scripserunt postillas, & expositiones perfuntoriè exorando* post quẽlibet passũ textus ponens cũ præmissione tituli vniuscuiusq; quod scripsit, &c. Hucusque Prologus nostri Guillelmi, ex quibus euidenter constat, prædictas postillas ab hoc Doctore fuisse elaboratas, & collectas. De cursu autem temporis à R. P. F. Iacobo Draco, Augustiniano, & à Ioanne Verdolai Artium interprete auctæ, emendatæ, & ad clariorem metodum redactæ fuerunt, vt patet ex impressionibus factis anno MDVI. per Gregorium Coccium, & anno MDXIIII. Istæ igitur additis annotationibus, & quæstionibus, impressæ sub hoc titulo, Postillæ Maiores, prodierunt excusæ Lugduni anno MDXLII. & anno MDLXIX. opera, studio, & labore R. P. F. Antonij à Mantelica Bitontini, etiam nostri Seraphici Ordinis venerabilis, & doctissimi Patris, nec non minoris scientiæ, & eruditionis, quàm alter decantatissimus Cornelius Musius, Episcopus Bitontinus, vt eius testantur opera, præcipuè postilla mystica sermonum typis mandatorum Venetijs anno MCCCCLXXXXVIII. & sermones Dominicales recognitos per R. P. F. Philippum de Rhotingo Franchofordiæ, anno MCCCCXCII. quæ omnia in nostra extant Bibliotheca. De nostro igitur Antonio Mantelica hæc Henricus Vuilotus, fol. 36. Antonius à Mantelica Bitontinus multis doctrinæ suæ testimonijs fecit: primum in omnes lectiones veteris, & noui Testamenti, quæ per totum anni circulum in sacris Catholicorum lyturgijs recitantur, ex Lirani exuberantibus fontibus, postillam additis de suo non contemnendis quæstiunculis hausit. Sermones Dominicales anno 1495. Argen-

* Fortè exornãdo

tinæ

*tinæ editos extant. Hæc Vvilonis vide Gesnerum, & Posseuinum: sit ergo Author Postillarum, noster Guilielmus Parisiensis, vel noster Antonius Bitontinus, sub hoc titulo, & nomine prodeunt, quia ab vltima impressione eas desumpsi: ambo enim sunt Franciscani, vnum est opus, & vna laus, & gloria Virginis MARIÆ.*

## PRO FESTO ANNVNTIATIONIS.

*Feria quarta 4. Tempor. Euangelium secundùm Lucam, cap. 1.*

*IN illo tempore, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis MARIA. Et ingressus Angelus ad eam dixit, Aue gratia plena Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei. Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. & regni eius non erit finis. Dixit autem MARIA ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filiũ in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Dixit autem MARIA, Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum.*

### POSTILLA.

*IN illo tempore: missus est Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatẽ Galileæ, &c.* Lucæ 1. Historia huius Euangelij facta est anno Christi j. vsuali viij. Kal. Aprilis feria vj. Luna xv. Indictione iiij. Ante initiũ illius Euangelij, scribit Sanctus Lucas in eodem capite, quòd Angelus Gabriel apparuit Zachariæ in Templo, dicens, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit magnus coram Domino; vinum, & siceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero Matris suę, &c. Et postmodum concepit Elisabeth vxor ipsius, & occultabat se mensibus quinque, dicens. Quia sic fecit Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. In mense autem sexto, scilicet, à conceptu præcursoris, à *Missus est Angelus*, Gorra, id est, nuntius, vel legatus. *Gabriel à Deo.* Vnde Beda: Gabriel fortitudo dicitur, quia illum nunciabat, qui debellare Diabolum veniebat. *In ciuitatem Galileæ* Gorra in ciuitate concipi voluit, quia omnes homines ad vnitatem supernæ ciuitatis vocare venit, & inhabitare fecit *Cui nomen Nazareth*, vt adimpleretur illud propheticum Matth. 2. Quoniam Nazaræus vocabitur. *Ad Virginem desponsatam viro*, Ly. Hoc diuina ordinatione factum est, vt desponsaretur, antequam imprægnaretur. Primò ex parte pueri, ne ab infidelibus, tanquam illegitimè natus, abijceretur. Vnde dicit Ambrosius super Lucã. Quid Herodi, quid Iudæis posset ascribi, si natum ex adulterio viderentur persequi? Item vt puer natus à Ioseph nutriretur. Vnde dicitur Pater eius, quia nutritius eius fuit. Secundò ex parte Matris, vt secundùm Ambrosium per hoc ab infamia liberaretur. Item secundùm Hieron. vt Virgini à Ioseph exhiberetur ministerium. *Cui nomen Ioseph de domo Dauid*, ad ostendendum, quòd Christus descendit de semine Dauid, sicut per Prophetas fuerat prædictum. Nam MARIA, & Ioseph, cui desponsata fuit, erant de eadem tribu, scilicet, ipsius Dauid. Iungebantur enim, vt frequentius mulieres viris de tribu sua. *Et nomen Virginis MARIA*, Lyra, quòd autem hic ponuntur tot nomina propria, scilicet, Angeli missi, Virginis ad quã fuit missus, sponsi sui, & loci, hoc fuit ad ostendendum certitudinem historiæ. *Et ingressus Angelus ad eam.* Gorra ex hoc patet, quòd non erat foris in publico; vnde Hieron. super, Missus est, dicit, quòd ingressus est in secreto cubiculo, vbi clauso super se ostio, orabat Patrem in abscondito. Si enim conceptio præcursoris fuit denunciata Patri occupato in sacro officio, vt habetur Lucæ 1. multò probabilius est, quòd conceptio Saluatoris denunciata fuit Virgini in deuotione, & oratione actualiter existenti, imò aliqui Doctores volunt, quòd Beata Virgo illud dictum prophe ticum actu legit, quod habetur Isaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, quando Angelus ad eam intrauit dicens ei, *Aue gratia plena*, quod exponit Hieron. 1. sermone de Assumptione. Et bene plena, quia cæteris

teris per partes præstatur gratia, MARIÆ A verò tota se simul infundit plenitudo gratiæ. Item ista non solùm impleuit eius mentem, sed etiam ventrem, in quantum singulari gratia Dei factum est, vt conciperet Saluatorem. *Dominus tecum*, Lyra, non tantùm per essentiam, potentiam, & præsentiam, qualiter est in omnibus rebus, nec solùm per gratiam, eo modo quo est in sanctis hominibus, sed etiam per carnis assumptionem, quia corpus Deitati vnitum, fuit formatum de Beatæ Virginis purissimis guttis sanguineis, & intra Virginis viscera latuit nouem mensibus. *Benedicta tu in mulieribus*, Lyra, id est, præ omnibus mulieribus. Nam mulieres benedicétur in te, sicut viri in filio. Gorra, sunt B enim aliquæ mulieres benedictæ, quia Virgines, sed non fœcundæ, Aliquæ fœcundæ, sed non Virgines. Sed hæc, simul Virgo, & fœcunda. *Quæ cùm audisset*. Lyra, Beata Virgo solita erat videre Angelos, ideo de apparitione Angeli non fuit admirata, vel turbata, sed de salutatione insolita. Quia mihi mirabilius est humili, quàm sua exaltatio. Et ideo cùm Beata Virgo esset humillima, audiens salutationem tantæ excellentiæ, turbata fuit, non turbatione incredulitatis (sicut Zacharias pater Ioannis Baptistæ, vt dicitur Luc. 1.) sed *Lucæ 1.* turbata fuit turbatione admirationis. Vnde sequitur. *Turbata est in sermone eius*, scilicet, Angeli, non autem in visione. *Et cogitabat qualis esset ista salutatio*. Lyra, quòd C enim turbata fuit, virginalem verecundiam ostendit, quòd autem cogitauit de salutatione, declarat prudentiam MARIA. Et ideo Angelus, eam consolatur, dicens: *Ne timeas MARIA*. Lyra, de salut. insoli. *Inuenisti enim gratiam apud Dominum*. Lyra, non solùm pro te, sed pro toto genere humano. *Ecce concipies in vtero*, Lyra. Hæc conceptio, facta est per virtutem Spiritus Sancti, iuxta vterum Virginis, corpus filij formantis. *Et paries Filium*. Lyra, Virgo permanens in partu, sicut, & in conceptu. *Et vocabis nomen eius IESVM*. Lyra, non dicit, Impones: quia hoc nomẽ fuit impositum à Deo Patre, D vt habetur Isaiæ sexagesimo secundo, Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, sed illud nomẽ fuit diuulgatum per Angelum ipsi MARIÆ, & Ioseph. IESVS autem interpretatur Saluator. Vnde de hoc habetur Matthæi primo, Vocabis nomen eius IESVM: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Hic erit magnus*, quia magnus Dominus: Vnde Psalmo quadragesimo tertio, Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. *Et Filius Altissimi vocabitur*. Lyra, id est, ipsius Dei, qui solus est Altissimus. Homo enim altus est inter creaturas corporales, sed Angelus Altior: Deus autem solus Altissimus. Vnde Psalmo sexagesimo secundo. Tu solus Altissimus in omni terra. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob*. Gorra in omnibus electis, quorum vniuersitas intelligitur per domum Iacob, id est, familiam Iacob, quæ tota recepta est in populum Dei. *In æternum*, quia est hic per gratiam, & in futuro per gloriam. *Et Regni eius non erit finis*. Lyra, Christus enim non solùm in quantum Deus, sed etiam inquãtum homo regnauit in æternum, non solùm super homines, sed etiam super Angelos. *Deus autem MARIA ad Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* Lyra, id est, cognoscere non propono, secundùm illud, quod dicunt Doctores Catholici. Beata Virgo antequam desponsaretur Ioseph, habuit obseruantiam castitatis Virginalis in desyderio, non tamen expressè. Sed cùm postea Deo ordinante esset desponsata Ioseph, qui erat in simili proposito, simul emiserunt votum. *Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus Sanctus superueniet in te*. Lyra, id est, non concipies modo humano, sed diuino: quia nõ voluntate feminis virilis, sed virtute Spiritus Sancti. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quia in Beata Virgine sub vmbra carnis, latuit virtus Deitatis. *Ideoque, & quod nascetur ex te*. Gorra, id est, tua vera natura. *Sanctum*, quia de sancta non nascitur nisi Sanctum. *Vocabitur Filius Dei*. Lyra, non adoptiuus, sicut alijs, sed naturalis. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit Filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis*. Lyra, eius enim sterilitas à tanto tempore iam erat nota, quòd sic vocabatur. *Quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum*. Id est, factum, quia dicere Dei, est facere. Vnde Psalm. 148. Dixit, & facta sunt, ipse man- *Psal. 148* dauit, & creata sunt. *Dixit autem MARIA, Ecce ancilla Domini*. Vnde Bernardus: Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit, Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat? *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*. Lyra, quod statim factum est, quia in virtute Dei concepit Filium.

## *QVÆSTIO IIII.*

QVæritur vtrùm Angelus possit sua naturali virtute, exhibere se visibilem homini? Ad hoc autem dico, quòd aliquid videtur multipliciter, scilicet, per se, vt hic color in concreto, siue hoc coloratum, in quantum coloratũ, siue color est in esse, & genere qualitatis. Et per accidens, vt substantia. Et hoc dupliciter, scilicet, vt substantia subiecta colori per propriam quantitatem, vt lapis, & corpus animalis, vel plantæ. Et non subiecta

per

per propriam quantitatem, sed per quantitatem alicuius ad se pertinentis. Et hoc duplici ter, scilicet per quantitatem sui proprij perfectibilis, & mobilis simul, sicut videtur vita, & anima animalis per colorem animalis, cui subijcitur animalis corpus perfectè ab anima. Et per quantitatem sui proprij mobilis, licèt non sui perfectibilis, sicut videmus hominem vestitum per colorem vestium, quas mouet, licet non perficiat animando. Angelus igitur non potest se exhibere visibilem primo modo, quia non est color, aut lux corporalis. Nec secundo modo, quia non est corpus. Nec tertio modo, quia non est anima, aut vita corporis. Sed potest se exhibere visibilem. Quarto modo, quia potest formare corpus, & illud mouere, & per illud repræsentare suas proprietates, putà intellectu, formando illud corpus in forma hominis, & agilitatem, formando animas, & puritatem, formando pulchrum: nam secundùm Dionysium. Angeli in corporibus assumptis, tales se exhibent in exterioribus, quales sunt intus. Et hoc sic patet: Quicquid enim fieri potest motu locali inferiorum corporum, hoc totum Angelus naturali virtute potest: quia prima corpora mouere potest localiter ad motum suum: sicut anima mouet corpus proprium, vt patet per Augustinum, & per rationem, quia *si* anima, quæ est spiritus inferior, mouet ad motum, aliquod determinatum corpus, scilicet, humanum, spiritus superior, id est, Angelus ad nutum poterit mouere corpus illuminatum, puta omne corpus corruptibile, maximè aërem, qui est valde mobilis. Patet etiam experimento: quia secundùm Philosophos, per voluntatem mouent cœlos, & consequenter à fortiori ista inferiora. Sed supradicta apparitio potest fieri motu locali corporum inferiorum, maximè aëris. quia per talem motum condensatur, & figuratur, & per naturalia semina decoloratur: vt videatur homo. Ex his autem patent multa. Primò, conclusio principaliter intenta. Secundò patet, vnde habeant efficaciam incantationes sanatiuæ infirmitatum: quia scilicet, Diabolus per scientiam suam scit medicinalia corporum, & per motum localem ea applicat homini inuisibiliter, sic vt talia corpora, non videantur talia corpora, sed alia: putà panni inuoluti, aut aliquid tale: hoc autem Diabolus facere potest tripliciter. Primò inuoluendo circa talia corpora aërem condensatum. Secundò causando in oculis astantium acrifiam, vel aprisiam, quæ est quasi quædam cæcitas, prohibens videre quædam, sed non omnia. Et tertiò applicando illa corpora, quando nullus intuetur. Tertiò patet, vnde est, quòd aliqui vident in aqua, vel in igne, aut lapide terso, imagines aliquas? quia est, vel ex eo quòd Diabolus aliqua corpora formatex aëre, & A obijcit talia, corpori terso, sicut obijcimus nos faciem speculo, vel ex hoc quòd talia corpora formatat, & obijcit sensibus nostris, vel ex hoc, quòd in imaginationem format tales species, ac imagines cum tanta impressione, vt videantur esse res veræ modo illo, qui statim dicetur. Signum autem, quòd illæ imagines sint in sensibus nostris, & non res, est quãdo non videntur ab omnibus. Quartò vnde est quòd quædam fatuæ, credunt se ludere cũ Herodiana, cum tamen sint in lecto: quia scilicet, Diabolus mouet spiritus corporales, in quibus sunt phantasmata, & deducit eos per motum localem ad obijciendum phantasiæ: eodemmodo quo fit in phreneticis. Nec tamen B nego quin aliquando realiter huiusmodi deferantur ad ludum: quia Diabolus portare posset turrim nedum vetulam. Sed contra prædicta arguitur primò. Nam obiectum intellectus nunquam potest percipi à sensu, putà, visu: quia si visus non potest percipere obiectum alterius sensus sibi vicini, putà, sonum, multominus potest percipere obiectum potentiæ magis distantis, putà intellectus. Sed Angelus est obiectum intellectus: quia est immaterialis. Ergo non potest videri. Solutio. Ratio probat: quia non potest videri oculo corporali primo, vel secundo, vel tertio modo, quia quæ sic videntur sunt materialia, non autem probat quin videatur quar C to modo. Secundò, non sic dicimur videre Angelum: quia videmus corpus ab illo motum, pari ratione diceremur videre vaporé, quia vidimus terræ motum causatum ab alio. Sol. Non est simile: quia ad apparere mouentem in suo mobili, non sufficit mouere aliquid. Si enim videamus aliquod corpus motum à Diabolo, vt quando exquiruntur furta à maleficis, & mouetur setarium, aut cribrũ, non propter hoc dicimur videre Diabolum, aut dicimus Diabolum apparere, sed requiritur, quòd tale mobile repræsentet proprietates motoris, sicut vestis proprietates, seu figuram vestiti: quod non facit terræ motus respectu vaporis. Vnde in corpore formato ab D Angelo aliquando dicitur, apparere Angelus, & aliquando Deus: quia scilicet, illud corpus aliquando in Deum, aliquando in Angelum ducit, repræsentando eius conditiones. Vnde Augustinus dicit, quòd quando Deus apparuit Prophetis, factum est ministerio Angelico, sed quia corpus illud ducebat in cognitionem Dei, ideo dicitur Deus apparuisse. Tertiò, si videtur motor in mobili se repræsentare: Deitas posset videri in omni creatura, quia quælibet creatura est à Deo mota, & Deum repræsentat, cùm sit ei similis Sol. Dico duo. Primum est, non dicitur semper motor videri, aut apparere eo modo quo Angelus in mobili se repræsentat: quia non dicimur videre Patrem Socratis latentem, si videamus

deamus Filium eius, ab eo actualiter motum, sed tunc quando ad se repræsentandum est formatus, vt imago, & non vt vera res talis, qualis videtur sicut cum aër formatur ad instar humani corporis. Modo licet, quælibet creatura moueatur à Deo, & illum repræsentet, & sic ad illum repræsentandum sit facta, non tamen est sic ad hoc facta, quin sit verè illa res, quam se esse prætendit, sicut lapis est verè lapis. Secundum est, quòd secundùm Augustinum in vltimo de Ciuitate Dei oculi beatorum potuerunt videre incorporalia, etiam Deitatatem secundùm sanctum Thomam prima quæstione septima articulo tertio ad secundùm, scilicet, eo modo, quo vitam viuentis videamus, viuendo opera vitæ. Tunc enim intellectus erit perspicax, & diuina gloria maximè refulgebit in corporibus, ideoque statim intellectus apprehendet Deitatem visis corporibus, sicut modo statim apprehendit vitam viuentis viso motu eius. Et sic quæstio satis clarè patet. A B

## PRO FESTO VISITATIONIS.

*Feria sexta, Euangelium secundùm Lucam, cap. 1.*

*IN illo tempore, exurgens autem MARIA in diebus illis, abijt in montana, cum festinatione in ciuitatem Iuda. Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, & factum est, vt audiuit salutationem MARIA Elisabeth, exultauit infans in vtero eius. Et repleta est Spiritu Sancto, Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, & Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino, & ait MARIA, Magnificat, anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* C D

## POSTILLA.

*IN illo tempore, exurgens autem MARIA, &c.* Postquam in prima parte huius c. descripta est præcursoris, scilicet, Ioan. Baptistæ, & deinde Saluatoris conceptio, in residuo huius prædicti c. describitur vtriusque ortus. Et primò præcursoris. Secundò, Saluatoris, scilicet, in cap. seq. Circa verò ortum præcursoris, præmittuntur aliqua præcedentia. Secundò aliqua ortum concomitantia, & tertiò quædam ortum consequentia. Sed præsens Euangelium continet tantùm primam partem, In qua tria ponuntur. Primum est exultatio nascituri infantis. Secundùm est inspiratio matris ibi. Et repleta est, &c. Tertium decantatio Virginis ibi. Et ait MARIA, Magnificat anima mea Dominum, mirabilis autem exultatio pueri nascituri fuit propter præsentiam Domini sui in vtero Virginali. Et ideo, præmittitur aduentus MARIÆ, cùm dicitur. *Exurgens autem MARIA*, scilicet, à quiete orationis, & deuotionis, quæ erat præuia omnibus operibus suis. *Abijt in montana*, quia locus, vbi manebat Zacharias, erat altior Galilæa, à qua recessit MARIA. Cum festinatione, vt ostenderet, quòd Virgo non debet morari in loco publico, nec ibi contrahere colloquia. *Et salutauit Elisabeth*, cum quia erat humillima, tum quia erat iunior: imò prius eam salutauit, & quia ad eius obsequium venerat. *Et factum est, vt audiuit salutationem MARIÆ, Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Congaudens ad præsentiam Domini. Hoc autem duobus modis potuit fieri secundùm, quòd dicit Aug. Vno modo, sic quòd Ioannes nondum natus cognosceret per Spiritum Sanctum Dominum præsentem in vtero Virginis. Et secundùm hoc oporteret dicere, quòd in eo fuit acceleratus vsus rationis. Alio modo sic quod ideo nõ cognosceret præsentiam Saluatoris, sed Mater eius, quæ habebat vsum rationis. Illa tamen motio pueri, & exultatio, facta est à Deo ad declarationem sanctitatis Virginis, & prolis in ea existentis. Sicut de Beato Frãcisco legitur, quòd aues ratione carẽtes, prædicationem eius attentè audiebant, ac si verba eius intelligerẽt quod factum est à Deo, ad probationem prædicationis viri sancti. Neutrum tamen modum determinatè asserit August. Sed dicit quòd siue hoc modo, siue ab alio facta fuerit dicta exaltatio, attribuenda tamen est diuino miraculo. Et hoc satis patet, quia non poterat fieri per naturam. Aliqui autem alij expositores dicunt determinatè, quod facta fuit dicta exultatio primo modo. Vnde dicit Græcus expositor, Propheta parente acutius videt, & audit, salutatque Prophetam. Et subditur ibidem. Et insinuauit gratia, quæ naturæ ignota extiterant. Reclusus ventre mulier, agnouit Dominum, ac Regem oriturum, ventris tegmine non obstante. Inspexit enim, nõ palpebris, sed spiritu. *Et repleta est Spiritu Sancto.* Hic consequenter describitur inspiratio Matris, quæ ostenditur cùm subditur. *Et clamauit voce magna.* Ista magnitudo, magis intelligenda est, ratione deuotionis interioris, quàm soni exterioris. *Benedicta tu inter mulieres*, super omnes mulieres. Cuius ratio subditur. *Et benedictus fructus ventris tui*, per hoc enim quòd conceperat Dei Filium, contraxerat quodammodo infinitatem

boni-

bonitatis, in quantum, scilicet, mater est bonitatis infinitæ. Angelus autem salutans Virginem supra, non dixit, Benedictus fructus ventris tui, quia Virgo nondum conceperat Filium Dei, sed postea cùm consensit, tunc concepit. *Et vnde hoc mihi, &c.* Ista enim non poterat scire Elisabeth, nisi per reuelationem Spiritus Sancti. *Exultauit in gaudio infans, &c.* Ipsa enim Elisabeth per Spiritum Sanctum cognouit, quòd illa exultatio fuit propter præsentiam Domini in vtero virginali. *Et Beata quæ credidisti.* Quia per assensum fidei concepit. *Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*, in te, scilicet, per Angelum nuntiantem, & etiam per Spiritum Sanctum mentem Virginis illustrantem, & eam immediatè docentem. *Et ait MARIA.* Hìc consequenter describitur decantatio Virginis, & præmittitur titulus Cãtici, cùm dicitur. Et ait MARIA, hoc enim Canticum sic prætitulatur, quia Canticum MARIÆ nominatur. *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, &c.* Dicitur MARIA, ô Elisabeth, tu me magnificas, sed ego totum Deo attribuens, ipsum magnifico in hoc Cantico. Vbi primò ponitur modus Cantici. Secundò subditur causa cantandi ibi. Quia respexit. Circa primum declaratur laus Virginis tanquam magna cum dicitur, Magnificat. Secundò, vt deuota, ibi. Anima mea, & non tantum labia mea. Tertiò vt debita, cum dicitur, Dominum, cui debetur laus, & honor. Quantò vt iucunda ibi. Et exultauit spiritus meus. Quintò vt recta, ibi. In Deo salutari meo. Et dicit in Deo, ratione creationis, salutari ratione recreationis, in Deo ratione assumptæ humanitatis, quia sic fuit ipsius Virginis, & non alterius. Cætera verò ipsius Cantici, & finis capituli non ponuntur in hoc Euangelio.

## QVÆSTIO V.

QVæritur, vtrùm credere Deo reuelanti quidquam, necessariò sit meritorium? Ad hoc autem dico, quòd secundùm Doct. S. Thom. præcipuè 12. q. 18. & 2. d. & Mal. q. 2. aliquis actus humanus secundùm suam speciem, vel genus consideratus est indifferens ad bonum, & malum morale, licet habeat naturalem bonitatem inquantum est. Nam si actus humani obiectum includit aliquid rationi conueniens, actus est bonus, vt misereri pauperis, & malus si includat aliquid ei repugnans, vt furari, & neuter si non includit conueniens, & repugnans, vt leuare festucam de terra, quia omnis actus habet speciem ab obiecto, & actus humanus ab obiecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio. Sed si loquamur de actu secundùm indiuiduum, sic quemlibet actum particularem humanum, deliberatum necesse est esse bonum, vel malum moraliter, non solùm secundùm Theol. sed etiam secundùm Phil. moralem, quia si actus fiat quando oportet, vbi oportet, sicut oportet, & sic de alijs circunstantijs, est bonus, & si quod horum deficit est malus. Est autem necessarium, quòd fiat cum omnibus istis, aut non fiat, & consequenter, quòd sit bonus, vel malus. Et si quis habeat gratiam, non potest esse actus humanus in eo consideratus secundùm indiuiduum, qui nõ sit peccatum, vel meritum. Nam quicquid ab eo, qui habet charitatem ordinatur in finem alicuius virtutis, ordinatur in finem charitatis, & consequenter est meritorium: quia sicut voluntas omnes potentias, ita charitas omnes virtutes mouet ad finem suum. Sed omnis actus bonus ordinatur in finem alicuius virtutis, & consequenter est meritorius, & si sit malus est, demeritorius. Habens igitur charitatem, meretur comedendo, & ludendo ad recreationem seruato modo temperantiæ, & eutropeliæ. Hæc omnia ex S. Thom. vbi supra. Igitur credere supposita, gratia est meritoriũ cum sit actus virtutis. Et ideo benè dicitur Beata Virgo, quæ credidit Domino. Sed contrà. Primò, quia sequitur, quòd quis simul in vno instanti merebitur, & peccabit mortaliter, posito quod Socrati reueletur à Deo sua damnatio, credendo enim merebitur, vt dictum est, & peccabit, quia desperabit. Sol. secundùm S. Thom. Deus nulli reuelat suam damnationem, sed nec reuelare potest de potentia ordinata, quod si faciat intelligendum est, quòd loquatur comminatoriè, non ex sententia: hæc ille, & si ponatur, quod loquitur ex sententia, dico quòd si talis acceptet Dei iustitiam secundùm quam credit se damnandum, meretur, non autem peccat desperando, quia non tenemur desperare, nisi quousque sumus dubij de salute. Si autem non acceptet eam, iam peccabit, & non merebitur. Et si ponatur casus, quòd Deus reuelet ex sententia, & cum hoc stet præceptum de spe, dico quòd casus est impossibilis: quia sequitur, quòd Deus vellet istum simul credere contradictoria, scilicet, se dãnandum, & saluandum cùm non possit sperare salutem, nisi credat se saluandum. Secundò, quia posset aliquis mereri credendo falsum, sicut Ezechias credendo se moriturum, & Niniuitæ se credendo subuertendos. Sed hoc est contra Anselmum. Cur Deus homo, cap. 16. Si vera inquit non fuisset fides, mors Christi nihil profuisset. Sol. Non potest sequi, quòd quis mereatur credendo falsum, quia Deus non potest reuelare falsum, nec illud verbum fuit falsum. Mortieris Ezechia: quia sensus erat. Mors tua est futura, quod fuit verum. Nam aliquid est futurum

rum eo ipso, quòd sua causa est dispositа, vt eueniat, & ita erat de prima morte, quia habebat causas naturales, vt morbum mortalē. Et similiter subuersio Niniue erat in sua causa, id est, demeritis Niniuitarū. Et ideo dicitur 2. de Generat. quòd futurus quis incedere non incedet: quia scilicet, sua incedendi causa impedietur, aut remouebitur. Sed cum causa sit duplex, scilicet, prima, id est, Dei voluntas, ac præscientia, & secunda, id est, cœlum, & aliæ causæ creatæ aliquando aliquid est futurum secundùm primam, non secundū secundam, vt iudicium generale, aliquando secundùm secundam, non secundùm primam, vt mors Ezechiæ, & subuersio Niniue. Quod etiam est futurum, secundùm primam semper B euenit, nō autem quòd secundùm secundam: quia prima impediri non potest sicut secunda. Posito tamen, quòd quis credat falsum, vt cum vetula credit prædicatori erranti, vt Deo tunc creditur falsum sub ratione veri est meritorium: nec est contra Anselm. quia sunt verba discipuli: quamuis dici etiam posset, quòd illa fides non profuisset, id est, obiectum illius fidei: quia nihil fuisset si fuisset falsum: profuisset tamen ipse actus, quia fuisset actus virtutis nobilissimæ, id est, fidei, & sic quæstio terminata manet.

*In Festo Visitationis Beatæ Virginis MARIÆ, Canticorum 2. cap. Epist.* C

ECCE iste venit saliens in montibus transiliens colles. Similis est dilectus meus capræ hinnuloq; ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

## POSTILLA.

ECCE iste venit saliens in mentibus: transiliens colles. Ante initium huius lectionis habetur in eod. cap. Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Tunc sequitur præsens epistola: *Ecce iste venit sal. &c.* Glo. *de sinu Patris in vterum Virginis, de vtero Virginis in præsepium, de præsepio in mundum, de mundo in patibulum, de patibulo in sepulchrum, de sepulchro, è conuerso in mundum, de mundo ad Patris dexteram. Similis est dilectus meus capræ.* Propter visum acutum: quia tantum acumen habet in videndo, quòd à remotis videt venatorem venientem, & loca alta ascendit, & à venatore non videtur, sed venatorem videt. Sic specialiter Deus cuncta videt, vt habetur Hebræor. 4. Omnia nuda sunt, & aperta oculis eius. *Hinnuloq, ceruorū*, id est, fœtui cerui, vel capræ propter velocitatem. Hinnulus se cornibus non potest defendere, & ideo fugit insequentes quandiu potest. *En ipse stat post parietem nostrum*, scilicet, carnem assumendo: diuinitas enim latet in humanitate. *Respiciens per fenestras*, per Apostolos illuminantes Ecclesiam, sicut per fenestram radius Solis illuminat domum, sic Christus per Apostolos Ecclesiam illuminauit. *Prospiciens*, id est, de longe aspiciens. *Per cancellos*, id est, per Patriarchas Ecclesiam illuminando. Sicut enim per foramen magnū transit magnum lumen. Et per paruum foramen, paruum lumen transit, sic per Apostolos, sicut per fenestras magnas magnum lumen in Ecclesia luxit, per Patriarchas paruum lumē de lumine transijt, & per parua foramina, qui cancelli dicuntur. Sunt enim cancelli parua foramina in fenestra virgulata, per fenestras cancellatas, per quas modicum de lumine transit. *En dilectus meus*, id est, Christus. *Loquitur mihi. Surge*, scilicet, ab otio. *Propera*, quia via in qua es periculosa est. *Amica mea*, per charitatis latitudinem. *Columba mea*, per intentionis rectitudinem. *Formosa mea*, per morum honestatem. *Et veni*, scilicet, in tuam recreationem. *Iam enim hyems transijt*, id est, congelatio paganorum nolentium fidem recipere. *Imber abijt, & recessit*, id est, tyrannorum persecutio. *Flores apparuerūt*, id est, odores bonorum operum. *In terra nostra*, id est, Ecclesia. *Tempus putationis aduenit*, id est, tempus ad resecandum vitia. *Vox turturis*, id est, Spiritus Sanctus. *Audita in ter. no.* id est, in cordibus electorum: quia sicut turtur in occulto cantat, & in cantu gemit: sic Spiritus Sanctus occulta reuelat, & animam in qua habitat, gemere facit per pœnitentiam. *Ficus protulit grossos suos.* Ficus enim primò fert fructus inutiles. Secundò verò vtiles, & maturos: sic similiter Synagoga primò protulit fructus immaturos, & inutiles. Deinde Christum, & Apostolos tanquam fructus maturos, & vtiles nobis ministrauit. *Vineæ florentes*, id est, Ecclesiæ particulares virtutibus suis. *Dederunt odorem suum. Surge, &c. In foraminibus petræ*, id est, Christi vulneribus. *In caberna maceriæ*, id est, lateris Christi vulnere. *Ostende mihi faciem tuam*, id est, conuersationem tuam, non alienam sicut hypocritæ. *Sonet vox tua*, id est, prædicatio tua. *In auribus meis*

*meis*, scilicet, honorem meum. *Vox enim tua dulcis*, id est, prædicatio tua. *Et facies tua decora*, scilicet, quando prædicationi, correspondet vita.

## *QVÆSTIO XV.*

SVper verbis epist. in Festo Visitationis Beatæ MARIÆ, quæ habentur Cantic. 2. scilicet. Surge amica mea, oritur q. de amicitia. Vtrùm amicitia sit specialis virtus? Arguitur, quòd non, ait Philosophus 8. Ethi. amicitia perfecta est, quæ est propter virtutem, quælibet autem virtus est amicitiæ causa: quia bonum est omnibus amabile: ergo amicitia non est specialis virtus, sed consequens vnam virtutem. Igitur. In oppositum præcepta legis dantur de actibus virtutum, sed Eccles. 4. dicitur. Congregationi pauperum affabilem te facito: ergo affabilitas, quæ amicitia dicitur, est virtus specialis. Atque respondendum est secundùm Thom. 2. 2. q. 123. art. 1. ad primum post Aristot. in lib. Ethi. quòd duplex est amicitia. Vna est, quæ consistit principaliter in affectu, quo vnus alium diligit, & hæc potest consequi quamcumque virtutem, & de tam amicitia intelligitur argumentum ad partem negatiuam factum. Alia est amicitia, quæ consistit in solis exterioribus verbis, vel factis, quæ quidem non habent perfectam rationem amicitiæ, sed quandam eius similitudinem, inquantum aliquis decenter habet se ad illos, cum quibus conuersatur, & loquendo de vera amicitia dicimus secundùm Tho. vbi supra in corpore quæstionis, quòd amicitia est specialis virtus, quod patet. Cùm virtus ordinetur ad bonum, vbi occurret specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem rationem virtutis: bonum autem in ordine consistit: oportet etiam hominem conuenienter ad alios homines ordinari in communi cõuersatione, vt ad vnum quemque se habeat, vt decet: ideo oportet esse vnam specialem virtutem, quæ hanc conuenientiam ordinis conseruet, quæ quidem virtus vocatur amicitia.

### *In Festo Conceptionis gloriosæ Virginis MARIÆ, Epistola, Prouerbiorum 8. capitulo.*

*DOminus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant. Necdum montes graui mole constiterant. Ante omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos. Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ. cum eo eram cuncta componẽs. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbem terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

## POSTILLA.

*DOminus possedit me ab initio*, &c. In isto Festo Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ, pro epistola præsens lectio secundùm seculares legitur, quæ lectio principaliter exponitur de æterna sapientia, quæ Christus est filius MARIÆ Virginis. Honor autem filij, est honor matris, & è conuerso, honor Matris est, honor Filij. Vnde Bernard. homil. 4. super Missus est, dicit. Non est dubium, quicquid in laudibus Matris conferimus, ad Filium pertinere, & rursum cum Filium honoramus, à laudibus Matris non recedimus. Vnde dicit æterna Sapientia, *Dominus possedit me ab initio viarum suarum* Lyra, id est, operum suorum. *Antequã quicquam faceret à principio*, id est, ante omnem creationem. *Ab æterno ordinata sum* &c. *Necdum erant abyssi*, &c. *Necdum fontes aquarum eruperant*, scilicet, locis subterraneis. *Necdum montes graui mole constiterant*, scilicet, super terram planam eleuati. *Ante omnes colles ego parturiebar*, id est, procedebam à fœcunditate paterna. *Adhuc terram non fecerat. & flumina*, id est, creaturam visibilem. *Et cardines orbis terræ*, id est, partes mũdi principales, quæ sunt Orien, & Occidens, Auster, & Aquilon. *Quando præpara, cœlos aderam*. Indiuisa sunt opera Trinitatis, & ideo Filius, qui est sapientia genita, semper operatur cum Patre: vt patet Ioan. 5. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos*, id est, concauitates vbi congregatæ sunt aquæ, vt appareret arida, habitationi hominum, & animalium terrestrium apta. *Quando æthera firmabat sursum*, id est, sphæram ignis, quæ naturaliter sursum fertur. Illa enim pars elementorum, quæ continua est sphæræ, æther vocatur. *Et libra fontes aquarum*, constituens eos in pondere, in numero, & mensuram. *Quando circun. mari ter. suum*, &c. Ne flueret, & operiret aridam.

Quan-

*Quando appendebam fundamenta terræ*, id est, partes inferiores terræ circa centrum, quæ sunt quædam fundamenta superiorum partium. *Cum eo eram cuncta componens*, quia indiuisa sunt opera Trinitatis. *Et delectabar per singulos dies*, id est, æternaliter gaudebam cum Patre, & Spiritu Sancto. *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbem terrarum*, id est, ludum faciens de orbe terrarum, qui similis est ludo pilæ, qui de vno transfertur ad alium in quãdam reuolutionem, quia regna terræ transfert, atque constituit de gente in gentem. *Et delitiæ meæ esse cum filijs hominum*, scilicet, per gratiam. *Nunc ergo filij*, per adoptionem. *Audite me*, scilicet, per debitam attentionem. *Beati qui custodiũt vias meas*, id est, viam mandatorum, & viam consiliorum. *Audite disciplinam*, de moribus humanis. *Et estote sapientes*, in diuinis. *Et nolite abijcere eam. Beatus homo, qui audit me*, scilicet, mihi obediendo. *Et qui vigilat ad fores meas quotidie*, scilicet, in loco diuini cultus deuotè orando. *Et obseruat ad postes ostij mei, qui me inuenerit*, per gratiam. *Inueniet vitam*, scilicet, æternam. *Et auriet salutem à Domino*, qui est fons salutis.

A

## QVÆSTIO III.

SVper verbis Epistolæ in Festo Conceptionis Virginis MARIÆ, quæ habentur Prouerb. 8. scilicet, Dominus possedit me ab initio viarum suarum, oritur quæstio de Conceptione. Vtrùm Virgo MARIA fuerit concepta in peccato originali? Omissis argumentis ad vtramque partem, respondendum est, quòd non: propter quinque rationes. Prima est. Virgo MARIA in Matrem Dei electa, erat exaltanda super omnes Angelos, sed omnes Angeli fuerunt præseruati ab omni peccato, ergo à ratione fortiori, & ista quæ erat superior. Secunda ratio. Absurdum est credere Virginem MARIAM fuisse aliquando in odio, & indignatione Filij sui Christi obligatam supplicio, cùm esset Mater Dei charissima, sed per peccatum originale persona dicitur filia iræ, & deputata æterno supplicio: igitur. Tertia ratio. Virgo MARIA debebat fieri speciale habitaculum Dei: ergo debebat specialiùs præparari. Sed si concepta fuisset in peccato originali, nõ fuisset specialiùs præparata. Igitur non fuit concepta in peccato originali. Quarta ratio. Quod Deus potuit facere, & decuit, fecit, sed Deus potuit, & decuit facere, quòd Virgo MARIA sine originali conciperetur, igitur. Quinta ratio. Nulla dignitas conueniens Virgini est ab ea auferenda, sed concipi sine peccato originali conueniens est Virgini. Igitur. Et ad authoritates, quæ possent allegari ab illis, qui tenent ipsam fuisse conceptam in peccato originali, dicendum est, quòd intelliguntur de lege ordinata, & non præseruata, de lege communi, & non priuilegiata: quam legem priuilegiatam habuit MARIA. Et si quis dicat. Habuit pœnas peccati originalis, ergo peccatum: dicendum est, quòd nõ sequitur, quia Christus habuit illas pœnas, & non habuit peccatum. Si quis dicat: si mortua fuisset ante filium, fecisset descensum ad limbum; ergo habuit peccatum. Dicendum est, quòd non sequitur: quia sanctus Ioannes Baptista non habebat peccatum quando mortuus est: tamen fecit descensum ad limbum: si quis dicat, Virgo MARIA indiguit Redemptore, ergo habuit peccatum: dicẽdum est, quòd indiguit Redemptore præueniẽte, qui illam præseruaret, sequitur, quòd omnes qui dicunt ipsam fuisse conceptam in peccato originali, mentiuntur, quia nihil determinatum fuit in Cõcilio, nisi quia verum, sed determinatum fuit in Concilio Basilienſi, quòd Virgo MARIA non fuit concepta in peccato originali: igitur non fuit concepta, &c.

B

C

D

### *In Festo Purificationis Virginis MARIÆ, Epistola, Malachiæ 3. capitulo.*

HÆC *dicit Dominus Deus, Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit Dominus exercituũ, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad videndum eum. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.*

## POSTILLA.

HÆC *dicit Dominus Deus.* In præsenti Epistola nuntiatur vterque aduentus Christi, scilicet, in carnem, & in iudicium, & primò denuntiatur primus aduentus in carnem, cùm dicitur. Hæc dicit Dominus Deus. Scilicet Pater. *Ecce, ego mitto Angelũ meũ.* Lyra, id est, Ioannẽ Baptistã, qui magis duxit in terris vitam Angelicam, quàm humanam. Quod enim hæc scriptura intelligatur de Ioanne Baptista, patet Matt. 11. vbi Christus dixit de Ioanne, hic est, de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum. *Et præparabit viam ante faciem meam*, id est, ante filium meum: quia prædicatio, & baptismus

Ioan-

Ioannis fuerunt quædam præparationes ad baptismum, & prædicationem Christi. *Et statim veniet ad templum suum*, id est, Ierusalem; quia ibi Christus hodie fuit oblatus à Matre, receptus à Simeone: & postmodum ibi pluries prædicauit, & ibidem multa miracula fecit. *Dominator quem vos quæritis*, id est, quem vos desideratis. *Et Angelus testamenti, quem vos vultis*, videlicet Iesus Christus desideratus à sanctis Patribus, & Prophetis. Secundò, denuntiatur hìc Aduentus Christi ad iudicium, cùm dicitur: *Ecce venit Dominus exercituum.* Lyr. id est, venit certitudinaliter ad iudicium. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius*, quasi diceret, Nullus: vnde Matt. 24. Diem illam & horam nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater. *Et quis stabit*, id est, poterit stare, *Ad videndum eum.* Lyr. quia sicut primus aduentus fuit in humilitate & mansuetudine; ita & secundus erit in potestate, & terrore. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.* Ista referuntur ad primũ, & secundum aduentum. Dum enim dicitur, Ipse enim quasi ignis conflans, ad secundum aduentum pertinet: & quasi herba fullonum ad primũ. Nam herba fullonum, est qua vtũtur fullones ad purificandum vestes, & faciẽdum eas nitidas: mitiùs & suauiùs lauat sordes pannorum. Ignis autem cum magna violentia purgat metallum. Sic in primo aduentu Christus cũ magna mansuetudine, & quadam suauitate pœnitentiæ purgauit peccatores. In secũdo aduentu purgabit per ignẽ. *Et sedeb.* Dominus, scilicet, in iudicio. *Conflans & emun. ar.* quia sicut argentum conflatur in igne, vt purgetur; emundatum autem in thesauros reponitur, sic fiet in die iudicij: nam in igne purgabuntur electi, qui nondum plenè sunt purgati in Purgatorio, quatenus purgati transeant in thesauros Domini, vt sint ibi quasi aurum & argentum. *Et pur. fi. Leui.* per Leui hìc intelligitur sacerdotalis dignitas: purgandi ergo sunt ministri sacerdotalis officij. *Et colabit: eos quasi aurum & argentum*, ad perfectam munditiam ducendo. *Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia*, scilicet, operum. *Et placebit Domino sacrificia*, scilicet, oblatum. *Iuda & Ierusalem*, id est, pro omnibus actiuis, qui intelliguntur per Iudam: & contemplatiuis qui intelliguntur per Ierusalem. *Sicut dies seculi & anni antiqui*, sicut placuit sacrificium Abel, Melchisedech, & Abraham, & aliorum sanctorum Patrũ in seculis præteritis, & annis antiquis. *Dicit Dominus omnipotens.*

Matt. 24.

## QVÆSTIO V.

Mal. 3. SVper verbis Epistolæ in purificatione B. MARIÆ Virginis, quæ habentur Mal. 3. scilicet, *Statim veniet ad templum sanctum suum.* Oritur quæstio, de purificatione Virginis MARIÆ, Vtrùm conuenienter Beata MARIA, Mater Dei purganda ad templum accesserit? Arguitur quòd non: purgatio non est nisi ab immunditia: sed in Beata Virgine nulla fuit immunditia. Igitur. In oppositum: Virgo MARIA nihil inconuenienter egit, sed ipsa accessit ad templum purganda. Igitur. Ad argumentum dicitur, quòd ipsa accessit non propter indigentiam, sed propter legis præceptum, quod voluit adimplere. Ad quæst. respondendum est secundùm Magistrum Iann. de Turrecrem. in q. super Euangelijs, quòd conuenienter Beata Virgo MARIA venit purganda in templum post partum Filij sui: patet conclusio, sicut plenitudo gratiæ à Christo deriuatur in Matrem: ita decuit, vt Mater humilitati Filij conformaretur: humilibus enim Deus dat gratiam: vt dicitur Iaco. 4. sicut ergo Christus licèt legi non esset obnoxius; voluit tamen circuncisionem, & alia legis onera subire, ad demostrandum humilitatis exemplum, & vt approbaret legem: & vt occasionem Iudæis tolleret: propter easdem rationes voluit, & Matrem suam adimplere legis obseruantias, quibus tamen non erat obnoxia.

Iaco. 4.

*Infesto Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis, Epistola*, Isaiæ 11. cap.

*EGredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundùm audita aurium arguet. Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terrã virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulũ lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.*

*Egredietur virga de radice Iesse. Virga ista est Virgo MARIA, quæ de stirpe Iesse orta est: virga rectè dicta, nam dulcis, humilis, tota munda, tota pulchra, tota odora, vt lilium, vt vitis fructifera, in qua Dominus Saluator requieuit. Vnde Canticorum 4. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris hortus conclusus, soror mea, sponsa mea.* Cant. 4.

## POSTILLA.

*EGredietur virga de radice Iesse, &c.* Sciẽdum quòd ista prophetia exponitur ad literã de Christo à Doctoribus catholicis.

Iudæi tamen adhuc expectant futurum, quod A nos Christiani dicimus esse impletũ in Christo IESV Et secundùm hoc dicitur hìc, Hæc dicit Dominus. *Egredietur virga de radice Iesse.* Lyra, id est, Virgo MARIA, quæ dicitur virga gracilis paupertate, & humilitate, flexibilis pietate. *Et flos de radice eius ascendet*, id est, Christus qui dicitur flos ratione puritatis: quoniam nullum peccatum actuale, seu originale habuit in eo locum, 1. Petr. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus, &c. Et quia pertulit fructum nostrę salutis. Et dicitur, Ascendet de radice Iesse: B quia pater Dauid vocatus fuit Isai & Iesse: Christus autem descendit de Dauid. *Et requiescet super eũ spiritus Domini.* Lyr. quia in baptismo eius apparuit Spiritus sanctus in specie columbę super eum Matth. 3. ad designandum plenitudinem omnis gratiæ in eo. *Spiritus sapientiæ.* Lyr. id est, Doctor sapientiæ, vel spiritus qui est sapientia. *Et intellectus spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & repleuit eũ spiritus timoris Domini.* Lyr. Ista omnia dona perfectissimè fuerunt in anima Christi, quæ fuit perfectissima in omnibus donis & charismatibus Spiritus sancti. *Non secundùm visionẽ oculorum* corporalium. *Iudicabit*; quia C Christus per scientiam suam cognoscit omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, quantumcumque sint occulta, quia homo videt ea quę patent; Deus autem intuetur cor. *Neque secundùm audi. auris arguet.* Lyr. Non indigebit doceri veritate ab aliquo, quia per seipsum cognoscit: vnde Ioann. 2. Opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. *Sed iudica. in iustitia pau.* scilicet, Euangelicos iudicans eos diuitijs cælestibus dignos. Vnde Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Et arg. in æquitate pro mansuetis terræ.* Lyr. quod fuit impletum quando Phariseos arguit pro Apostolis, quos notabant falsè de transgressione sabbati. scilicet, quando euellebant spi- D cas manibus in die Sabbati. *Et percutiet terram*, id est, homines terrenos. *Virga oris sui*, de doctrina sua arguendo eorum peccata. *Et spiritu labi suo. inter. impium.* Lyr. id est, Antichristũ secundùm quòd dicitur 2. Thes. 2. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduẽtus sui. *Et erit iustitia, &c.* Lyr. id est, iusti & fideles adhærebunt sibi, sicut cingulum & lumbare adhęrent homini: & hoc patet impletum in Apostolis, alijsque discipulis, & fidelibus sibi per fidem, & charitatem adhærentibus. Expositionem vlteriorem istius epistolæ quære supra.

1. *Petr.* 2

*Mat.* 3.

*Ioann.* 2.

*Matt.* 5.

2. *Thes.* 2

## QVÆTIO VIII.

SVper verbis Epistolæ in festo Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis, quæ habentur Isaiæ 11. cap. scilicet, *Egreditur virga de radice Iesse.* Oritur quæstio, Vtrùm Virgo MARIA fuit vera Mater Dei. Arguitur quòd non: hoc nomen Deus est commune tribus personis, sed Beata MARIA non est Mater Patris, neque Filij, neque Spiritus sancti: ergo Virgo MARIA non est Mater Dei. Ait Dam. lib. 3. Theotocon. id est, Deigenitricẽ verè & principaliter prædicamus Virginem: Igitur. Ad argumentum dicitur negando consequentiam: & ratio est, quia quamuis hoc nomen Deus sit nomen commune tribus personis: tamen quandoque supponit pro sola persona Patris: vt cùm dicitur Deus generat, quandoque pro sola persona Filij, vel Spiritus sancti: ideo cùm dicitur Beata Virgo est Mater Dei, hoc nomen Deus supponit pro sola persona Filij incarnata. Ad quæ. respondẽdum est secundùm Magistrũ Nicolaum de Orbellis super 3. sent. distinct. 4. q. 1. quòd Virgo MARIA dicitur Mater Dei: patet conclusio, quia concepit Deũ, portauit Deũ, & peperit Deum: scilicet Christũ, qui dicitur Deus.

*Isai.* 12.

*Item in eodem festo epistola*, Isai. 7. cap.

*IN diebus illis, locutus est Dominus ad Achaz dicens, pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra, & dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit, Audite ergo domus Dauid, Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo cõcipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

*Non tentabo Dominum. Qui de Dei misericordia magis præsumit in se, quàm non benè meruit, periculis mortis se exponens Deum tentat: tentare Deum etiam est aliud à Deo experiri, vt quærere signum de cœlo, vel aliud, vt habetur, Mar. 2. de Scribis & Pharisæis quærentibus signum à Saluatore, qui dicunt, Magister volumus à te signum videre.*

*Mar.* 2.

## POSTILLA.

*IN diebus illis, locutus est Dominus, &c.* Ista scriptura Isaiæ Prophetæ loquitur de Domino Iesu Christo: vnde dicitur. *In diebus illis*, scilicet, quando Isaias prophetabit. *Locutus est Dominus per* Isaiam Prophetam. *Ad Achaz*, qui fuit ido-

idolatra pessimus. Cui Isaias Propheta prædixit liberationem populi, & potentiã duorum regum, scilicet, Regis Syriæ, & Regis Samariæ, per quam liberationẽ figurabatur vera liberatio generis humani de potestate hostis antiqui: verũtamẽ quia Achaz credere noluit, tunc dixit Isaias: *Pete tibi signum* liberationis tuæ, & populi tui ab hostibus, *A Domino Deo tuo*, Ly. & non ab idolis, quę tu colis. *In profundum inferni*, scilicet, vt aliquis reducatur ab inferis, & annuntiet tibi: sicut factum fuit in transfiguratione Domini, quando venit Moyses ab inferis, & apparuit cum Elia, qui adhuc est in Paradiso terrestri. *Siue in excelsum supra*, ac si dicat, Si vis habere signũ de cœlo, sicut habuit Ezechias Rex, quãdo sol decem lineis retrogressus est: & tempore Iosue, quando sol & luna steterunt in bello Gabaon. *Et dixit Achaz, Non pe.* Siquidem Achaz signum petere renuit: ne in signo glorificaretur Dominus, & vilipenderet idola, quæ colebat: & ideo dixit, Non petam: & vt excusationem haberet non petendi subiunxit. *Et non tentabo Dominum*, ac si diceret, si peterem signum tentarem Deum, & facerem contra legem, quæ
*Matt. 4.* dicit Matt. 4. Non tentabis Dominum Deum tuũ. Sed ex quo iussus fuit petere debuisset: Tamen alia translatio habet, Non petã & nõ exaltabo Dominũ quasi diceret: Nolo vt dato signo exaltetur Deus. Propter quod Isaias Propheta intulit dicens, *Et dixit, Audite ergo domus*, q.d. Rex nõ vult audire: audiatis domus Dauid. *Nunquid parum est vo. mo. esse ho.* id est, Prophetis quos sæpe molestabant, deridendo, affligendo, & occidendo:
*4. Reg. 2. Paralip.* vt patet 4. Reg & 2. lib. Paralip. in pluribus locis. *Quia molesti estis, & Deo meo*, scilicet signum ab eo oblatum renuendo, ne nomen eius glorificetur. *Propter hoc*, id est, ad declarationem nominis sui principaliter. *Dabit Dominus ipse vobis signum*, scilicet liberationis vestræ quanuis sitis ingrati, quia Deus multa bona facit inuitis, & in gratis:
*Matt. 5.* vt dicitur Matth. 5. Pater vester cælestis solem suum oriri facit super bonos & malos, &c. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Ly. Beata Virgo MARIA Prophetis denuntiata, quæ concepit, & peperit manens Virgo. *Et vocabitur nomen eius Emanuel*, quod est interpretatum nobiscum Deus. *Butyrum & mel comedet*. Lyra, Hoc dicitur ad notandum veram eius humanitatem: quia talibus nutritur homo maximè in pueritia. *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum, &c.* Nam ipsius Christi infantia non minuit eius sapientiam: nec plus sciuit adultus, quàm paruulus: sed plus ostendit sapientiam suam adultus, quàm paruulus. Expositionem vlteriorem eiusdem epistolæ, quære supra.

## QVÆSTIO IX.

SVper verbis Epistolæ in eodem quæ habentur Isaiæ septimo, scilicet, pariet Filium, oriturque de ipsa Virgine, Vtrùm Virgo MARIA sit Mater Christi. Arguitur quòd non: miraculosa generatio non sufficit ad rationem maternitatis, siue filiationis: nõ enim dicimus Euam filiam fuisse Adæ: sed Christus ex illibata Virgine miraculosè natus est. Igitur. In oppositum Lucæ secundo, Beata MARIA peperit Filium primogenitum, scilicet Christum. Igitur. Ad argumentum, dicitur quòd Christi conceptio fuit miraculosa ex parte operationis Spiritus sancti, fuit tamen naturalis ex parte Matris. Ad quæstionem respondendum est secundùm magistrum Nico. de Orbel. vbi supra: per vnam conclusionem, quæ talis est, Virgo MARIA fuit Mater Christi: patet conclusio, nam sancta Virgo ministrauit totam materiam: corpus enim Christi fuit formatum ex purissimis sanguinibus eius.

*Ecce Virgo, concipiet. Naturales Philosophi non possunt credere, nec admittere volunt istam, videlicet, quòd fœmina Virgo, id est, sine viri copula concipere, & Virgo parere possit. Tamen Doctores sacræ paginæ, istam conceptionem supernaturalem; opere Spiritus sancti factam, piè admittunt, & concedunt, quòd Beata Virgo, Dominum in suo sacratissimo vtero verbo concepit, ex purissimis guttis sui sanguinis, ex quibus virtute & opere Spiritus sancti formatum est sacratissimum corpus Iesu Christi nostri Saluatoris in instanti, & anima infusa cum diuinitate humanam naturam assumente: tamen in hac conceptione vna natura nõ est alteri commista: vt vlt. Magister, Sentent. lib. 3. distint. 2. 3. & 4.*

## ALIA POSTILLA.

IN *diebus illis, locutus est Dominus ad Achaz, &c.* Postquam Isa. in cap. præcedenti regni Iudæ denunciauit punitionem hìc denunciat eius liderationem, à persecutione duorum regum, vt tanquam bonus Samaritanus post vinum mortificatiuum, infundat, & oleum linitiuum. Sciendum tamen, quòd principalis intentio Prophetæ est denunciare Christi aduentum, qui interponitur, & continetur in præsenti lectione, quæ posita est in medio præsentis capituli. Vnde dicit Rabbi Salomon super 9. Zac. quã vniuersi prophetæ nõ sunt locuti: nisi super annos redẽptionis, & ad dies Messię: quod est intelligẽdũ de principali intẽto: & ideo ad

intelligendum præsentem lectionem, scien- A dum, quod totum istud 7. cap. in tres partes diuiditur. Quia primò per signum dictæ liberationis, denunciatur Christi incarnatio. Secundò, eius resurrectio, & præcipuè cap. seq. Tertiò verò eius ascensio, sed manifestiùs, & ampliori modo cap. 9. Vel potest sic diuidi præsens cap. quia primò ponitur regno Iudæ imminens periculum. Secùndò, promittitur liberationis beneficium. Tertiò datur huius liberationis signum. Sed præsens lectio solùm continet istam tertiam partem in qua de prædicti imminentis periculi (scilicet de euersione regni Iudæ.) Liberatione Propheta Regem Achaz certificat. Dicens: *Pete, &c.* liberationis tuæ, & populi tui, vt B prædixi *A Domino Deo tuo*, & non ab idolis, quæ colis. *In profundum inferni*, secundùm Rab. Salo. hic accipitur infernus pro fossa, siue sepulchro, id est, pete tibi signum per resurrectionem alicuius mortui. *Siue in excel. supra*, id est, in aere, vel in aliquo cœlorum, sicut factum fuit tempore Iosue, per stationé Solis, Ios. 10. *Et dixit Achaz, Non petam.* Eòquod, secundùm quod dicit Rab. Sal. cum Achaz esset idolatra pessimus, signũ renuit: nolens quod aliquid ad Dei gloriã monstraretur, ideo subditur. *Et non tenta. Dominũ*, fuit excusatio ficta, ad complendum malum suũ propter quod Isaias intulit, dicens. *Nũquid parũ est vobis, molestos esse hominibus*, id est, prophetis quos sæpe molestabant, deridendo, affligendo, & aliquando occidẽdo, vt patet 4. Reg. & Paralip. in pluribus locis, *Quia molesti, &c.* scilicet, signũ ab eo oblatũ renuendo, ne nomen eius glorificetur, *propter hoc*, id est, ad declarationem nominis sui principaliter. *Dabit Dominus, &c.* scilicet, liberationis vestræ consequenter: quãuis sitis ingrati, quia Deus multa bona facit etiã ingratis & inuitis. Vnde dicitur Mat. vlt. Pater vester cælestis solem suum facit oriri super bonos & malos. *Ecce Virgo, &c.* Hic consequenter ponitur signum: sed scriptura ab antiquo peruersa est, & adhuc multipliciter peruenitur à Iudæis, & maximè ista. Sed pro resolutione istius materiæ accipiendũ est illud quod dicitur Mat. 1. Hoc autem totũ factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetã dicentẽ, Ecce Virgo habebit in vtero, & pariet Filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Ex hoc patet, quòd ista scriptura Isa. loquitur de Domino Iesu Christo: vt Matt. Apost. & Euang. Spiritu sancto plenus magis, quàm fuerint Prophetæ veteris Test. dicat eam fuisse impletã in Natiuitate Christi. Et secundùm hoc sic exponitur à Doctoribus Catholicis, Ecce Virgo, &c. id est, B. Virgo MARIA à Prophetis denũciata fuit, quæ concepit & peperit manens Virgo. *Et voc. nomen eius Emma.* quia vocatus est Christus: quod nomen significat duplicẽ naturam in vno suppposito, diuinã, scilicet, & humanã: & hoc idẽ designat Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. *Butyr. & mel co* Hoc dicit ad denotandum veram eius humanitatem, quæ talibus alimentis nutritur, maximè in pueritia. *Vt sciat reprobare, &c.* Ly. Vt, non tenetur causatiuè, sed consequtiuè: quia ab infantia sua habuit plenitudinem scientiæ, ad reprobandum malum, & eligendum bonũ, loquendo de scientia humana. Et istam habuit ab instanti suę conceptionis, & non antè.

## QVÆTIO V.

SVper verbis lectionis eiusdem diei, quæ habentur Isa. 7. in quibus fit mentio de Aduentu Christi in carnem, cùm dicitur, Ecce Virgo: oritur, quę de incarnatione Filij Dei, Vtrùm pro redemptione generis humani necessarium fuerit Filium Dei incarnari. Arguitur quòd non: quicumque potest satisfacere pro maiori peccato, potest satisfacere pro minori. Sed mortale peccatum actuale, est maius originali: quia plus habet de voluntario: ergo cùm non posset satisfacere pro mortali peccato, multò fortiùs pro originali satisfacere potuerit, & sic non fuit necessarium Filium Dei incarnari. In oppo- C situm: illud per quod humanum genus liberatur à perditione, est necessarium ad humanam salutem: sed mysterium diuinæ incarnationis est huiusmodi. Igitur. Ad argum. dicitur, negando quòd actuale sit maius malum: quantùm ad satisfactionem, pro actuali sufficit actus cuiuscumque hominis cum gratia diuina, non autem ad satisfactionem pro peccato originali, nisi actio illius hominis plus valeret, quàm totum bonum humanæ naturæ, sic non possit esse homo, & sic oportuit esse Deum & hominem, qui pro originali satisfaceret. Ad quæst. respondendum est secundùm Thom. 3. part. q. 1. art. 2. quod ad finem aliquid dicitur esse D necessarium dupliciter. Vno modo simpliciter, sine quo finis habari non potest, sicut cibus est necessarius ad conseruationem humanæ vitæ, & sic dicitur, quòd pro redemptione generis humani Filij Dei incarnatio non fuit necessaria, quia Deus per suam virtutem potuit alijs modis redimere. Alio modo ex conditione, scilicet, quo meliùs ad finem peruenit, & sic fuit necessarium Filium Dei incarnari ex parte Patris, vt ostenderet suam potentiam: ex parte Filij, vt demonstraret suam sapientiam: Spirtus sancti, suam misericordiam.

*In vigilia Assumptiónis Beatæ MARIÆ Virginis Epistola.*

Lectio libri Ecclesiast. 23. cap.

*EGo quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & c. agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis. In me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes, qui cõcupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauũ. Memoria mea in generatione seculorum: Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabant. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

*Ego quasi vitis fructificaui. Sicut vitis flores & odores profert quem serpentes fugiunt: sic Virgo MARIA florem odorum, quem dæmones fugiunt fructificauit, id est, genuit, quod est Christus Saluator Dominus, Matt. 1. Iacob autẽ genuit Ioseph virum MARIÆ: de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

POSTILLA.

*EGo quasi vitis fructificaui suauitẽ odoris, &c.* Legitur hæc lectio pro Epistola sumpta de Eccl. 24. quæ principaliter exponitur de Christo Filio B. Virginis. Honor autem Filij est honor Matris: & econuerso, honor Matris est honor Filij. Vnde dicit B. Virgo, *Ego quasi vitis.* Hic comparat B. Virgo se viti. Primò propter vmbrã. Nam sicut vitis gratam vmbram facit: sic B. Virgo obrumbando nos protegit. Vnde Psalmo decimo-
*Psal. 16.* sexto, Sub vmbra alarum tuarũ protege nos. Secundò propter florem. Flos siquidem vitis odore serpentes fugat: sic nomẽ B. MARIÆ Virginis fugat dæmones. *Fructificaui suauitatem odoris*, quia sicut sine læsione vitis, de vite procedit odoris suauitas, & idẽ odor longè latèq; diffunditur, sic de Virgine MARIA sine læsione pudoris processit Filius, cuius potestas & bonitas replet orbem terrarum. *Et flores mei fructus honoris, & honestatis*, id est, abundantiæ, & opulentiæ. *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Hæc est charitas qua diligit Dominum: quam non maculauit aliquod peccati contagium. *Et timoris*, in timore signatur humilitas. Nam ex humilitate extimuit ad excellentiam salutationis Angelicæ. Vnde Angelus ad eam, Ne timeas, MARIA. *Et agnitionis.* In agnitione fides intelligitur: nam per fidẽ agnouit quod credidit. Vnde Elizabeth dixit ad eam, Beata, quæ credidisti, quoniã perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. *Et sanctæ spei, In me gratia omnis viæ, & veritatis*, ac si dicat, In me est ille per carnis assumptionẽ: à quo est vita, & veritas. *In me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me*, ac si dicat, Omnes, qui desideratis me habere fautricem, & adiutricem, transite ad me, id est, ad similitudinem, & conformitatem meam: vt sitis imitatores humilitatis meæ, castitatis, & paupertatis. *Et à generationibus meis implemini.* Hæc sunt illæ generationes, de quibus dicitur Cant. 4. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, &c. *Cant. 4.* Sequens clausula illius epistolæ exponitur de Filio Virginis MARIÆ. *Spiritus enim meus*, id est, Spiritus sanctus, qui cõmuniter procedit à Patre & Filio: & qui hìc datur in via per inspirationem gratiarum. *Super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauũ*, scilicet, incomparabiliter. *Memoria mea in generatione seculorum*: quia sapientia Dei homines & Angeli sine fine laudabunt. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt, adhuc sitient.* Edamus ergo Dei sapientiam, & bibamus, quia in ipsa plena est, & perfecta refectio. Siquidem in corporabilibus rebus appetitus placet, experientia displicet. sed spiritualis delectatio tantò plus à comedente esuritur, quantò plus ab esuriente comeditur. Æterna enim satietas auget desiderium. E contrariò, mundana refectio desiderium extinguit: & tædium facit. Vnde & de Angelis dictum est, Fruuntur nec fastidiunt, sed magis frui sitiunt. *Qui audit me*, obediendo mandatis meis. *Non confundetur*, sed æterna mercede coronabitur. *Et qui operantur in me*, id est, qui sic operantur, vt maneant in me, & ego in eis. *Non peccabunt*: qui enim manet in Deo, non peccat mortaliter. *Qui elucidant me*, scilicet, prædicando verbo & exemplo. *Vitam æternã habebunt.* Quia sicut dicitur Dan. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos: quasi *Dan. 12.* stellæ in perpetuas æternitates.

QVÆSTIO XIX.

SVper verbis Epistol. in vigil. Assump. B. MARIÆ Virginis, quæ habẽtur Eccl. 23 scilicet, *Ego Mater*: oritur quæstiõ de B. MARIA. Vtrum MARIA meruerit esse Mater Dei: ita quòd merito sit dicendũ de ipsa, Ego quasi vitis fructificaui suauitatẽ odoris? Arguitur quòd nõ: esse Mater Dei dicitur præmium infinitum, quod sub merito cadere nõ potest: præmiũ MARIÆ dicitur esse finitũ, quia est à suppositò finito. Igitur. In oppositũ Aug. in sermone dicit ad MARIAM: Meruisti benedicta præmiũ mũdi. Igitur. Ad q. respondendũ est secundùm Bõnauen. in 3. Sent. *Eccl. 23.*

distinct.

distint. 4. quod triplex est meritum. Primum dicitur meritum congrui, puta cùm peccator dicitur gratiam mereri, cùm ad eam se disponit: & sic Beata Virgo ante incarnationem meruit concipere Filium Dei: quoniam præ nimia sui puritate, humilitate, & benignitate idonea erat, vt eficeretur Mater Dei. Secundùm meritum dicitur meritum digni, quo vir iustus orans pro alio meretur exaudiri: & hoc etiam merito meruit Beata Virgo concipere Christum post Angelicam salutationem: tunc enim spiritus super eam copiosissimè descendit. Tertium dicitur meritum condigni, quo quis tanta charitate meretur tantam gratiam: & hoc merito non potuit Virgo mereri concipere Filium Dei: hoc enim excedit omne meritum, & est supra statum, qui competit creaturæ: & hoc quia Virgo MARIA fuit Mater Dei, fuit ex liberalitate Dei. Ex dictis patet solutio argumentorum tam ad partem negatiuam, quàm affirmatiuam.

*Infesto Assumptionis Virginis MARIÆ,*
Ecclesiastici 24. cap.

IN *Omnibus requiem quæsibi, & in hæreditate Domini morabor: tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo: & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & electis meis mitte radices. Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam: & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis. Sicut cynamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.*

*Qui creauit sancta, & immensa Trinitas, die qualibet sine sui passione agit. Et res visibiles, ac animas cum natura creat. Pater creat per omnipotentiam. Filius per sapientiam. Spiritus sanctus per bonitatem: vnde Virgo MARIA per Ecclesiasticũ dicit. Qui creauit me, scilicet, Deus Pater potentem, Spiritus sanctus bonam, & Filius sapientem, quàm requieuit in tabernaculo meo, in vtero virginali, dicit mihi in Israel hæreditare: vnde in summa laude Virginis dicit Prob. 31. cap.*

A *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

POSTILLA.

IN *omnibus requiem quæsiui: & in hæreditate Domini morabor, &c.* Hodie B. Virgo cœlos ascendens requiem quam quæsiuit, inuenit. Hodie super omnes Angelorũ choros fideliter exaltata pacẽ, & requiem quæsiuit, & quod quæsiuit, inuenit; ergo dicit. *In omnibus requiem quæsiui*, ac si dicat: Inter omnia & omni desyderio, & opere quæsiui requiem, & pacem, scilicet tẽporis, & pectoris, & æternitatis. Et datũ est mihi quòd. *In hæreditate Domini morabor*, vbi summa pax est, & requies. Et quia mentis desyderio hæc
B quæsiui. *Tunc*, tempore à Deo Patre præfinito ipse Pater omnipotens. *Præcepit* Gabrieli, & per Gabrielem. *Dixit mihi creator omnium*, salutationem Angelicã. Cuius effectus subditur, *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Creator huius Virginis Deus est: qui requieuit in vtero eius nouem mensibus, & sex diebus: in quo vtero sicut miles in tabernaculo armaturam nostræ humanitatis accepit · contra diabolũ pugnaturus. *Et dixit mihi*, id est, verbo spirituali impressit mihi duplicem actiuæ, scilicet & contemplatiuæ vitæ conseruationem: quod apparet, cũ
C dicitur: *In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices*, ac si diceret, Vtriusq; vitæ exemplum electis meis, & prædestinatis meis tribuo: exemplũ enim comparatur radici: nam sicut ex radice procedit virga, & de virga fructus: sic de exẽplo concipitur affectio, & ex affectione procedit opus, id est, *Et sic in Sion firmata sum*, id est, in vita speculatiua, *Et in ciuitate sanctificata*, id est, in vita actiua, *Similiter requieui*, pace pectoris. *Et in Ierusalem potestas mea*, id est, in visione pacis. Notandum quòd hìc per ciuitatem intelligitur vita actiua: quæ in communi hominum habitatione geritur: per Sion, & Ierusalẽ contemplatiua demonstratur. *Et radicaui*, id est, radices misi. *In populo honorificato*, & *in parte*
D *Dei mei hæreditas illius*, id est, per fructum de radicibus istis procedentẽ erit hæreditas illius populi. *Et in plenitudine sanctorũ detentio mea*, id est, mora, & perseuerantia mea erit in plenitudine sanctorum. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion*, in Libano qui interpretatur candor, significatur candor virginitatis. Libanus etiã est arbor thuris: de qua procedit thus, quod crematur in sacrificio in suauitatem odoris, & talis arbor B. Virgo est: cuius Filius quasi thus in igne passionis crematus est: in huius hostiæ fragrantia delectatus est Deus omnipotens. Itẽ cedrus odore serpẽtes fugat: bene ergo cõuenit Matri Christi, quia odore nominis sui dæmones expellit. Cypressus

est

est arbor in medendis apta corporibus. Sion interpretatur speculum: speculum bonũ reddit imaginem suam; deformatus enim erat homo per peccatũ, sed per beatam Virginẽ, quæ fons est gratiæ redditur imago homini, quam ipsa impetrat peccatori à Filio suo Iesu Christo *Quasi palma exal. sum in Ca. & quasi plantatio rosæ in Ieri.* Palma in folijs angusta dilatando ascendit ad superiora. Cades interpretatur translatio. Vnde Beatæ Virginis translatio est eius assumptio: sicut hodierna die exaltata est, sicut palma: sicut Salomon dicit Cant. 6. Quę est ista quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? hæc enim in vtero sanctificata in natiuitate sua claruit, vt aurora, in conceptione Filij per gratiam confirmata claruit vt luna, hodie assumpta in cœlum clarescit vt sol. Iericho interpretatur luna: & in rosa signatur martyrium. Rosa igitur in luna est martyrium mentis in carne lucida. Vnde Simeon senex dixit ad Beatam Virginem, Tuam ipsius animam pertransibit gradius doloris: passa est igitur Beata Virgo martyrium in anima. *Quasi oliua spe. in campis.* Idest, fons misericordiæ illis peccatoribus, qui ambulabãt in campo, id est, in lata via, quæ ducit ad vitam. *Et quasi pla. exal. sum iuxta aquas in pla.* plantanus latis folijs vmbram faciens referi gerat exterius & interius: homo autẽ æstuat dupliciter, exterius in tribulationibus, interius in tentationibus. Vt ergo in Virgine plenè ostendatur refrigerium, dicitur plantanus iuxta aquas in plateis: quia contra æstum interioris tentationis incentiuæ præstat remedium. *Sicut cyna. & bal. aro. &c.*

Cant. 6.

A Cynamomum quanto gracilius, tanto melius, & odorantius: sic Beata Virgo gracilis, & extennata per abstinentiam, & acceptior Deo, & mundo odoratione fuit. Similiter in balsamo designatur opinio sanctitatis. *Quasi myr. ele. dedi sua. odo.* Illa myrrha est electa, quæ manat ab arbore misericordiæ vulnerata: illa autem misericordia est speciosa, quæ de arboribus & vulnere manat, per myrrhã significatur amara mortificatio, quæ si ex anima peccatoris vulnerata manat, vulnere peccati Deo oblata fuerit, gratior erit, minus est pretiosa: si autem absque Deo, & odore suauior.

B

## QVÆSTIO XX.

SVper verbis epist. in festo Assum. Virg. MARIÆ, quę habẽtur Eccles. xxiiij. scilicet, in populo honorificato. Oritur quęst. Vtrũ Virgo MARIA sit adorãda adoratione latriæ? Arguitur quòd sic, ait Dama. de Imaginibus, Honor qui est ad matrem, ad Deũ reducitur, qui ex ea est in carnatus: igitur. In oppositũ: Virgo MARIA est creatura purè rationalis: igitur. Ad argumẽtũ dicitur, quòd honor referri potest ad aliquem dupliciter: vno modo tãquam ad obiectum, alio modo quantùm ad finem: honor ergo

C qui matri exhibetur, refertur ad Christum, tanquam ad finem: honor verò quo adoramus, refertur ad Christum tanquam ad obiectum. Ad quæstionem respondendum est secundùm Bonauent. 3. sent. dist. 9. cùm Virgo MARIA sit pura creatura ad cultum latriæ non ascendit: quia talis cultus soli Deo debetur: sed propter eius dignitatem adoratur adoratione hyperdulię.

# D. ALANVS INSVLENSIS.

## NOTA.

*ALanus de Insulis, natione Teutonicus, siue Gallo Flandre (Insula enim ciuitas est in Belgio, si Possevino credendum) vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris nulli suo tempore secundus, Theologus, Philosophus, & Poeta celeberrimus, qui Ecclesiasticæ Scholæ Parisijs multo tempore gloriosè præfuit; vbi in omni scientia diuina, & humana clarus effulgens, Doctor vniuersalis meruit appellari: ex Monacho Clareuallensi, anno MCXXXIX. à S. Bernardo constitutus est primus Abbas Ripatorij in Diœcesi Trecensi. Exinde ob pietatẽ, & eruditionem anno à virgineo partu MCLI. creatus est Episcopus Antisiodorensis, sed veteris solitudinis desiderio tactus anno MCLXVII. permittente Alexan-*

dro Romano Pontifice ad claram vallẽ redijt, & ibidem sub anno MCLXXXII. obijt. Hæc sunt quæ de vita nostri Alani reperire potui in Tritemio Myræo, & alijs. Elaborauit prosa, & metro penè infinita Opuscula, quibus memoria nominis sui apud posteritatem immortalis facta est, quæ inueniet Lector apud supra enumeratos Authores. Inter illa scripsit libellum, cuius hæc est in prima pagella subscriptio: Alani de Insulis Doctoris celeberrimi cognomento Vniuersalis compendiosa in Cantica Canticorum ad laudem Deiparæ Virginis MARIAE elucidatio; deinde habet hoc Distichon.

Hunc tibi nunc primùm Lector, depromit Alanum.
Vitorina suo Bibliotheca sinu.

Exornaturque illo Ecclesiastici 24. promisso, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Parisijs ex Officina Iacobi Keruer, sub duobus Gallis, via ad Diuum Iacobum anno M.CCCCCXII. in 12. typis mandatum, & in altera pagella extat imago Alani prostrati coram sanctissimæ MARIÆ imagine, cùm hac ex ore prodeunte inscriptione: Salue Mater pietatis. Libellus hic adhuc rarò inueniebatur multis ab hinc annis, vt R. P. Martinus Delrio Antuerpiensis, & Societatis Iesu in suis Commentarijs in Cantica elaboratis anno 1606. folio mihi 26. Isagoge loquens de illo dicat: Alanus de Insulis, qui obijt anno 1294. editus est Parisijs anno 1540. quem diligentia, & beneficio Andreæ Scoti hominis pij, & eruditi, sum nactus, diu quæsitum. Hoc ipsum, & mihi contigit; nam summa cura, & diligentia incomparabili quæsitum, tandem à R. P. Didaco Niseno Basilij Magni magno filio, & huius ætatis Concionatorum Patre, & Magistro sum beneficio nactus. Ne igitur tertiò literati in Alano quærendo iterum laborent, vel hactenus semiuiuus relictus penitus intereat, curam illius vitæ habeo, æternitatique in hac nostra Bibliotheca consecro. Deuotissimus extitit Virginis MARIÆ noster Alanus, vt præter dicta indicant poemata, quæ in Anticlaudiano suo Basileæ impresso apud Henricum Petrum anno 1536 libro 5. in eius laudem cecinit.

Aduertat tamen diligenter Lector, quòd est alius Alanus cognomento de Rupe ex Prædicatorum familia, de quo etiam dicunt sui, & alij scripsisse, & explicasse Cantica Canticorum de Christo Domino, & Virgine MARIA. Sed meo iudicio omnes æquiuocationem passi sunt, & præsens opus Alani de Insulis, tribuunt Alano de Rupe, Halucinationem, & non extare Alanum de Rupe in Cantica his rationibus mihi persuadeo, 1. quia Tritemius Alani de Rupe fere comtemporaneus cùm alia retulisset, hoc Opusculũ non recenset, 2. Quia Psalterium Marianum, & de miraculis Rosarij Virginis Alani de Rupe nouissimè typis mandauit R. P. F. Ioannes Andræas Coppenstein eiusdẽ familiæ, & si extaret opus in Cantica de Deipara explicata, nullo modo prætermisisset, 3. Quia cum R. P. Martinus del Rio summa diligentia, & studio omnes Scriptores in Cantica adunasset, & eorum Cathalogum rescribat ioco supra citato Alanum de Rupe, nec vidit, nec nominat, 4. Quia nullibi hucusque ne minimum quidem verbum de hoc Alani de Rupe Commentario citatum reperio in Marialibus, vel Virginis laudibus, 5. Quia cùm Alani de Rupe opera viderim, & legerim, de hac expositione nihil inuenio, 6. quia nulus suæ Religionis literatus (cõsuli in hac parte quàm plurimos) de hoc Opusculo, vel minimam habet notitiã, 7. quia faci-

*facilis fuit æquiuocatio, non solũ in nomine, vt de se patet, sed etiã in cognomine, cùm indicarent Insulam, idem esse quod Rupem. Quod me mouit, vt ne de cætero in hoc MARIÆ Mari Magno, in Insula, siue in Rupe sit qui sistat, meque accuset, in Elencho, seu Indice Alanum scripserim de Insulis, siue de Rupe.*

# ALANI DE INSVLIS DOCTORIS

celeberrimi cognomento vniuersalis compendiosa in Cantica Canticorum, ad laudem Deiparę Virginis MARIÆ elucidatio.

*Hunc tibi primum Lector depromit Alanũ. Victorina suo Bibliotheca sinu.*

*Qui elucidant me vitam æternam habebũt.* Eccles. 24.

## PROLOGVS.

CVm multi ad ordanandum tabernaculũ Dei offerant aurum, argentum, lapides præciosos, bissum, coccũ, bis tinctũ, purpuram, ego aliorum more pilos caprarũ offero. Et cum diuites de abundantia sua in Gazophylatium domini thesauros mittant, ego cum paupercula muliere duo minuta mitto. Et cùm multi Salomonis sapientiam, Tullianam elloquentiam, ad laudem Virginis Matris effundunt, quæ est tabernaculum Dei, cælestis Regis palatium, virtutum Gazophylatium, qui etiam virtutibus præditi, castitate mundi, charitate accensi, ego pauper scientia, deiectus vita, nullus in gratia, asperitate peccati hispidus, qualemcumque laudem in honorem Virginis propono. Quia ex lapide scintilla excuti, & cum calamo fragili mel solet reperiri. Sicut linguæ hominũ & Angelorum laudem Virginis pręconantur; ita ex omni creatura significante laus eiusdem elicitur, & in omni scriptura Matris dignitas prędicatur. Vnde cùm canticũ amoris scilicet epithalamum Salomonis specialiter & spiritualiter ad Ecclesiam referatur, tamẽ specialissimè, & spiritualissimè ad gloriosam Virginẽ reducitur, quod diuino nutu (prout poterimus) explicabimus. Gloriosa igitur Virgo Sponsi optans præsentiam, desiderans gloriosam Conceptionem ab Angelo nunciatam, affectans diuinam incarnationem, ait sic.

*Exod.* 35

*Mar.* 12.

## CAPITVLVM I.

*OSculetur me osculo oris sui.* Hoc est quod alibi dicitur. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Audierat ergo cælestem paranymphum ad se missum Gabrielem Archangelum, qui speciali, & inaudita salutatione honorans Virginem, speciali, & spirituali benedictione refertam ait. Aue MARIA, gratia plena Dominus tecum. Quæ cùm audisset de se Filium Dei nasciturum non tumida de nuntio, non eleuata de verbo, non superba de filio, sed in omnibus, & per omnia se humilians Deo, nõ diffidens de oraculo ait. Ecce ancilla Domini. Quasi dicat, fiat mihi secundum verbum tuum, id est ad verbum tuum concipiam Dei verbum. Et hoc est quod hic dicitur. Osculetur me osculo oris sui. Os patris dicitur filius multiplici de causa, Sicut enim aliquis alicui loquitur ore proprio, sic Pater per Filium loquutus est mundo. Os est eiusdem naturæ cum reliquo corpore, ita Filius est eiusdem naturæ cum Patre. Et sicut ore propinatur osculum, ita Pater per Filium fideli animæ propinat gratiæ ferculum. Petit ergo Virgo triplex osculum. Vnum osculum est incarnatio. Sicut enim in vno osculo duo labia vniuntur, sic per incarnationem diuina natura humanæ vnitur. Aliud osculum est Spiritus sancti quo Patrem, osculatur Filius, quo Pater Filium diligit, qui Patrem & Filium vnit: qui est amborum amor nexus, & osculum. Tertium osculum, est præsentia doctrinæ Christi, vt os Christus non intelligatur: sed per os Christi doctrina figuretur: & per oris osculum doctrinæ præsentia. Petit ergo, vt in se celebretur incarnatio, & vt Spiritus sanctus superueniat: & virtutis altissimi obumbratio & doctrinę Christi adsit prę sentia. Hæc sunt oscula, quibus Pater osculatur Filium, aut sponsus sponsam, aut Dominus ancillam, Matrem Filius, nutricem alumnus. Christus autem reddens vice desiderij laudem, respondet ad desiderium Virginis.

*Luc.* 1.

*Ibidem.*

*Quia meliora sunt vberatua vino.* Quasi dicat. Tu desideras mea oscula, & ego tua vbera, quia meliora sunt vbera tua vino. Ad literam possum hæc referre ad naturalia vbera Virginis, de quibus dicitur in Euangelio. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Quæ delectabiliora, quæ meliora, quàm illa vbera, quæ propinauerunt lac Christo non ex libidinis fœditate, sed virginitatis fœcunditate? Talia optabat Christus vbera, A tali vbere lac sugere, quod non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antidotum. Hæc vbera dulciora fuerunt Christo omni vino, id est, omni delectabili potu. Quia vinum est priuilegiatus potus: per ipsum intelligitur delectabile poculum.

*Luc.* 11.

*Fragrantia vnguentis optimis.* Id est, opti-

optimorum vnguentorum flagrantiæ comparabilia: Quia quod faciunt vnguenta odore, hoc faciunt vbera virginitatis integritate. Quia sicut illa sui flagrantia attrahunt, sic & ista redolentia Christum alliciunt. Possunt etiam prædicta mysticè intelligi: vt sic de Christo fiat sermo in persona capitis cum dicitur. Osculetur me osculo oris sui, consequenter intelligatur loqui in persona corporis, id est, populi fidelis. Quia sicut Virgo fuit Mater Christi per Conceptionem, ita fidelium per doctrinam, & exemplarem instructionem. Fuerunt autem in Virgine duo exémplaria bene viuendi, Castitas, & humilitas, quas nobis in exemplum proposuit. Quibus quasi quibusdam vberibus fidelem populum, tanquam mater filium lactauit. Hæc autem fidelibus sunt dulciora vino, ideſt, carnalibus delectationibus, quia humilitatis, & castitatis exempla dulcius sapiunt palato mentis, quam aliqua delectabilia palato ventris. Vel sic intelligi potest, quod dicitur. Meliora sunt vbera tua vino. Vbera coniugum sunt lapsus carnis, concupiscentiæ discursus, quibus propinatur lac infirmitatis, quibus lactantur pueri, vel reficiuntur infirmi. Vbera viduarum sunt austeritas continẽtiæ, refrenatio libidinis expertæ. Hæc vbera non propinant mel dulcedinis, sed vinum austeritatis. Vbera Virginis sunt virginitas mentis, integritas carnis. Hæc propinant vinum æternæ delectationis, & mel iocundæ quietis. Hæc vbera superant omne vinum, ideſt, viduarum, & coniugum statum. Flagrantia vnguentis optimis, quia ineffabilis Virginis humilitas eiusque defecata virginitas aliorum spiritualium donorum comitatiua fulgent. Vnde & sequitur.

*Oleum effusum nomen tuum.* Quia propter priuilegiata Spiritus Sancti dona, quæ resultant in Virgine gloriosa, nominis eius fama, & gloria per vniuersum orbem est dilatata. Cuius enim nomen preconatur mundus, nisi Virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis matris? Cuius humilitas nobis proponitur in exemplum, nisi Virginis MARIÆ? Cuius virginitas nobis datur in speculum, nisi genitricis incorruptæ? Et eleganter fama, & gloria nominis eius, oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduersitatibus fessi, eius patientia recreamur: vitæ eius forma illustramur. Nominis fama diffunditur, & non solũ oleo, sed & oleo effuso nomẽ eius cõparatur. Quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quãtomagis nomẽ Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur. Vnde sequitur.

*Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Quia quanto magis forma eius declaratur, tantomagis aliæ Virgines ad illius imitationem, & dilectionem inuitantur. Et eleganter respectu Virginis matris aliquæ virgines adolescentulæ dicuntur, quia hæc mater, hæc filiæ, hæc regina, hæc famulæ, hæc matrona, hæc adolescentulæ, hæc magistra, hæc discipulæ.

*Trahe me post te.* Hæc sunt verba cælestis sponsi consortium postulantis, verba matris ad præsentiam filij suspirantis. Quasi diceret. Postulaui tuam præsentiam, potita sum præsentia, postulaui doctrinam tui, sum doctrina consolata, sed ascendisti in cælum ascensione miraculosa, & ideo dolens de tui absentia plena mundanæ calamitatis præsentia ad te clamo. Trahe me post te. Eleganter autem ait, trahe. Non est enim humanæ naturæ, vt ex sese ascendat in cælum, nisi hoc ei diuina gratia cõferat per miraculum. Et nota, quòd Virgo gloriosa, sicut desiderauit Christi aduentum in carnem, ita omnibus votis optauit venire ad ipsum post ascensionem: vt sicut cum filio fuerat peregrinata in terris, ita cum eodem regnaret in cælis. Sicut enim dolor pertransijt MARIÆ animam in passione, cum filius moreretur, ita in ascensione cum à filio separaretur. Et ideo optans filij præsentiam ait. Trahe me post te. Et benè ait post te, quia post filium ascendit Virgo, & filij subsidio. Et interim antequam trahar, vt trahar, vt trahi merear.

*Curremus in odore vnguẽtorum tuorum.* Ideſt, ego & adolescentulæ tractæ odore vnguentorum tuorum, ideſt, imbutæ flagrantia spiritualium donorum, quibus nos spiritualiter vngis, quæ dicuntur tua, quia à te specialiter data. Curremus non stabimus delectatione in via mundi, sub vmbra sæculi, aut phantasia terrestris oblectamenti, sed curremus benè operando, de virtute in virtutem ascendendo. Curremus per stadium, vt perueniamus ad brauium.

*Introduxit me in cellaria sua.* Postquam Rex regum, & Dominus dominantium introduxit se in cellam virginalis vteri, consequenter post ascensionem introduxit virginem in cellam paradysi. Eleganter autem nomine cellæ, vel cellarij significatur proprietas cæli, quia (vt præmittamus allusionem vocabuli) sicut in cellario reponuntur vina, quia hominem satiant inebriant, à curis sæcularibus alienant: sic cælestis beatitudo beatos ita inebriat, quod solitarios reddit, & omnino ab amore terrenorum secludit, vnde in Psalmo legitur. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Et sicut aliquis existens in cella, vt solitarius Eremita secluſus est à strepitu sæculi, ita aliquis existens in cælo à tumultu mundi. *Psal. 35.*

di. Vel per cellaria intelligitur repositio thesaurorum sapientiæ, & scientiæ Dei. Sicut enim in cellario reponuntur seruanda, sic apud glorioſam Virginem (tanquam ſpirituale cellarium) ſunt ſecreta ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Audientes autem adoleſcentulæ, ideſt, aliæ virgines commendationẽ Virginis glorioſæ ab vberibus Virginis ſumptam congratulantes Virgini dicunt.

*Exultabimus, & lætabimur in te: memores vberum tuorum ſuper vinum.* Exultabimus mentis deuotione, lætabimur corporali applauſione. In te, ideſt, in tui laude, & imitatione, memores vberum tuorum, ideſt, ad memoriam reducentes vbera tua, humilitatem, ſcilicet, & virginitatem, quibus adoleſcentulas lactas ad imitandum: ſuper vinum, ideſt, ſuper terrenam delectationem in hoc inuitantes iuſtos, qui te imitantur, & diligunt. Et hoc eſt, quod ſequitur.

*Recti diligunt te.* Illi recti dicuntur, qui directè per viam regiam incedunt, non declinantes ad dexteram illecti proſperitate, nec ad ſiniſtram fracti aduerſitate, qui non incuruantur ad mundana amore terreſtrium, ſed diriguntur ad cæleſtia amore cæleſtium, qui non diligunt Deum propter mundum, ſed propter ipſum Deum. Vel recti dicuntur, qui altero pede non claudicant. Ille altero pede claudicat, qui vtranque virginitatem nõ ſeruat corporis, ſcilicet, & mentis. Hic non ſequitur agnum quocunque ierit, nec matrem agni. Illi verò, qui vtroque pede recti incedunt verè vberum Virginis memores ſunt, & eam rectè diligunt. Illi etiam ſpecialiter recti ſunt, qui duo vbera Virginis diligendo, & imitando ſugunt, ideſt, humilitatem, & virginitatem, & ſic eorum vberum ſpecialiter memores ſunt. Ita introductus eſt Chriſtus in cellam materni vteri per conceptionem, ſed illa denigrata, & obfuſcata viſa eſt per concupiſcentiam, quantum ad hominum opinionem. Et hoc eſt, quod dicit.

*Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem quaſi tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Nigra ſum, ideſt, grauida, & ita videor virginitate non eſſe integra, ſed tamen ſum formoſa: quia Virgo mentis, & corporis integritate. Vnde dirigens ſermonem ad reliquas Iudææ virgines, ait. Filiæ Ieruſalem quaſi nigra videor humana opinione, ſed tamen formoſa ſum, ideſt, Virgo rei veritate. Nigra inquam, ſicut tabernacula Cedar. Per tabernacula Cedar, ſignificatur impetus tribulationum, cui expoſita fuit Virgo glorioſa. Non tantum in ſe: ſed & in filij anguſtia. Filij enim tribulationes vocabat ſuas, & eiuſdem aduerſitates à ſe non faciebat alienas. *Lucæ 2.* Vnde ad ipſam dictum eſt. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Eleganter autem per tentoria Cedar tribulationes figurantur. De Cedar enim legitur, quod ſemper in tabernaculis habitabat, vnde & tabernacula eius varijs turbinibus, & procellis ventorum, & imbrium erant expoſita. Vnde elegãter per tentoria Cedar Virgo figuratur, quæ in ſe, & in filio tribulationibus expoſita fuiſſe legitur. Sed formoſa ſicut pelles Salomonis. Pelles Salomonis erant, de corijs mortuorum animalium picturatæ varietate colorum. Eleganter ergo Virgo comparatur pellibus Salomonis propter mortificationem carnis, propter varietatem virtutis, cuius carne veſtitus eſt verus Pacificus, ideſt, IESVS Chriſtus. Et quia Ioſeph maritus Virginis videns virginem grauidam obſtupuit, & quomodo grauidatio illa facta fuerit ignorauit, poteſt introduci loquens ad ſponſum in hunc modum.

*Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim: quia decolorauit me ſol.* Nolite conſiderare, quòd fuſca ſim, ideſt, quod fuſca propter grauidationem videor: quia non vir, ſed ſol iuſtitiæ decolorauit me, ideſt, valdè colorauit. Non colore mali, ſed colore mentali. Quia ita me gratia Spiritus Sancti grauidauit, *Matt. 1.* quod virginitatem non abſtulit, vel ita grauidam me fecit, quod me decolorauit, ideſt, extra colorum proprietatem, ſcilicet, & naturam aliarum grauidarum me conſtituit. Et verè nigra per tribulationes, quia.

*Filij matris meæ pugnauerunt contra me: poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Filij matris meæ, ideſt, Iudæi filij ſynagogæ, pugnauerunt contra me in filio meo quaſi contra me alteram, dum filium meum perſecuti ſunt, vſque ad mortem. Et ſic poſuerunt me cuſtodem in vineis.

*Vineam meam non cuſtodiui.* Quia Virgo, quæ priùs fuit forma ſynagogæ ad behè credendum, & viuendum, poſtquam illa incredula facta eſt, Virgo deſijt eſſe, eius cuſtodia, ad gentes tranſiens, eos exemplo inſtruens, & protectione minuens. Et ſic diuerſarum vinearum, ideſt, Eccleſiarum ex gentibus facta eſt cuſtodia, relicta propria vinea, ideſt, ſynagoga. Quia ſciendum eſt, quòd quicquid in hoc Cantico de Beata MARIA dicitur, ad corporales, vel ſpirituales eius actus refertur: vnde ſequitur.

*Indica mihi quem diligit anima mea.* Hoc refertur ad tempus paſſionis, & ſunt verba Virginis ad Chriſtum, cum paſſionis tempore diſcipuli defecerunt à fide, virgine à ſtatu fidei non deficiente. Dubitauit illa in quibus tunc per fidem requieſceret, quos ſibi ſpiritualiter incorporaret. Legitur enim ſolum latronem, tunc manducaſſe, ideſt, incorporaſſe. Et ideo introducitur quærens in hũc modum. Indica mihi quem diligit anima mea, quia video contribules tuos in te deſæuientes, video Apoſtolos fugientes, & ideo

neſcio

nescio in quibus per fidem habites. Ideoquè A indica mihi quem diligit anima mea, idest, demonstra mihi in quibus sciam te habitare per fidem. Expressiùs autem ait, quem diligit anima mea, quam si dixisset te: vt exprimatur amor ineffabilis matris ad filium, quę illum in passionis articulo non reliquit, cùm in Apostolis ardor charitatis defecerit. Ipsa enim Christum toto corde dilexit, quæ carnem Christi sic nutriuit, & fouit, vt ob amorem carnis eius ab amore carnis suæ suspensa, necessitatibus nascentis, lactantis, vagientis, crescentis, omnes cordis affectiones effunderet. Tota etiam anima Christum dilexit, quia tantus vigor Spiritus Sancti eam adinuit: vt ad quælibet salubria, & sanctissima eam confortando in amorem Christi accenderet. Tota denique, & tanta virtute Christum dilexit, vt ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem eius tanta vis amoris occupauerat: vt fugientibus discipulis oblita sexus fragilis, ipsa cum lachrymis astans cruci, & condolens morienti, animam suam pro filio suo, etsi minimè posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo.

*Vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Indica ergo mihi vbi, idest, in cuius mente te pascas per fidem, vbi cubes in cuius animo requiescas per charitatem, qui exterius laboras per passionem. Et hoc in meridie, idest, in passionis tempore. Eleganter per meridiem tẽpus passionis designatur, quia (vt iuxta Ioannem) hora sexta crucifixus est Christus. Et sicut in meridie solis feruor ascendit, sic tempore passionis Christi feruor tribulationis Christum incendit. Hoc inquam peto. *Ioan. 19.*

*Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Per sodales Christi discipuli figurantur, qui percusso pastore, tanquam oues gregis vagabantur. Tunc cum discipulis Virgo fluctuaret, si in ambiguitate maneret, si fidem omnino defecisse crederet. Ad hoc respondens Christus introducitur in hunc modum.

* *pulcherrima* *Si ignoras te, ò pulchra * inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Quæ pulchra inter mulieres nisi Virgo mater, quæ præ cæteris priuilegiata est donis spiritualibus, mater est Dei, sacrarium Spiritus Sancti, sigillum virginitatis, speculum humilitatis? Ad hanc ergo dicit Christus. Si ignoras te, quasi dicat quandiù me diligis te cognosces, & in te me requiescere per amorem scies. Si autem te matrem Dei esse ignorares, & me tanquam mater filium non diligeres, à me per ignorantiam, & infidelitatem exires, & post vestigia gregum abires, idest, Apostolis infidelibus per ignorantiam, & infidelitatem similis fieres. Et quæ modo alijs es forma per fidem, Apostolos (ratione incredulitatis hœdis comparabiles) exemplo infidelitatis deformares. Et hoc est, quod ait, Egredere, & abi post vestigia gregum. B C D

*Et pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Dicuntur hœdi Ecclesię Dei, quos regunt Ecclesiastici pastores. Apostoli verò, qui in fide defecerant iam in Ecclesia, vel de Ecclesia non erant, sed quasi iuxta Ecclesiam per infidelitatem errabant tamen prædestinati erant. Si inquam te ignorares hæc fierent, sed non ignoras imò in te sedeo per fidem, quiesco per charitatem. Et ideò.

*Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Quis est equitatus Dei, nisi Ecclesia, quæ frenũ disciplinæ eius accipit, & iugum portat suauitatis eius, & quæ spiritu Dei agnoscitur, & in hoc est ei salus. Vnde legitur. Equitatus tuus salus. Et hoc est, Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te. Per contrarium. Currus Pharaonis dicuntur illi, qui sub spirituali Pharaone, idest, sub diabolo positi sunt, & quadrigæ eius, quas ipse agit, & ducit ad persequendum populum Dei, & ad opprimendum Israel. Qui se conuertunt ad fidem fiunt equitatus Dei, curuãtes dorsum suum, idest, arbitrij libertatem, vt suscipiant super se Christum sessorem, & frena eius patiantur, vt quocunque voluerit flectat eos. Et est sensus. Amica mea, idest, Virgo MARIA dilecta mea, sponsa mea, singularis, & vnica assimilaui te, idest, similem feci equitatui meo, idest, Ecclesiæ meæ, quæ prius fuit in curribus Pharaonis dum subiecta erat spiritualibus nequitijs. Virgo enim MARIA similis est Ecclesiæ Dei in pluribus. Sicut enim Ecclesia Dei mater est Christi in membris per gratiam, sic Virgo mater est Christi capitis per humanam naturam. Et sicut Ecclesia est sine macula, & ruga, ita & Virgo gloriosa. Et sicut Ecclesia in diuersis personis habet vniuersitatem donorum, sic Virgo MARIA in se vniuersitatem charismatũ. Quia Christus videbatur Virgini protestari, quod nisi cognosceret seipsam, exitura esset in vestigijs gregum, vt pasceret non oues, sed hœdos. Quasi erubuerit Virgo super austeritatem admonitionis, & purpura verecundiæ in vultu diffusa speciosas fecerit genas, ait sponsus. *Abac. 3.*

*Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Turturum fertur natura huiusmodi esse: vt neque masculus præter fœminam ad coitum, neque femella amplius, quàm vnum patiatur marem, ita vt si accidat altero interempto, siue intercepto superesse alterum, pariter cum coniuge, extinctus sit ei concubitus amor. Conuenienter ergo similitudo turturis aptatur Virgini MARIÆ, quod alterius viri, quàm Christi coniugium nesciat, vel quod continentiæ, & pudicitiæ in ea, tanquã tur-

turturum volitet multitudo. Genæ autem vultus dicuntur, in quibus honestas, & verecundia cognoscitur. Eleganter autem genæ eius turturibus comparantur, quia in huiusmodi auibus, & honestas vultus, & simplicitas denotatur. Secundum hanc intelligentiam, & ceruix Virginis accipitur, vel collum cum sequitur.

*Collum tuum sicut monilia.* Et nota, quòd ipsi ornamento, quod ceruicibus, & collo imponi solet, ceruicem eius comparauit: quod sic intelligendum est. Per collum, quod inclinare solemus in obedientiæ signum, significatur obedientia, & subiectio, quã Christo exhibuit, pro eo quod quasi iugum Christi accepit, & fidei eius obedientiam præbuit. Ornamentum ergo ceruicis, quæ est
*Phil. 2.* obedientia, Christus est. Ipse enim prior factus est obediens, vsque ad mortem. Exornatio ergo, & monile ceruicis eius, ideſt, obedientiæ Virginis, obediẽtia Christi est. Sed & ceruix eius, ideſt, obedientia similis effecta est obedientiæ Christi, quæ est monile Christi. Magna ergo in hoc laus MARIÆ, magna eius gloria, quod imitatio eius gloriæ exequatur obediẽtiæ Christi, quam imitatur illa. Audientes amici sponsi cælestes paranymphi tantam Virgini à Deo collatam gratiam, volunt, & ei sua conferre munera: vnde sequitur vox amicorum.

*Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Murenula est piscis in aqua latens valdè lubricus, & labilis. Per murenulas ergo intelliguntur diuinæ sapientiæ, quæ latent in profundo sacræ Scripturæ labiles, & lubricæ, quia de facili à memoria, & intellectu labuntur humano. Hæ sunt aureæ propter scientiæ dignitatem, vermiculatæ argento, ideſt, distinctæ varietate eloquij iuxta eloquentiæ pulchritudinem. Vermiculus solet terram varijs sulcis distinguere, ideò auctor vermiculatas posuit pro distinctas. Vel quia vermiculum vocamus quendam colorem, qui rei apponitur ad decorẽ, ideò per vermiculatas intellexit ornatas. Has murenulas, ideſt, diuinas sententias ediderunt sancti patres in laudem Virginis, &
*Isai. 11.* honorem. Ait enim Isaias, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius ascendet. Ieremias etiam ait. Nouum faciet Do-
*Ierem. 31* minus super terram, mulier circundabit virum. Et Dauid in sole posuit tabernaculum
*Psal. 18.* suum. Et in Daniele legitur, quòd lapis exci-
*Daniel. 2* sus est de monte sine manibus. Et quasi sponsus intrasset in cubiculum sponsæ loquitur sponsa in hunc modum.

*Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.* Postquam gloriosa Virgo non solum mente, sed etiam ventre concepit, factus est in ea spiritualis Christi
*Psal. 35.* recubitus. Vbi enim specialiter cœnauit cum Patre, & Spiritu Sancto, vbi specialem fecit mansionem, vbi spiritualiter, & plenè recubuit, nisi in mente Virginis? In cuius ventre secundùm humanam naturam perfectè recubuit. O fœlix mens, in qua cælestes conuiuæ, ideſt, tres personæ specialiter, & spiritualiter reficiuntur. Pax ibi. Primus cibus est, humilitas simul apponitur cum patientia, mansuetudo quoque, & lenitas, & quod summè est suauitas, & puritas cordis. Charitas autẽ in homini conuiuio principalem obtinet locum. Ergo dum esset Rex Christus videlicet me, & alios regens, in accubitu suo, ideſt, in me, in qua erat non solum in mente per gratiam verumetiam in ventre per humanam naturam, nardus mea dedit odorem suum, ideſt, caro mea fragilis, per nardum arborem humilem significata, aduentu Spiritus Sancti mundata fomite peccati extincto in ea dedit odorem suum, alijs proposita est in exemplum: vt per carnis mortificationem purgarent propriam carnem. Vel dum esset Rex in accubitu suo, ideſt, Dominus IESVS in requiem assumptus, nardus mea dedit odorem suum, ideſt, fama mea, quæ prius erat humilis, & deiecta, per totum orbem est diffusa.

*Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Sed antequam assumeretur in cælum dilectus meus, quem super omnia diligo, fuit mihi tempore passionis fasciculus mirrhæ, ideſt, summa, & multa amaritudo: quia passioni eius compassa sum dolore intimo. Eleganter per mirrham doloris amaritudo significatur, quia mirrha amaritudo interpretatur. Et quia pro nostra redemptione passus inter vbera mea commorabitur, ideſt, in intimo mei cordis amore detinebitur. Duo vbera Virginis, duo sunt brachia charitatis, vnum quo dilexit Christum, tanquam Deum: aliud quo dilexit eum, tanquam filium, & hijs duobus brachijs charitatis amplexatur illum. Elegãter autem duo riuuli charitatis dicũtur vbera, quia mulieres illis paruulis solent offerre vbera ad lactandum quos diligunt. Et hos duos ramos charitatis proposuit alijs in exẽplum, & ad alios informandum, tanquam mater vbera ad lactandum. Vel ideò Christus dicitur Virgini matri fasciculus mirrhę, quia veniens in carnem, excluſit à Virgine omnem concupiscentiæ putredinem, sicut mirrha seruat carnem à putredine immunẽ. Vnde ad litteram etiam potest intelligi, quod sequitur. Inter vbera mea commorabitur. Quia à Virgine natus à sola Virgine est lactatus: Nec suxit vbera alterius mulieris, nisi Virginis matris. O beata mater, quæ vbere cum lactat, qui omnibus vbera misericordiæ propinat. O mira res filia lactat patrem, creatura creatorem, famula dominantem.

tem. Et quia per vbera intelligitur duplex amor in Virgine. Sequitur.

*Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Botrus vineæ in flore habet flagrãtiam, in fructu vim calefaciendi, & fouendi dicitur possidere. Christus ergo gloriosæ Virgini fuit botrus, quia & primo virginẽ ante ipsius Christi aduentum odore suæ famæ respersit, quando per legem, & Prophetas eiinnotuit, & eam incalescere erga fidem sui, & charitatem fecit, & in carne veniens eam se tanquam spiritali vino refecit. Vnde illa tanto feruore charitatis incaluit, quòd ad omnem tribulationem, & mœrorem, & tenationem sustinendam parata fuit. Et ideò eleganter sequitur cypri. Cyprus enim mœror, & tristitia interpretatur. Quia Virgo in ipsis tribulationibus, & temptationibus agnouit, ita vt de se ipsa dicere possit in his omnibus nõ peccaui labijs meis coram Deo, & intellexit, quomodo quis à Deo eripitur à tentatione, & quomodo vita hominis super terram est tentatio. Competẽter adiungitur: in vineis Engaddi. Engaddi interpretatur oculus tentationis. Vineę autem intelliguntur conuentus fidelium, qui in Engaddi sunt constituti, quia oculo tentationis illuminati intelligunt suæ tentationis qualitatem, & se à tentatione liberari per Dei miserationem. Christus intelligens virginem bona, quæ habebat non sibi, sed Christo ascribere, introducitur quasi respondens ad virginem, & versa, vice eam commendans in hunc modum.

*Iob. 1.*

*Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: oculi tui columbarũ.* Hunc Christus titulum laudis extollit, & affirmat, quia non tantùm cum proxima est ei corpore, spõsa sit: sed etsi contingat ei absentem esse etiã sic sponsa sit. Hoc enim indicatur in eo quod cùm dixisset. Ecce tu pulchra es amica mea, addidit post, hæc absolutè, & sine adiectione. Ecce tu pulchra oculi tui columbarum. Quia autem oculi eius comparantur oculis columbarum ob hoc profecto fit: quia scripturas diuinas non iam secundum literam, sed secundum spiritum intelligat: & aspiciat in eis spiritualia mysteria. Columba enim indicium Spiritus Sancti. Spirituali ergo sensu intelligere legem, & Prophetas, hoc est, oculos columbæ habere. Potest adhuc profundiore fortasse sacramento, quod dixit, ecce tu pulchra es amica mea, intelligi de præsenti seculo dictum, quia spõsa quidem fuit, & hic Virgo MARIA cùm proxima fuit Christo. Quia verò iterauit, & dixit, ecce tu pulchra, ad futurum seculum pertinet, vbi non solum imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est, & sponsa. Duo autem oculi columbarum intelliguntur, duo intellectus virginei, quorum altero intellexit Christum manens in via, altero nunc intuetur permanens in patria. Vterque autem columbinus, ideſt, simplex, quia ab errore alienus. Audiẽs Virgo se à Christo commendari vicem laudis reddit ei, dicens.

*Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Dilecte mi, quem specialiùs cæteris diligo, & specialiùs, quàm cæteros; ecce tu pulcher es secundum humanitatem, & decorus secundum diuinitatem. Nec solum tu pulcher es, & ego pulchra, sed etiam.

*Lectulus noster floridus.* Lectulus Christi dicitur caro, quam assumpsit propter duos lecti vsus, in lecto laborat homo in infirmitate, quiescit in sanitate. Similiter Christus in carne humana laborauit in infirmitatibus humanis ante passionem, quieuit in eadem carne post resurrectionem. Et eleganter dixit lectulus noster floridus, quia caro Christi, quæ prius in vita floruit, per mortem efloruit: & per resurrectionem refloruit. Vnde in Psalmo: Et floruit caro mea.

*Psal. 27.*

*Tigna domorũ nostrorũ cedrina, laquearia nostra cypressina.* Domus hæc intelliguntur corpus Christi, & corpus Virginis, tigna domorum substantiæ corporum, quæ dicuntur cedrinæ, ideſt, imputribiles. Cedrus enim imputribilis est. Sicut enim credimus corpus Christi putredine non esse resolutum, vnde legitur. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, ita probabile est à corruptione putredinis alienum esse corpus MARIÆ: vnde Augustin. in sermone de Assumptione Virginis. Non solum carnem, quam Christus assumpsit, sed etiam carnem de qua assumpsit credimus esse assumptam in cælũ: vnde in oratione edita legitur. Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, &c. Et nisi resurrexerit, quare de ipsa dicitur. Assumpta est MARIA in cælum? Laquearia nostra cypressina. Laquearia, quæ adhærent tignis, significant corporum infirmitates, quæ adhærerunt corporibus Christi, & Virginis. Quæ eleganter cypressinæ dicuntur, quia cypressus solet adhiberi corporibus, quæ comburuntur, & mira ab eis flagrantia redditur. Sic & infirmitates, quæ ad mortem pertinent, & in Virgine, & in Christo per patientias, quas in infirmitatibus habuerunt mirabilius redolent. Vel domus intelligũtur Ecclesiæ, quæ dicuntur esse domus Christi ratione regiminis, ratione spiritualis inhabitationis, MARIÆ verò dicuntur esse ratione informationis, quia eas Virgo informauit exemplo. Tigna, siue trabes dicuntur Ecclesiæ Doctores, cedrina, propter indeficientem fortitudinem, & virtutum flagrantiam. Cedrus enim imputribile lignum est, & boni odoris. Vnde Apostolus. Christi bonus odor sumus Deo. Laquearia, quæ adhærent tignis, vel trabibus, auditores sunt, qui per doctri-

*Psal. 15.*

*2. Cor. 2.*

doctrinam maiorem Deo, & Ecclesiæ Dei adhærent, & decorem domus Dei complent. Quare & ipsa laquearia cypressina dicuntur, quod lignum est imputribile, & boni odoris, quia ipsi auditores Verbi Dei, & factores efficiuntur, & bonæ fragrantiæ. Et quia Virgo lectulum floridum dixerat, quo flore floridus sit consequenter declarat Christus, dicens.

## CAPITVLVM II.

*EGo flos campi, & lilium conuallium.* Campus dicitur humana Christi natura. Sicut enim in campo florum pullulat varietas, sic in humana Christi natura virtutum pluralitas. In ea fuit viola humilitatis, patientiæ rosa, lilium castitatis. Huius campi flos fuit Christus, ideſt, decor secundum diuinitatem, quia & ex virtute diuinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem. Eleganter autem humana Christi natura per campum significatur propter amplitudinem, & planitiem, quia humana Christi natura habuit amplitudinem virtutis, & planitiem veritatis: quia in eo nullus fuit scrupulus erroris: vnde & de eodem dicitur. Lilium conuallium. Quia perfecta humilitas fuit in MARIA, & in humana Christi natura, ideo persona Virginis, & natura humana verbi valles dicuntur propter eminentiam humilitatis, non solum valles, sed conuallesratione similitudinis, quia Virgo specialiter Christo fuit similis. Harum cõuallium Christus fuit lilium, quia iuxta perfectionem humilitatis eius dedit perfectionem castitatis: vnde & ipsa Virgo eleganter dicitur, lilium inter spinas. Quare sequitur.

*Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hæc sunt verba Christi de Virgine. Est ergo sensus. Sicut castissima est inter luxurias, sic amica mea, ideſt, Virgo MARIA inter filias. Istas filias, inter quas Virgo, sicut lilium inter spinas consistit, animaduertere possumus non Dei, sed diaboli nuncupari, quem per imitationem habent patrem. Sicut autem Christus matrem suam lilio comparauit, ita & ipsa conuenienter filium arbori comparat. vnde sequitur.

*Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios* Quia omnes hæretici infructuosi, sunt inter ligna siluarum, ipse verò cum membris suis, & fructu Ecclesiæ pascit, & odore bonæ famæ delectat. Ligna siluarum porcos priusquam homines pascũt, quia diabolus cum membris suis, scilicet, hæreticis immundas animas per immunda desideria pascit. Huius mali vmbra est Spiritus Sancti protectio. Vnde sequitur.

*Sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* Verba sunt Beatæ Virginis, quasi dicat. Ego humiliata ad verba Gabrielis, sedi, ideſt, requieui sub vmbra illius, ideſt, sub protectione Filij Dei per obumbrationem Spiritus Sancti facta, de qua dicitur. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Tempore enim incarnationis, gratia Spiritus Sancti fuit tabernaculum, vel vmbraculum in ea contra concupiscentiæ incentiuum. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, non steti rigida elatione, non ambulans inquieta curiositate, non iacui resoluta voluptate: ideo plena gratia apud Deum per humilitatem, apud Angelos per virginitatem, apud homines per fœcunditatem. Hæc est illa de qua in parabolis dicitur. Mulier gratiosa inueniet gloriam. Gloria autem Patris Filius sapiens. Inuenit ergo gloriam filium, videlicet Dei Patris. *Lucæ 1.* *Prou. 11.* *Ibidẽ 15.*

*Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Fructus huius ligni sapientia diuina est, quæ dulcis esse memoratur, quia omnia, quæ desiderantur huic non valent comparari. Cui dulcior fuit sapientia Christi, quam glorioſæ Virgini, quæ plenius hausit de fonte sapientiæ Dei, de qua & ipsa sapientia incarnata est? Quæ specialiter gustauit, & vidit quoniã suauis est Dominus, hoc est, lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: hoc est, lignum plantatum in paradyso delitiarum. Nec mirum si fructus eius dulcis gutturi meo, quia. *Psalm. 1.* *Geneſ. 2.*

*Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Vetus testamentum significatur per cellam vinariam. Quia sicut in cella victualia reponuntur: sic sub figuris veteris testamenti latebant secreta cælestia, quibus spiritualiter saginatur anima. Et rectè per cellam vinariam lex mosayca significatur propter austeritatẽ legis, & rigorem, & quia vt dictum est, spiritualiter legem intelligentes spirituali vino inebriat. In hanc cellam Christus virginem introduxit, cùm ei spiritualiter legis intelligentiam reuelauit. Vnde & de ipsa legitur. MARIA autem conseruabat omnia verba, hæc conferens in corde suo. Quia ea, quæ fiebant circa Christum conferebat his, quæ vetus testamentum promittebat. *Lucæ 2.*

*Ordinauit in me charitatem.* In quo fuit charitas ordinata nisi in Virgine MARIA, quæ dilexit Christum ex toto corde, quia sine intellectus errore, ex tota mente, ideſt, memoria sine obliuione, ex tota anima, ideſt, voluntate sine torpore? Et post Deum se. Et quia Virgo tempore veteris testamenti specialiter se voto virginitatis astrinxit, & contra omnes illecebras fortis fuit, inuitans alias ad florem virginitatis, ad robur fortitudinis, volens habere sodales in virginitate, in fortitudine comites, ait.

*Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Habeam in vestris virgini-

ginitatibus meæ virginitatis solatium, in vestris patientijs meæ fortitudinis exemplum: quia hoc amore langueo. Vel per cellam vinariam intelligitur mentis excessus, qui & extasis dicitur, quo Virgo ad cælestium contemplationem rapiebatur, quæ & apotheosis, ideſt, deificatio, vel theophania diuina apparitio nuncupatur, in hanc Virgo ab amore terrenorum suspensa rapiebatur. Quæ contemplatio rectè cella vinaria dicitur, quia ex ea spiritualia vina, ideſt, archana cęlestia propinabantur, quæ ideò animam ebriam faciunt, quod sobriam reddunt. In hac cõtemplatione vera charitas ordinatur. Quãto magis enim animus hominis ab amore terrenorum suspenditur, tantò magis charitas recto tramite ad Deum diligendum dirigitur. Amor enim terrenorum quodammodo ordinem impedit, & charitatis curriculũ. Hæc autem contemplatio eleganter dicitur flos, quia sicut in flore est spes fructus, & à flore peruenitur ad fructum, sic per hanc contemplationem ænigmaticã, suspiramus ad æternam. Per malum verò, quæ robustior est, significatur fortitudo, quæ est in contemplatione, quam nullus terrenorum appetitus, nullus tribulationum impulsus potest infirmare. Virgo ergo in contemplatione cõfirmata, inuitans sodales ad contemplationis fortitudinem, ait. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, ideſt, æternæ vitæ desiderio.

*Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quia volo, vt dextera eius, diuinitas, scilicet eius amplexetur me, vt diuinitatis participem me faciat. Leua Christi humana natura dicitur, dextera diuina. Inflammata ergo amore diuinitatis vult non tantum frui præsentia humanæ naturæ verumetiam, & diuinæ, quia diuina præfertur humanæ. Quia humana natura à Christo est, & sub Christo cui nihil debet. Vel per caput potest intelligi naturalis sensus in Virgine, quem informauit Christus in humana natura. Et sic leua Christi fuit sub capite Virginis: quia quodãmodo sustentando eius naturalem sensum informauit. Et quia Virgo à somno contemplationis non est excitata, vsque dum descendit ad vigilias actionis, vsque ad tempus suæ conceptionis, & partus, etiam quia post conceptum obsequuta est. Elizabeth parienti, & post partum curam habuit filij sui nutriendi, & educandi eleganter sequitur.

*Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Filiæ Ierusalem dicuntur virgines Iudææ, quæ ad matrimonium aspirabant, & conceptionis fœcunditate, & prolis honore donari volebant, ne maledictioni legali subiacerent si steriles essent. Et ideò consobrinæ Virginis ad simile virginem inuitabant, vt scilicet nuberet, conciperet, pareret, ne legis maledictionem incurreret. Sed Virgo in contrarium diuina dispositione proposuerat, scilicet, vt votum virginitatis seruaret, nisi Deus aliter ordinaret, & ita à sapore contemplationis ad tumultum actionis non descenderet. Expeditiùs enim vacant contemplationi virgines, quam coniuges, multæ enim sunt solicitudines temporales, quæ coniugali statui adhærent: vt dicit Apostolus, vt filiorum educatio. Virgo autem ante concipere noluit, vel prole gaudere, quam ab Angelo accepit sui conceptus fœcunditatem, & prolis honorem. Et tunc primo voluit conceptum, & partum, cùm ait. Fiat mihi secundum verbum tuum. Filius ergo Dei sic ordinauit, vt nulla admonitione, nullo exemplo aliarum virginum inuitaretur ad conceptus, vel partus appetitum, antequam ab Angelo audiret diuinum oraculum. Introducitur ergo Filius Dei quasi loquens ad virgines glorioſæ virginis, consobrinas in hunc modum. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ideſt, virgines Iudææ, hoc circa vos stabiliui, vt nullo vestro exemplo, nulla vestra admonitione, vos qui in hoc rectam habetis fidem, rectam operationem, positis à sapore contemplatiuæ vitæ ad vigilias actiuæ vitæ excitare MARIAM Virginem: nisi quando voluerit ex diuina inspiratione, & concipere, & parere. Per capreas autem intelligitur fides, quia sicut capreæ acutum habẽt visum, sic fides habet primum intuitum intelligẽdi Deum. Per ceruum, qui est maius, & robustius animal, figuratur perfecta operatio. Vel sic, adiuro vos, inhibeo vos per capreas ceruosque camporum, ideſt, si vultis imitari Patriarchas, & Prophetas, qui hoc prædixerunt, & præintellexerunt, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoadvsque ipsa velit. Virgo intelligens hanc Dei ordinationem congaudens dilecto suo, ait.

1. Cor. 7.

Luc. 1.

*Vox dilecti mei.* Quasi diceret, hæc ordinatio facta est à dilecto meo, ideſt, à Dei Filio, vt & me præeligeret, & specialiter diligeret, vt conciperem sine concupiscentia parerem sine pœna. Et hoc est, quod sequitur.

*Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Montes Patriarchę, colles Prophetæ, in quibus salit Christus, quia ipsi annunciauerunt aduentum eius, passionẽ, descensum ad inferos, resurrectionem, ascensum in cælum. Omnia hæc quasi quidam saltus fuerunt, qui tamen transilijt omnes. Quia veniens in mundum plus fecit, & docuit, quã omnes retro Patriarchæ, & Prophetæ, vnde Dauid, velociter currit sermo eius.

Psal. 147.

*Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* Similis capreæ dicitur secundum

dum diuinitatem. Asserunt namque hij quibus peritia medicinæ est, inesse huic animali inter viscera humorem quendam, qui caliginem depellit oculorum, & obtusiones quoque visus exacuit. Merito quoque capreę cõparatur, quia non solum ipse videt patrem, sed videri ab his facit quorum visus ipse creauit. Hinnulo ceruorum comparatur, quia secundum carnem filius est antiquorum pátrum, qui ceruorum nomine designantur. Et verè similis est hinnulo ceruorum, quia ipse assumpsit carnem humanam: vnde sequitur.

*En ipse stat post parietem nostrum aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Paries noster dicitur caro nostra, quæ inter nos, & Deum est posita, quæ impedit ne Deum possimus perspicaciter comprehendere, sed quasi vmbraliter, & per speculum, & in ænigmate. Quandiu enim positi sumus in ergastulo carnis, impedit caro nostra ne intuitus nostræ mentis possit dirigi ad comprehendendum solem diuinitatis. Iuxta hunc parietem stat Filius Dei nõn in pariete, quia etsi assumpsit carnis veritatem, non tamen carnis concupiscibilitatem: etsi naturam, *Rom. 8.* non tamen culpam. Vnde legitur esse factus non in carnem peccatricem, sed in carnis peccatricis similitudinem. Vnde Dauid de Christo loquens tanquam de ligno, ait: Et *Psalm. 1.* erit tanquam lignum, quod plantatum est, non in decursibus, sed secus decursus aquarum. Quia cum per aquas significatur humana natura, non in fluxu humanæ naturæ incarnatus est Christus, tanquam ad culpam: sed secundùm decursum humanæ naturæ, quia & defectum pœnæ assumpsit, & veritatem naturæ, quia habuit saccum, & non sacci vitium. Et eleganter dicitur stare, non iacere, quia nos miseri non iuxta parietem stamus, sed ipso pariete, & in ipso obruimur: quia in carne manentes, & pœna, & culpa obruimur. Christus verò existens in carne, verè in ea stetit, quia nulla illecebrarum carnis eum à rectitudine mouit. Ipse autem post D passionem respexit per fenestras, & cancellos. Fenestræ ampliores sunt, cancelli strictiores. Per fenestras ergo intelligitur manifesta doctrina, quæ minoribus à Christo proposita est. Per cancellos altior, & obscurior *Mat. 13.* doctrina, quæ maioribus est oblata. Vnde Christus Apostolis ait, vobis datum est nosse mysteria Regni Dei. Sic ergo Christus per incarnationem stetit post parietem nostrum prospiciens per fenestras, & cancellos, ideſt, maiora, & minora reuelans discipulis, & maximè glorioſæ Virgini. Consequenter pro genere humano passionem sustinuit, cui passioni maximè compassa MARIA Virgo. Consequenter per resurrectionem consola-

A tus est matrem. Vnde mater Virgo in hunc modum introducitur loquens de filio.

*En dilectus meus loquitur mihi.* Et nota quoniam mater Christi super omnia filium suum diligebat, eum emphaticè dilectum suum vocat, dicens: Dilectus meus loquitur mihi, post resurrectionem in hunc modum mihi solatium præstans.

*Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* O amica mea per fidẽ, columba mea per simplicitatem, formosa mea per virtutum decorem, surge à dolore, B & veni ad me habitura consolationem.

*Iã enim hyems transijt, imber abijt, & recessit.* Hyems trãsijt, ideſt, gelicidiũ infideliũ recessit, Imber abijt, & recessit, ideſt, inũdatio tẽrationis recessit à mẽtibus Apostolorũ.

*Flores apparuerunt in terra nostra.* Ideſt, caro nostra per resurrectionem, & immortalitatem refloruit.

*Tempus putationis aduenit.* Ideſt, amputationis, quia omnis superfluitas infirmitatum à me amputata est, & omnis infidelitas à cordibus Apostolorum.

*Vox turturis audita est.* Per turturem, quę (vt dictum est) inconsolabiliter dolet amisso pari, figuratur Maria Magdalene, C quæ maximè doluit viduata viro spirituali, ideſt, Christo, cuius vox in terra nostra, ideſt, Iudeæ audita fuit, quando resurrectionem annunciauit.

*Ficus protulit grossus suos, veneæ florẽtes odorem dederunt.* Synagoga, quæ ficus dicitur, Apostolos protulit per fidem, quia de ea generati dulcissimus cibus doctrinæ effecti sunt, & suo exemplo aliarum nationũ gentes ad florem credulitatis prouocant. Vineæ florentes odorem dederunt, ideſt, fideles in primitiua Ecclesia post resurrectionem, florentes in virtutibus dederunt odorem bonæ opinionis. Et ideò.

*Surge amica mea, soror mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* O amica mea per fidem, D sponsa mea per dilectionem Dei, & columba mea per dilectionem Christi. Hoc enim genus auium gregatim volare solet, quod significat supernam dilectionem. Surge ad gaudia à dolore, & veni ad me iam glorificatum. Tu dico gaudens, & exultans in foraminibus petræ, ideſt, iam læta de vulneribus Christi, quibus petra Christi perforata est. Quasi diceret tu, quæ prius dolebas de amaritudine passionis, iam gaudens vides ex ea processisse generis humani redemptionem, & meam glorificationem. Vnde sequitur in cauerna maceriæ quantum ad lateris perforationem. Cauerna enim amplior solet esse foramine: vnde per foramina perforationes manuum, & pedum Christi figuran-

gurantur, per cauernam verò eiusdem lateris apertio significatur. Christus autem dicitur petra propter firmitatem, maceria verò, quia ex multis lapidibus, ideſt, fidelibus perficitur quàntum ad ſpirituale corpus, ideſt, Eccleſiam.

*Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Oſtende mihi faciem tuam, ſicut mater deſiderabat filium videre, ita filius matrem aſpicere, nec ſolum intueri, ſed etiam colloqui: vnde ſequitur. Sonet vox tua in auribus meis. Et ideò deſidero vocem.

*Vox enim tua dulcis, & facies tua decorà.* Solet humillium, & maximè virginum vox eſſe benigna, & dulcis. Cuius vox maiorem dulcedinem habet, & quantum ad exteriorẽ ſonum, & quantum ad interiorem intellectũ, quam illius, quæ fuit inter omnes humillima, & ſpecialiùs ſigillo virginitatis ſignata. Quaſi diceret. Audiui tempore meæ paſſionis vocem tuæ conquæſtionis, volo audire in reſurrectione vocem tuæ congratulationis. Nec tantùm gaudeo auditu, ſed etiam viſu, quia & facies tua decora. Credimus ſanctam, & glorioſam Virginem, & exteriori facie fuiſſe pulchram, ſed maximè ſpecie virtutum fuiſſe decoratam. Et quia multæ hæreſes contra Chriſtum, & contra eius matrem emerſerunt, quæ per ipſam Virginem interemptæ ſunt, additur.

*Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Per vulpes, quæ ſunt fraudulenta animalia, & in ſpeluncis terræ habitantia, intelliguntur hæretici: per vineas, Eccleſiæ intelliguntur. Has itaque vineas hæretici quantumcunque poſſunt demoliuntur. In hoc enim, quod Chriſto, & eius matri derogant, fidem Eccleſiæ demoliri laborant. Poſſunt ergo eſſe verba fidelium ad Chriſtum, & ad Virginem. Capite nobis, ideſt, deſtruite ad noſtram vtilitatem, vulpes, ideſt, hæreticos, paruulas propter imbecillitatem, quia licèt contra Eccleſiam nitantur tamen infirmantur. Quæ demoliuntur vineas, ideſt, fidei Eccleſiaſticæ detrahunt.

*Nam vinea noſtra florùit.* Dum adhuc eſſet tenera, ideſt, noua Eccleſia, & quaſi in flore poſita, maximè contra eam ſeuierunt, tam perſecutione manifeſta, quàm peruerſa calliditate. Et notandum eſt, quòd ſiue pluraliter vineæ, ſiue ſingulariter dicatur vinea, vna eſt Eccleſia. Et quaſi Virgo vocem Filij audiſſet, tanquam loqueretur de ipſo ad alios, ait.

*Dilectus meus mihi, & ego illi.* Dilectus meus mihi loquitur vocans me ad ſe, & illi ſum obediens.

*Qui paſcitur inter lilia.* Ideſt, qui delectatur in virginitate, & humilitate mea. Lilium propter candorem ſui ſignificat virginitatem, & quia creſcit in vallibus, humilitatem.

*Donec aſpiret dies.* Ideſt, donec me in cœlum aſſumpta, mihi dies æternæ beatitudinis illuceſcat.

*Et inclinentur vmbræ.* Ideſt, tam corporis, quàm animæ infirmitas in me pereat. Et quia Virgo mater nimio deſiderio affectabat filij reſurrectionem, ait.

*Reuertere: ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum.* O dilecte mi, qui ad nos veniſti per carnem, reuertere per reſurrectionem. Et ſic ſimilis eſto capreæ quantũ ad agilitatem, & ſubtilitatem, quam humana natura Chriſti aſſumpſit in reſurrectione, hinnuloque ceruorum quantum ad humanæ naturæ innouationem. Quaſi diceret, depone vetuſtatem pœnæ, & aſſume nouitatem immortalitatis, & gloriæ. Etiam ſic per hoc, quod dicitur: ſimilis eſto hinnulo ceruorum; *Pſal. 21.* ſignificatur reſurrectio. Vnde & Pſalmus, qui agit de reſurrectione, inſcribitur pro aurora matutina.

*Super montes Bethel.* Similis inquam eſto in hoc exiſtens ſuper montes Bethel, ideſt, in hoc ſuperans montes alios, quod primus reſurrexiſti, & tua auctoritate. Tu enim es primogenitus ex mortuis primitiæ dormientiũ, *Coloſ. 1.* ſiue reſurgentium. Montes, ſancti dicuntur *1. Cor. 15.* propter virtutum eminentiam; & Bethel domus Dei interpretatur, quia ſanctos inhabitat Deus per gratiam. Vnde legitur, quòd thronus Dei eſt anima iuſti. Ideò autem dico reuertere, quia affecto reditum tuum per reſurrectionem: vnde ex nimio affectu te quæſiui.

## CAPITVLVM III.

*IN lectulo per noctes quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui & non inueni.* Hoc eſt manifeſtum in Maria Magdalene, quæ frequenter dum adhuc eſſent tenebræ ruit ad ſepulchrum, & cùm non inueniret corpus IESV in diuerſis locis cœpit illum quærere: & ad vltimum inuenit, cùm Chriſtum apparentem ei ortulanum putauit, dicens. Si tu ſuſtuliſti, eum dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Et poſtmodum cognoſcens eum, eſſe Chriſtum, ait. Raboni ſicut euangelica teſtatur hiſtoria. A ſimili poſſet intelligi de glorioſa Virgine, quod frequenter ad ſepulchrum fuerit, quod cum magna diligentia eum quæſierit Chriſtuſque ei apparuerit. Sed hoc certum non habemus ex euangelica lectione. Sed quamuis illa non fuerit, poteſt tamen introduci illa loquens ad exprimendum nimium virgineæ mentis affectum. Lectus autem intelligi-

*Ioan. 20.*

Iigitur ſepulchrum, in quo requieuit corpus dominicum, quod dicitur ratione originis eſſe Virginis: quia corpus eſt, quod in ſepulchro quieuit, quod Chriſtus de virginea carne aſſumpſit Per noctes igitur, ideſt, per multas tribulationes quas de amariſsima dilecti Filij paſsione ſuſtulerat, & potiſsimum mortis Chriſti triduo, quæſiuit per deſiderium quem diligebat anima ſua, ne ſcilicet deſolatam nimium matrem de ſua nace, ſiue pœnitus paraclito, ideſt, conſolatore deſereret. Quaſi cum Propheta diceret. Quæſiui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni. Hic igitur primo in lectulo quęſiuit, & nõ inuenit. Lectulus eſt in quo ſolent feſſa diurna fatigatione corpora quieſcere per quẽ eleganter quies mentis deſignatur, in qua Deus quærendus eſt. Sed quia pro iſtius vitæ ſtatu huiuſmodi quies exigua eſt, & anguſta, non in lecto, ſed in lectulo dilectum quæſiuiſſe perhibetur. Per lectum etiam non abſurdè domus illa in arce Syon ſita in qua Chriſtus cum diſcipulis ſupremam cœnam celebrauit ſignificatur, in quam poſt ipſius Chriſti paſsionem gloriosa Virgo ſeſe recepiſſe perhibetur: quærens per crebra ſuſpiria, & ſancta deſideria quem diligebat anima ſua, ibique loca illa venerabatur, venerandoquè ore cordis oſculabatur, in quibus dilectum filium, vel cum diſcipulis accubuiſſe, vel in eorundem pedũ lotione proſtratum fuiſſe, aut alicubi reſediſſe imaginari poterat. Sed quid per huiuſmodi pia deuotionis obſequia, quam dilectũ requirebat? Sed minimè inuenit, quia ex his conſolationem non recepit. Ait igitur.

*Pſal. 68.*

*Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram quẽ diligit anima mea.* Nec factum eſt ſatis ardenti illi glorioſæ Virginis deſiderio, vt in lectulo, domo ſcilicet, illa dilectũ quæreret, in qua filium mãſiſſe, & quã ſanctis cõſeceraſſe myſterijs cognouerat, ſed etiam ſurgens abijt: vt per vicos, & plateas ciuitatis quæreret, dum etiam loca ſancta, in quibus paſſus fuerat deuota veneratione percurrebat. Aiunt enim ipſam Virginem glorioſam poſt Filij paſsionem ſedula deuotione loca paſsionis ſuę perluſtraſſe, vt donec aſſumeretur ad requiem in his qualemcunque reciperet conſolationem. Sed quia perfectè illa eam non potuerunt conſolari, idcircò rectè ſubiungit.

*Quæſiui illũ, & non inueni.* Eſt enim pie preſupponẽdum, quòd quemadmodũ Virgo glorioſa etiã ante Chriſti conceptionem crebra Angelorũ viſitatione fruebatur, ita ſibi fuiſſe conceſſum poſt Chriſti paſsionem, per quos vtique conſolaretur, de quibus dixiſſe videtur.

*Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatẽ.* Per vigiles cuſtodientes ciuitatẽ elegantèr ſignificãtur Angeli ſancti, qui Eccleſiam, & fideles quoſque cuſtodiunt. Vigilant ſiquidem, & ſolliciti ſunt circa electos, vt retrahant eos à malo, & ad bonum excitent, ac vnumquemque de ſalute propria ſollicitum reddant. Sicut ait Apoſtolus, Adminiſtratorij ſunt ſpiritus in miniſterium miſsi, propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Et quaſi venerint illi ad Virginem conſolandũ, quę pro dilecti filij abſentia triſti premebatur dolore, & anguſtia, in quo ſtatu ab eis eſt inuenta. Sed non de alijs ſermonem recepit, non aliam, quàm de preſentia filij voluit cõſolationem, ad eos ita inquiens.

*Hebr. 1.*

*Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Quaſi diceret. Non vos quęro, ſed filium, nõ creaturas, ſed creatorẽ: non Angelos, ſed Angelorum Dominum. Num eum vidiſtis profecto dubio ſciebat, quòd ſancti Angeli beata Dei viſione fruentur, & per amorem ipſius, & deſideria non ignorent. Vnde indebitum arbitrabatur, vt ipſi Deum videant, & ſe viſionis illius, quem tam magnopere deſiderat, expertem relinquant.

*Paululum cũ pertranſiſſem eos inueni quẽ diligit anima mea.* Non enim ſtatim poſt aſcenſionẽ Chriſti, aſſumpta eſt glorioſa Virgo, ſed paululum quantum ad breuitatẽ preſentis vitę dimiſſa eſt in terris: vbi nihilominus deſideriorum greſſus non in angelica figere voluit viſione ſemper ad eum tendens, in quo ſolo eius poterat animus quieſcere: vnde factum eſt, vt tandem voti compos fieret, & ad optatam dilecti viſionem aſſumerẽtur. Et hoc eſt, quod dicitur. Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea, inde congrue ſequitur.

*Tenui illũ, nec dimittam, donec introducã eũ in domũ matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ.* Tenui eum per preſentiã, nec dimittã eum, qui cũ eo preſentialiter habitem, donec introducã, ideſt, introductũ videã illũ in domũ matris meę, ideſt, in empireũ cœlũ, vbi habitat Eccleſia triũphans, quę eſt mater Eccleſię militãtis. Vnde quaſi exponẽdo additur: & in cubiculum genitricis meæ, ideſt, empireum cœlũ. Et dicitur cubiculũ Eccleſię triũphantis, quia ibi eſt requies noſtræ mentis. Vel per matrem, & genitricẽ intelligitur Eccleſia de gentibus, & Iudæis, de qua deſcendit Virgo origine carnis. Huius autem iam domus erat Empireũ cœlum per ſpem, futurum per ſpeciem, Itaque Chriſtus reſurrexit, & poſt reſurrectionem in cœlum aſcendit. Sed ſi mater Virgo reſurrexerit, & in carne in cœlum aſcenderit: vel quando reſurrexerit, vel aſcenderit incertum eſt. Ideò monet Chriſtus filias Ieruſalem, ideſt, Eccleſias, quòd de reſurrectione glorioſæ Virginis, nunquam deſiniant, vel de eiuſdem reſurrectionis tempore, quod à Patriar-

chis Prophetis, & Apostolis distinctum non A
est. Et hoc est, quod sequitur.

*Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* O filiæ Ierusalem, ideſt, Ecclesiæ adiuro vos per capreas hinnulosque cervorum, ideſt, in hoc imitantes antiquos modernosque Doctores, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam meam, ideſt, non firmiter asseratis, tanquam ex auctoritatibus certum Virginē à mortis somno suscitatam, vel excitatā: donec ipsa velit. Quasi dicat. Hoc reservatū est voluntati Virginis, quæ divinæ voluntati est consona, vt sciri velit se esse suscitatam. Vnde quando velit, hoc revelari, vel non revelari, in huius assumptione ex persona supernorū civium admirans Spiritus Sanctus, ait. B

*Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Bene quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incēdio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula (inquit) fumi ex aromatibus, nimirū, quia multis erat repleta virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suauissimus odor etiam spiritibus Angelicis. Ascendebat autem de deserto præsentis seculi virga de radice Iesse olim exorta. Sed morabantur electorum C animæ præ gaudio, quæ nam esset, quæ etiam meritorum virtutibus, Angelorum vinceret dignitatem. Sicut supernī ciues admirantur Virginem assumptam in cælis, ita fideles in Ecclesia Dei eam collaudant in terris dicentes.

*En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Salomon pacificus interpretatur, & ideò significat Christum, qui est verus pacificus, qui reformauit pacem inter Gentilem, & Iudæum, inter hominem, & Deum, inter hominem, & Angelum. Cuius lectulus est Virgo gloriosa, quia in ea recubuit Christus humanitate assumpta. Hunc lectulum ambierunt sexaginta D fortes. Per hos fortes intelligitur bonorum operum vniuersalitas, quæ sunt fortia contra dæmones, vel vitia. In sexagenario quippè numero senarius, & denarius continentur. Sexies enim decem, vel decies sex sunt sexaginta. Per senarium opera misericordiæ, quę in Euangelio leguntur, intelliguntur. Per denarium verò, decem præcepta legis significantur. Et ideò per sexaginta perfectissima opera exprimuntur, quæ vndique lectulum Salomonis, ideſt, Beatam Virginem munierunt sui exercitatione, & intentione, quæ per fortes, & electos ex fortissimis Israel figurātur. Quia semper Virgo MARIA meliora, & fortiora opera habuit, quæ ad sui custodiam deputauit. Tenere autem gladios dicūtur propter defensionem, & munitionē quibus Virginem defendunt, & muniunt. Propterea dicitur.

*Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Vniuscuiusque ensis super femur suum, ideſt, super carnalia opera, vel contra delectationes erat vniuscuiusque boni operis defensio: quia ipsa Virgo ità bonis operibus, & cogitationibus cor firmauerat, quod fluxum carnalis voluptatis, quæ per femur intelligitur, omnino extinguebat. Propter timores nocturnos, ideſt, ad depellēdas tētationes, quæ debent timeri, & in nocte præsentis vitæ solēt fieri. Et post lectulū Salomonis, qui sic munitus erat.

*Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.* Ad literam ferculum dicitur sedes à sedendo, quia fert sedentem. Vnde & thronus iudicis potest dici ferculum. Per hoc ferculum, quod fecit sibi Salomon, figuratur humana natura veri Salomonis, ideſt, veri pacifici Christi, scilicet. Hanc fabricatus est Christus in vtero virginali carnē sumendo de Virgine, & effigiendo in corpus humanam animamquè creatam infundendo corpori. Hanc humanam naturam fecit de lignis libani, ideſt, de purissimis substantijs anima videlicet, & corpore. Anima enim Christi immunis fuit ab omni peccato, eiusque caro. Libanus mōs est Fœnicis, cuius arbores, & proceritate, & durabilitate, & pulchritudine prœeminent. Vnde per ligna libani intelligūtur partes humanæ naturæ Christi, quia de excellētiori genere sumptæ sunt, & munditia pulchræ, & durabilitate perpetuæ. Hæc humana Christi natura eleganter dicitur ferculum, quia ea mediante Filius Dei delatus est in mundum: & in ea tanquam in throno suo residens iudicabit mundum. Et huius ferculi.

*Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Columnę istę dona Spiritus Sancti significant, quibus quasi quibusdam columnis innixa est anima Christi. De his columnis legitur in libro sapientię in hunc modum. Sapientia ędificauit sibi domum, & excidit in ea columnas *Prou. 9.* septem. Quæ columnę fuerunt argenteę, ideſt, prędicatione, & operatione Dei splendidę. Et reclinatorium fecit aureum, ideſt, animam in qua recubuit, plenam gratiarum, & omni sapientia prędotam. Ascensum purpureum, ideſt, passionem, quam ascendendo in cruce sustinuit, & cuius merito in cœlum ascenditur, quę per ascensum significatur. Quæ dicitur purpurea, quia caro Christi per eam fuit purpurata. Purpura enim sanguinis colorem representat. Omnia ista.

*Media charitate constrauit propter fi-*

*lias*

*lias Ierusalem.* Ideſt, conſtituit charitate in A medio poſita, quia charitas eſt quaſi mediatrix, & forma aliarum virtutum. Ipſa enim quaſi in medio virtutum poſita cæteras illuminat, & informat, & ad omnes æqualiter ſe habet. Et hoc propter filias Ieruſalem. Ieruſalem enim dicitur mens animæ Chriſti. Ieruſalem enim viſio pacis interpretatur: vnde mens illa viſio pacis eleganter dicitur, quia pacem, quæ exuperat omnem ſenſum experiebatur. Huius Ieruſalem virtutes filiæ ſunt, quia à mẽte procedunt. Eſt ergo ſenſus. Charitas in medio poſita eſt ad illuminandum, & informandum circunſtantes animæ virtutes, quæ procedunt ex mente. Nec ſolum ferculũ dicitur humana Chriſti natura, verumetiam diadema, quia in humana natura, habito in morte triumpho, meruit Chriſtus coronari, & ad dexteram Dei Patris ſedere. Eſt ergo quaſi vox Virginis adoleſcentulis, dicens.

*Philip.* 4.

*Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis illius.* O filiæ Sion, quæ Deũ ſpeculari vultus. (Sion enim ſpeculatio interpretatur) Egredimini à carnali ſenſu ad ſpiritualem: Et videte Regem Salomonem, ideſt, intelligite verum pacificum Chriſtum, in diademate, ideſt, in humana natura qua coronauit eum mater ſua Virgo MARIA. Coronauit, inquam, quia non reddidit B eum deturpatum macula originalis culpæ, ſicut matres filios ſuos. Sed potius coronauit, ideſt, ſine virili ſemine glorioſe cõcepit, & nobili carne indutum peperit. Videte eum dico: in die deſponſationis illius, ideſt, in clara conſideratione incarnationis eius, quando deſponſauit Virginem non ſolum per vnionem ſpirituum, verumetiam, & naturarum. Et ideò hic incarnatio dicitur deſponſatio, quia fuit quaſi quoddam coniugium, & inenarrabile gaudium: vnde ſequitur. Et in die lætitiæ cordis eius: quia hæc incarnatio fuit ſumma cordis Virginis exultatio.

C

## CAPITVLVM IV.

D

*QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, & decora.* Ad vocem ſponſæ laudantis reſpondet ſponſus laudans, & dicens. Quàm pulchra es amica mea, exterius per exercitium actionis, quàm pulchra es, & decora, interius per ſubtilitatem contemplationis. Et hoc eſt, quod repetitione pulchritudinem eius commendat.

*Oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet.* Oculos columbarum habet Virgo MARIA, quia ſpe cęleſtium ſublimata, nec terrenum, vel caducum concupiſcit. Similiter omnia videt, nullus aliquid rapit, quæ cùm ſit pulchra exterius per ſimplicitatem, & munditiam operis, interius tamen vbi nemo videt, niſi ſolus Deus (quia homo videt in facie Deus autem in corde) ibi multò pulchrior eſt. Et hoc eſt, quod ait, abſque eo quod intrinſecus latet, latet quidem hominibus, Deo autem patet: vnde eſt illud. Quod oculus non vidit: nec auris audiuit, &c. Adhuc proſequitur Chriſtus laudẽ Virginis glorioſæ in hunc modum.

1. *Reg.* 16

1. *Cor.* 2.

*Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ * aſcenderunt de mõte Galaad.* Capilli ſubtiles ſunt, & eminentes, & caput ornantes. Hæ ſunt cogitationes Virginis ſubtiles per contemplationem, eminentes per diuinum amorem, exornantes caput, ideſt, mentem, à mente habentes originem, ſicut capilli à capite. Caput autem eleganter ſignificat mentem, quia ſicut caput præeminet, & præeſt omnibus membris: ſic mens præeſt cogitationibus vniuerſis. Eſt ergo ſenſus. Capilli tui, ideſt, cogitationes tuæ ſicut grex caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. Idem cõparabiles ſunt motibus contemplationum, quia ad contemplationes tales cogitationes pertinent. Eleganter autem modi contemplandi per capreas ſignificantur. Sicut enim capreæ, quæ in montibus paſcũtur ſubtiliter intuentur, ita tales motus in cæleſtibus delectantur, & cæleſtia ſpeculantur. Nec vacat à ratione, quod ſequitur. Quæ aſcenderunt de monte Galaad. Non enim deſcendunt ad inferiora, ſed aſcendunt ad ſuperiora, & hoc de multiplicis teſtimonij altitudine auctoritatis ſacræ Scripturæ. Galaad enim interpretatur aceruus teſtimonij. Multæ enim auctoritates talibus contemplationum motibus atteſtantur.

* *apparuerũt de Galaad.*

*Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Per dentes ſignificantur exercitia, quæ Virgo habuit in ſacra Scriptura, per quæ ipſa ſacra Scriptura quodammodo atteritur, & ita comeſtibilis, ideſt, intelligibilis redditur, & ſic in ſtomachũ mentis traijcitur. Hij dentes ſunt ſicut dentes tonſarum. Per tonſas intelliguntur intellectus ſacræ Scripturæ, à carnali intellectu alieni. Quia ſicut oues tonſæ ſuperfluitatem velleris deponunt, ideſt, ſpirituales intellectus carnalis intelligentiæ ſuperfluitatem exuunt. Et ſic dicentes comparabiles ſunt gregibus tonſarum, quia exercitia in ſacra Scriptura ad illos intellectus pertinent, qui ſimplices ſunt non peruerſi: & ſuperfluitate carnalis intelligentiæ exuti. Cõpetenter autem additur, quæ aſcenderunt de lauacro. Per lauacrum intelligitur mentis purgatio ab amore, & cogitatione terrenorũ, à qua procedunt mundæ, & mere ſpirituales ſcripturarum intelligentiæ. Vel per lauacrum baptiſmus intelligitur, in quo baptizatis vis ſpiritualia intelligendi confertur.

*Omnes gemillis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Quia à talibus intellectibus procedunt duo modi intelligendi, qui sunt quasi duo fœtus spiritualis intelligentiæ, allegoricus, scilicet, & moralis. Et sterilis non est inter eas, quia nullus talis intellectus est infructuosus.

*Sicut vitta coccinea labia tua.* Per labia, quæ sunt instrumenta loquendi, significatur exterior Virginis loquutio, vel admonitio, quæ erat veluti vitta coccinea, quia sicut vitta coccinea exterius repræsentat rubeum colorem, & crines circunligat, sic verba Virginis ad memoriam reducebant passionem Christi, & prædicabant: vt auditores disciplina timoris Domini cogitationes astringerent, & cohercerent: vnde sequitur.

*Eloquium tuum dulce.* Quia quantũ Deus homines dilexerit, etiam verbis ostendebat, & quæ cælestia præmia Deus suis promittebat.

*Sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ.* Malum punicum rubicundum habet corticem intus, & multitudine granorum plenum est: & benè malum granatum vocatur, & punicum dicitur. Per genas, quæ magis, quàm cætera membra apparent, significatur repręsentatio dominicæ passionis, quam gerebat in corpore carnis mortificatione. Vnde & malo punico comparatur in mortificatione, ergo carnis, quasi rubor exterius apparet quantũ ad memoriam passionis. Cum verò quanta vtilitas nostræ redẽptionis inde prouenit, & quomodo per passionẽ Christi homo non solum à peccatis iustificari, sed etiã, quod diuinum consortium meruit, aduertebat, quasi candidum erat, quod intrinsecus latebat, & hoc est, quod sequitur.

*Absque eo quod intrinsecus latet.* Quia multa spiritualia in Virgine fuerũt, quæ hominibus latebãt, Deo autẽ patebãt. Sequitur.

*Sicut turris Dauid collũ tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis.* Per collũ, quod solemus humiliare cùm aliquid à nobis fertur, quo etiam mediante caput mẽbris vnitur, Virginis humilitas designatur, quæ in alios exemplo transmutatur, quia specialiter Christo vniebatur. Hæc erat sicut turris Dauid, ideſt, sicut humilitas Christi per Dauid significati. Humilitas enim, quam Christus gessit in carne, fuit firmitas, & munimẽtum, & refugium aliorum. Quæ ædificata fuit cũ propugnaculis. Propugnacula huius turris sunt obedientia, patientia, abstinentia, quæ ipsam humilitatem muniunt.

*Mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Innumera defensionis præsidia, quibus Virginis vallatur humilitas, & defenditur, hoc est, omnis armatura fortiũ, ideſt, patientium, qui fortes sunt contra insultus tribulationum.

*Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Vt dictum est superius, duo vbera MARIÆ Virginis intelliguntur duo riuuli charitatis, quibus dilexit Christum, vnus quo dilexit eum tanquam Deum: alius quo dilexit eum tanquam hominẽ. Qui dicuntur hinnuli capreæ, ideſt, fœtus Christi per capream significati, qui & in Christo defixi fuerunt, & à quo Christo processerunt. Christus autẽ per capream intelligitur propter velocitatẽ ascensionis, & transcursum vitæ mortalis, quam veloci cursu superauit. Isti autem hinnuli dicũtur, quia simul isti duo motus ab vno fonte charitatis oriuntur. Qui pascuntur in liliis, ideſt, informantur castitate mentis, & corporis. Donec aspiret dies, ideſt, veniat, vel oriatur Christus, qui est verus dies, & sol iustitiæ, & inclinentur vmbræ, ideſt, transeant mœroris nubila. Nec ponitur hic exclusiuè, hoc aduerbium: donec, vt intelligantur isti motus charitatis duraturi in Virgine, vsque in diem iudicij; & non vltra, sed potiùs inclusiuè ponitur, vt sit sensus, donec aspiret dies, &c. Id est, semper: iuxta illud. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et quia talis, & tanta est Virgo MARIA dicit Christus. *Psal.* 109

*Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Vadam per carnis assumptionem, & internam aspirationem ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, ideſt, ad gloriosam Virginem, quæ est mons propter virtutum celsitudinem, & myrrhæ propter carnis mortificationem. Quæ etiam comparatur colli thuris, quia suauem Deo orationum odorem offerebat: & se ipsam per sanctarum meditationum studia gratum Deo sacrificium præstabat. Et quasi Christus ad Virginem veniens loqueretur: sequitur.

*Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te.* Tota pulchra es, ideſt, in corpore, & in anima, amica mea per gratiam, & per opera: & macula non est in te venialis, & criminalis. Quia nullum credimus in Virgine ante, & post conceptum fuisse peccatũ. Et quia tota pulchra es, & macula non est in te: ideò iam digna regijs amplexibus.

*Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni.* Veni de libano sponsa mea, veni de libano, ideſt, de candidatione, & dealbatione virtutum. Et nota, quòd Christus vocat eam ter, ad significandum, quòd per fidẽ, spem, & charitatem, vocauit Deus Virginẽ, & vocat eam in fide Trinitatis. Et mecum gaudentem in patria multi in Ecclesia constituti, beatitudine te coronabunt, & laudabunt, de quorum gratia, & gloria mirabili sequitur.

*Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir,*

*Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Amana mons est Ceciliæ, qui est Taurus dicitur, & interpretatur Deus vigiliarum. Deus autem vigiliarum diabolum exprimit, qui circuit quærens quē deuoret. Sanir, & Hermon montes sunt Iudææ, in quibus leones, & pardi feruntur habitare. Sanir nocturna auis interpretatur. Per Sanir nocturnæ insidiæ dæmonum notantur. Per hos autem montes, seculi potentes Reges, scilicet, & Principes intelligūtur, quia veluti montes superbia extolluntur. Et malignis spiritibus quasi leonibus, & pardis in se cubilia præbent. Maligni enim spiritus leones dicuntur per superbiam, pardi per ferocitatem, vel etiam propter mille artes nocendi, quia pardus varium animal est. De his ergo montibus coronatur Virgo gloriosa, quando Principes seculi conuertuntur ad fidem, & recipiuntur in æternam beatitudinem, & cedunt in Virginis societatem, & laudem. De vertice horum montium coronatur, quando principibus subiectis Catholicæ fidei, illa ab his honoratur, & glorificatur in Christo. Et quia prædictis insignita est donis subiungitur.

*Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* More amantium loquitur, Soror mea per gratiam, sponsa per dilectionem.

*Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Repetitio confirmatio est. In vno oculorum tuorum, quasi dicat. Cum tota sis pulchra, ò Virgo, & cum te ob multa diligā, præcipuè tamen nitor, & puritas contēplatiuæ vitæ, quæ in te est, me delectat. Per duos oculos Virginis MARIÆ significantur duæ vitæ contemplatiua, & actiua. Illa felicior, ista fœcundior: illa expeditior, ista implicita: illa simplex, ista multiplex: illa vna, ista multimoda. Hoc infirmans Christus in Euā-
*Lucæ 10.* gelio, ait. Martha martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

*Et in vno crine colli tui.* Vt supradictum est, per collum intelligitur humilitas, vel obedientia, per crinem cogitatio. Ad significandum ergo, quod cogitationes, quæ ex humilitate procedunt ad obediēdum, Deo placent. Nec mirum si vulnerasti, quia.

*Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa.* Mammas ad fœcunditatis benedictionem, vbera verò ad virginitatis gloriā respicere opinantur. In matribus enim mammæ, in virginibus vbera appellantur. Mammæ ergo in Virgine notant fœcunditatem, vbera vtriusque virginitatis corporis, scilicet & mentis felicitatem. Vnde dicitur.

*Pulchriora sunt vbera tua vino.* Idest, omni carnali voluptate.

*Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Idest, bona fama virtutum, super omnem inanem gloriam.

*Fauus distillans labia tua sponsa.* Quia in ore, & in corde, & in carne habuit Christū in humanitate latentem, in ore, quia nil aliud prædicauit: in corde, quia nil aliud dilexit: in carne, quia nil aliud concepit.

*Mel, & lac sub lingua tua.* Adhuc loquitur Christus ad Virginem. Mel, & lac, Deus, & homo. Mel diuinitas, lac humanitas. Mel de rore cæli venit, quia diuina natura super omnia est: lac deorsum exprimitur, quia natura humana deorsum assumpta est. Quid est mel, & lac sub lingua tua? Hoc est verbum patris, & homo sub carne tua. Sub lingua, quia verbum sub lingua, & non super linguam absconditum est: ideò lac non caro sub lingua tua, & tamen caro de carne: quia de carne patria, caro secunda: de carne veteri, caro noua: de carne purganda, hostia caro. Ideò mel, & lac sub lingua tua, quia in carne tua Deus, & homo, & sub carne tua Deus, & homo.

*Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Idest, opinio spiritualium bonorū quibus vestieris, & ornaris, vt corpus vestimentis, est ita suauis, & delectabilis sicut odor thuris corpori.

*Hortus cōclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hortus delitiarū in quo nō rosæ patientiæ, nec lilia virginitatis desunt, in quo rosa dominici corporis, & sanguinis: in quo lilium castitatis. Conclusus, quia vtrobique clausus studio bonæ intētionis, & consideratione rationis. Hortus cōclusus est soror mea spōsa, quia valle charitatis signatus, ne irrūpere possit malignus. Cōclusus, quia Angelorū custodia circūseptus. Soror mea per dilectionē, sponsa per naturarū vnionē. Hortus cōclusus, hic ideò repetitur, vt perfectio Virginis in actione, & contēplatione notetur. Vel in duplici virginitatis specie, cōuenit horto, vt sit æqualis septus, satus, distinctus, rectus, & vber. Æqualis, vt rigetur, septus, vt seruetur, satus, vt fructificet, distinctus, vt delectet, rectus, vt capiat aerē: vber, vt præbeat copiā. Et tu Virgo Dei genitrix fuisti vber hortus, copia plenitudinis, fons in quo ineffabilis misericordiæ fluentū, in quo gratiarū omniū irriguū. Fōs qui in finu suæ pietatis recipit lachrymarū nostrarū profluuiū. Signatus fidei sigillo, Euangelicæ veritatis signaculo, & virginitatis pessulo, ita vt nec hæretici, vel dæmones in te fidem, vel Euangelij veritatem possint infirmare.

*Emissiones tuæ paradysus malorū punicorū cum pomorū fructibus.* Emissiones tuæ, idest, bonæ operationes à te procedētes sunt paradysus, idest, delectabiles, quia in mentibus fideliū delitias pariunt. Paradysus enim Græcè, Hebraice dicitur Eden, quod Latinè

interpretatur hortus delitiarũ. Et non solum paradysus, sed & malorum punicorum. Malũ punicum exterius rubeum est, in vno cortice multitudinem habet granorum. Ita in Virgine multitudo bonarum operationum, quæ intra fidem dominicæ passionis tenetur inclusa. Cum pomorum fructibus. Per fructus verò pomorum, honestæ, & pudicæ Virginis loquutiones significantur, ex quibus in mentes fidelium fructus informationis processit: vnde sequitur.

*Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Ideſt, diuersæ virtutum species in te fragrant, quas istæ species aromaticæ significant. Cyprus arbor est aromatica, semen simile habens coriandro, sicut de mãna dicitur, & significat vitam cælestem, ideſt, virginitatem. Nardus verò vnguentum est precioſum, & significat veram charitatem, quæ cæteris virtutibus præminet. Crocus aurei coloris est, & significat diuinam sapientiam. Fistula arbuscula breuis, quæ Cassia dicitur, & significat humilitatem, & patientiam. Cinnamomum cortex dulcissimus est, & significat internæ contemplationis dulcedinem. Cum vniuersis lignis Libani, ideſt, cum omnibus alijs virtutibus, quæ aliquod robur habent, & spiritualiter mentem dealbant. Myrrha significat carnis mortificationem propter sui amaritudinem. Aloe, quæ miri odoris est, significat bonam opinionem. Cum omnibus primis vnguentis, quasi diceret. Hæc virtutes sunt in virgine cum alijs donis Spiritus Sancti. Enumeratis arboribus & aromatibus, quæ sunt in paradyso mentis virgineæ, ostenditur quo fonte talis agricultura irrigetur, vt æterno virore succrescat, nec arescat.

*Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Quasi diceret. Merito, ò Virgo tali decore arborũ, & aromatum decoraris, quia in te est fons saliens in vitam æternam. Qui fons puteus est, ideſt, inexhaustibilis, & profundus propter scientiæ profunditatem. Nec tamen ex te fluunt aquæ viuæ, sed ex Libano, ideſt, Christo, qui omnium virtutum decore candidatus est, & dicit. Si quis sitit veniat ad me, & bibat: & de ventre eius fluent aquæ viuæ, vnde Apost. Ego plantaui Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.

*Ioann. 7.*

*1. Cor. 3.*

*Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Aquilo ventus est frigidissimus, auster calidus. Ideò per aquilonem terrores, & minæ designantur, vel ipse diabolus, per austrum Spiritus Sanctus significatur. Et hoc est, quod dicit sponsus, quia in terra plantaui hortum meũ, & multis arboribus conseui. O tu aquilo, ideſt, tu dæmon, qui cuncta, quæ perflare poteris, frigida reddis, surge, ideſt, procul recede ab horto meo. Vel surge, hoc est, insurge, & oppugna MARIAM, quantum potes, quæ quantò magis impugnatur, tantò amplius augetur, & crescit. Et tu auster, ideſt, sancte spiritus, qui calidè flas, & germinare facis, veni, & obumbra Virginẽ protectione virtutum. Et perfla hortum meum, ideſt, eandem virginem, quæ dicitur hortus prædictis rationibus. Et meus, quia tuo flatu, qui & meus est, & non sua virtute, germinabat bona opera. Vnde sequitur, & fluent aromata illius, ideſt, bona opera, quę suauiter redolent. Audiens sponsa sponsum dicentem, vt auster veniret, & perflaret hortum suum, quasi diceret, auster iam venit, & perflauit hortum, fluunt aromata: idcircò opto vt.

## CAPITVLVM V.

*Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorũ.* Veniat, ideſt, visitet, & comedat, ideſt, gratanter recipiat fructum pomorum suorum, ideſt, fructuosa opera mea. Sponsus cognoscens sponsam, aduentum eius exoptare dicit consolando eam.

*Veni in hortum meum soror mea sponsa.* O soror mea sponsa, olim veni in te, quæ es hortus meus, nunc veni ad me, qui hortus tuus sum: veni ad me per ascensionem, qui veni ad te per carnis assumptionem. Veni inquam in hortum, ideſt, in cælestem paradysum, quæ est hortus delitiarum, quæ est vita æterna.

*Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Ideſt, omnem pœnalitatis amaritudinẽ præscidi cum operibus actionis. Quia Christus immortalis factus, præcidit à se opera actiuæ vitæ, intentus contemplatiuæ.

*Comedi fauum meum cum melle meo.* Ideſt, animam, quæ separata fuit per mortem à carne, per resurrectionem iterum incorporaui. Quod eleganter figuratur per fauum, quia sicut fauus est mel latens in cera: ita anima Christi latuit in carnis cellula. Et hoc cũ melle, quia & corpus animauit, cuius corporis animatio, & animę incorporatio, & vtriusque glorificatio, fuerũt tibi summa dulcedo.

*Bibi vinum meũ cum lacte meo.* Ideſt, asperitates superaui passionum cũ corporalis cibi indigẽtia. Per lac, quod est cibus puerorũ, & quo indigent paruuli, significatur corporalis cibi indigẽtia, quæ in Christo per resurrectionem est absorpta, sicut omnis alia infirmitas. Quod totũ figuratũ est, per hoc, quod Christus suscitatus à mortuis comedit piscem assum, & fauum, & bibit vinum. *Lucæ 24.*

*Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* A simili vos amici mei in hor-

tũ

to æternæ beatitudines delectantes, comedite panẽ, qui de cœlo descendit, nõ in Sacramento, sed in re. Et bibite aquam viuã, quæ cælestem Paradisum irrigat. Et inebriamini cælesti gaudio charissimi, per veram dilectionem, vt inebriari ab vbertate domus Dei, & *Psalm.* 22 torrente voluptatis potati dicatis. Calix tuus inebrians, quàm præclarus est. Cùm superiùs mentio fieret de ascensione Christi consequenter reuertitur auctor ad carnis assumptionẽ more prophetali. Mos enim Prophetarũ est, vt cum modo loquuntur de præsentibus & futuris, statim reuertuntur ad præterita, prout Spiritus sanctus tangebat eorum corda. Inducitur ergo Virgo loquens secundum statum ante incarnationem, in quo vacans contemplationi exuerat omnem curam secularem, Ait ergo.

*Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ego dormio à seculari cura, & cor meum vigilat in contemplatione. Sed dum contemplationi vacarem.

*Vox dilecti mei pulsantis.* Id est, per Angelorum aduentum suum per incarnationem ad me annunciantis, à me audita in hunc modum.

*Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Aperi mihi per humilitatem & obedientiam: vt veniã inte per incarnationem. Quia ex humilitate & obedientia congruam se reddidit Virgo, vt in ea incarnaretur Dei sapientia. Aperi inquam sponsa amica mea futura, per carnis contubernium: amica mea, per præsentem dilectionem: columba mea, per simplicitatem: immaculata mea, per virginitatem. De hac aper- *Isai.* 45. tione dicit Isaias, Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Quid est ergo quod Dominus ad ad Ezechielẽ testatur, Porta hæc clau- *Ezec.* 44. sa erit, & non aperietur? Aperta quidem fuit Domino, sed non viro: sicut ibidem ad ipsum dicitur. Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Aperietur autem Domino, non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit, Hæc clausa erit ipsi etiam principi. Sed aperietur porta auris & porta cordis: quia videlicet intrauit per aurem Virginis Verbum incarnandum, & exiuit clausa porta corporis incarnatum. Ad hoc autem volo ad te venire per incarnationem, vt à Patre secundum hominem accipiam gratiarum plenitudinem, & de mea plenitudine instillet abundantia gratiæ. Vnde sequitur.

*Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctiũ.* Caput Christi Deus, qui plenus rore dicitur, quia de eo omnis gratia cælestis emanat in Christũ, & de Christo in Virgine. Vnde sequitur, & cincinni mei, id est, cogitationes tuæ, quas dico meas, quia à me sunt, & ad me tendunt, plenæ sunt guttis noctium, id est, obscura, & profunda sapiẽtia repletę sunt, quæ cincinni dicuntur, quia non lapsæ & dissolutæ fluunt, sed vinculo timoris Dei & amoris colligantur. Ad hoc respondens, Virgo ait.

*Expoliaui me tunica, quomodo induar illa?* Hoc est, quod legitur in Euãgelio. Quo- *Luc.* 1. modo fiet istud, quoniam virum non cognosco, id est, propositum non cognoscendi habeo? Quasi diceret. Omnem curam conceptus, & partus abieci, diuinæ voluntati exposita, quod curam adhibeo conceptui & partui? Exui curam secularem, quomodo resumam illam?

*Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Laui pedes meos, id est, affectus meos purgaui ab omni seculari cura, & concupiscentia, quomodo coinquinabo illos, quantum ad opinionem illorum qui putabant me ex concupiscentia concepisse? Sed iam intelligo concipiendi modum.

*Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Dilectus meus misit manum suam, id est, ostendit mihi opus misericordiæ suæ, per foramen, id est, per occultam inspirationem, quomodo sola Sancti spiritus inspiratione conciperem. Et venter meus intremuit ad tactum eius, id est, memoria mea exultabit ad talem reuelationem.

*Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Id est, *Luc.* 1. statim obediui, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, vt per humilitatem & obedientiam aperirem dilecto meo. Et tunc Spiritus sanctus superuenit in me, & virtus Altissimi obumbrauit mihi. Per quam.

*Manus meæ stillauerunt myrrham.* Id est, opera mea perfecerunt mortificationem vitiorum. Et hoc est quod sequitur.

*Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Id est, opera mea discreta facta sunt cum carnis mortificatione à Deo probata. Et sic.

*Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.* Ostium dicitur fides, vel obedientia, per quã Christus intrat ad hominem mediante gratia. Pessulum ergo ostij mei Christo aperui, cùm ei obedini & credidi.

*At ille declinauerat, atque transierat.* Ad ille distulit intrare, sed iam inclinauerat *Philip.* 2. se. Tunc Christus se inclinauit, quando per incarnationem exinaniuit se formam serui accipiens. Atque transierat veniens de sinu Patris in vterum Virginis. In hoc autẽ transitu sic assumpsit quod non erat, quod non reliquit, quod erat. Et sic.

*Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est.* Id est, Filius Dei me spiritualiter animans, atque viuificans liquefactus est, id est, exinanitus per carnis infirmitatem, qui

etiam

etiam propter vnionem voluntatis, & spiritus, & anima Virginis est nuncupatus: iuxta quod & illud posset legi, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, id est, ipsum qui est anima tua per dilectionem, pertransibit gladius. Vel anima mea liquefacta est, id est, diuino igne calefacta, & quæ prius minus capax erat, & aliquantum dura ad comprehendendum incarnationis modum, liquefacta est, id est, mollita & capax reddita ad intelligendū, vt dilectus loquutus est mihi per Angelum: vel postquam Christus se verbum vniuit carni meæ, id est, carni illi, quam de me assumpsit. *Luc. 2.* A B

*Quæsiui, & non inueni illum, vocaui, & non respondit mihi.* Et quamuis anima mea liquefacta sit ad intelligendum, tamē in scripturis quæsiui, id est, inquisiui pleniùs incarnationis modum. Et non inueni illum ad plenum. Vocaui illum per internam deuotionē, vt reuelaret, & non respondit mihi plenariè.

*Inuenerunt me custodes, qui custodiunt ciuitatem.* Id est, Prophetæ & alij antiqui Patres, qui per sacram doctrinam custodierunt sollicitè Ecclesiam, & ei solicitè prouiderūt.

*Percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Percusserunt me, amore diuino: & vulnerauerunt gladio verbi Dei in suis scripturis. C

*Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Id est, abstulerunt à me velamē ignorantiæ Patriarchæ & Prophetæ. Et quia in sacris scripturis summa intentione studebat Virgo, vt notitiam haberet de Christo, ideo sequitur.

*Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Quasi diceret. O sancti Patres, hoc requiro firmiter à vobis, id est, à scripturis vestris, vt intelligam ea quæ de Christo dixistis, quia erga eum amore langueo. Ita à sanctis Patribus, id est, à scripturis eorum inquirebat Virgo Christi notitiam. Sed quia plura fuerunt ei reuelata de Christo, quàm Patribus, vnde dicitur quosdam Euangelistas Virginē docuisse plura de Christo sequitur. D

*Qualis est dilectus tuus ex dilecto o pulcherrima mulierum?* Quasi dicerent sancti Patres. Tu quæris à nobis notitiam Christi, sed potius à te inquirere debemus, quæ es eius specialis secretaria, mater, & filia. Et hoc est, ò pulcherrima mulierum. Quæ est pulcherrima, nisi illa, quæ est in mulieribus benedicta. Imò super omnes mulieres gratia plena, Mater intacta plena Deo, Mater & Virgo. Qualis est dilectus, id est, Filius tuus, quem speciali amore diligis, de te natus secundùm carnem, & ex dilecto, id est, Deo Patre secundùm diuinitatem? Et vt magis insinuarent Virginem pleniorem habere de Christo notitiam, vel scientiam, quàm se, repetitur interrogatio, cùm additur, *Luc. 1.*

*Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* Et nota, quòd superius Virgo dicitur pulcherrima mulierum, hic verò simpliciter dicitur, ad significandum quòd non solùm fuit super mulieres pulchra: verum etiam super choros Angelorum. Et quia creditur Virgo multos de Filij incarnatione docuisse, sequitur Virginis responsio.

*Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus, id est, Virgo & sine peccato, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et rubicundus, id est, sanguine aspersus, quia lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Electus ex millibus, quia solus ex multitudine fidelium dignus fuit audire: Hic est Filius meus dilectus. Singularis enim gratia homo Christus in humani generis massa refulsit, quia proposuit Deus saluare genus humanum: & ipse est mediator Dei & hominum, de quo Dauid. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. *1. Petr. 2.* *Apoc. 1.* *Matt. 3.* *1. Thi. 2.* *Palm. 13.*

*Caput eius aurum optimum.* Caput Sponsi Deus, quòd auro comparatur optimo, quia sicut aurum omnibus metallis pretiosius est: ita Deus omnibus bonis à se factis præcellit. Vnde Dominus. Nemo bonus nisi solus Deus. Caput ergo Sponsi aurum optimum est: quia Dei bonitas ineffabilis est, omnium rerum transcendens bonitatem, quia nihil bonum, nisi participatione huius boni. *Luc. 18.*

*Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Elatæ palmarū sunt rami productiores; interdum autē rosei coloris crispantes, & semper ad alta tendentes, & nunquā virorem suum amittentes. Tales ergo comas dicit Sponsi sui esse Virgo MARIA, crispans scilicet & rutilās. Comæ ergo eius, id est, adhærentes sibi elatis palmarum comparantur, quia fidelium multitudines, & virore fidei gaudent: & ad æterna gaudia desideranda extollunt, atque dulcedinem supernæ suauitatis degustant, & superuictorioſi per palmā significantur, quod fortes erga aduersa existant. Qui quantò iustiores sunt, tantò in oculis suis peccatores sibi & contemptibiles esse videntur: vnde sequitur. Nigræ quasi coruus. Quia multitudines fidelium memores sunt suæ fragilitatis, & nihil se boni ex se ipsis habere nouerunt.

*Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Doctores Ecclesiæ oculi sunt sancti spiritus, qui positi in altiori gradu prouident Ecclesiæ, ne quid hæreticæ prauitatis se interserat, & illuminant eam. Qui columbis propter simplicitatem & innocentiam comparantur. Hæc columbæ super riuos aquarum resident, vt ab accipitre sibi præcaueant, quia sancti Doctores aqua doctrinæ perfusi, securi sunt à maligno, & sedent

sedent super riuos veteris Testamenti: à quo emanant riui, id est, expositiones & sententiæ: & et iam iuxta fluenta plenissima, id est, iuxta sancti Euangelij doctrinam copiosam, in qua auditores pleniùs, quàm in veteri Testamento instruuntur.

*Genæ illius, sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs.* Genæ sponsi sunt, qui verecundantur de peccatis suis & aliorum. Et quia per eos teritur cibus alijs, & transfundunt auditoribus de sanctis scripturis masticare & ruminare poterãt. Quæ genæ areolis comparantur, quia sicut areolæ aromatũ optimè compositæ & ordinatæ, aspectum intuentium delectant, eisque odorem suum propinant propter multitudinem herbarum aromaticarum: ita illi qui sunt geneæ sponsi, redolent Deo ex multitudine bonorum operum, siue sint prædicatores, siue auditores. Areolæ quod est diminutiuum, posuit propter humilitatem. Consitæ, id est, bene firmatæ & locatæ à pigmentarijs, id est, à suis plantatoribus. Pigmentarij isti, id est, plantatores Apostoli sunt & Prophetæ, quorum alteri futura hæc omnia, alteri iam facta descripserunt.

*Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Id est, illi qui aperiunt secreta illius, sunt lilia, id est, suauiter redolentia. Lilia inquam distillantia myrrham primam, id est, sui mortificationem non ad oculum, & non fictam. In hoc loco virgines in Ecclesia designantur, nulli enim magis secreta cælestia pandebantur, quàm sanctæ Virgini.

*Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Supra dicta membra habet huiusmodi. At manus, quę non multum valent in prędicatione, sed sunt fortes in operatione, & eleemosynarũ elargitione: hij tales sunt tornatiles, id est, tornati, & purgati à vitijs: vt nihil superflui relinquatur in eis. Manus inquam aureæ, id est, diuina sapientia repletæ. Ille verò sapiens est, & si scientia careat literarum, qui laborat & operatur, vt tribuat necessitatę patienti. Manus ergo sponsi in sancta Ecclesia sunt boni operatores. Plenę hyacinthis. Hyacinthus lapis est auerij coloris. Quid ergo in hyacinthis, nisi spes, & desiderium cæleste accipitur? Manus ergo sponsi hyacinthis plenæ sunt: quia boni operatores opera sua ad cœlum dirigunt, nihil inde nisi cælestia sperantes. *Ephe. 4.*

*Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.* In membris humani corporis nihil venter fragiliùs, nihil teneriùs, ideoque per ventrem fragiliores, in sancta Ecclesia, & minus potentes accipiuntur, sicut sunt rustici & idiotæ: & tamẽ sunt eburnei, ideſt, frigidi, & casti. Ebur enim est os Elephantis, quod animal dicitur castissimum, & frigidæ naturæ. In sancta itaque Ecclesia simpliciores, & minus scientes castiores, & continentiores esse solent. Venter inquam distinctus sapphiris. Sapphirus est lapis crocei coloris, & significat beatam spem: quia qui venter sunt sponsi, pro spe ætherea operantur bona quæ faciunt. Nec ille venter plenus dicitur, sed distinctus sapphiris, ita scilicet, vt inter sapphiros appareat arbotis candor: quia sic cælestia appetunt, vt inde terrena non derelinquant, quia per hęc ad illa ista perueniunt.

*Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Crura sponsi, portatores sunt nominis eius, vt sancti Prædicatores, qui Christum portant per mundũ, & annunciant coram Regibus & Principibus, & alijs qui fortes sunt & recti, quia resistunt vitijs & concupiscentijs huius vitæ, quĩ sunt fundati super bases aureas, id est, sententias Prophetarum & Apostolorum, qui firmæ bases dicuntur, quia nulla arte, & nulla disputatione humanæ sapientiæ, vel altitudine cassati. Et aureæ sunt, quia diuina sapientia & doctrina refulgent, nihil in rebus secularibus auro pretiosius, nihil diuina sapientia melius, & charius per omnia conuenientĩ & concordi.

*Species eius vt Libani, electus vt Cedri.* Libanus est mons miræ pulchritudinis in ornatu, & speciositate arborum, & nemorum, sic & dilectus meus cum omnibus membris suis in omni ornatu, & conuenientia decorus & candidus est.

*Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Huc vsque de pulchritudine, & cõuenientia corporis sponsi perorauit sponsa, nunc de diuinitate eius pauca intulit. Per guttur quipe omnem escam, siue dulcis sit, siue amara degustamus; ita diuinæ subtilitas intelligentiæ omnia cordis interiora discutit & examinat. Vnde rectè per sponsi guttur diuinitas illius intelligitur, quod suauissimũ dicitur, quia omnem dulcedinem diuina dulcedo superat. Vnde sequitur. Et totus desiderabilis, quia omne desiderium exuperat, in quem desiderant Angeli prospicere. *1. Pet. 1.*

*Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem.* Ecce descripsi vobis illum, de quo quæsistis qualis esset, & ideo quia talis est amicus meus, est in vera dilectione. Et quia sancti Patres de Christo à Virgine instructi sunt adhuc ad ipsius Christi inuestigationem in hunc modum ad ipsam loquuntur.

*Quo abijt dilectus tuus o pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Quare Christus specialiter dilectus Virginis dicatur, & quare ipsa mulierum pulcherrima superius expositum est. Sed nota quod dicitur abijt. Abire longius ire est, Abit ergo, quando inquirentibus se multum tardè aduenire videtur. Declinat,

clinat, cùm citius ad se querentes redit. Sed abit, & declinat ad tempus, vt maius ad se quærendum desiderium excitet. Benè autem dicitur quæremus eum tecum; quia sine gloriosæ Virginis fide, qui Christum quærit errare potest, proficere non potest. Ad hoc respondet Virgo, dicens.

## CAPITVLVM VI.

*Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Hortus Christi dicitur humana natura, in quam Christus specialiter abijt, quãdo eam sibi vniuit, & in ea declinauit, quando se ipsum humiliando exinaniuit. Humana enim Christi natura plenam, & perfectam habit de Deo scientiam, quam Christus quasi hortum sibi præparauit, & excoluit, quàm virtutum germinibus conseuit, quã merito suæ costudiæ ab incursu malignorum spirituũ defendit. Et benè in hortum suum descendisse dicitur; nam in horto sepeliri voluit, & primò Mariæ Magdalenæ in horto apparuit. Descendisse auten dicitur, quia de superioribus in hortum, quem humili loco plantauerat, venit. Ad areolam aroma tum, Anima Christi areola intelligitur, quæ disciplina cælesti exculta est, & diligenter composita, vt pascatur in hortis, id est, vt sanctorum studijs delectetur. Et lilia colligat, id est, à sanctis castitatem, & sanctitatem recipiat. Et quia dilectus meus pascitur in hortis.

*Ioan. 19. & 20.*

*Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Ego dilecto meo gratam mansionem præparo, & dilectus meus mihi cæleste premium, vel gratiam perfectorum. Et quia ipse in me habitat, & me in se habitare facit, sicut ipse ait. Ego in vobis, & vos in me.

*Ioann. 14*

*Qui pascitur inter lilia.* Id est, non curat nisi sanctos innocentia albos candidos castitate, redolentes bona opinione. Christus Virgini reddens vicem commendationis, ait.

*Pulchra est amica mea, suauis & decora, sicut Ierusalem.* Pulchra es fide, suauis spe, decora charitate, sicut Ierusalem. Ierusalem interpretatur pacis visio. Quid igitur verius Ierusalem, quàm gloriosa Virgo, in qua pax pectoris, & pax æternitatis? Hæc est arca Noe, in qua pacatæ sunt bestiæ, quia in ea nõ fuerunt cogitationes inordinatæ.

*Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quia in vita multis freta virtutibus, & in morte Angelorum vallata agminibus. Et sicut terribilis facta est suis virtutibus hæreticorum interimens errores, demonum suggestiones repellens, etiam in assumptione eorũdem Angelorum fulta est prẽsidijs, & sanctorum coronata choris. Et ne Virgo crederet in præsenti per scripturarum inuestigationẽ & Euangelicam contemplationem se plenariè comprehendere Deum, ait Christus.

*Auerte oculos tuos à me: quia ipsi me auolare fecerunt.* Licet pulchra, licet amica mea sis, tamen auerte oculos tuos à me, quasi diceret. Ego dedi tibi oculos columbinos, quibus me intueri, & arcana scripturarum valeres penetrare, sed caue ne illos intendere ad me videndum plenariè velis in præsenti vita: quia in præsenti non potes, vnde dicit ad Moysem. Non enim videbit me homo, & viuet. Quando verò assumpta ad me perueneris, tunc me aperta visione videbis. Quod autem dicitur, quia ipsi me auolare fecerunt, non putandum, quòd Deus quẽrentes se deserat, & ab illis recedat: cùm ipse præcipiat, quærite, & inuenietis, sed ita accipiendum est: quia quantò magis quisque diuinitatẽ Dei perscrutari voluerit: eo amplius intelliget quod inscrutabilis, & incomprehensibilis sit. Et hoc est quod Psal. ait, Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus; quia quãtus sit comprehendi non potest. Et quamuis plenariè me videre non possis tamen.

*Exod. 33*

*Psalm. 63*

*Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* Capilli tui, id est, cogitationes tuæ, quæ procedunt à spirituali capite, id est, à mente, sunt sicut grex caprarũ, id est, sicut motus contemplationis, qui per capras figurantur, vt superius dictũ est. Quæ apparuerunt de monte Galaad: quia tales motus de eminentia humanæ conditionis procedunt, & multiplex testimonium veritati asserunt.

*Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Id est, exercitia tua in sacris scripturis sunt, sicut greges ouium, id est, pertinent ad spirituales intellectus, qui per oues figurantur, propter simplicitatem, & puritatem. Quæ ascenderunt de lauacro: quia tales intellectus à carnali intelligentia purgati, ab imaginibus defecati, ascenderunt ad contemplationem Dei.

*Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Quia tales intelligentiæ etiam bonam concipiunt intentionem, & honestam pariũt actionem: vnde & sequitur. Et sterilis non est in eis, in bonis scilicet operibus.

*Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque * eo quod intrinsecus latet.* In genis diximus superius significari castam Virginis verecundiam, in cortice mali punici intelligimus memoriam passionis Christi. Genæ ergo Virginis erant sicut cortex mali punici, quia ipsa non erubescebat crucem Christi. Vnde Apost. Nolite erubescere crucẽ Christi, neque me vinctũ eius. Et hæc quidẽ magna sunt, quæ in aperto sunt, sed maxima illa quæ sunt intrinsecus, hoc est, quæ in futuro Virgini sunt reseruata. Et quãuis multæ sunt animæ sanctæ, quæ mihi spiritualiter adhæ-

* *Occultis tuis.*

2. *Tim.* 1.

rent,

rent, tamen vna est quam specialiùs diligo propter simplicitatem, & virtutũ perfectionem: hanc intelligo gloriosam Virgninem, & hoc est quod ait.

*Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Reginæ sunt Doctores Ecclesiæ, qui merito fidei, & scientiæ amplexibus æterni Regis digni sunt, & spirituales filios Deo pariunt, & se ipsos benè regunt. Audi Reginam benè se regentem, & filios Deo parturientẽ. *Galat. 4.* Filioli (inquit) quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Benè quidem per sexagenarium Reginæ istæ designantur, qui ex denario & senario multiplicatus perficitur. Per denarium decem præcepta legis, per senariũ operis perfectio designatur, quia sex diebus opera sua perfecit Deus. Et octoginta concubinæ. Concubinæ sunt, qui non sunt casti, id est, qui non vera & sola dilectione Dei annunciant Euangeliũ, sed propter terrena lucra, aut pro humana laude. Sed mirum est, cur per octogenarium numerum hoc tale designatur, cùm hic numerus perfectissimus in omnibus diuinæ scripturæ locis inueniatur: illi autem imperfecti & praui comprobantur. Ideo puto quòd licet imperfecti sint: perfectionem tamen in vultu per hipocrisim ostendunt & ore; qui cùm sint nequissimi, alios tamen per Euangelium gene- *Matt. 7.* rant ad perfectionem, de quibus Saluator. *2. Cor. 11* Attendite à falsis Prophetis, &c. Ipse quoque Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Et adolescentularum non est numerus. Adolescentulæ iam in Christo renatæ, quæ deposita primi hominis vetustate in Christo renouatæ sunt, necdum nubiles, necdum thoro Regis aptæ; quia necdum ad prædicationem de Christo peruenerunt. Quarum non est numerus, quia non est numerus animarũ in Christo credentium, sed soli Deo cognitus. Et quamuis tot sint Reginæ, tot concubinæ, tot adolescentulæ, tamen.

*Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ.* Vna est columba mea speciali simplicitate, perfecta mea virtutum plenitudine: vna est filia scilicet matris suæ, electa genitrici suæ, videlicet synagogæ, de qua descendit Christus secundùm carnem, & ideo Mater eius dicitur. Hęc specialis fuit Virgo MARIA inter omnes dignissima, inter omnes vnica, inter omnes benedicta.

*Viderunt eam filiæ Syon, & Beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ laudauerunt eam* Filiæ Syon, id est, animæ sanctę, quæ iam per fidem & spem sunt in speculatione, viderunt eam, & Beatissimam prædicauerunt. Non Beatam dixerunt, sed Beatissimam prædicauerunt, quę Dei Filium genuit, quæ Virgo permansit, humilitate prædita, virginitate beata, reuerentia laudabilis, obediẽtia spectabilis. Et nota, quòd superius vocauit adolescentulas eas, quas modo vocat filias Syon. Reginę vt superius dictum est, vocantur Doctores Ecclesiæ, qui suæ prædicationis prędonio Virginem laudant, Beatissimam prædicant, filias Syon ad eius imitationem inuitant. Et concubinæ laudauerunt eã. Concubinæ, vt dictum est, dicuntur illi qui intuitu fauoris humani, vel terreni emolumẽti Dei gloriam prędonantur, nec laudes Virginis Matris silent laudantes in hunc modum.

*Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora.* Quantę dignitatis est, quæ cum tanto honore, & cum tata gloria progreditur, vt merito suæ pulchritudinis auroræ comparetur? Progreditur inquam de virtute in virtutem, quasi aurora, quia sicut aurora solem super terram lucentem mundo inducit: sic Virgo MARIA quasi cælestis aurora solem iustitię mundo parit. Aurora solem antecedit, sed ipsa tamen à solis virtute procedit: sic Virgo veri luminis prævia, id est, solis iustitiæ est prænuncia: sed tamẽ ab ipso spirituali gratia est illuminata. Et verè quasi aurora consurgens, id est, tota simul surgens, quia tota fuit sancta, & corpore & spiritu splendens.

*Pulchra vt luna, electa vt sol.* Nam sicut luna noctem irradiat, ita hæc exemplo nos illuminat, solem iustitiæ pariendo, tenebras nostræ ignorantiæ eliminat. Et sicut luna illuminatur à sole, sic Virgo illustratur veri solis claritate. Et sicut pulchra est vt luna, imò plusquam luna, quia luna aliquando deficit ista semper proficit: luna decrescit, ista semper crescit: luna aliquam in se habet maculam, ista nullam, ideo electa vt sol, qui in se nullum habet defectum luminis: sicut sol omnibus mundanis antefertur: sic ista omnibus creaturis præfertur, & ipsum verum solem imitari nititur viuendo in omni humilitate, mansuetudine, iustitia, & sanctitate. Et sicut sol suũ cursus solitas non mutat habenas, sic Beata Virgo propositum, quod semel arripuit, non mutauit.

*Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quibus terribilis? Principibus tenebrarum diabolo & Angelis eius. Hos terret, & pangit, & pro suorum famulorum erectione sępè improbos reprimit, & retundit malignãtium insultus. Terribilis inquam hæreticis, quos tua virtute confundis: & perfidis, quorum errores à tuis delectationibus auertis. Vt castrorum acies ordinata, id est, ità fide, spe, & dilectione munita, vt nullis tentationibus inimici valeat penetrari. Nota, quòd Reginæ vocauerunt eam auroram, lunam, & solem, & ordinatam vt castrorum aciem, Christus autem vocat hortum suum, dicens.

*Descendi in hortum meum, vt viderem poma*

*ma conuallis.* Quasi diceret. Quia talis est Virgo, iam humanatus sum in virginalis uteri thalamo. Hic est hortus in quo spirant virtutum aromata, in quo redolent patientiæ rosaria. Hic est hortus fructibus redundans, copijs exuberans, flore virginitatis vernans, quem nõ venti tangit austeritas, vbi mollioris auræ gratia indesinenter aspirat, & vernalis amœnitas allicit intuẽtes. Et nota, quòd vbi habemus in litera nostra meum: quidam codices habent nucum, quod eleganter conuenit Virgini glorioſæ, Nux quippe habet amarum corticem, testam duram, nucleũ dulcissimum; ita Virgo Mater exterius habuit carnis infirmitatem, & duram testam, id est, fidei firmam constantiam, & virginitatis perseuerantiam: & dulcissimum nucleum Christũ: quia mundo parit Christum, ex quo data est nobis dulcedo æternæ beatitudis: Sic ergo Christus descendit in Virginem per incarnationis suæ humilitatem, vt videret, hoc est, videre faceret poma conuallis, id est, fructus qui in humilitate condiuntur. Dicitur autem Deus aliquid videre, id est, aliquid videri facere, iuxta quod ad Abraham dictũ est. Ego cognoui (id est, alios cognoscere feci) quòd timeas Deum.

*Genes. 22*

*Et inspicerem si floruisset vinea, & germinasset mala punica.* Id est, considerarem quomodo Ecclesia per orbem diffusa in virtutibus floret, & illos sollicitè inspiceré, qui iam maturi sunt ad perferenda martyria. Hæc enim omnia magnam vigilantiam, & sollicitudinem, & dilectionem quam habet erga Ecclesiam commendant.

*Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Ita Christus venit in carnem, & de me assumpsit carnem dicit Virgo, sed antequam veniret in me, nesciui ipsum scilicet venturum in me. Sciebam ipsum nasciturum de Virgine, sed qua nesciebam. Et hoc est quod dicit nesciui, Filium Dei scilicet de me nasciturum ante Angeli aduentum: vnde & ad sermonem ipsius Angeli. Anima (inquit) mea conturbauit me: quia cogitabam qualis esset ista salutatio.

*Luc. 1.*

Hoc est quod in Euangelio legitur. Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et hoc propter quadrigas Aminadab. Nota, quatuor fuisse, per quæ Christus venit in Virginem MARIAM, humilitas, charitas, misericordia, prudæntia. Venit enim in summa humilitate Fius Dei ad Virginem, vt tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuerat superbia in primo peccatore. Tanta enim fuit superbia in primo parente, vt se erigeret cõtra suum Creatorem, tanta humilitas in Dei Filio, quòd se inclinauerit vsque ad miseriæ carnis nostræ assumptionem. Mulier prima voluit se æquare Deo, se humilem Dei ancillam professa est gloriosa Virgo. Similiter ex summa charitate Filius Dei inclinauit se. Quæ enim est maior charitas, quàm Filium Dei venire in mundum, vt redimeret seruũ, vt sanaret ægrotum. Similiter summa pietas, & misericordia incarnauit Filium Dei. Quæ enim maior pietas & misericordia, quàm Deum se exinanire, & serui formam accipere, quàm opificem opus suum eripere de lacu fecis & miseriæ. Et summa etiam prudentia fuit, quòd se Dei sapientia incarnauit, vt homo hominem redimeret. Hęc quatuor humilitas, charitas, misericordia, prudentia, fuerunt quasi quædam quadriga, per quam incarnatus venit ad nos Dei Filius. Hæc autem quatuor admirata est Virgo in sermone Angelico, humilitatem, charitatem, misericordiam, & prudentiam, quæ Christus exhibuit nobis, cùm carnem assumpsit in virginali vtero. Hæc autem dicuntur quadrigæ Aminadab, id est, Christi. Aminadab pronepos fuit Iudæ Patriarchæ, per quam generatio Christi contexitur, qui interpretatur populi mei spontaneus. Et significat Christum, qui populo suo spontaneus fuit, quia cùm esset Deus se ipsum pro ipso tradidit. Sed quasi ad Virginem turbatam in sermone suo respondeat Angelus, sequitur.

*Reuertere reuertere * sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te.* Reuertere ad te. Ne timeas, inuenisti enim gratiã apud Dominum. Reuertere ad scripturas, vt de scripturis quæ dico intelligas. Quia ecce cõcipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Emanuel. Et quæ prius fuisti sunanimitis, id est, captiua sub onore legis (sunanimitis enim captiua interpretatur) reuertere ad libertatem Euangelicæ digniratis. Et quæ ignoras huius conceptionis speciem, ab hac ignorantia reuertere ad modi concipiendi cognitionem. Spiritus enim sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Vt intueamur te non solum per sciẽtiam, vel gratiam, verumetiam per incarnationis præsentiam. Vel possunt esse verba sanctorum spirituum assumptionẽ Virginis desiderantium. Quòd dicitur reuertere reuertere, quasi dicant. Primò reuertere à captiuitate mundi, quia captiuitati mũdi non debes subijci, per quam captiui à captiuitate sua sunt soluti. Secundò reuertere ab onere, siue corruptione carnis, quia sicut immunis es à corruptione peccati: sic ad immortalitatem trãsire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei. Tertiò reuertere ad libertatẽ filiorum Dei, quia sicut nunquam regnauit peccatũ in tuo mortali corpore: sic digna es perfrui eadem spiritus libertate in carne virginali, qua fruũtur in spirituali scientia Angeli, ab ipsa sui creatione, siue potius confirmatione. Quartò reuertere, vt intueamur te, à dignitate Angelorum

* *Sulamitis.*

*Luc. 1.*

*Ibidem.*

*Ibidem.*

*Rom. 6.*

lorum ad superexcellentiam iam beatificatorum spirituum. Quia sicut in faciem Filij tui desideramus prospicere, sic in specie, & pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illustrari omnibus modis satagimus. Et quasi Christus hæc loquens sermonem dirigeret ad Spiritum sanctum, Sequitur.

## CAPITVLVM VII.

*Quid videbis in sunamite, nisi choros castrorum.* Chori castrorum sunt conuentus virtutũ, quæ in Virgine ordinantur, quibus Virgo contra vitia, dæmones, & hæreticos munitur Et nota, quòd chori sunt canentium; castra verò pugnantium. In Virgine ergo fuerunt chori canentium, quantùm ad cõsonantiam virtutum: castra verò pugnantiũ; secundùm quod Virgo circunsepta, & sanctis disciplinis instructa vitiorum, & dæmonum repellebat insultus. Et adhuc ad Virginem Christus sermonem dirigens, ait.

*Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia principis.* Gressus tui gloriosa Virgo sunt nobilitas, virginitas, fœcunditas, nobilitas generis, integritas carnis & mentis, fœcunditas prolis. Calceamenta sunt affectus, effectus, profectus, excessus, affectus in mediationibus, effectus in operationibus, profectus in desiderijs, excessus in gaudijs. Tu autem es principalis filia principis, Dei videlicet, qui est Princeps Principum, & Dominus Dominantium, quia te specialiter per gratiam genuit, specialiter informauit: ita tamen Dei filia, quòd & eius Mater intacta. Vel per pedes & gressus intelliguntur mentales affectus, qui omnino purgati fuerunt, & decorati in incarnatione Christi. Per calceamenta figuratur incarnatio diuina. Calceamentum enim solet fieri de pelle mortui animalis, nec tota pellis cedit in calceamentum hominis: sed potius pars pellis. Humana autẽ natura mortificata erat per penas & culpam. Hanc pellem humanæ pœnæ assumpsit Christus quantùm ad naturę substantiam, sed non totam quantùm ad naturæ circunstantiam, quia ita assumpsit pœnam, quod non culpã. Sic ergo quasi calceamentum applicuit, quãdo humanam naturam assumpsit. Prosequens autem pulchritudinem Virginis, ait.

*Iunctura * femorum tuorum, sicut monilia.* Femora solent esse generationis signa. Iunctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quàm concordia duarum fœcunditatum, quæ fuerunt in Virgine: vna mentis altera ventris Et hęc iunctura fuit, sicut monile, id est, habuit secum comitem duplicem, virginitatem carnis, & virginitatem mentis. Per monile solet notari castitas. Monile enim solet apponi pectori ad ornandum, & in castitas signũ: vnde dicitur monile, id est, monens castitatem. Est ergo sensus. Iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia, id est, sicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita duplici virginitate.

* Fœminum.

*Quæ fabricata sunt manu artificis.* Id est, Dei omnipotentis, cuius largitate omnis virtus collata est Virgini, vel manus artificis, id est, Filio Dei. Ipse enim est manus Dei Patris, per quem fecit & secula. *Hebr. 1.*

*Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquã indigens poculis.* Sicut in viro vis concupiscendi sedẽ habet in lumbis, sic in fœmina vis concupiscendi in vmbilico. Vmbilicus etiam est in medio ventris. Per vmbilicũ igitur Virginis, intelligitur vis intelligendi, qua Deum dilexit scilicet charitas. Hæc, in Virgine fuit quasi crater, quia ea mediante, Virgo mũdo lætitiæ vinum propinauit, de qua dicitur. Calix meus inebrians, quàm preclarus est. Et alibi: vinum lætificat cor hominis Et benè crater tornatilis dicitur, quia torno facilius operamur. Et ipsa Virgo sine omni difficultate, sine omni illecebra, sine omni carnis angustia, concepit, & peperit. Nunquam indigens poculis. Minus dicit; & plus significat, id est, plenus poculis, quia in mundo propinant vinum dilectionis, vinum salutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ. Nec mirum si vmbilicus tuus talis est: quia. *Psal. 22. Psal. 103.*

*Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Eleganter venter Virginis comparatur aceruo tritici, quia de ipso processit granum frumenti, quod cadens in terram, & mortuũ; multiplicem fructum attulit: ex quo processit in Ecclesia Dei multiplicata seges fideliũ, & credentium. Venter inquam vallatus lilijs; quia & si plenus fœcunditate; decoratus tamen virginitate. *Ioann. 12.*

*Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli* Duo vbera Virginis possunt intelligi caro, & anima ipsius, quia caro ab omni concupiscentia mundata, & virginitate decorata: & anima virtutũ delitijs referta, in quibus (quia Christus delectatus est) fuerunt ei quasi vbera à quibus contraxit specialiter, & iocunditatis, & dilectionis pabula. Illa fuerunt quasi hinnuli capreæ. Caprea Christus est, quia sicut animal illud perspicuitate intuitus insignitur, & in altis commoratur, sic Dei Filius in cælestibus habitat, & omnia sua sapientia penetrat. Huius duo hinnuli sunt corpus & anima Christi, quia sicut hinnuli à caprea procedunt, nec ab ea recedunt; immo etiam comitantur, eiusque vberibus lactantur: sic caro Christi ab ipso Christo formata; animaque creata ipsum sequuntur euntem in cœlum, & ab vberibus diuinitatis eius delectabiliter pascuntur. Præter hæc omnia.

*Collum tuum sicut turris eburnea.* Id est, doctrina tua, qua instruxisti Euangelistas, fuit

fuit firma, & in nullo vacillans, in nullo dubitans, simpliciter docens, nihil falsitatis admiscens, & in omni sanctitate, & sanctimonia docens. Ebur enim castitatem & munditiam in scripturis significat. Similiter.

*Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Oculi Virginis dicuntur vita contẽplatiua, & vita actiua, in quarũ altera scilicet actiua, videt quid agendum: in altera videlicet contemplatiua, quid diligendum. Istę comparantur piscinis, quia & Virginẽ spirituali refectione faciant, & à macula peccati liberant. Hæc sunt in Hesebon, id est, in cingulo mœroris. Hæc enim est interpretatio huius nominis. Virgo enim quantùm ad actiuam vitam vallatur cingulo mœroris, pro diuturnitate laboris, & miseriæ, & quantùm ad contemplatiuam pro dilatione patriæ. Quæ piscinæ sunt in porta filiæ multitudinis. Sancta Ecclesia rectè dicitur multitudinis filia, quia numerositatem gentiũ quotidie colligit. Hęc porta est fides, vel lauacrum baptismi, per quod pater aditus in Ecclesiam Dei. In porta ergo filiæ multitudinis sunt istæ piscinæ, quia per fidem Ecclesiæ comparantur prædictæ vitæ; à simili.

*Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Per nasum figuratur Virginis discretio, qua discernebat fœtorem vitiorum ab odore virtutum. Hinc comparatur turri Libani, quia tãquam turris defendebat ab incursibus malignantium. Et benè turri Libani similis dicitur. Libanus enim candidatio interpretatur, quia eam candore virginitatis venustabat, & cõtra vitia defendebat. Hæc contra Damascum respicere dicitur. Damascus enim sanguinis potus, vel sanguinis oculus interpretatur, ideo significat voluptates & illecebras carnis: per quod insinuatur, quòd discretio Virginis contraria erat voluptatibus & illecebris.

*Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui, sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Carmelus qui & Chermel dicitur, mons est, & interpretatur cognitio circuncisionis, & significat Christum, qui vera circuncisione fideles suos ab omnibus vitijs circuncidere nouit. Et est caput Virginis, cuius comæ sunt omnes fideles. Quæ comæ tinctæ sunt sicut purpura Regis, quia sanguine veri Regis decorantur. Iuncta canalibus. Per purpuram Christi passio, per canales corda nostra significantur. Quia sicut per canales aqua decurrere solet; ita per corda nostra compunctio ex recordatione passionis Christi. Iungitur itaque purpura Regis, id est, passio Christi canalibus, id est, humilibus cordibus nostris, quando ipsis intimis cordibus nostris vera charitate Christo passo compatimur: quia & si compatimur, & conregnabimus. Et ideo.

*Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delitijs.* Quàm pulchra es exterius per actiuam vitam, & quàm decora interius per contemplatiuam: charissima in delitijs, id est, in dilectione Dei & proximi, quia.

*Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Palma horridam quandam radicem habet, asperum corticem, roboris firmitatem, stipitis proceritatẽ, pulchra in culmine, delectabilis in flore, dulcis in fructificatione. Solet etiam deferri in signum victoriæ. Statura ergo Virginis glorioſæ, id est, processio vitæ eius assimilatur palmæ. Ipsa enim processit de radice horrida, id est, de peccatrice synagoga, tanquam de spina rosa. *Prou. 9.* Asperum habuit corticem, quia quantùm ad secularem honorem fuit firma, quantùm ad diuitias temporales paupercula. Sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit in stipite, quia ad cœlum suspensa animi intentione. Pulchra in culmine, in virginitatis, & humilitatis celsitudine, delectabilis in flore, quia sine concupiscentia concepit florem campi, & lilium conuallium. Dulcis in fructificatione, quia sine pœna peperit mundi Redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum vitoriæ & exemplum, vt sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum: ita & nos vincamus iuxta posse nostrum. Et vbera tua botris, quia vt superius diximus, vbera MARIÆ dicuntur virginitas & humilitas, in quibus delectatus est Christus: quæ nobis proposita sunt ad informandum, & instruendum, vt sequamur vestigia eius. Et comparantur botris, quia botrus in flore parit odorẽ, in fructu dulcedinem. Calefacit etiam & reficit, sic virginitas & humilitas Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant, calefaciunt in amorẽ, & reficiunt ad spiritualem satietatẽ. Et sicut descendi in te palmam, ita ascendam in palmam, id est, crucem. Loquitur ergo ad sponsam de passione sua, & reuelat ei consilium suum, quòd ab æternis temporibus erat apud Patrẽ dispositum, quòd Virgini celare noluit. Et hoc est quod ait. Dixi, id est, æternaliter & incommutabiliter statui. Ascendam in palmam, id est, in crucem. Palmã dicit, quia signum triumphale est contra omnem potestatẽ inimici, & apprehendam fructum eius. Fructus palmæ illius totus mundus dignoscitur esse per crucem redemptus: vnde idem saluator ait: Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Et hoc est quod dicitur. *Ioan. 12.*

*Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Vnde & sequitur.

*Et erunt vbera tua, sicut botri vineæ.* Postquam Christus passus est, & per resurrectionẽ, & ascensionẽ, & Sancti Spiritus missionẽ dilatata est fama nominis Christi, vbera Virginis, id est, humilitas & virginitas emi-

emiserunt odorem bonæ opinionis: Virginis imitatores exemplo reficiendo, & ad amorem eius inflammando. Vel duo vbera dicuntur quo brachia charitatis, quibus Christum dilexit Virgo, quæ in passione fuerunt quasi botri: quia dilectio Virginis in passione Filij magis flagrauit per apparitionem, & eam sobriè inebriauit per dolorem. Et tunc.

*Et odor oris tui sicut odor malorum.* Ideſt, fama & opinio operum tuorum erunt sicut odor malorum, quia veniet ad matùritatem, & alijs exhibebunt suauissimum odorem.

*Guttur tuum sicut vinum optimum*, id est, meditatio tua in scripturis, per quam formatur verbum sanctæ institutionis, & spiritualis cibus sacræ scripturæ traijcitur in stomachum ventris, est sicut vinum optimum, id est, comparatur vino optimo: quia & sobriè inebriat, & à curis temporalium liberat. Cùm hæc diceret Christus, quasi verba interrumperet. Sequitur.

*Dignum dilecto meo ad potandum, labijsque, & dentibus illius ad ruminandum.* Quia meditatio mea in scripturis, ita placet Deo dilecto meo, sicut alicui placet poculum odore & sapore. Labijsque & dentibus illius ad ruminandum. Per labia Doctores, & per dentes prædicatores intelliguntur, qui in sacra scriptura suam habebant meditationem. Nec absurdum est, quia cùm vinum potetur, & non ruminetur, quod magis ad cibũ, quàm ad potum pertinet. Nam sancti Doctores spirituale vinum ruminant, quando spiritualia præcepta diligenter inquirunt, & crebra meditatione inuestigant, atque inuicem conferunt. Sic ergo vinum optimum propino dilecto meo. Et hoc est quod sequitur.

*Ego dilecto meo, & ad me cõuersio eius.* Ego dilecto meo propinò sanctæ meditationis poculum, & ad me conuersio eius per adiutoriũ: quia sine eo nihil facere possum. Et quia meditatio mea in sacra scriptura nullum habet vigorem sine inspiratione tua, Ideo.

*Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Veni ad me per sacræ scripturæ reuelationem, & sic egrediamur in agrum, id est, in sacræ scripturæ scrutinium. Et nota, quòd eleganter sacra scriptura ager dicitur, quia sicut in agro pullulat florum diuersitas, herbarum varietas: sic in sacra scriptura sententiarum pluralitas. Sententia illa quæ ad castitatem monet, lilij tenet imaginem: quæ ad martyrij patientiam, rosæ gerit similitudinem: quæ ad pœnitentiam, violæ repræsentat speciem.

*Commoremur in villis.* Commoremur in villis, id est, in obscuris libris diligens adhibendo studium, vt ex fumo elicianus lucem, ex nocte solem, ex obscuro splendorem. Eleganter autem villæ obscuros libros sacræ scripturæ significant, quia sicut in villis non est frequens strepitus hominum, nec tantus tumultus ciuium, quantus in vrbibus & ciuitatibus: Sic in obscuris sacræ scripturæ locis non tanta perstrepit garrulitas hominum, quàm in apertis locis. Obscura enim sacræ scripturæ loca longè sunt relegata à vulgari intellectu. Et sic.

*Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* Mane surgamus ad vineas, id est, ad spiritum à litera surgentes, ab historia ad mysticum sensum, accedamus ad sacras scripturas, in quibus virent frondes historiæ, redolet flos allegoriæ, satiat fructus tropologiæ. Et hoc mane, id est, per diluculum spiritualis intelligentiæ. Et sic videamus, id est, experiamur, hoc est, me experiri facias, si floruit vinea, id est, sacra scriptura in me per allegoricum sensum. Si flores fructus parturiunt, per moralem intellectum, quia sicut post florem sequitur fructus: sic moralis intellectus post allegoricam interpretationem ad nostri informationem. Si floruerunt mala punica. Malum punicum exterius habet corticem, interius continet granorum plenitudinem. Hęc est sacra scriptura, quæ exterius repræsentat corticem literæ, interius continet fœcunditatem spiritualis intelligentiæ. Malum ergo punicum in mente floret, quando hominem spe æternæ beatitudinis sacra scriptura ad patientiam monet. Robur enim, & rubeum quod exterius malum punicum demonstrat, tolerantiam passionum designat.

*Ibi dabo tibi vbera mea.* Id est, in ipsa meditatione scripturæ manifestabo duplicem charitatem, qua te diligo, secũdùm quod Deus es, & secundùm quod homo. Ex frequẽti enim sacræ scripturæ meditatione inardescit charitas: ibi enim inuenitur, quod nobis contulit Christus, secundùm quod Deus, & secundùm quod homo.

*Mandragoræ dederunt odorem] suum in portis nostris.* Quid per mandragoras, herbam scilicet medicinalem, & odoriferam, nisi perfectio virtutum glorioſæ Virginis intelligitur. Quæ dum exempla bonorum operum circumquaque per bonam famam tribuit, quasi odorem, quo ægroti sanantur aspergit. Et hoc in portis, id est, in virtutibus, quæ sunt portæ ad vitam. Nec solùm mandragoræ dederunt odorem suum, sed &.

*Omnia poma noua, & vetera dilecte mi, seruaui tibi.* Hoc est, præcepta, vel sententias, vel promissa noui, & veteris Testamenti seruaui tibi, id est, ad nomen tuum, & in te per te implenda esse intellexi. Scio enim omnia quæ in veteri Testamento annunciata sunt, non nisi tua auctoritate posse

impleri. Per poma autem sacrarum Scripturarum sensus intelliguntur, qui dum à sanctis Patribus ad nos perueniunt, & creduntur: quasi quendam odorem per intellectum pariunt, & mentem spiritualiter reficiunt. Ergo, ò Christe, tu qui modò es in sinu Patris assume formam hominis.

## CAPITVLVM VIII,

*QVis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris?* Sed quis mihi det te fratrem meum, id est, quis efficere poterit, vt particeps meæ naturæ existens frater appelleris, te inquam sugentem vbera Matris meæ, hoc est, assumentem omnia, quæ humanæ naturæ sunt absque peccato, nisi Deus Pater. Mater Virginis synagoga dicitur, de qua descendit & Christus. Sugere ergo vbera Matris Virginis, est sugere vbera synagogæ. Introducitur autem hic Virgo MARIA, loquens secundùm statum, in quo erat quando respondens Angelo, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et quis etiam det, vt inueniam te solum foris, id est, vt agnoscam in humana natura incarnatum de mea substantia? Quasi enim Deus intus erat cùm in sinu Patris latebat: sed foris inuentus est, cùm se mundo visibilem præbuit.

*Luc. 1.*

*Et deosculer te, & iam me nemo despiciat.* Deosculer te, id est, multum delecter in te, & tu delecteris in me, Et nemo iam me despiciat, sicut prius antequam venires in me. Quia ante Filij incarnationem nullius momenti esse videbatur, sed post conceptionem & partum in magno honore est habita, non solùm ab hominibus, sed etiam ab Angelis: quia inter mulieres benedicta, imò super choros Angelorum exaltata. Et cùm in carne veneris.

*Apprehendam te, & ducam in domum Matris meæ.* Aprehendam te, id est, summa dilectione amplectar, & ducam in domum Matris meæ. Mater Virginis synagoga est: cuius synagogæ domus & cubiculum, vetus est lex, in qua habitat. In hanc ergo domum siue cubiculum introducit eum Virgo MARIA, quando omnia quæ de eo in veteri Testamento scripta sunt, diligenter considerat, & intelligit veraciter in Christo completa. Et hoc est quod sequitur.

*Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino conditum, & mustum malorum granatorum meorum.* Ibi, id est, in veteri Testamento docebis me, id est, aperies mihi sensum, vt intelligam omnia quæ in lege Prophetis & Psalmis scripta sunt de te. Et dabo tibi poculum ex vino conditum. Poculum vino conditum dedit Virgo MARIA Christo, quando nouum Testamentum consonare veteri intellexit in ipso, Et quasi vino poculum condiuit, quia dulcedinem Euangelij testimonijs legis, quæ aspera est, vt rubustiùs teneatur tingendam esse cognouit. Et præterea dabo tibi mustum malorum granatorum meorum, id est, prædicto modo ad te referam spiritualem intelligentiam in me feruentem per crebram meditationem. Et benè mysticum sensum, mustum vocat, quod adeò feruentissimum est, vt omnem sordem nimio feruore à se excoquat. Quia spiritualis intelligentia legis Moisaicæ à se literalem sensum, quasi fecem eliminat. Et ideo quia eius gratiam & ineffabilem dulcedinem sentio, iam terrena omnia postpono, ipsam etiam vitam carnis pro eius amore contemno, & ad eius beatitudinem videndam totis desiderijs anhelo. Virgo enim menti suæ ea quę videbat, suppósuit, & ea quę nõ videbat, omni conatu, & vniuersis cogitationibus appetijt, quæ tanto desiderio cælestia sectabatur, vt omnia visibilia pro nihilo reputaret mentem suam cælestibus desiderijs occupans.

*Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ista ergo leuam sub capite habebat, quia mente erecta ad beatitudinem vitam præsentem sub se portabat. Et dextera Christi eam amplexabatur, quia ex omni parte cælestis eam dilectio tuebatur. Et quia Virgo in contemplatione erat, dum veniret, Euangelistas Christus admonet, ne Virginem à somno contemplationis excitantes ab ea quærant, quæ gesit Christus in carne, nisi quando ipsa illis voluerit reuelare. Fuit enim tempus quando Virgo contemplationi vacauit, fuit tempus quando multa de gestis Christi Apostolis reuelauit. Et hoc est quod dicitur.

*Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Et quia tanti meriti fuit Virgo, eam assumptam in cœlum laudant cum admiratione exercitus cęlestium spirituum in hunc modum.

*Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Descendit Virgo in desertum, ascendit per desertum, ascendit super desertum, ascendit de deserto. Descendit in desertum, per natiuitatem: ascendit per desertum, progrediendo de virtute in virtutem: ascendit super desertum omnem, mundanorum contemnens sublimitatem: ascendit de deserto, in æternam beatitudinem. Et hoc est quod hìc dicitur. Quæ est ista, id est, quanti meriti, quantæ dignitatis, quæ ascendit de deserto, id est, de mundo in cœlũ: dilitijs affluens, id est, multis virtutibus insignita? Innixa super dilectum suum, quia Christo per dilectionem adhærens, & in solius Christi auxilio confidens, de largitate ab exilio ad patriam

transf-

transfertur. Vnde verò accipit illa, vt ab infimis ad superiora, à deserto ad regnum ascendere posit, manifestat dilectus, cùm subdit.

*Sub arbore malo suscitaui te.* Arborem enim non malam, sed malum vocat Christus crucem suam, propter æternæ beatitudinis fructum, quem per crucem Virgo Mater accepit, & cum ipsa cæteræ fideles animæ, sed illa plenius. At propter bonum odorem crucis Christi in omnes gentes, & quia illa gloriosa malum sustinuit (de qua superius dictum est, Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.)

*Ibi corrupta est Mater tua.* Scilicet, sub ipsa cruce per incredulitatem corrupta est synagoga, de qua secundùm carnem descendit Virgo MARIA: vnde & sequitur.

*Ibi violata est genitrix tua.* Genitrix tua, id est, eadem synagoga ibi violata est à diabolo. Vel sic. Sub arbore malo suscitaui te, id est, sub me qui dicor arbor malus prædictis rationibus, suscitaui te, id est, ad virtutum plenitudinem exaltaui, per hoc quod in te, & ex te incarnatus sum, exaltata es super choros Angelorum. Ibi corrupta est Mater tua, id est, in me synagoga peccauit, Et hoc est quod sequitur: ibi violata est. Et quia exaltaui te. Ideo.

*Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Signaculum dicitur, cuius sigillum, vel forma, vel imago solet ceræ imprimi, vt cera recipiat formam sigilli, vt secreta celentur ignotis, aperiantur notis. Sic Virgo MARIA Christum cor suum posuit, vt signaculum, quia ipsi per imitationem conformata est, eiusque gratia consignata: vnde legitur. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. *Psalm. 4.* Hoc autem fuit incognitum diabolo, & cognitum Angelo. Et pone me, vt signaculum super brachiũ tuum, id est, in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor Virginis, & super brachium dilectus, vt signaculum ponitur, quia in cogitationibus, & in actionibus Virgo MARIA Filium imitabatur. Per cor enim cogitatio, & per brachium operatio significatur. Et ideo hoc facis.

*Quia fortis est vt mors, dilectio.* Quia sicut mors separat animam à corpore, & iam nihil concupiscere in præsenti vita homini licet, ita dilectio, qua Virgo Christum dilexit, totam Virginem huic mundo mortificauit, & insensibilem reddidit, soli Christo viuentem, & mundo mortuam. Et verè dilectio illa fortis est in Virgine, quia.

*Dura sicut infernus, æmulatio.* Id est, dilectionis exequutio & effectus, est dura sicut infernus. Quia quemadmodum infernus eos, quos semel recipit, nunquam dimittit, ita postquam charitas in Virgine venit, nunquã eam dimisit. Nec mirum (inquit) si dilectio tua tantæ sit fortitudinis, quia.

*Lapãdes eius, lampades ignis, atque flammarum.* Lampades, id est, ardores & compunctiones dilectionis illius sunt lampades ignis & flammarum, quia lucem boni exempli alijs effundunt. Lampades ergo dilectionis præcordia sunt Virginis, in quibus velut in vasis dilectio habitabat. Ergo lampades erant ignis, quia intus ardebat per amorem, & lampades flammarum, quia exterius lucebant per operationẽ. Lampades, inquam, sunt sicut flammatus ignis, quod potest per hoc probari, quoniam.

*Aquæ multæ non * potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Multæ aquæ, id est, minæ persequutorum, vel blandimenta seculi, vel tribulationes, quæ per aquas significantur, non potuerunt extinguere charitatem, quæ est inter me & te. Nec flumina, id est, impetuosæ persequutiones obruent illam dilectionem. Quamuis enim persequutores corpus occidant, animam tamen non possunt occidere. Tantæ ergo dignitatis (vt dictum est) existit dilectio tua, & si non tantam debet vnusquisque habere, quòd. * Poterunt.

*Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet * eam.* Quia omnis substantia huius mundi vilis est, & quasi arena exigua in comparatione dilectionis. Et hinc est quod electi non solum substantiam suam, verum etiam seipsos ad mortem pro dilectione Christi tradiderunt. Hucusque locutus est Christus de Virgine secundùm statum post incarnationem, nunc loquitur de eadem secundùm statum, quem habuit ante tempus incarnationis: Et introducitur loquens ad Angelos de mittendo nuncio ad Virginem, & de incarnatione celebranda in Virgine. Ait ergo. * eum.

*Soror nostra * parvula est, & vbera non habet.* Virgo MARIA parvula est humilitate, paruula ætate secundùm aliquos, qui dicunt eam fuisse tredecim annorum, quando Dei Filius ad eam misit Angelum: paruula etiam terrenæ possessionis modicitate, paruula opinione. Et vbera non habet, id est, non est fœcunda per conceptionem. Vel adhuc non habet tanta vbera, quanta est habitura, videlicet charitatis, hoc est, adhuc non habet tantam dilectionis plenitudinem, quantam habitura est post incarnationem ad diligendum me Deum & hominem. * parua.

*Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquẽda est?* Ista interrogatio nõ est ignorãtis, sed dispensatoria. Nouit enim quid factu-

rus sit Deus. Quid (ait Angelos) faciemus sorori nostræ, id est, Virgini MARIÆ, quę soror dicitur Christi, ratione humanæ naturæ, secundùm quã Virgo quodammodo erat futura soror Christi, quia in humana natura ei conueniens: erat etiam soror Angelorũ, quãtùm ad spiritualis gratiæ participium, in qua Christus futurus erat similis MARIÆ, & angelicæ naturæ. In die quando alloquenda est, id est, quo tempore Gabriel Archangelus eã est alloquuturus.

*Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea*, id est, si firmum propositũ habet virginitatẽ seruandi, quam Deo vouit (quod quidem habet) ædificemus super eam propugnacula argentea, id est, instruamus eam in scientijs diuini eloquij, vt credat de se nasci Filium Dei iuxta autoritates diuini verbi: si obseruauerit virginitatem carnis & animi.

*Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Si ostium est, id est, si mihi per fidẽ, & obedientiam, & humilitatem præbuerit aditum ad se, vt incarner de ipsa, compingamus illud tabulis cedrinis, id est, instruamus illud in sacris scripturis, vt intelligat de se esse dicta, quæ à Prophetis de Virgine sunt prædicta. Et quasi ad hoc respondeat sequitur.

*Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Ego sum murus, id est, firmum habeo propositum virginitatis, hoc est, quod in Euã gelio legitur. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, id est, propositum non cognoscendi habeo? Et vbera mea sicut turris, id est, humilitas, & virginitas mea immobiliter me custodiũt, & in me immobiles sunt. Ex quo facta sum coram illo, quasi pacem reperiens, id est, ex quo in me humilitatẽ & virginitatem habui, in quibus maximè Christo & Angelis placui, quia similia similibus gaudent. Et nota, quòd eleganter ait, quasi pacẽ reperiens, ad designandũ, quòd in mundo nõ est vera pax: sed quasi pax & vmbra pacis: vnde Christus discipulis ait, Pacem meã do vobis, id est, pro futuro, sed modo relinquo vobis, id est, pacis reliquias. Nec mirum si ita me munit Christus, quia Ecclesiam suã ab initio muniuit Christus, & prius in Abel iusto. Et hoc est quod sequitur.

*Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, tradit eam custodibus.* Vinea fuit pacifico, id est, Ecclesia coniuncta est Christo, quã Christus tanquam vinitor pacificus excoluit redimendo à peccatis, informando virtutibus, delectando in eius fructibus, id est, bonis operibus. Et quod fuerit pacificus apparet in ea pace, quæ tenet populos, quia nisi esset pacificus, nec dum pax esset in terra inter hominem & Angelum. Per hunc enim pacificata sunt, quæ in cœlis, & quæ sunt in terra. Vel ad vineam, id est, Ecclesiam potest referri quod dicitur, quæ habet populos, quia de Ecclesia sunt populi ad fidem conuersi: & eam non reliquit Christus negligenter, sed tradidit eam custodibus, id est, prædicatoribus Apostolis, & eorum successoribus, & etiam Angelis, qui eam semper custodiunt. Coloss. 1.

*Vir affert pro fructu eius mille argenteos.* Inquantum vinitor ille pacificus eam excoluit, & operandi facultatem, & mercedem habendi pacẽ tradidit, quòd * vir? id est, ille non mollis, sed fortis affert pro fructu eius remunerationem promissam Ecclesiæ: mille argenteos, id est, vniuersam substantiam suam. Mille enim argentei significant omnia quæ in hoc mundo possideri possunt. Millenarius enim numerus pro summa perfectione ponitur. Vir ergo affert mille argenteos pro fructu, quia sancti viri omnia relinquunt, & pauperibus erogant: vt æternam mercedem consequantur. Et verum est, quòd dicis ò Virgo, quia.

*Vinea mea coram mè est.* Id est, cum ea sum vsque ad consummationem seculi.

*Mille tui * pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.* Ac si diceret. O Virgo MARIA certa est de mercede æterna, quia mille pacifici tui. Per millenarium significatur perfectio per hoc quod dicitur pacifici, significatur æterna remuneratio, in qua est vera pax. Per mille ergo pacificos, perfecta Virginis remuneratio insinuatur, hinc duplex corona in corpore, & in anima cum fructu æternæ vitæ in cœlo seruatur, quòd per ducentos significatur. Adhuc loquens ad Virginem ait. * Paci ce.

*Quæ habitas in hortis, amici auscultant.* Quasi diceret in multis pulchritudinem tuã laudant. In hac autem vltima alloquutione hoc te moneo.

*Fac me audire vocem tuam.* Id est, orationem tuam, quia de quacumque tribulatione clamaueris ad me, exaudiã te. Et hoc, ò Virgo MARIA, quæ habitas in hortis, in horto Ecclesiæ scilicet, corporaliter, & in horto virtutũ germinantium in vitã æternam spiritualiter. In horto qui Christus est per amorem, & in horto vitæ æternę per spem, consequenter habitura per speciem. Fac me audire vocem tuam, id est, ad me dirige vocem tuam, vt eam adimpleam, quia inordinatè orare nõ potes. Et hoc ideo quia ascultant amici tui, id est, Angeli, qui te diligunt, & custodiunt, semper parati renunciare mihi verba tua, cogitationes, & opera. Et quia mouerat Christus, vt post suam ascensionem Virgo ad ipsum suam dirigeret orationem, vt colloque-

Luc. 1.

Ioan. 14.

loqueretur ei corde, & voce, quod postea Virgo consentiens Christi Ascensioni ait.

*Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.*

Mira exortatione Christus, exortatur Virginem, vt instet orationi, vt possit audire vocem ipsius, & ipsa hortatur eum, vt fugiat, sed magna est mysterij consequentia. Nam cum superius prædicta sit Christi natiuitas cùm dixit. Quis det te fratrem meum, &c. Et eius passio vbi dictum est. Sub arbore malo suscitaui te: nunc consequenter hortatur mater filium, vt fugiat, idest, velocissimè ad patrem per ascensionem redeat. Et est sensus. Iube me orationi insistere: scilicet secundum quod disposuisti, cui dispositioni contraire nolo. Fuge, idest, completo incarnationis, & passionis mysterio ad cœlum reuertere, vt iam non te hominem: sed sicut Deum semper cogitare, & orare incipiam: tunc enim audies vocem meam. Verumtamen ne me in præsenti tua visitatio deserat, digneris me crebrò per maioris gratiæ infusionem reuisere, teque mihi videndum sæpius prebe. Et hoc est, quod dicit. Similis esto capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum. Sicut capreæ hinnulique ceruorum indomita animalia hominum consortium refugiunt, tamen crebrius in montibus videntur. Sic & tu post ascensionem tuam licet inuisibilis sis, dignare mihi per maiora dona gratiæ tuæ apparere. Et hoc super montes aromatum, idest, in eminentijs virtutum. Montes aromatum dicuntur excellentiæ virtutum cœlesti conuersationi proximæ, & rectæ operationis odore, & fama longè lateque diffusæ. Expositionis Alani de Insulis, in Cantica Canticorum, ad laudem Deiparæ Virginis MARIÆ.

FINIS.

*Ex Anticlaudiano eiusdem Alani de Insulis, lib. 5. fol. 102. Epiteta, & Elogia B. Virginis MARIÆ fragmentum.*

Cum sint diuersi merito, meritusq; resultet
Splẽdor inæqualis, lux dispar, gaudia cũctos
Æqua manẽt, risusq; pares vbi dissona merces,
Nec mirum si lætitię par gratia cunctos
Expectat, quibus vna datur pro munere vita,
In quibus ipse Deus est omnibus omnia, donũ
Et donans, dans vni plurima, pluribus vnum.
Hic superos ciues proprio præcellit honore
Virgo, quæ proprium pariẽdi lege pudorem
Nõ perdẽs matris meruit cũ Virgine nomẽ.
In qua concordant duo nomina, lite sepulta,
Quæ secum pugnare solent, litesq; mouere,
Nec iam discordant mater Virgoq; sed ipsis
Litibus exclusis se pacis ad oscula vertunt.
Hic natura silet, logicæ vis exulat, omnis
A Rethoricæ perit arbitriũ, ratioque vacillat.
Hæc est quæ merito diuini muneris vsu
Nata Patrẽ, natũquè parens cõcepit, honorẽ
Virgineum retinens, nec perdẽs iura parẽtis,
In cuius ventris thalamo sibi summa parauit
Hospitium Deitas, tunicam sibi texuit ipse
Filius artificis summi, nostræquè salutis
Induit ipse togam, nostro vestitus amictu.
Hæc est stella maris, vitæ via, porta salutis,
Regula iustitiæ, limes pietatis, origo
Virtutis, veniæ mater, thalamusq; pudoris,
Ortus cõclusus, fons cõsignatus, oliua (nans
Fructificans, cedrus redolẽs, paradysus ame-
Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore
Prædicta cœlesti, nectar cœleste propinans.
B Nescia spineti florens rosa, nescia culpæ
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens,
Spes miseris, medicina reis, tutela beatis,
Pro scriptis reditus, erranti semita, cœcis
Lumen, deiectis requies, pausatio fessis.
Hæc est quæ primos casus primiquè parentis
Abstersit maculas, vincens virtute reatum,
Diructa restituens, redens ablata, rependens
Perdita, restaurans amissa, fugata rependens,
Post vespertinos gemit9 noua gaudia donãs,
Post mortis tenebras, vitæ nouitate relucẽs,
Cuius ad aduentum redit ætas aurea mundo,
Post facinus pietas, post culpã gratia, virtus
Post vitiũ, pax post odiũ, post triste iocosũ.
Vt rosa spineti compensat flore rigorem,
C Vt dulcore suo fructum radicis amaræ
Ramus adoptiuus redimit, sic crimina matris
Ista luit, matremquè facit sua natura renasci,
Vt sic mũda ream, corruptam Virgo, pudica
Effrõtem, miseram felix, humilisq; superbã,
Abluat, & vitæ pariat sua filia matrem.
Huius ab imperio cœlestis curia pendet,
Huius ad imperium deuota mente parata
Cum qua cœlestis regni moderatur habenas,
Qui Pater, & proles eiusdẽ natus, & auctor,
Cũcta regit, sine fine regẽs, quo rege triũphat
In cœlo miles, in terra militat exul.
Hic est qui carnis intrans ergastula nostræ
Se pœna vinxit, vt cunctos solueret, æger
Factus, vt ægrotos sanaret, pauper vt ipsis
D Pauperibus cõferret opem, defunctus vt ipsa
Vita donaret defunctos, exulis omen
Passus, vt exilio miseros subduceret exul.
Sic liuore perit liuor, sic vulnere vulnus,
Sic morb9 dãnat morbũ, mors morte fugatur,
Sic moritur viuens, vt viuat mortuus, Hæres
Exultat, * vt seruos Hæredes reddat, egenus * Exulat.
Fit dives, pauperquè potens, vt ditet egenos,
Sic liber seruit, vt seruos liberet, imum
Sũma petunt, vt sic ascendant infima summũ,
Vt nox splẽdescat splẽdor tenebrescit, ecclesiasi
Sol verus lãguescit, vt astra reducat ad ortũ,
Ægrotat medicus, vt sanet morbidus ęgrum,
Se cœlum terræ conformat, cedrus hyssopo,
Ipse gigans nano, fumo lux, diues egeno,
Ægroto sanus, seruo Rex, purpura sacco, &c.

# S. ANTONIVS PADVANVS.

## NOTA.

*Sanctissimi Patris Nostri Antonij cõmuniter dicti Paduani, natione Lusitani, patria Vlyssiponensis migrantis ad Dominum anno à nostra Redemptione MCCXXXI. ætatis suæ XXXVI. & à Gregorio IX. Pont. Max. in Ciuitate Spoletana die penultima Maij sub festo Pentecostes, anno MCCXXXII. in sanctorũ Catalogo adscripti, virtutes, miracula, ac eximiam sanctitatẽ recensere nostri non est instituti. Primus in Ordine Seraphico Lector Theologiæ: Hæreticæ prauitatis insectator acerrimus: insigniſquè Prædicator extitit, ita vt cùm tẽpla, quæ ad concionandũ deligebantur ampliſsima, capere non possent hominũ multitudinẽ suggestus in cãpos, vel plateas latiſsimas deferretur; habuit etiã linguarum donum sicut Apostoli; in Scriptura, à Gregorio IX. Arcam Testamenti, & litterarũ Armarium nuncupatus, Eius opera Iacobus Badius Ascensius anno MDXXI. Excusit, & à Naphale Mapheo, apud Ioannem Antonium Vertanũ, iterum anno MDLXXIV. Scripsit etiam Concordantias Morales sacrorum Bibliorum miro ingenio, & optimo ordine dispositas, quas Vvadingus, anno MDCXXIV. pubicæ; fecit iuris, nouissimè verò Ioannes de la Aye, anno MDCXXXVIII. Parisijs omnia recusit. Cùm igitur in prædictis Concordantijs de festiuitatibus B. V. MARIÆ sub specialibus agatur titulis, opere pretium duximus hic simul cum fragmentis, quæ exparsa in prædictis reperiuntur operibus in laudem Christiparæ Dominæ transcribere.*

## CONCORDANTIÆ SACRÆ SCRIPTVRÆ

pro festiuitatibus B. Virginis MARIÆ ex S. Antonio Paduano.

### *In Purificatione B. MARIÆ.*

*1. Reg.* 1. *v.* 24. Adduxit eum in domũ Dñi.
*Ps.* 47. *v.* 10. Suscepimus Deus misericordiã.
*Eccl.* 25. *v.* 5. In vita sua vidit, & lætatus est.
35. *v.* 8. Oblatio iusti impinguet alt.
*Isai.* 8. *v.* 17. Expectabo Dominum, qui abs.
60. *v.* 1. Surge illuminare Ierusalem.
*2. Mac.* 4. *v.* 21. Profectus inde, venit in Iop.

### *In Annuntiatione B. MARIÆ.*

*Gen.* 16. *v.* 11. Concepisti, & paries filium.
*Exod.* 25. *v.* 17. Facies, & propiciatoriũ de.
37. *v.* 1. Fecit autẽ Beseleel, & arcã.
*Num.* 24. *v.* 17. Orietur stella ex Iacob, &.
*Iudic.* 13. *v.* 3. Concipies, & paries filium.
*1. Reg.* 1. *v.* 10. Cõcepit Anna, & peperit filiũ.
25. *v.* 41. Ecce famula tua sit in ancil.
*3. Reg.* 9. *v.* 3. Sanctificaui domum hanc vt.
10. *v.* 18. Fecit etiã Rex Salomõ thr.
*4. Reg.* 7. *v.* 9. Hæc enim dies boni nũtij est.
*2. Par.* 9. *v.* 17. Fecit quoque Rex Salomon.
A *Iud.* 12. *v.* 10. Dixit ad Vagao eunuchũ suũ.
*Psal.* 18. *v.* 5. In sole posuit tabernaculum.
71. *v.* 5. Descẽdit sicut pluuia in vel.
*Prou.* 9. *v.* 1. Sapientia ædificauit sibi domũ.
25. *v.* 25. Aqua frigida animę sitiẽti.
*Cant.* 2. *v.* 8. Vox dilecti mei. Ecce iste venit.
5. *v.* 4. Dilectus meus misit manum.
*Eccl.* 43. *v.* 22. Frigidus vẽtus Aquilo flauit.
*Isai.* 19. *v.* 1. Ecce Dominus ascendet super.
*Ierem.* 11. *v.* 16. Oliuam vberem, pulchram.
31. *v.* 22. Creauit Dñs nouum super.
49 *v.* 14. Auditũ audiui à Domino.
50. *v.* 44. Currere faciam illũ ad illã.
B *Ezech.* 17. *v.* 3. Aquila grandis magnarũ al.
*v.* 21. Sumam ego de medula cedri.
44. *v.* 2. Porta hæc clausa erit: non.
*Dan.* 3. *v.* 49. Angelus autẽ Domini descend.

### *In Assumptione B. MARIÆ Virginis.*

*Gen.* 8. *v.* 9. Extenditque manum, & appreh.
12. *v.* 15. Sublata est mulier in dom.
24. *v.* 67. Introduxit eam in tabern.
32. *v.* 26. Dimitte me, iam enim asc.

*Num.*

*Num.* 10.*v.* 11. Eleuata est nubes de tabern.
1.*Reg.* 1.*v.* 18. Abijt mulier viam suam, &
7.*v.* 1. Venerũt ergo viri Cariathar.
2.*Reg.* 6.*v.* 1. Congregauit Dauid omnes.
*v.* 11. Abijt Dauid, & adduxit arcã.
*v.* 15. Dauid, & omnis domus Israel.
*v.* 17. Introduxerunt arcã Domini.
3.*Reg.* 9.*v.* 24. Filia Pharaonis ascendit de.
10.*v.* 2. Et ingressa Ierusalem multo.
18.*v.* 44. Nubecula parua quasi vest.
*Esther.* 1.*v.* 10. Præcepit Rex septem eunuc.
2.*v.* 16. Deducta est itaque ad cubic.
17. Posuit diadema Regni in capite.
3.*v.* 1. Imposuit solium eius super.
*Ps.* 17.*v.* 17. Misit de summo, & accepit me.
44.*v.* 5. Prospere, procede, & regna.
72.*v.* 24. Tenuisti manũ dexterã meã
*Prou.* 11.*v.* 16. Mulier gratiosa inueniet glo.
13.*v.* 33. Et gloriam precedit humi.
*Cant.* 1.*v.* 3. Trahe me post te curremus in.
2.*v.* 4. Introduxit me in cellã vinar.
3.*v.* 4. Paululum cùm pertansissem.
*v.* 6. Quę est ista, quę ascendit per.
4.*v.* 8. Veni de Libano sponsa mea.
5.*v.* 1. Veni in hortum meum soror.
8.*v.* 5. Quæ est ista, quę progreditur.
8.*v.* 5. Quæ est ista, quæ ascendit.
*Eccl.* 24. *v.* 18. In his omnib⁹ requiẽ quęsiui.
*Isai.* 14.*v.* 13. Super astra Dei exaltabo sol.
*Luc.* 10.*v.* 38. Et ipse intrauit in quoddam.

## *In Natiuitate B. MARIÆ Virginis.*

*Gen.* 2.*v.* 18. Faciamus ei adiutorium simile
24.*v.* 15. Ecce Rebecca egrediebatur, fil
*Exod.* 37.*v.* 1. Fecit autem Beseleel & arcã
*Leuit.* 26.*v.* 11. Ponam tabernaculum meũ
*Nu.* 24.*v.* 17. Orietur stella ex Iacob, & cons
3.*Reg.* 10.*v.* 18. Fecit etiam sibi Rex Salom
*Esther.* 10 *v.* 6. Fons paruulus, qui creuit in
*Iob.* 3,*v.* 9. Expectet lucem, & non videat.
*Psal.* 79.*v.* 16. Tu fabricatus es auroram, &.
80.*v* 4. Buccinate in Neomenia tub.
*Cant.* 3.*v.* 9. Ferculũ fecit sibi Rex Salomon.
*Cant.* 6.*v.* 9. Quæ est ista quæ progreditur.
*Eccl.* 24.*v.* 23. Ego quasi vitis fructificaui.
43,*v.* 2. Vas admirabile; opus excel.
*Isai.* 11.*v.* 1. Egredietur virga de radice.
*Ezech.* 29.*v.* 21. In die illa pullulabit cornu.
*Nahum* 3.*v.* 17. In die frigoris sol ortus est.
*Mat.* 1.*v.* 1. Liber generationis Iesu Christi.

### *Ex Dominica Quarta aduentus.*

*Psal.* 62.

BEata MARIA quia vallis, ideò fuit plena, & de plenitudine eius omnes nos accepimus, scilicet, nos vacui. Psal. 62. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Soli humiles implebuntur illa vbertate, quam nobis promittit. Leuit. 26. *Dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germẽ suum, & pomis arbores replebuntur.*

*Leuit.* 26

### *Ex Dominica infra Octauam Natiuitatis Domini.*

SEquitur. *Et tuam ipsius animam pertrãsibit gladius.* Dolor, quem Beata Virgo MARIA sustinuit in passione Filij sui, fuit quasi gladius, qui ipsius animã pertransiuit. Hoc est, quod dicit Isai. 66. *Antequam parturiret, peperit.* Nota, quòd Beatæ MARIÆ duplex fuit partus: vnus in carne, & alter in spiritu. Partus carnis fuit virgineus, & omni gaudio plenus; quia Virgo peperit sine dolore gaudiũ Angelorum. Vnde dicit cũ Sarra, Genes. 21. *Risum fecit mihi Dominus: quicumque audierit, congaudebit mihi.* Beatæ MARIÆ debemus corridere, & congaudere in Filij eius natiuitate. Debemus & ei condolere in Filij eius passione; cuius animam pertransiuit gladius. Et tunc fuit secundus partus doloroſus, & omni amaritudine plenus. Nec mirum Dei Filium, quem Spiritu sancto cooperante Virgo conceperat, Virgo pepererat, videbat ligno clauis affigi, inter latrones suspendi. Quid mirum, si gladius eius pertransibit animam? *Attendite ergo, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Thre. 1. Antequam ergo parturiret in passione, peperit in Natiuitate.

*Isai.* 66.

*Gene.* 21.

*Thren.* 1.

### *Ex Dominica infra Octauam Epiphaniæ.*

SEquitur. *Ascendentibus illis*, scilicet, parentibus IESV, Ioseph, & MARIA. Ioseph augmẽtum; MARIA mare amarum interpretatur; non quia amarum pœnitentiæ habuit gemitum; sed quia in Filij passione, quodam quasi præsagio nomen amaritudinis est sortita. In his duobus, spes, & timor designatur, qui sunt quasi parentes viri iusti. *Ibidem.* Porta clausa est Virgo MARIA, de hac Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit in æternum, &c.* Dicitur clausa porta, quia Virgo fuit ante partũ, virgo in partu, & virgo post partum. Vir non transibit per eam, ibidem, quia Virgo MARIA concepit, nõ opere viri, sed opere Spiritus sancti. Clausa fuit Principi, id est, ad honorem Principis; id est, Filij Dei. *Princeps in ea sedebit*, ibidem. Sessio humilitatem notat, & Dei Filius in ea se humiliauit, vt voluntatem Patris impleat, sicut ipse ait: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.*

*Ezec.* 44.

### *Ex Dominica secunda post Epiphaniam.*

DIxit Mater eius ad eum: *Vinum nõ habent.* Nota, quòd Beata MARIA ex Euangelio Lucę, & Ioan. colligitur sex verba tantùm protuliſſe. Primum fuit: Quomodo fiet

istud? Secundùm, ecce ancilla Domini. Tertium, Magnificat anima mea Dominũ. Quartum, Filij, quid fecisti nobis sic? Quintum, vinum non habent. Sextum, cùm dixit ministris. Quodcumque dixerit vobis, facite. Isti sunt quasi sex gradus in throno Salomonis eburneo. Sex folia in Libano, sex calami in candelabro.

*Ex Feria Quinta in Passione, seu hebdomadæ quintæ.*

*Luc.7.* ADuertendum, quia hoc dictum Saluatoris (nempè *Duo debitores, &c.*) solùm tenet de illis, qui debitores fuerunt, non de illis, qui fuerunt ab huiusmodi debito præseruati, sicut, qui fuerunt sanctificati in vtero, de quorum numero fuit Beata Virgo. Tales enim plus diligunt, quia maius beneficium recipiunt. &c. *Ibidem.* Nota. Iustè vocatum est nomen eius MARIA, id est, mare amarum.

*Ex Dominica in Ramis palmarum.*

QVantum ad primum exprimitur nobis locus à quo Christus discesit, quia de Bethania, situs, siue locus medius, per quem incessit, quia per montẽ Olibeti, & per Bethphage. Terminus ad quem accessit, quia ad Ierusalem. Modus per quem iuit, quia super asinam, & pullum eius. Tangitur igitur primò, locus à quo discesit immediatè, quia à Bethania. Bethania, namque triplicem habet significationem. Interpretatur enim domus gratifica. Item domus obedientiæ. Item domus afflictionis, & ratione omnium significat Virginem glorioſam; de qua Christus ad hunc modum processit. Nam ipsa fuit primò domus gratifica. *Aue* (inquit Angelus) *gratia plena.* Et infra: *Inuenisti enim gratiã*
*Luc.1.* *apud Deum.* Secundò, domus obedientiæ, & humilitatis, quia ipsa est obedientiæ Mater, & nutrix. *Ecce ancilla Domini, &c.* Tertiò, domus afflictionis, quia verè in morte Filij sui, ipsa oppressa est amaritudine. Vnde dicitur Thren. 1. *Subuersum est cor meum in me-*
*Thren.1.* *metipsa, quando amaritudine plena sum.* Vnde benè dicitur MARIA, quia mare amarũ; quia amaritudine repleuit eam Dominus.

*Ex Sermo in Dominica Sext. Quadragesimæ.*

EXtollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: *Beatus venter, qui te portauit, &c.* Beatus dicitur venter Virgi-
*Luc.11.* nis glorioſæ, qui omne bonum, summum bonum. Angelorum beatitudinem, peccatorum reconciliationem, nouem mensibus portare meruit. Ideò Filius loquens ei, dicit illud, Cant. 7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici,* *Cant.7.* *vallatus lilijs.* Vẽter glorioſæ Virginis fuit sicut aceruus tritici. Aceruus, quia in eo aceruatæ fuerunt omnes prærogatiuæ meritorum, & præmiorum. Tritici, quia in eo, quasi in cellario, industria veri Ioseph repositum fuit triticum; ne tota Ægyptus fame periret. Triticum dictum, eo quòd purissimum horreo conditur; vel quia granum eius commolitur, & teritur. Album interius, & rubicundum exterius, Iesum Christum significat, qui in cellario beati ventris glorioſæ Virginis nouem mensibus fuit reconditus. Qui in mola crucis pro nobis fuit atritus, candidus vitæ innocẽtia, rubicundus sanguinis effusione.

Hic beatus venter fuit vallatus lilijs. Lilium dictum, quasi lacteum Beatæ MARIÆ Virginis propter suum candorem, virginitatem significat, Cuius vterus fuit vallatus, id est, valle humilitatis munitus, lilijs scilicet, vtriusque virginitatis, interioris, & exterioris. Vnde Augustinus: Deus vnigenitus dum conciperetur, virginitatem carnis accepit ex Virgine; & cùm nascereturintegritatẽ virginitatis seruauit in Matre. Beatus ergo venter.

Sequitur: *Et vbera quæ suxisti*, de quibus Prouer. 5. *Cerua charissima, & gratissimus*
*Prouer.5* *hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter.* Nota, quòd cerua (vt dicitur in naturalibus) parit in via trita, sciens, quòd lupus viam tritã euitat propter homines. Cerua charissima est Beata MARIA, quia in via trita, id est, in diuersiorio, hinnulum gratissimum, quia gratis ex grato tempore datum nobis paruulum Filium peperit. Vnde Luc. 2. *Peperit Filium* *Luc.2.* *suum, & pannis eum inuoluit*, vt stolam immortalitatis reciperemus: *Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio*, Glossa ibi: in diuersorio eget loco, vt nos plures in cœlis habeamus mansiones. Huius ceruæ toti mundo charissimæ vbera inebrient te ò Christiane omni tempore, vt omnium temporalium oblitus, tanquam ebrius ad ea, quæ ante te fuerunt, & sunt, te extendas.

Sed valdè mirandũ est, cur dixit: *Inebrient te*, cùm in vberibus non sint vinum, quod inebriet, sed lac iucundissimum. Audi quare. Sponsus eius Filius ipsam laudans. Cant. 7. dicit: *Quàm pulchra es, & decora charissi-* *Cant.7.* *ma in delitijs, statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Quàm pulchra es mente, & quàm decora corpore, Mater mea, sponsa mea, cerua charissima, in delicijs, id est, vitæ æternæ præmitijs: *Statura tua assimilata est palmæ*, Nota, quòd palma inferius corticibus est aspera, superius visu, & fructu pul-

pulchra, & (vt dicit Isidorus) facit fructum centesimum. Sic Beata MARIA fuit in hoc mundo cortice paupertatis aspera, sed in cœlo pulchra, & gloriosa, quia Angelorum regina, & fructum centesimum, qui datur virginibus, ipsa Virgo Virginum super omnes virgines meruit adipisci.

Sequitur: *Vbera tua botris.* Botrus est genus fructus multi in vnum conglobati, vel vbarum, qua nascuntur in vite. De qua in hi-
*Gen.40.* storia Ioseph. Gen. 40. dicit Pincerna Regis: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas matureſcere.*

In hac auctoritate nota, quid vitis, quid tres propagines, gemmæ, & flores, & vuæ. Et B quomodo Beatæ Virgini conueniant. Vitis dicta; eo quòd vim habeat citius radicandi, vel quod inuicem se innectit; est B. MARIA, quæ præ cæteris citius, & altius in Dei amore fuit radicata, & veræ viti, ideſt, filio suo;
*Ioan. 15.* qui dixit Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*, inseparabiliter se innexuit: & de semetipsa dixit
*Eccl. 24.* Eccl 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Partus B. Virginis non habet exemplum in fructu mulierum, vel sexu, sed habet similitudinem in naturis rerum. Tres propagines huius vitæ fuerunt, Angelica salutatio; Spiritus Sancti superuentio, & Filij Dei inenarrabilis conceptio. Ex his tribus propaginibus propaginata proles fide- C lium quotidie per totum mundum fide propaginatur, ideſt, multiplicatur, gemmę in vite sunt humilitas, & virginitas B. MARIÆ; Flores; fœcunditas sine corruptione: partus sine dolore. Tres botri vuarum in vite, paupertas; patientia, abstinentia B. MARIÆ. Hæ sunt vuæ maturæ, ex quibus profluit vinum maturum, & odoriferũ, quod inebriat, & inebriando sobrias reddit mentes fidelium.

Sequitur: *Et in amore eius delectare iugiter*; quatenus ipsius amore falsam mundi delectationem despicere, & tuæ carnis concupiscentiam valeas conculcare.

Confuge ad ipsam peccator; quia ipsa est D ciuitas refugij, sicut enim quondam Deus, vt
*Num.35.* dicitur Num. 35. separauit ciuitates, seu vrbes refugij, ad quas confugerent, qui nolentes homicidium perpetrarent; sic nunc misericordia Domini refugium misericordiæ prouidit etiam voluntarijs homicidio. Prou.
*Prou.7.* 7. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam confugiet peccator, & saluabitur.* Vnde dulce nomen confortans peccatorem, & beatæ spei. Domine nomen tuum in desiderio animę. Et nomen (inquit) Virginis MARIÆ oleum effusum nomen tuum. Nomen MARIÆ, inbilus in corde, mel in ore, melos in aure. Egregiè ergo dicitur. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.*

Nota, quòd surgere dicitur sugendo agere. Dum enim Christus sugebat lac, salutem nostram agebat; nostra salus fuit eius passio, passionem sustinuit incorpore, qui nutritus fuit Virginis lacte. Vnde dicit: *Vinum meum bibi cum lacte meo.* Cant. 5. Quare non dixi- *Cant.5.* sti Domine IESV: Bibi acetum meum cum lacte meo? Virginalibus enim vberibus lactatur. Felle, & aceto potatur dulcedo lactis conuersa fuit in amaritudinem fellis, vt eius amaritudo nobis æternam dulcedinem propinaret. Vbera fugit, qui in monte caluariæ lanceâ perforari voluit, vt paruuli fugerent: de quibus Iob. 39. *Pulli aquilæ lambũt san-* *Iob. 39.* *guinem.* At ille dixit: *Quinimo, &c.* Gloss. ibi. Quasi non solum laudanda est MARIA, quia Verbum in vtero portauit, sed etiam Beata; quia præcepta Dei seruauit in opere. Rogemus ergo, &c.

### *Ex Dominica in Ramis palmarum.*

LEuit. 23. *Sumetis vobis fructus arboris* *Leuit. 23* *pulcherrimæ, patulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium; & salices de torrente, & lætabimini coram Domino.* Arbor pulcherrima est Virgo MARIA, cuius fructus fuerunt humilitas, & paupertas; palmæ fuerunt Apostoli, qui de mundo palmam victoriæ asportauerũt. Spatulæ sunt fructus palmarum, ante quam aperiantur, per quas intelligimus fidem, spem, & charitatem Apostolorum. Lignum densarum frõdium, est Crux Christi, quæ densas Dei frondes, per totum mundum expandit. Rami huius ligni fuerunt quatuor cornua crucis, quæ fuerunt in manibus, & pedibus Christi. In his quatuor cornibus fuerunt quatuor lapides precioſi, qui sunt misericordia, obedientia, patientia, perseuerãtia. In superiori cornu fuit misericordia. In dextro obedientio, in sinistro patientia. In inferiori perseuerantia. Salices de torrẽte, quæ in viriditate permanent, omnes sanctos significant, qui in torrente istius fluxibilis mortalitatis virides in bono opere perseuerauerunt. Sumamus ergo nobis fructum arboris pulcherrimæ, ideſt, paupertatem, & humilitatem Virginis MARIÆ, & patulas, &c.

### *Ex serm. die sancto Paschæ.*

BEata verò Virgo MARIA, postquam eius filius sepultus fuit, à monumento (vt quidam dicunt) nunquam discesſit. Sed continuè ibidem lachrymans vigilauit, donec resurgentem prima videre meruit. Et ideò in eius honorem à fidelibus sabbatum celebratur.

Ac

*Ex Dominica secunda Quadragesimæ. De Transfiguratione Domini,*
Sermo 1.

A

Mat. 17. DVxit illos, &c. In quibus vtique verbis nobis ostenditur actus magnæ confidentiæ, quia videlicet Saluator ad salutis remedium nos inducit. *Duxit illos.* Statuitur situs, siue gradus summæ pietatis, & affluentiæ, scilicet, Virgo MARIA per montem figurata. *In montem excelsum.* Exprimitur gustus miræ patientiæ, quia Deus transformauit seipsum in hoc mõte, scilicet, Beata Virgine, vt peccatoribus humiliter se cõformet. *Et transfiguratus est ante eos.* Ponamus enim, quod Dei Filius in hoc mõte fuerit transfiguratus, quando formam serui accepit; vt dicit Apostolus: *Exinaniuit se formam serui, &c.* Tamen Deus transfiguratur continuè in conspectu peccatorum, quando scilicet, ille, qui in se contra peccatores concitatur furore; in hoc monte efficitur mansuetus.

B

Nota, B. Virgo est mons; quia sicut montes sunt: superius luminosi. Inferius spatiosi. Interius onerosi. Exterius pascuosi. Sic Beata Virgo fuit superius luminosa puritate, quam cum Angelis participat. Inferius spatiosa charitate, qua tantùm ad humanum genus afficitur. Interius onerosa pietatequè continuè scaturit in eius corde. Exterius pascuosa sanctitate, qua ibi poteris pasci omni fructu virtutum, omni flore honestatis, & reuerentiæ.

C

Gen. 19. Igitur tibi dicitur, Genes. 19. *Ne stes in omni loco circa regionem, sed in monte saluum te fac.* Exod. 25. *Fac secundum exemplar, quod in monte tibi monstratum est.*

Exod. 25

Nota, quòd licèt iste mons sit excelsus, ad illum tamen nõ possumus, nisi per scalas humilitatis ascendere, 1. Machab. 6. *Per loca humilia ibat cautè, & ordinatè, &c* Psalm. 124. *Qui confidunt in domino sicut mons Sion. Montes in circuitu, &c.*

1. Mac. 6
Psal. 124

*Ex Dominica 3. post Trinitatem.*

D

Lucæ 15. SEquitur; *Vt audiret illum.* Super hoc cõcordia, 2. Reg. 19. *Surrexit Dauid, & sedit in porta, & omni populo nunciatum est, quod Rex sederet in porta, & venit vniuersa multitudo coram rege.* Dauid est Christus Rex Regum, qui nos liberauit de manu inimicorum nostrorum. *Surrexit*, cũ à sinu patris exiuit, *sedit in porta*, ideſt; humiliauit se descendens in B. Virginem MARIAM, de qua Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur; & vir non transiet per eam, eritquè clausa Principi, & Princeps ipse sedebit in ea.*

2. Reg. 19

Ezec. 44.

Nota clausa Principi, & Princeps sedebit in ea. Principi enim huius mundi, ideſt, diabolo clausa fuit, quia nulli tentationi ipsius mens eius patuit. Et Principi Christus in ea solus sedit, per assumptæ carnis humanitatẽ. Sequitur; *vt comedat panem coram domino.* Ideſt, faciat voluntatem Domini. *Meus* (inquit Ioann. 4.) *cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius, &c.* Et omni populo nunciatum est, scilicet, per alios Apostolos, & alios Prædicatores, quod Rex sederet in porta, ideſt, quòd carnẽ assumpsisset de Beata MARIA: & sic vniuersa multitudo pœnitentium, & fidelium venit coram rege ei in omnibus, & per omnia parata obedire.

Ioan. 4.

*Ex Dominica quinta, post Trinitatem.*

ITem tertio. Thronus dicitur B. MARIA. Vnde Ecclesiastes 24. *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis*, quasi dicat. Ego, qui in altissimis habito apud patrem, elegi thronum, &c. in paupercula matre. Et Nota, quòd dicitur columna, quia nostram fragilitatem sustentat nubis; quia à peccato immunis.

Eccles. 24

Hic thronus fuit de ebore, quia MARIA fuit candida innocentia, frigida sine libidinis ardore. In ipsa fuerunt sex gradus, qui notantur in Euangelio, *Missus est.*

Primus. Fuit verecundia: *Turbata est in sermone eius.* Vnde illud. In adolescente verecundia; in iuuene hilaritas, in sene prudentia commendatur.

Secundus. Prudentia: siquidem non statim affirmauit, vel negauit; sed cogitare cœpit. Vnde. *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.*

Tertius. Modestia, ibi: *Quomodo fiet istud?*

Quartus. Constantia in bono proposito. Vnde. *Quoniam virum non cognosco.*

Quintus. Humilitas. *Ecce ancilla Domini.*

Sextus. Obedientia: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Iste thronus fuit vestitus auro paupertatis. O aurea paupertas gloriosæ Virginis, quæ Dei Filium pannis inuoluisti; in præsepio collocasti. Et benè dicit. Vestiuit. Paupertas enim animam vestit virtutibus. Diuitiæ verò temporales expoliant. Et summitas throni rotunda in parte posteriori. Beatæ MARIÆ summitas fuit charitas; ob cuius meritum in posteriori parte, ideſt, æterna beatitudine summum tenet locum, fine, & principio carente. Et duæ manus, & sedile aureum, ideſt, scabellum fuit humilitas Beatæ MARIÆ, quam tenuerunt duæ manus, ideſt, vita actiua, & contemplatiua. Fuit enim, quasi Martha, & MARIA. Marta in Ægyptum iens, & inde denuo rediens.

MA-

MARIA, quando conseruabat omnia verba conferens in corde suo. Duo leones, ideſt, Gabriel, & Ioannes Euangelista, vel Ioseph, & Ioannes, stabãt hinc, & inde iuxta manus. Ioseph, iuxta actiuam, & Ioannes, iuxta contemplatiuam: & duodecim leunculi, ideſt, duodecim Apostoli hinc, & inde venerantes, & ei obsequentes. Verè tale opus non fuit in vniuersis regnis, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Multæ filiæ congregauerunt diuitias; sed MARIA supergressa est vniuersas.

*Ex Dominica decimaquinta, post Trinitatem.*

VNde se esse florem campi Christus gloriatur. Cant. 2. dicens: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Sic & Beata MARIA eius mater, quæ in mundo florem non perdidit, potest gloriari, cũ tamen, nec recluſa, nec monialis fuerit glorioſiùs reputans florere in mundo, quàm in horto, vel deserto. Licet, vt dicit Augustinus: Hoc tentare periculosius sit; posse tamen fœlicius.

*Ex Dominica vigesima, post Trinitatem.*

*ET misit seruos vocare inuitatos, &c. Vsque venite ad nuptias.* Hæc dicit Salomon, Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem; immolauit victimas suas; miscuit vinum, & proposuit mensam suam; misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Prou. 9. Sapientia Dei Filius, ædificauit sibi domum suæ humanitatis in vtero B. Virginis; quæ domus fuit suffulta septem columnis, ideſt, septiformis gratiæ donis. Idem est: *Fecit nuptias filio suo, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam.* Hoc illud est: *Ecce prandium meum paraui, &c. Misit ancillas suas.* Hoc est. *Misit seruos suos.* Et Nota, quòd Dominus vocat, & inuitat peccatores ad tres supradictas nuptias, quæ in arce, & mœnibus ciuitatis designantur. In arce humilitas incarnationis Dominicæ. In mœnibus, ideſt, in muris, opera pœnitentiæ, perquè quis ascendit ad ciuitatem cœlestis gloriæ. Vocat inquam per prædicatores, qui sunt ancillę, propter curam sollicitam, quam gerunt circa animas, sicut ancilla circa dominam suam. Psal. 122. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ.* Psal. 122. Et serui propter humilitatem. Luc. 17. *Serui inutiles sumus, fecimus, quod facere debuimus.* Luc. 17.

A Sequitur: *Intrauit autem Rex, vt videret, &c.* Nota: quòd sicut sunt tres nuptiæ, sic sunt tres vestes nuptiales, scilicet byssina, polymita, & coccinea. In primis nuptijs necessaria est byssina. In secundis polymita. In tertijs coccinea. Qui ergo ad nuptias dominicæ incarnationis vult intrare, vestem byssinam, ideſt, castitatis munditiam, necessariũ est ipsum habere. Vnde Apoc. 19. *Venerunt nuptiæ agni; & vxor eius præparauit se. Et datũ est illi, vt cooperiat se byssino splẽdenti, & candido,* Agnus dictus, quod præ B cæteris animalibus matrem agnoscat. Et ideò significat Christum, qui cùm in cruce penderet, matrem inter millia Iudæorum agnouit, & Virginem Virgini commendauit. Agni ergo nuptiæ, ideſt, Christi incarnatio venit, & ideò vxor eius, ideſt, sancta Ecclesia, vel quælibet fidelis anima debet se præparare fide, & cooperire byssino, ideſt. Castitate splẽdenti, quoad conscientiam, candido quoad corpus. Quo modo Dei Filij, & B. Virginis nuptijs interesse potuit, qui byssino castitatis indutus non fuit? Quo modo Ecclesiam intrare, fidelium se cœtui coniungere, & cõmunioni dominici corporis præsumit interesse, qui se nouit byssino splendido, & candi- C do, ideſt, castitate interiori, & exteriori carere? Cui Rex ironicè dixit: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Beatæ Virginis filius valdè delectatur in castitatis munditia. Vnde de eo sponsa, Cant. 6. *Descendit dilectus meus in hortum suum, &c.* Cant. 6. Hortus dilecti est anima iusti, in qua sunt duæ aureolæ aromatum, ideſt, humilitas procuratrix cæterarum virtutum, & lilia, ideſt, duplex continentia, & ideò in talem hortum descendit, & pascit.

Item, quicumque ad nuptias pœnitentiæ vult intrare, tunicam polymitam, ideſt, cordis humilitatem, necesse est, ipsum habere. De quo, Genes. 37. *Israel diligebat Ioseph* Gen. 37. *super omnes filios suos, eo quod in senectute genuerat eum, fecitquè, & tunicam polymitam.* Israel, ideſt, Deus Pater, dilexit Ioseph, ideſt, Christum, super omnes filios adoptiuos, quem in senectute, ideſt, mundo senescente genuit de MARIA Virgine; fecitquè ei tunicam polymitam, ideſt, vestimentum cum humilitate. Vnde ipse dicit Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Super hoc simile habes 2. *Reg.* 21. circa finem. *Tertium quoque bellum fuit in Gob contra Philistæos. In quo percussit Adeodatus filius saltus polymitarius Bethleemitas, Goliath, Getheum.* Mat. 11. 2. Reg. 21.

F. AM-

# F. AMBROSIVS CORANVS.

## NOTA.

*VIR in scripturis, optimisquè disciplinis aprimè versatus R. P. Ambrosius Coranus, vel Coriolanus, quem Aubertus Myræus Dominicanum vocat, sed immerito, fuit enim ex sacra Eremitarum S.P. Augustini familia alumnus, eiusdemquè Religionis, Prior Generalis: Obijt anno à nostra salute MCDLXXXV. scripsit inter alia docta, piaquè opuscula: de Conceptione B. Virginis MARIÆ librum vnum, teste Gratiano, in Anastasi fol. 24. & Possevino, in Apparatu fol. 64. nec nõ de eadem festiuitate orationem, vt refert Iustinianus in Indice vniuersali, verbo: Cõceptio B. MARIÆ, pag. 101. Sed in eius operibus diu quæsitis, & inuentis in Bibliotheca literatissimi Patris F. Thomæ de Herrera; typis mandatis Romæ à Magistro Georgio Herolt de Bamberga, Diuo Sixto IV. Pon. Max. sedente anno IX. sui Pontificatus, die octaua Decembris MCCCCLXXXI. Nihil de Conceptione reperitur. Sed tantùm sermo de Assumptione Virginis MARIÆ sub nomine, & titulo S. Augustini; at in operibus Augustini talis non extat sermo, nec Nomenclatores, qui opera Augustini ex professo recensent, vt Bartholomæus Vrbinas, in Melliloquio, & Matthias Hauzeur Franciscanus in Anotomia, & alij, prædicti sermonis, nec minimam faciunt mentionem; sit ergo sermo iste, ignotus, & hucusque tenebris sepultus, Augustini Ecclesiæ Doctoris, vel Ambrosij Corani, quasi cœcus à Natiuitate in Syloe, & Virginis gloria lotus, in lucem prodijt.*

## INCIPIT SERMO S. AVGVSTINI DE Assumptione Virginis, vel Ambrosij Corani.

EGo puluis, & cinis, qui & loquor vobis: propterea erubesco de Virgine aliquid dicere. Nam postquam virginitatem me amisisse cognoui: nunquam tanto feruore virginitatem gentibus prædicaui, ne mihi dicatur: *Medice cura te ipsum* primo; & quòd mirũ si mihi, hoc quotidie diceretur, nunquid tanquam iumentum triginta annis, & amplius computrui in stercoribus peccatorum meorum. Quomodo ergo loquar vobis, quorum conuersatio in cœlis est? Nunquid ergo tanquam puluis, & cinis, quem proijcit ventus à facie terræ, cuius vita hactenus contemptibilis, & miserabilis fuit, & sic sermo contemnendus efficitur? Nunquit Heremi cultores cœlorum ciues, & domestici Dei estis, qui verè sapitis, quæ Dei sunt, & non quæ super terram? Nunquid etiam puer inter vos sensu, & sapientia? Vnde ergo tam superba præsumptio, vt indoctus inter sapientes, iuuenis inter senes, filius inter patres, Leuita inter Sacerdotes audeat proferre sermonem? Contremisco de tanto elationis supercilio, vt lutum de figulo, opus de opificè, creatura de matre Creatoris, infimus de supremo, peccator de illa, quæ peccatum nesciuit, præsumat aliquid confabulari; vnde contra hanc excusationis arrogantiam, duplicem adinueni excusationis viam, quarum prima est charitas dilectionis vestræ: Secunda immensitas diuinæ bonitatis. Potens est enim Deus, vt loquatur in seruo suo peccatore in mundo, qui locutus est iumento, & qui aperuit os asinæ ad loquendum, aperiat os, & cor meum per gratiam suam, vt dignè narrare possim nomen suum, & matris vobis fratribus, & Presbyteris meis. Festiuitas hodierna, fratres charissimi, tantò nobis debet esse deuotior, quantò de illa memoriam agimus, quæ cunctis gentibus fuit fæcundior, cunctis apparuit sanctior, cunctis intus, & foris pulchrior, cunctis sapientior,

*Luca* 4.

tior cunctis gratiosior, cunctisque creaturis perfectior; non solum in vita, sed in ventre sanctificata, super omnes creaturas alias morte iam per eam deuicta, nobis attulit vitam sempiternam. Hęc est illa gemma gloriosa paradysi, de qua supra diximus, propter quã * honorem Domini honorauimus in libello, quem nuper edidimus de natura, & gratia, cùm de peccatis agitur nullam prorsus de MARIA volo habere quæstionẽ. Inde enim scimus, quòd ei plus collatum fuit gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum, quàm alicui de fœmina nato. Et miraris si hoc audis? Nequaquam fratres mirari debemus, quia concipere, & parere meruit illum, quẽ constat nullum habuisse peccatum: Virginẽ ergo illa excepta, si omnes sanctos, & sanctas cùm hic viuerent, congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato? Quid fuisse responsum putamus, nisi quòd ille sanctus Ioannes, inquit: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, mentimur, & veritas in nobis non est.* Hæc est illa Angelorũ Domina cunctis felicior, cunctis beatior, quæ Christum prius concepit fide, quàm carne. Materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi prius ipsum feliciùs fide, quàm carne gestasset. Beatus igitur dicitur venter MARIÆ, non tantùm, quia in eo Verbum caro factum est, sed quia Verbum Dei super omnes operando custodiuit. Quid igitur, fratres charissimi, nobilius Dei matre? Quid splendidiùs ea, quàm splendor patris elegit? Quid castius, quàm * corpus sine contagione corporis Dei hominis generauit? Virgo quippè super omnes Virginis fuit non solum corpore, sed etiam mente, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi partior, legendi studiosior, non incremento diuitiarum, sed in prece pauperum intenta; verecunda sermone, arbitrium mentis, non hominem, sed Deum quærens, nullum verbo, vel facto lędere, omnibus benè velle maioribus adsurgere, æqualibus non inuidere iactantiam fugere, rationem sequi, virtutem amare, hæc fuit sanctæ Virginis vita, hęc fuit nostrum in cunctis documentum, & doctrina, hæc excitatrix, fiducia peccatorum, & * gloria: hæc enim plena est omnia * misericordia, dicite mihi fratres, dicant similiter, & Iudæi, qui MARIAM venerantur, qui MARIAM videre concurrebant, qui MARIAM audiebant, vt Angelum Dei, vel matrem Dei esse non crederent: dicant ipsi quãdo audierunt, vel videre potuerunt, quòd MARIA fastidiuerit humilem, quando repulerit debilem, quando despexerit inopem. Verum fratres mei, quod nec in oculis, nec in verbis, nec in actu, nec in gestu, nec in progressu, nec in auditu, nec in olfactu aliquid nisi sanctum, & iustum inuenire potuerant in MARIA, vt dignè talis appareret hominibus in corporis specie, sicut intus erat simulacrum sanctitatis in mente. Talẽ hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus cœlorum maiorem reperit, talem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus elegit, & prælegit ante mundi constitutionem, vt mater Dei æterni plena omni gratia, & veritate, vt nemo sit, qui se abscondat à calore sanctitatis eius. Quid ergo, fratres, de MARIA dicemus? Talis denique fuit, vt vita eius sit omnium disciplina, merito omnes generationes te laudant, & magnificant, ò Virgo prudentissima: Nunquid tu Virgo gloriosa omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti? in cœlo, Angelis lætitiam, iustis gloriam, peccatoribus veniam. Merito super omnes generationes hodie sublimaris, & à cunctis creaturis, hodie magnificaris; quia in te, & de te, & per te quidquid boni recipimus, & recepturi sumus, per te recipere cognoscimus. Tu ergo MARIA sola patrona humani generis, tu afflictorum medica singularis, tu desolatorum mater, & refrigerium: tu omnibus nauigantibus salus, & remedium, tu viduarum maritus, & refugium. Tu latronum dulce receptaculum. Tu desperatorum lux, & sustentaculum. Tu Clericorum forma, & solatium. Tu defunctorum aduocata, & pabulum. Tu Patriarcharum, & Prophetarum suaue conuiuium. Tu Apostolorum vita, & spectaculum. Tu Martyrum patientia, & receptaculũ. Tu Confessorum magistra, & ab æstu vmbraculum. Tu Virginum Domina, & earum sustentaculum. Merito ergo Virgo prudentissima hodie benedicta, & venerabilis prædicaris, in tua mirabili Assumptione. Anima tua sanctissima simul vnita cum venerabili corpore ab omnibus generationibus, & super omnes generationes, & in æternum vltra. Nos igitur, dilectissimi fratres, qui nomen, & habitum sanctissimæ religionis patenter portamus, qui etiam Apostolicam vitam Deo seruare sponte promisimus: Videamus quomodo cautè ambulemus, nam totus mundus in maligno positus est, & aduersarius noster diabolus iam regnare in mundo videtur, cupiens seducere nos, & trahere nos ad se; nunc superbiendo, nunc luxuriando, nunc inuidendo, nunc cogitando, nunc etiam consentiendo, nunc in operando subuertere nos conatur. Nos verò dum hæc omnia patimur ad MARIAM recurrere non differamus: habet enim gladium bis acutum, vt nos ab hoste maligno tam cito defendat. Cauere denique summè debemus ne occasionem peccandi diabolo demus: nam ideo mundum relinquimus, & in hac vasta solitudine habitamus, vt peccata fortiùs vitare possimus. Non enim sufficit tantum fœminam non videre, sed fœminarum

1. *Ioan.* 1.

* *quæ.*

* *omni.*

